

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

NIET UITLEENEN

Schotborg Hermogé!

Het portret van den bibliofiel wiens wapen op de platten Am

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

142 B 10
niet plakken
(Boekbandor. 1791 B114)



Henricus Schotanus à Sterringha
Friſius, B. Fil. LL. et matheſeos
Studioſus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

P. WINSEMII
RERUM
FRISICARVM
LIBRI SEPTEM.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

142 B 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ILLUSTRIBUS
AC
Præ-potentibus
FRISIÆ
ORDINIBUS;
Patribus Patriæ.

ILLUSTRES & PRÆ-POTENTES DOMINI;

OFFERO vobis poſthumam PIERII WINSEMII veſtri Hiſtoriam, cui quidem vivus ſupremam manum impoſuerat, ac in Comitijs veſtris obtulerat, eoq́; ut typis mandaretur decreto cautum erat: ſed cum præſaga mens, quodammodo mortem præſentiens, teſtaretur, hoc ipſo vivo in effectum perduci non poſſe, illam mihi curam, pro veteri familiaritate, commendavit, quod acriter inſtanti denegare religio mihi fuit: voluit, ut & debuit, illam Illuſtriſſ. Dominationibus offerri & inſcribi, utpotè quorum autoritate & juſſu eam conſcripſerat: Laudabili ſanè ab omni ævo, inſtituto, ut poſteritati conſtaret ante actorum memoria, & à quam parvis initijs, Majores veſtri (benedictione divinâ adjuvante,) ſupra captum humanum Provinciam

ciam ad floriſſentem præſentem ſtatum deduxerint, ut à cunabulis propemodum jam adoleviſſe dici poſsit.

Edidit quidem Hiſtoricus veſter ante annos aliquot, Hiſtoriæ partem primam, & poſtmodum etiam ſecundam, ſed defectu multorum autographorum, non ut in præſenti abſolutam: etenim multa ex illo tempore in archivis veſtris & alibi reperta ſunt, quæ ut fidem majorem Hiſtoriæ faciunt, ſic lucem clariorem Lectori præbent, quæ poſteriori huic editioni inſerta ſunt.

Placuit Illuſtriſſ. Dominationib. veſtris initium Hiſtoriæ ſumeret, ex illo tempore quo maximus Cæſar Carolus V. abdicavit Provincias Belgicas, & in Philippum filium heredem unicum uno quaſi ore transtulit, cum placuiſſet maximo Cæſari, morti donum præripere, & mortalitatis donum in vita antevertere, rarò ſanè exemplo ut deſinas imperare, cum poſsis.

Et quamquam plurimi Scriptores, de cauſis impulſivis abdicationis curioſius indagent, ſatius eſt cuique judicium ſuum relinquere, cum revera, magis in conjectura poſitum ſit, quàm quod quid certi jam ſtatui poſsit. Hoc ſaltem verum, quod domus Auſtriaca in Carolo V. Cæſare, ſummum majeſtatis & gloriæ faſtigium viderit, ex quo ſenſim & quaſi ſine ſenſu paulatim retrocedere cæpit, ſive quod dies decretorius ac fatalis periodus immineat, ſive quod ob tyrannidem, religionis cauſa effuſi ſanguinis guttulæ, & ex eo renaſcentes ſurculi (Deo eorum injuriam vindicante) eveniat: judicio divino relinquimus, nos latet, ut & quæ præſentis ſtatus cataſtrophè futura ſit: ſanè periodus lenta nunc violentior eſſe videtur.

Incidit abdicatio Cæſaris, noviq; Principis Philippi in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

inauguratio, in annum milleſimum quingenteſimum quinquageſimum quintum. Quamquam & verum ſit, ut ex actis publicis in archivis veſtris repartis, ac Hiſtoriæ inſertis pateat, Cæſarem jam prævie Dominium Friſiæ, (quod à Duce Saxoniæ obtinuerat. Qui anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octavo, Snecæ Archi-Gubernator Dominij Friſiæ ſalutatus erat, & ad annum decimum quintum ſupra ſeſqui milleſimum obtinuerat) anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, XVIII. Ianuarij, transtuliſſe in principem Philippum filium, eumq; & tum Dominum Friſiæ ſalutatum fuiſſe, imò & indicto Ordinum conventu proclamatum eſſe, interveniente ſolemni juramento, quod Ioannes Lignæus Arembergiæ Comes, Leoverdiæ die qua ſupra, ſolemni ritu præſtitit. Quod & ipſe princeps Philippus (novus dominus) inviolabiliter ſe ſervaturum, in majorem populi ſecuritatem, ſolenni corporali juramento interveniente, expromiſit. Continebat illud juramentum, confirmationem privilegiorum ac tractatuum à Ducibus Saxoniæ & Cæſarea majeſtate obtentorum, & juxta, omnia alia Philippum principem facturum ad qua juſtus & bonus princeps ac dominus fidelibus ſubditis ſuis tenetur.

Magno ſanè applauſu procerûm & populi proclamatio & inauguratio novi domini celebrata eſt, ut de novo Cajo ſibi congratulantes, dum ſpes erat patribus & populo, mitiùs (ut plerumque fieri ſolet) ſub novo Domino imperium forè, & ſeveriora Cæſaris Edicta, de Religione, introductione novorum Epiſcoporum, & exoſæ inquiſitionis inſolito judicio, mite temperamentum acceptura, patriaſque leges & privilegia ſalva ac intacta forè. Et quamquam merito

rito majores terrere debuiſſet, Hiſpanica indoles, educatio & averſi à Belgis mores & ſolitæ tyrannidis ſuſpicio, vicit tamen in avidis libertatis ingenijs falſo ſperata clementia & Edictorum mitigatio. Sed tanta eſt mentis humanæ caligo, ut etiam in multum nocitura, cum applauſu ruamus, dum futuri temporis exitum caliginoſa nocte premit DEUS.

Evenit etenim Majoribus veſtris, quod in proverbio eſt, Fortuna vitria eſt cum ſplendet frangitur; &

Aſpera, ſub dulci melle, venena latent.

Omnis enim illa concepta ſpes de miti imperio ac patriarum legum conſervatione ſubitò evanuit & ſtultæ lætitiæ populus graves pœnas dedit. Quamquam enim & Cæſar, præſentibus provinciarum Deputatis, Bruxellis in ipſo ſolemni renuntiationis omnium provinciarum actu, Philippum filium (provinciarum jam dominum (ſerio monuerat de conſervanda populi (utpote meritis in donum Auſtriacam illuſtris) libertate & privilegiorum jure, utque princeps paternum amorem, ex anticipati temporis uſura ſibi debitum, in amore & cura populi Belgici compenſaret, jure poſtulaſſet, ſub hac comminatione, fore alias ut populus patriarum legum tenax & ſervitutis impatiens jugum excuteret, ac Philippus princeps id ſe facturum ſpopondiſſet Cæſari, fruſtra fuit & repromiſsio in ventum abijt: atq; alia ſe rerum facies mox obtulit, dum imperium quod mite ſub novo domino ſperaverant patres, crudele & intolerabile factum eſt. Idque non ſolum ſeveriorum edictorum Cæſaris confirmatione tam de religione, Epiſcoporumq; introductione quam &, qua arbiter conſcientijs dabatur, inquiſitione. Sed & inſuper

novo-

novorum eorundemque ſeveriorum edictorum promulgatione, atque eorum rigida ac ſevera executione, dum immemor Rex omne imperium violentum non eſſe diuturnum. Tum mox exauditur deteſtabilis & execrabilis vox: Ure, Seca: Non curamus privilegios veſtros, laniatibus carnificum, exilio, tortura, gladio, patibulo, aqua, confiſcatione bonorum, jus edictorum vindicatur. Luctu, armis, cæde, cadaveribus, cruore incendio omnia complentur; ſic

Nulla dies mœrore caret, — — — — —
— — — — ſed nova fletum cauſa miniſtrat.

Urbes, caſtella præſidijs firmata, legiones ſcriptæ, novæ arces extructæ, in conſilium patriarum legum exteri vocantur, Hiſpanus per omnia dominatur, quaſi à rege ſibi omnis juris dicundi poteſtas data, & pro lege ſit;

Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas.

Ad hæc, merito obſtupeſcunt & preſsis labijs exhorreſcunt Patres, cum omnia undique nil niſi tyrannidem redolerent; conſternatio omnes occupavit, dum libertas & vita in dubio ſunt, nec amiſſo patrimonio corpus liberum habere liceret; & vim atque injuriam ſtrictus tueretur enſis.

Sed quid conſilijs? cum huic nodo non eſſet æqualis cuneus? & vix moles ſine exitio convellentium convelli poſſe videbatur. In jus namq; Princeps, (jam Rex & dominator in Aſia & Africa) trahi non poterat: Patres tranquillitatis amantes, ſupplices, precibus clementiam Regis edictorumque mitigationem implorandam ducunt eamq; ut tutiſsimam viam cum

omni animi ſubmiſsione ingrediuntur, ſupplicesque libellos, Auſtriacæ, Regis locum tenenti, regiſque conſilio, multa cum humilitate offerunt, oblationemq; repetunt, non honores, divitias ac imperium petentes, ſed patriarum legum conſervationem, edictorum mitigationem & conſcientiarum libertatem. Sed quid his precibus, lamentationibus, ſe fatigantes promeriti ſunt Patres? hoc unum quod Geuſij, hoc eſt, mendicantis nomen datum ſit, in contumeliam, contemptum & riſum, quaſi catervæ ex decoctoribus mendiculiſque collectæ. Cujus nominis, Geuſij, dico, ignominioſa nota partibus inuſta, tantæ efficaciæ habita ut nondum cicatricem obduxerit, ſed etiamnum aculeum dedignationis obtineat, ut & hodie apud hoſtes quiſquis quenquam Geuſium dixerit, omnia opprobria dixiſſe videatur. Et quod magis mirere, nec Cæſareæ, nec Regiæ, nec Principum intercesſiones, poſtmodum quidquam valuere ad demulcendum Regis animum. Adde in teſtimonium alienati à Belgis animi, interceſſores ſupplices in Hiſpania morte mulctatos: Adde & in teſtimonium alienati Regis à Belgis animi, quod efferiſsimus Tyrannus Ferdinandus de Toledo Albæ Dux in Belgium, cum Hiſpano milite mittatur, ut omnes vi atque armis ſubigat ac internecioni devoveat, utpote criminis Læſæ majeſtatis reos, Bona fiſco Regio addicat, & de Belgio in illum modum diſponat, quaſi de Regno vi ac armis ſubacto ac devicto, in quod Regi jus vitæ ac necis erat: dicam uno verbo ut falſis nominibus jus & leges inverteret.

Hunc effectum in Regis animo ſortitæ ſunt ſupplicationes: jura, leges & privilegia provinciarum, paterna monita, & juramentum provincijs datum,

de

de conſervandis legibus & privilegijs. Hinc paulatim, patrum & populi magis magiſq; à Rege Regioque conſilio alienata mens eſt, ſecluſa omni clementiæ & commiſerationis ſpe, Rege ad preces ſurdo, & animum in patres indies exaſperante & in pejus obfirmante, conſiliaq; ventilare cœperunt Patres, cum flecti Rex non poſſet, ut quoquo modo frangi executio, & inviſum Tyrannicum Regis imperium poſſet, & ſi non executi, ſaltem enervari aliquantulum poſſet, creſcente ex deſperatione audacia (quæ inermes in arma & periculi ſocietate animos conjungente trudit) cum libertatem conſcientiarum nemo bonus niſi cum vita ſimul amittat. Non contumacia aut malevolo in Regem animo, (quis enim gentem ullam magis ſupplicem regi vidit?) ſed quod viderent Patres, aut perpetuo læſa conſcientia abjectiſsime vivendum, ſerviendum, & moriendum eſſe, aut Regis injuſtum imperium dum ſupplicationibus non poterat armis enervandum, aut relictis aris & focis, in exilio mendicandum eſſe. Quod equidem tandem, tandem, obtinuerunt Majores veſtri, ut hodierna tempora & præſens veſter ſtatus teſtantur. Idque maxime eo tempore cœptum, ex piſcatorijs quodammodo navibus cum nulla vel minima eluctandi ſpes apparebat, atque omne humanum auxilium ſublatum videbatur, dum nulla provincia, nulla urbs, caſtellum aut oppidum erat, quod non abſolute ſub Tyrannide (quæ eſt violentum unius imperium præter mores & leges) Hiſpanica ſuppreſſa libertate ac religione ingemiſcebat, dum Albani tyrannis omnes ſubegerat, & prædæ expoſuerat, in tantum ut ne hiſcere quidem quiſquam auderet. Atq; ij quibus vires aut divitiæ erant, patria profugi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

aut proſcripti exulabant. Imo & qui in Angliam profugi, qui æquatiles Geuſij indigetabantur (procurante hoc Albano, crudeli & Belgicæ libertatis oſori efferiſsimo) portubus exire, & prohibito commeatu, mare petere juſsi erant: Unde tamen, ſublato omni auxilio humano, Deo omnia dirigente, divinum auxilium remedium tulit, dum Brila ab exulibus capta, reſpiratio quædam, quaſi novum ſydus ſubortum, ut Belgis teſtatum faceret Deus divina auxilium non deſiderare, nec juvari poſſe: Et quamquam Albanus nihili faceret hunc exulum conatum & Brilæ occupationem: docuit tamen poſterior ætas, quod Brilam nunquam in poteſtatem reduxerit Dux Albanus. Et quod ex illo fonte exopinato, cepta in ſervitute reſpiratio, & multorum animorum erectio, quibus hoc divinum auxilium, majora ſperandi anſam præbuit. Unde & multis civitatibus occaſio nata ab Albani Tyrannide ſe ſubtrahendi. Ac didicit Albanus, quod Brila à Lumæo ipſi impoſita, in tantum lumina ejus obſcuraverit, quod lucem Belgicam ulterius non ferens, Hiſpaniam repetere coactus ſit, ſuo exemplo confirmans quod tyrannorum execrabilis & brevis poteſtas ſit. Et ſic paulatim ſucceſſu temporis, Deo & proram & puppim gubernante, provinciæ in illum ſtatum adoleverunt, de cujus honore, gloria, ac divitijs nihil attinet dicere, dum arma Hiſpanica terra non metuat mari leges quodammodo det. Dum excuſſo tyrannidis jugo, jam majeſtas ſingulis ineſt. Sed quales quantique caſus obvenerit & provinciam angiaverint, quam aſpera ad libertatem & ſtatum præſentem clivus fuerit, quantas miſerias, clades & calamitates perpeſsi ſint majores, quantæ viciſsitudines quaſſarint & concuſſerint, quam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

que accipiti marte, ſæpè dimicatum ſit cum parvis copijs, & quantum in-noxij ſanguinis effuſum ſit.

Hæc animus meminiſſe horret luctuque refugit.

Argumenti loco eſt quod Albanum excedentem provincijs gloriabundum dixiſſe ferunt: ſexennio quo regio nomine provincijs præfuerat, 18. millia hominum carnificis manu (exhorreſco) perempta eſſe, eorum qui in acie & exilio occubuere infinitus eſt numerus.

Illa ſunt quæ ordine deducit Hiſtoricus veſter, non in globo ut dici ſolet, ſed veris & ex archivis deductis documentis eo ordine quo geſta ſunt, ſpecialius in Friſia hac veſtra: Idq́; ex commiſſo in illud uſq́; tempus, quo Provinciæ in Libertatem ſeſe vindicarunt, & Philippum tunc Hiſpaniarum Regem ob Tyrannidem omni jure cecidiſſe judicarunt, nomenq́; regium, ſygilla, atq́; omnia Regis inſignia, ſuſtulerunt & dominium ejurarunt, ac Remp. Liberam conſtituerunt, quod publico edicto, rationibus inſertis ad longum, promulgatum anno ſupra CIƆ. IƆ. LXXXI. XII. Kalend. Septemb. quo Lectorem remittimus.

In Hiſtoriæ commendationem me non dabo, ne huic tam vendibili vino hederam ſuſpendere videar, cum & multorum celeberrimorum doctiſsimorumq́; virorum teſtimonia de excellentia Hiſtoriæ extent, quæ brevi forte in lucem prodibunt; auſim dicere neminem ante hac majori ſtudio & curioſa indagatione ſcripſiſſe, magiſq́; facta verbis exæquaſſe. Finio in voto, & apprecor ut in florenti rerum ſtatu Ill. D.D. veſtras, diu conſervet magnus ille arbiter rerum Deus, à quo, in quo & ad quem ſunt omnia. Cui ſit laus, honos & gloria in æternum.

Dr. L. S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

In Hiſtoriam Friſicam

Doctiſſimi, Ampliſſimi, totoque orbe Celeberrimi Viri,

D. PIERII WINSEMII, Friſij. Icti & Illuſt. Friſiæ Ordinum Hiſtoriograghi,

EORUNDEMQUE

In Academia Franequerana Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſſoris digniſsimi.

FALLOR? an in noſtri redierunt tempora ſæcli
Hiſtoriæ Princeps ſapienti nobilis ore,
Nobilis & gemmis Latij SALUSTIUS ævi?
Nec minor hoc TACITUS, victuris Nomina chartis
Geſtaque Romulidum tradens annalibus orbi?
Credite! non alius ſtylus eſt. Nec dignius unquam
Majeſtas meminit ſeſe Romana locutam.
Res alia & ſeges eſt. Tua, FRISIA, Bella, DUCESQUE
Jura, POTESTATES æterna luce beantur.
Hei mihi! quam latum quondam mea Patria Regnum,
STAURIA cum Ducibus Septem, clara inde Novenis
Regibus & Danis fuit & contermina Gallis.
Nunc alius patriæ limes, quam Lavica claudit,
Et mare Flevanis infuſum terminat undis.
Scilicet inſtabilem variata potentia mundum
Voluit, & æternum nihil eſt. Regniſque negatum
Stare diu, veniente die, quo gloria rerum
Siſtitur, & cæco ſucciſa potentia fato.
Cui fecere viam bellis & ſanguine gaudens
RHADBODI genius, ſed poſt civilis Erynnis
Friſiacas totis concuſſit viribus oras
Inque novas ſecuit parteis. Hinc turbida dudum.
VETCOPERI tollunt, contraria ſigna SCHYRINGI;
In ſua crudeles vertentes viſcera dextras
Vaſtarunt patrios ferro flammaque penates.
Sic caput & mundi terror, quæ fortibus armis
Imperium terris, animos æquarat olympo,
Martia ROMA ſuis ſtruxit ſibi funera telis.
Aſt animus meminiſſe horret, luctuque refugit,
Quanta per Hollandos Friſioſque effuſa PHILIPPO
Tempeſtas ierit campos, quibus actus uterque
Europæ atque Aſiæ fatis concurrerit orbis,
Ut Libertatem, patrias ut funditus aras
Dirueret. Fuit ergo truci crudelior ALBA

Ty-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Tygride, vel triſti Buſyride ſævior ipſo
Miſſus in has oras, juratas frangere leges
Juſſus, & hoſtiles veluti devincere terras,
Mancipioque ſuo bellis aſſcribere Regi.
Ille per innocuos graſſatus cæde penates
Obvia quæque metit ferro, non flectitur annis;
Non ullis precibus, crudeli ſanguine mactat
Uxoreſque Virum, Pueroſque ante ore Parentum.
Nec generi parcit, Nec ſtirpi ſævus equeſtri.
Illuſtres Patriæ Proceres, clariſſimus HORNAE
EGMONDAEQUE comes, tum millia multo virorum
Carnifici trucidata manu. Fit Belgica tota
Exul, inops, terras alio ſub ſole jacentes
Dis ſedem exiguam patrijs, littuſque rogavit
Innocuum, & cunctis undamque auramque patentem.
Haud aliter ſtimulante fame tygriſvè lupuſvè
Manſuetas prædatur oves, vigilique remoto
Terribilis miti Balautum ſanguine longam
Exſaturat rabiem, & totis dat funera campis:
Illæ, qua data porta, ruunt, in montibus, antris
Se tegere, & letum tutis evadere ſylvis.
Sed redijt tandem vetus in præcordia virtus
Sub duce ARAUSIADA, & pro libertatis amore
Creverunt animi, civilis maxima quercus
Gloria fit, miſeroſque rogo ſervare penates.
Suaſit amor Patriæ, libertas priſtina gentis,
Relligioque viris animoſo occumbere leto.
Ergo per adverſas ſortes erecta reſurgens
Juncta Philippeos excuſſit Belgica faſces,
Terribilemque Ducem, qui tum felicibus armis
Imperium Oceano, famamque æquarat Olympo.
Salve læta Dies, Niveo ſignanda Lapillo,
Salve læta Dies, qua non felicior orta,
Natalis Patriæ, tum Libertatis avitæ.
Candida Relligio FRATERNIS ſaucia flammis,
Et SPE pollenti clypeos armata FIDEQUE
Libera tum coluit ſacra, Libera vota Tonanti
Obtulit, & licitum templis indixit honorem.
Nataque Libertas Suffragia libera liquit
Libera Friſiadis Patriæ moderamina terræ.
Hæc meus æternis conſignat tempora chartis
VINSEMIUS Patriæ celeberrima gloria terræ
Gloria, lingua, manus. Latiæ facundia Suadæ
Sive undare foro, numeroſque referre ſolutos,
Seu libet Aonias ſub leges cogere voces.
Aſt nunc illa jacet Patriæ celeberrima terræ
Gloria, & elinguis, qui nuper lingua manuſque
Sola fuit Patriæ. Fatis conceſſit ab atro

OE

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Ordine fatorum Patrias qui vindicat oras.
Mens verò è clauſtris fugiens mortalibus inter
Agmina cælîtuum victrix migravit ad aſtra,
Et ſanctos cœli cives & amœna piorum
Concilia, Elyſios celebrans jam carmine campos.
Patria quas grates ſolves? quæ præmia faſtis?
Prælia, queis, Regeſque tui, præclaraque facta,
Libertatis amor, jurataque Regibus olim
Pacta triumphali ducuntur ad ultima curru
Sæcula, & extremos æterna laude nepotes.
Hoc opus (exſtat enim de te non dignius ullum)
Sede loca illuſtri, magnis & honoribus auge.
Hæreat in memori VINSEMIUS ore manuque,
Nec pretium, nec tanti aboleſcat gratia facti.
Sit, pete, terra levis, multaque in pace quieſcat,
Et violis ſacrum conſperge, roſiſque ſepulcrum,
Ac cineri tanto magna cum laude parenta,
Nos quoque, nos curam veteris ſervamus amici,
Et memores noſtri, quamvis rude, pignus amoris
Diſtichon hoc meritæ grati ſacravimus URNAE.

EPITAPHIUM.

HEIC *ſitus* Orator Magnus, *magnuſque* Poëta,
VINSEMIUS Patriæ Conditor Hiſtoriæ:
Cui quantum Doctos minuit mors ſævior annos,
Tantum neſcitur FRISIA *chara Tui.*

Scripſit P. à DOMA,
I. V. D. Friſiæ Rationarius.

IDEM

In Effigiem Authoris.

H*Iſtoricus*, *Vates*, totoque *Orator* in Orbe,
PIERIO clarus Nomine VINSEMIUS;
Hoc licet excuſus vultu ſpectetur in ære,
Spectatur *Libris* rectius ille ſuis.

P à DOMA.

Ad Hiſtoriam

CLARISSIMI ET CONSULTISSIMI VIRI

D. PIERII WINSEMII, IC.

Eloquentiæ & Hiſtoriarum dum viveret, Profeſsoris & Hiſtoriographi Illuſtr. Friſiæ Ordinum Celeberrimi.

OS magnum, quod magna Dei miracula narrat,
Quæ noſtros tantum cernere fecit avos,
Dum vox imbellis populi & ſuſpiria mixta
Sanguine ruperunt vincula dura Erebi,
Regnaque quaſſarunt, & celſo culmine ſtructum
Mundique æquatum finibus imperium,
Pondere ſub cuius, nutantis vulnere vaſto,
Iam pridem rerum machina tota gemit:
Dum tener aſtuti rejecit frena PHILIPPI
Belga vovens ſoli libera corda Deo.
Qualia non Tacitus *non aurea vena* Maronis
Explicuit ſive his doctius ingenium.
Os felix, cui tanta datum eſt nudare nepoti
Riſuro fumos labilis imperij,
WINSEMII; *quod nec voluit mors dura ſilêre.*
Verba etenim ſeclis pagina tradet anus:

Honori Collegæ dum vivebat amandi & obſervandi, poſt obitum deſiderati, raptim ponebat.

IOHANNES COCCEIUS *Doct. S. Theol. & Ling. Hebraica Profeſſor, ac pro tempore Rector in Acad. Franekerana.*

* * *   In

In Hiſtoriam Friſicam

CLARISSIMI VIRI DOMINI

PIERII WINSEMII, IC.

Ordinum Friſiæ Hiſtoriographi & Hiſtoriarum atque Eloquentiæ Profeſſoris, inter operas Typographicas, ante editum opus, defuncti.

INVIDA mors nulli mortali parcere docta,
Sæpius egregios, ſuſpicioſa, premens,
Viderat hunc prodire librum, qui redderet ævum
Exſtinctis longo tempore funeribus.
Qui Soli exhibeat res geſtas luce Carentum
Lethe devictâ, Tartareoque ſpecu.
Scilicet hîc veterum patrata leguntur avorum,
Quos tenet inferni regia muta poli.
Ferratæ patuêre fores, calamoque potente
Pieridum magnos vivere fecit avos.
WINSHEMI calamus duxit de nocte profundâ
PIERIUS Friſios reſtituitque Patres,
Quotquot in Hiſpanos animoſi ivêre ſecures,
Et ſoboli dederunt libera regna ſuæ.
Vidit & ingemuit torſitque volatile ferrum,
Inviſumque malo vulnere ſtravit humi.
Sic quicunque, inquit, mortem violare deinde
Speret & è Stygia victor abire domo.
Sic inviſe jaces, ſolâ tamen utere vitâ,
Quam potuit functis addere docta manus.
Ergò parte ſui ſubijt WINSEMIUS umbras,
Et non emiſſum morte reliquit opus:
Parte ſui meliore viget, vivetque per illos,
Queîs tribuit nunquam poſſe deinde mori.

C. SCHOTANUS,
Græc. Litt. & Hiſtor. Eccleſ. Profeſſ.

IN

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

IN

HISTORIAM
PHILIPPICO-FRISICAM
CLARISSIMI, AMPLISSIMIQUE VIRI
D. PIERI WINSEMI,
I. C. & Hiſtorio-graphi Friſiorum
integerrimi, ac Eloquentiæ & Hiſtoriarum
Profeſſoris Celeberrimi; Amici & Collegæ
quondam intimi ac deſideratiſſimi.

ERGONE PIERIDES meritis nec præmia conſtant?
Nec ſua Muſarum cultori, & honeſta Profeſſo
Nomina ſunt clari conceſſa brabeia laboris?
Ergonè poſt rigido conſumtas frigore noctes
Egelidas, lucemque datam melioribus actis,
Non licuit ſupereſſe ſibi, ſupereſſe ſuorum
Effectis operum, dignoſque hinc carpere fructus?
Sed fuit in fatis, ut quem diverſa deceret
Sæcula noſſe ſuum, vel qui, ſi commoda noſtra
Spectaſſet, ſi PIERIDUM juga ſacra ſororum
Difficilis Natura gradus ſervare ſecundos
Curaſset, multos tempus traxiſſe per annos
Debuerat, Pylio longè digniſſimus ævo;
Hunc (veniam faſſo da numen) magna gerentem,
Complexumque ſuâ præclaros mente labores,
Ultrà quos dederat, cunctiſque ſacraverat ævis,
In medio rerum curſu, Mors ſæva Lycæis
Eriperet noſtris, ac funere mergeret atro?
Exueretque citum moribundæ carcere molis
Invida vis fati? Quem nunc, heu! ſquallida geſtans,
Oraque, & incomptos jaciens Academia crines,
Luget; & expreſſo lachrymarum fonte, Patrono
Orba ſuo, fugiens oculis ſolatia, queſtus
Concoquit intempeſta ſuos, gemituſque per auras
Nequidquam evanidas fundit, concuſſa recenti
Vulnere, cujus agit nunc, præſtans antè, profundum
Juſtitium denſis Facundia merſa pruinis.
Quid quod ſiſtra ſilent præcocis conſcia fati?
Et tripodes, & muta chelys, & marcida laurus
Squallent? nec Cyrrhæ cortinâ remugit ab antro?
Claraque ob abruptam ceſſant oracula vocem?

Sic miſeri morimur naſcendo; horæque rapacis
Præda ſumus; vitæ florem ſic ſingula carpit
Ætas, ſic vixdum meditantes lubrica vita,
Alternaſqne vices rerum, ſortemque malignam
Nequidquam, humanis nos tandem excedere rebus
Mandat ſumma dies, & ineluctabile fatum.

Non tamen interijt totus, depaſta nec omnem
Eſt inopina Virum ſupremi funeris hora.
Terra tenet corpus, tumuloque recondita triſti
Viſcera, mortali quæ ſanguine creta, quietum
In vitam exſpectant reditum. Nam parte ſuperſtes
Ipſe ſui meliore manet, mortique relinquit
Quod mortale fuit: ſed vivax particula auræ
Divinæ æthereas conſcendit Spiritus arces,
Regna beata colens: ac Nobis magna relinquens
Ingenij documenta ſui, mirandaque mentis
Lumina, doctrinæque ſuæ pollentis acervos
Immodicos, ſacro quos fudit pectora motu
Pulſus, & æthereo perfuſus numine mentem.

Quem quoque Thymbræus puerum formavit Apollo
Obſequio clarere bono, primâque Juventâ
Magna rudimenta & teneræ cunabula linguæ
Edere clara ſatis, cum prima elementa laborum
Percurrit, titubanſque ratos induſtria greſſus
Diſcendique ſibi callem legit. Aucta Lycæo
Gloria cum crevit, curiſque Academia primis
Succeſſit, roburque dedit juvenilibus annis:
Tum verò paritèr mens ingenioſa, laborque
Vires commiſêre ſuas, quo ſe quoque poſſet
Pieriis gaudens ſtudijs, attollere victor,
Claraque Magnatum præcox volitare per ora;
Cecropiæque ſimul verſans conſulta Minervæ,
Scandere Doctrinæ Sapientum templa ſerenæ.

Inde Machaoniam naturâ ductus ad Artem,
Pergameos, Coöſque ſenes, & Græcia quotquot
Docta dedit Medicos, vel quotquot Roma ſuperbit,
Barbarus aut Arabs, ſibi vult feciſſe frequentes,
Ingenio ſtudioque ſuo complexus, in imum
Corporis humani perſpexit, & intima luſtrans
Quæ ſapiens Natura tegit, penetralia parvæ
Inſpexit Mundi machinæ, ſi fortè labaret
Fabrica, vel languor popularet corpore vires,
Poſset ut obſcuras morborum pandere cauſas.
Quin quod & ulterius, quò ſævis pharmaca morbis
Aptaret, dextrâque manu medicamina ferret,
Non minor hæc tum cura fuit, cognoſcere Plantas,
Quas Oriens Eöus habet, quas ſidere ſero
Spectat pulcra dies, ſeptem gelidique Triones
Aſpiciunt, pluvijs perfuſuſque imbribus Auſter.

Sed

Sed quoniam quò fata trahunt, retrahuntq; ſequendum,
Præcipuè Juveni bona juſſa capeſcere fas ſit;
Ergò ſanctarum ſiſus moderamine Legum,
En veſtras Aſtræa fores, edictaque pandit
Veſtra, triumphantes quos vidit Roma Quirites,
Et Bizantinis ſuffragia condita regnis.

Quin & ut optatam ſtudijs contingere metam,
Ac dignam meritis mercem ſufferre laborum
Poſſet, terrarum longos inviſere tractus
Maluit, atque ſitas alio ſub cardine gentes
Quærere longinquas peragratus ſedulus oras,
Ne quid inexpertum ſtudijs rellinqueret uſquam;
Sed poſſet varios hominum cognoſcere mores,
Atque alios caſus Legum, diverſaque Jura.
Igitur Hercinios ſaltus, Fuldæque rigentes
Legit aquas, Veſaræque vias, tranſivit & Albim,
Et ſæpè Heſperio mutatum ſanguine Moſam,
Cornigerumque patrem Rhenum, Viadrique ruentis
Fluminaque, & celebres Meliboco vertice Cattos,
Et Nemetos, & quæ noſtris contraria terris,
Albiona, immenſis quâ circumfunditur undis:
Et Te, quæ Batavas inter caput exeris urbes,
Ingens Leida ſacris ſemper domus hoſpita Muſis.
Perque alios plures tractus, populoſque remotos,
Quos fluvijs diverſa ſuis intervolat unda,
Et varias ivit terras: dum præmia laudum
Et voluit, ſimul & meruit retuliſſe decora.

Rettulit & mercem ſtudiorum, ac digna probatus
Præmia ferre, Gradum titulis comitantibus auget,
Quam dedit ambiguis natalibus acta Cadomum.

Hunc tum mirata eſt ingens, quæ lumina vitæ
Dulcia præclaro tribuit Leovardia Alumno;
Dum plauſu exceptus populi, non voce clienti
Emtâ, non pretio, ſed juri obnoxius uni,
Ancipites caſus, liteſque abſolvit amaras,
Adverſaſque ſuo preſſit ſub Judice partes.

Aſt quem Pierides ſibi primis ſemper ab annis
Sacravêre, ſuo quem perfudêre liquore, &
Innocuæ pietatis amor ducebat, & almæ
Pacis honos, Litique feræ contraria Virtus;
Huic quoque tum querulas vulgi, plebiſque profanæ
Pertæſo facilè curas, ſemperque calentis
Officium ſervile fori, ſtrepituſque clientum,
Blanda quies placuit, nec deſidioſa, ſed inter
Munia curarum tranquillam carpere vitam.

Igitur urbano, quia ſic tum fata volebant,
Jam procul à ſtrepitu, & primâ ſtatione recedens,
Excludenſque ſimul populique forique calores,

Prætulit exculti vernantia gaudia ruris:
Arboreoſque inter medius, gelidoſvè receſſus,
Et virides læto ridentes gramine campos,
Et liquidas inter fluviorum ac æquoris undas,
Otia Pieridum carpit, devotaque Muſis
Tempora diverſo rerum oblectamine fallit:
Poſthabitiſque bonis, quæ pellax gloria mundi
Æſtimat, & ſtudio vulgus ſectatur hiante,
Altius inſurgit, ſtudiumque effuſus in omne,
Exerit ingenium, & divinæ ſemina mentis
Inſerit haut ullo perituris tempore chartis.

Sive ſuos ardens Tibi Mincia cantat Amores,
Sive dolet, nullos cum mœſtus in ignibus ignes
Invenit, & triſti modulatur carmen avenâ.
Sive tuos ignes, Cererem qui ſævus in æſtu
Syrius eludis medio, cum torridus iras
Evomis in campos, avidiſque in lucra colonis
Spes meſſis tardare vales Latrator anhelus,
Cum premit indomiti trux Phœbus terga Leonis:
Sive etiam ulterius tendit, mirandaque tractat
Divinæ monumenta manus, nec clara parentum
Geſta ſilet, nec voce ſuâ profitetur inertes
Friſiacos rexiſſe Duces, dum ſtare quietas
Res noſtras Fortuna vetat, ſervatque tenorem
Ipſa ſuum, ac luctu gaudet turbare triumphos.
Nec laudes ô Magne tuas Gustave, nec iſta
Invictæ documenta manus, nec fortia facta,
Nec cum Phœbæo diffuſum lumine Nomen,
Præterit, at ſcriptis donat vivacibus orbi.
Ah quoties curis defixum talibus, atque
Magnæ molis opus rimantem, & pectore toto
Abſentem penitus, vidit cum ſurgeret undis
Purpureis ventura dies, cum lumine pleno
Umbras contraheret tenues altiſſimus orbe
Sol medio, vel cum claro nox ſidera cœlo
Spargeret, & rebus cœcas induceret umbras.

Donec & ad curas nova cura accederet iſtas,
Expeteretque ſibi luxata Academia tantum
Depoſitum, quò læſa ſuos ſanare labores
Poſſet, & auſpicio Procerum præclara per orbem,
Præſidio tali, diffundere nomina totum.
Hîc curæ indomitæ; nulliſque interrita Virtus
Adverſis ſatis emicuit, dum victa fatiſcit
Undique barbaries, & labem inferre vetatur
Moribus ingenuis, ſed paſſim Legibus æquis
Vivitur, officioque bono: quin docta Juventus,
Felix voce illâ, ſemperque aſſueta doceri
Annuit, & totam ſe ipſi debere fatetur,
Nec dignum meritis unquam ſtatuiſſe brabium,

Dum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Dum tali auxilio res quondam Academica tuta,
Contra Barbaricos auſus , Cyclopiaque arma ,
Perſtat ovans ; dumque hic altis Palinurus in undis
Puppe ſedet celſâ , clavoque intentus adhæret
Intrepidus , fragilem queat ut diſſolvere navim
Syrtibus , & decimis ſubducere ſedulus undis.
Nec tentant peccare mali , nec præmia deſunt
Ingenuis , cunctos regit at Prudentia caſus ,
Conſilijs matura ſuis ; quidquid vel Erinnijs,
Seque vorans Livor , toto molimine tentent ,
Vel quæ vibratæ decernant vulnera linguæ,
Vel quæ feralis recinat convitia Bubo.

Intereà totum ſibi tandem vendicat omnis
Hiſtorie, juſſu Procerum : quis juſta petenti
Deneget officia, & monumenta ſacrata futuris ?
Igitur exæquans præclari cœpta laboris,
Altæ mentis opus , documentaque maxima laudum
Aggreditur mandatque ſuis memorabile chartis
Quidquid noſtra tulit Tellus ſub Rege PHILIPPO:
Quidquid & à primâ naſcentis origine juris
Obtigit Heſperij Patriæ , Laribuſque paternis:
Donec ad excuſſum jure & victricibus armis
Gens properat pertæſa jugum crudelis Iberi
Belgica , nec ſceptris ſe vult ſubmittere Regis
Perjuri de more ſuo. Fiduſque recenſet ,
Quæ fuerint tanti nobis cunabula belli ,
Qui dubij fluctus , & quæ diſcrimina , cum poſt
Invidiam factura alijs , nos pilea ſanctæ
Libertatis apex urſit , timidoſque coëgit
Omnia dura pati , juguliſque admittere ferrum ;
Soſpite pro Patriâ, quam Regem ferre Tyrannum.
Et medias Syrtes, inter mediaſque Charybdes ,
Inſontem dubijs patriam committere bellis :
Cum quidquid præſtare poteſt , vel publicus horror,
Vel ſuadet commune malum , tentavimus omnes ,
Quos Patriæ conjunxit amor , conjunxit iniquis
Relligio vexata modis , expulſaque Terris ,
Quin & ab Heſperio peſſundata Jura PHILIPPO:
Indociles tam dura pati , ſed vivere ferro ,
Et pariter didiciſſe mori , quam templa, focoſque ,
Noſtraque perjuris committere roſtra PHILIPPIS;
Scilicet atroci vapulavit Belgica Monſtro ,
Tutoris vim paſſa ſui , perpeſſaque ſævi
ALBANI furias Ducis ; atque experta nefandis
Corpora ſupplicijs devota , & millia ferro
Carnificum demiſſa neci , fœdataque ſtupris
Barbaricis ſacra , & ſtagnantes ſanguine rivos ,
Et prædâ invalidos agros , & cœdibus urbes
Exhauſtas , raptaſque nurus , ſocruſque peremtas ;

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Et dulces mixto maculatas ſanguine Matres
Heû ! prolis , fructûſque ſui : glomerataque tandem
Funera funeribus denſis , bonaque omnia tanquam ,
Ut fera diluvies ſolet , uno merſa profundo.
Donec fata viam faciunt , & gnava Potentum
Sedulitas exoſa ſcelus, furiaſque P h i l i p p i ,
Aſſeruit belloque Lares , Mavortiaque arma
Strinxit , & incolumem ſpretâ defendere vitâ
Auſa fuit Patriam , victricia ſigna per orbem
Geſtans, & veteri ſub Libertate triumphans
Marani contra rabiem , dum vulnere multo
Preſſus , dejurata ſibi ſua nomina ſentit
Et ſceptra , oppoſitis jam fractus viribus Hoſtis.

Hæc pandit nunc cura Viri ſuprema , laborum
Materiem complexa ſinu , dum dura retexit
Tempora , fortunaſque Ducum ; dum pace vel armis
Inclyta perpetuis Annalibus acta revolvit.

Quod ſupereſt, ô Vos P r o c e r e s , Patriæq; Parentes,
Magnanimi Heroës , quos inter maximus arte
Conſilijſque valens ſummo S c h e l t i n g a favore
Aſſidet , & rerum fidus Secreta gubernat.
Cernite , quàm veſtris aſpirent Numina factis :
Cernite , quam Patriam nunc proſpera cuncta ſequantur ,
Excuſſo cervice jugo , pulſiſque P h i l i p p i s :
Tutaque præſidio Libertas Patria veſtro
Extolli lætetur ovans : ſpectate labores
Preclaros meritis , animiſque , ut & auguror , æquis
Accipite hæc veſtris Monumenta ſacrata trophæis :
Hoc Opus Hiſtoriæ Friſicæ , quod marmora vincet ,
Manſurum ſine fine bonum , cui nulla nocebunt,
Aut nocitura ſuos evertent tempora leges.

Ioh. Phocylides Holwarda.

ALLOQUIUM

A D

Authorem Celeberrimum.

SEclo, Cognate, dignus hoc Scripto fugis,
Ereptus Orbi, quinque bis ævi videns:
Peracta Luſtra, & annos novem, ſic homo eſt
Inane nomen, fumus, aura, vanitas:
Solâ ſuperſtes mente, quæ cœlum tenet.

L. M. P.

V. REVIUS, Med. Drs

Nempe tantillum eſt homo.

IN OBITUM

CLARISSIMI *per terrarum orbem* VIRI,

D. PIERII WINSEMII,

Friſiæ Hiſtoriographi, & in Patriâ Accademiâ Hiſtoriarum & Eloquentiæ Profeſſoris;

Ad Ampliſſimos D. D. CURATORES.

EHEU! WINSEMII *referunt mala nuncia mortem:*
Nuncia Pieridum *collachrimanda Choro.*
Huius fata Viri Muſarum pulpita plorant:
Et Themis in pullo conſpicienda gemit.
Quis nunc Eloquijs Franicas *mulcebit* Athenas?
Pulſabit doctam quis, velut ille, lyram?
WINSEMII *occubuit facilis cum funere* Vates;
Et Gravis Orator *conditur in tumulo.*
Quàm mirum! ſemper quo vindice Friſia *vivet;*
Vindictam mortis WINSEMIUS *patitur.*
Vos, quêis Franagrij *commiſſa eſt cura* Lycæi
Inſignes quatuor Palladis arte Viri;
Hoc agite! ut viduas ſcandat digniſſimus Arces
Et par WINSEMIO *plectra diſerta ſonet.*
Sit procul hinc Favor, & procul hinc eat improba Peſtis
Ambitio, *laurum ſola* Minerva *ferat.*
Eia agite! ut ſtent firma Dei *fundamina magni,*
Et ſolitis habitet Patria Muſa locis.
Non melius ferro potuiſti exſcindere regnum
Obverſum Chriſto *cor* Iuliane *fovens;*
Otia quàm ſacris indicere ſegnia ludis,
Legibus & Patrium dividuare forum.
Libertas, ſincera Fides, & gloria Chriſti,
Heic fecit ſacras ædificare Domus:
Tolle Scholas, expelle Viros, & ſupprime Leges:
Nos premet antiquo Vultur Iberque *jugo.*

HÆC *olim, ſcripſique tuo* Vir Clare *ſepulchro,*
Cum mea ſub ſalſis Muſa *natabat aquis.*
Integer à luctu quia nunc elabitur annus,
NEUHUSIUS *læto ſuccinet ore melos.*
Plaudite Pierij, *Parnaſſi Numina collis!*
Plaudite Caſtalij turba novena fori!
Plaudite! PIERIUS *mundani luminis oſor*
Hoſpes in Aönidum *maluit eſſe Choro;*
Atque ibi divino vobiſcum nectare paſci,
Et facilem tecum, Clio, *ſonare Lyram;*

Lon-

Longiùs ac triſtem vitæ ſervare figuram ,
Et curis plenos continuare dies.
Felix W I N S E M I ! *qui poſt tua terga relinquis ,*
Et rides quæ nos triſtia fata premunt.
Felix W I N S E M I ! *cui nunc meliore theatro*
Quam F R I S I AE *roſtris ſcribitur Hiſtoria.*
Scilicet hoc noſtro vix tutum eſt ſcribere ſæclo !
Difficile eſt omni poſſe placere viro.
Ille novus , *plebi ſua qui natalia debet ,*
Vult ſibi priſca dari nomina Nobilium.
Si Proavum *narras quæ ſors , quæ vita manebat ;*
Non moritura tuas obſidet ira fores.
Iſte , *malis quærit conſcendere culmen honoris*
Artibus , Ambitio ſola cui pretium.
In laudes te accinge viri , ſit dignior , ex quo
Et Patrum & Patriæ pendeat una Salus.
Illum ſi contra Calami diſtrinxeris arma ,
En ! ſuprema leves ſors jacet ante pedes.
Friſonis *referes quæ prima potentia* Regis ?
Quaſve ſibi tenuit Stauria *divitias ?*
Vel faciles ſcribes Radbodi *ad Tartara greſſus ?*
Inveniet nuſquam pagina veſtra fidem.
Si Satyris , *tecto ſub nomine , crimina culpes ,*
Te vocat in crimen conſcius ipſe ſibi.
Diſce , quod obſequium dubios tibi reddat amicos.
Scribere vera , nocet : ſcribere falſa , nefas.
Felix W I N S E M I *terrarum exempte periclis !*
Felix præteritis cui vacat urna malis !
Fallor ? an in veſtros recidit labor iſte lacertos
K O L D E , Leoninæ *cui data cura* Scholæ ?
I ! ſequere ingenio rutilantem lampada Phœbi :
W I N S E M I U S , *famâ non moriente , præit.*
Invida W I N S E M I O *quæ ſcribere Fata negarunt ,*
Abſolvat penſum K O L D I U S *Hiſtoriæ :*
Hiſtorijs comprênde , potens quì Roma *ruinam*
Sentiat & Meretrix *de* Babylone *cadat.*
Quì Grex Chriſtiadum , *juſtis ſatiata Triumphis ,*
Sub Pace *in toto prædicet orbe* Deum.
Hæc ſunt vota tui quondam divina Parentis ,
Quæ toties templis ſunt memorata ſacris ;
Illa eadem à noſtro prædicta & ſcripta Parente ,
Cujus in æternum non morietur Opus.
Sit tibi K O L D E , *novos unà gratamur Honores :*
Et flemus magni funera W I N S E M I I.

H E N R. N E U H U S I U S.
Curiæ Friſiæ Advocatus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

LECTORI.

BEnevolus Lector, ut vitia Typographica pro benevolentiâ ſuâ corrigat, rogat Typographus: Irrepſere ob mortem Authoris, abſentiam Correctoris & hyemis injuriam, cum Corrector quandoque in loco non eſſet.

VALE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10



Poſteritas venerare Virum qui hoc pingitur ære:
Ingenium & Virtus hoc meruere Viri.
Ille fuit Doctus, Facilis, Gravis, atq́ Disertus,
Orator, Vates, Doctor, et Hiſtoricus.
Quælibet Ars toto vix uni addiſcitur ævo:
WINSEMIUS *quatuor prævalet Ingenijs.*
Os, Oculi, Facies, Senſus, Miracula ponunt:
Fama per Hiſtorias non moritura viget.

H. NEVHVSIVS. *Friſ. Advoc.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

P. WINSEMII Hiſtoriarum LIBER PRIMUS.

MORTE Maximiliani Burani Cæſareï per Friſiam Præfecti, qui ingenti Provinciæ luctu Bruxellis anginâ extinctus erat, ſuffectus à Carolo Cæſare Joannes Lignæus Arembergiæ Comes. Cuius triſtem ac turbulentam Præfecturam ſæviſſima bellorum per Belgicam tempeſtas, mutatioq; civilium animorum ſubſecuta. Poſtquam enim Carolo Cæſari gravis ſenecta, & animus tranquillitatis avidus tædia regni, & fluitantium per Europam bellorum peperere, deſtinatumq; Philippo filio (quem Anno M. D. XXVII. XII. Kalend. Jun. ex Iſabellâ Emanuelis Luſitaniæ Regis filiâ Carolus Cæſar ſuſceperat) Belgarum Imperium fuit, tum, velut infauſto ſydere, commoti animi præſagio eventuræ calamitatis fluctuavere. Iudicantibus, ut in tali ſtatu fieri ſolet, pleriſque, Philippum Hiſpaniæ & circumjacentium Regnorum Principem, à ſuo cœlo aut educatione alium, vel potentiâ gravem fore. Alij verò novo in ſucceſſore mitiſſimam rerum ſortem & conditionem intuebantur, validis tum adhuc patrijs legibus, nec adultâ, ut ſolent, potentiâ infractis. Ità promiſcuè Belgarum gentem ſpes, metuſque agitabant, donec ille terrarum gentiumque victor, terror Europæ, in Aſiâ, Africâq; dominator Carolus Cæſar conventu omnium Belgicæ Ordinum ad IIX. Kalend. Novemb. Bruxellis indicto fidem faceret placituri in filio Imperij. Se Fato, ac divini numinis ope ad faſtigia rerum evectum, ſed nunc gravem annis, neque oblitum humanæ ſortis melioribus deſiderijs agitari. Continuam ſibi invaletudinem, nec parem moleſtijs ſenectam, eſſe aliquid in principe animo, quod poſt decurrentis ævi legem æterna ſpectet, ad quæ perveniri non niſi per tranquillitatem ſolitariæ, & nihil moleſtum verſantis vitæ poſſit. Itaq; validis annis plurima bellorum per Europam, Aſiam, atq; Africam geſſiſſe, ultra Herculis ſui columnas, & mare Oceanum, velut deſtinatum magnitudini ſuæ gyrum circumacta, quorum potiſſima ſubſidia à Belgicâ gente accepiſſet. Inde propenſum ſui in Provincias animum, quibus ſi ſatisfactum non eſſet, ut moleſtum lubricumque tam multa regendi onus eſt, darent patres veniam imbecillitati ſuæ, ſpemq; in Philippo filio Angliæ rege (id enim quod poſt mortem Mariæ Portugallicæ, Mariam Anglorum Reginam matrimonio teneret addi placuit) ponerent,

cIↄ. Iↄ. L V.

Arembergius Friſiæ Præfectus.

ANNO cIↄ. Iↄ. L V.

Caroli Cæſaris Oratio

rent,

cIↄ. Iↄ. L V. rent, beneficia fidemque Belgici populi, & ſi quæ ſint, paterni principatus deliquia novis virtutibus penſaturo. Quare Cæſar filium monere moderati & clementis Imperij, populumque magnis in Burgundicam Auſtriamque domum meritis illuſtrem, è præſcripto patriarum legum, ac avitæ libertatis regat. Fore alias, ut ſæviore dominatu fidâ, ſed bellaci gente commotâ inteſtinæ in eum partes exſurgant, cum ipſis civilium bellorum initijs terminum occaſumque ſuæ potentiæ habiturum. Quibus ſtabiliendis valida cani atque auguſti vultus majeſtas erat. Tum Cæſari Gulielmi Naſſovij Principis Aurantij humeris innixo lacrymæ fluxerunt, ut creditum fuit, miſeratione, aut reverentiâ coëuntium Ordinum, vel paterni erga Belgicam gentem, & natales ſibi cunas (Gandæ enim Flandrorum natus erat) affectus argumenta. Dein precatus Deum proſpera ſibi, & ſucceſſori ſolio exceſſit, filiumque in eo collocavit tantarum rerum vivo patre hæredem. Præter Galliam enim Belgicam, quam Oceanus ingens Rhenique flumen, tum Sequanæ fontes, & Vogeſi juga claudunt, regna mox Hiſpaniarum ac Siciliæ, noviterque repertus Indiarum orbis Philippo acceſſere, tranſlato quoque poſtmodum, (ne quid animus Caroli mortale curaret) in Ferdinandum fratrem majoris Germaniæ Imperio. Ita omne Burgundicæ domus patrimonium, quod occaſu, & ſterilitate principum familiarum in Philippo Bono, poſt Carolo Audace coaluerat, à morte Mariæ Charleſiæ, quæ Maximiliano Frederici III. Imperatoris filio nupſerat, in Philippum Auſtrium, ac poſt Carolum Cæſarem, & Philippum filium juſtâ ſucceſſione devolutum eſt. Qui, etſi robuſtæ ætatis Princeps, veniam imbecillitati orare, ac teſtari de affectu. Contra Ordines prompta obſequia polliceri, Cæſarique Carolo imprimis grates agere, quod tot nationum in ſucceſſore filio proſpexiſſet incolumitati. Ut, quia Cæſar ampli & diu geſti Imperij pertæſus quieto otio ſe dare, ac experiri privatæ vitæ fælicitatem conſtituiſſet, Provinciæ Belgicæ conceptam ex abitu Cæſaris ægritudinem ſucceſſione filij, tanquam juſto ſolatio, levarent. Id ſibi graviſſimi mœroris non leve remedium, &, ſi pericula poſt ingruant, grande munimentum fore. Se interim daturos operam, ut regiæ Majeſtatis ſplendor juſta ſui Principatus ſubſidia habeat, ſentiatque ſe populum regere Principis ſui reverentem. Hæc à Legatis Provinciarum, quæ jam ante Burgundicæ domui paruerant, pulchrâ cum obteſtatione fideï, ac integritatis Carolo coram Philippoque dicebantur. Quare Maria gubernatrix Philippo nepote principatum adepto Præfecturâ Provinciarum ſe abdicavit, Emanuelemque Philibertum Sebaudum Philippi conſobrinum ſucceſſorem accepit. Hoc verò ſolummodò reſtabat, ut Tranſrhenana Friſiorum ora, (quam Maximilianus Auſtrius Cæſar Friſicæ libertatis æmulus pro jure, ut ferebat, Imperij, etſi veriùs prolatandæ Burgundicæ domus potentiæ, in Albertum Saxonem, Saxo in Carolum ceſſione tranſtulerat) eodem Carolo Cæſare adhuc rerum potiunte, & vergentibus ſenſim ejuſdem annis, Burgundicis ditionibus in Philippo filio jungeretur. Itaque Carolus rerum humanarum inconſtantiam, & fortunæ (quæ conſilia eius per Germaniam confuderat) mutabiles, & incertas vices, tum brevitatem mortalis ævi expendens Anno M. D. XLIX. de

Carolus imperium transfert in filium.

Philippi & Ordinum Oratio.

ma-

maturandâ Philippi filij per Friſiam inauguratione cogitaverat, ac ut cIↄ. Iↄ.
ipſe humanæ legi obnoxius, confirmato hærede, & ſucceſſore, mino- L V.
re mentis inquietudine & mortalium rerum curâ terris excederet. Quod factu ijs temporibus arduum, ac difficile non erat. Præterquam enim, quod tanti Cæſaris conſilijs refragari, tam Imperioſæ, & ſublimis potentiæ faſtigium non ſinebat, ita hoc maxumè ad exequendam Caroli voluntatem, & concilianda populi ingenia faciebat, quod tot annorum pacem ſuis Provincijs per externa arma, & illuſtres victorias peperiſſet, aureâque velut temporum fælicitate florentiſſimus etiam tum populus uteretur. Quare per omnem Belgicam Philippo filio hærede proclamato, conventuque Ordinum Friſiæ Ianuario menſe Anno M. D. L. Leovardiæ coacto, Carolus Cæſar Philippum quoque filium hæredem ac ſucceſſorem ab ijſdem Ordinibus renunciari fecerat, tabulaſq; huiuſmodi, procurante Ioanne Lignæo Arembergio, Friſiæ vicinarumque ditionum Præfecto, hac de re impetraverat:

Tabulæ dē ſucceſſionē Philippi.

N*OS Gerardus Wittenius Foſuerdienſium, Gerardus Zutphanienſis Clare-campenſium, Gerardus Duingelius, Gerconis Cœnobij, Henricus Smeinſius Horti Mariæ, Henricus Zutphanienſis Doccomienſium, Præſules; Serapius Hania Legum Doctor, & Albertus Franciſcius Conſules, ac Delegati Leovardienſium; Petrus Dekema, Eques, pro Ielſumanis, Botto Wibrandius pro Corniumanis, Feico Tiallengius pro Britſumijs, Gisbertus Gerritius pro Stenanis, Haringus Heringa pro Fintzumanis, & Hiumanis, Goffo Douma, & Martinus Ioannis pro Huſumanis, ac Hempenijs, Hero Doconius pro Goutumanis, Geroldus Feytzma, Douwo Sacerdos, & Igo Petræus pro Wirdumanis, Benedictus Renicius pro Leccumanis, Ioannes Buygerius pro Medumanis, Haringus Sytzma Prætor, Erneſtus Goſlinga, R. Feytzma, Feico Ritskenius pro Ferverdicis, Olphardus Paſtor Tennartius, Feddo Haerda, Sibrandus Edſardius, Worperius Tyeſſenius, Geroldus Montzma, Worperius Peyma, Sipco Monickhuſius, & Bernardus Ioannis pro Dongrijs Occidentalibus; Franciſcus Aylva, Saco Ringia, Worperius Ropta Prætor, Andræas Paſtor Oeſtrumanus; Iouco Æbema, & Ieldertus Popkonius pro Orientalibus Dongrijs; Leo Ielgerſma, & Leo Harckema pro Octo-Pagicis; Scipio de Meckmans, Tammo Eæus, Folkerus Buvinga, Gaius Folkertius, Tyepco Heſſelius Pro-prætor, pro Collumanis; Ioannes Wopconius Prætor, Leo ſacerdos Dantumanus, Feio Eyſingha, & Feio Iornſma, pro Dantumanis; Goſuinus Petræus Pro-prætor, Iouco Paſtor Zuydwoldius, Feio Hemſtra, Ado Eyſingha; pro Nobilitate, Prior in Bergum; Wopko Suffridæus, Iuco Tennius, Briuchtus Atteius, Gailco Ielconius, Bonno Bennenius pro Zietzerchiis; Emcko Genckius Prætor, & Arnoldus Oedzius pro Smallingijs; Feddo Sixtinus Ielgerſma, Hector Gerritius, Petrus Tetardus, Douwo Pibenius, & Feico Diricius, Prætor, & Delegati pro Idaerderanis; Wibrandus Albada, Paſtor Rauwertius, Hector Albada Prætor, Suffridus Regnerius pro Soelanis, Sibrandoburanis, Enguirdijs, Ernſumanis, & Poppingaverijs; Gerbrandus Gulielmus pro Rauwerdijs, Vicario & Præbendario; Petrus Ioannis pro Deerſumanis, Broerius Hanſonius, pro novo Cœnobio, Leo Mellæus Conſul Doccomienſis, omnes Ooſtergoï. Ioannes Buſcoducis Abbas in Hemelum, Godefridus Zuollis Antiſtes Lidluma-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ. LV. nus pro ſe, Cornelio Paſtore Firdgumano, & Cœnobio Tiumarumano, Gerbrandus Ayſma præpoſitus Angiumanus, Petrus Purmeranus, Prior Achlemius, Stephanus Eæus, Cellarius Floridi Campi, nomine Præſulis, Petrus Ruardus pro Gerardo Siuckis Priore in Thabor, Iarichus Dekema, & Nicolaus Hanſonius Iureconſulti pro Franequeranis; Iarichus Dekema, Andræas Waltinga, & Hanſo Douwonius pro Territorio Franequerano, D. Horatius Fons, D. Wopko Albada presbyteri, Iulius Botnia, Petrus Walta, Sidſius Sidzii, & Iarichus Tadæus pro Baerderanis; Gerardus Paſtor Ooſterendius, Siricius Donia Prætor, Ruardus Roorda, Gaius Petræus pro Hennardiis; Adrianus Michaëlius Pro-Prætor, Ielgerus Tierkenius, Sipko Iaſperius, Suffridus Tialleſius, & Hero Lollius pro Barranis; Adrianus Michaëlius pro Harlingiis, Ioannes Herama Prætor, Uldricus Paſtor Ferwoldius, Dodo Sixtinus, Martinus Haionius, Ruardus Feiteſius, & Sibrandus Tiallengius pro Wonſeranis; Epo Petræus, Annas Feddonius, Vibius Tzommerius, & Kempo Gellius, Conſules, pro Snecanis; Valerius Herama Iureconſultus, & Paſtor Novolandius, Abbæus Paſtor Tyallehuſius, Ulricus Oenema, Loïngius, Elingus Horatius pro Goïngiis, Regnerus Hotſemius, Iuſtus Emius, Auco Heronius, pro Wimbritſeriis; Pibo Annius, & Goſuinus Haionius pro Bolſuerdiis, Ielmerus Ielmerius, pro Hemclumolpherdÿs; Saco Wibrandius, & Ulpius Lollius, pro Worcumanis; Titus Suffridæus pro Eloſtanis; Kempo Donia, Hector Hemmema, Haringus Glinzius pro Menaldumanis; Wibrandus Sellingwirtius pro Hindelopÿs, omnes Weſtergoï; Hommius Haerſma, pro Slotanis; Hubertus Schofius Commendator Neſſanus, pro me & Cœnobio Aelſumano, Focco Iskius Bornenſis, Franciſcus Tiepkonius, Sicco Pierius, Epo Femmius, pro Haskerÿs quinque pagicis; Feddo Paſtor Oelanus, Gabinius Andringa, Ferco Intiæus, & Annas Tiarckenius pro Doniewerſtalliis; Idſardus Paſtor Echtnanus, Chriſtianus Pierius, Annas Emius, & Hanco Meiczius pro Lemſteranis quinque pagicis; Vibius Paſtor Wikelius, Ioannes Ietſonius, Rinco Sipkonius, Gaſparus Hermanni pro Gæſterlandis; Ioannes Luydens Paſtor Olbercopius; Ioannes Franck, Prætor, & Chriſtianus Lutgenius pro Stellinguerfijs Orientalibus; Wigerus Paſtor Idſartius, Lubbertus Lycleſius Prætor, Folckerus Everardus, & Andreas Sinæus pro Stellinguerfiis Occidentalibus; Eylardus Tyſſenius, & Annas Poppius pro Scoterlandis; Gerbrandus Mintiæus Prætor, Hanco Nicolaus, & Tiebbo Sannius pro Enguerdiis, Douwo Paſtor Leppenhuſanus, Focco Teïus Prætor, & Vitus Brunius pro Opſteranis. Notum facimus: Quandoquidem Friſiæ Ordinibus de voluntate Caroli Cæſaris Domini noſtri Clementiſſimi, placuit Illuſtriſſimum Philippum Principem Hiſpaniarum, utriuſque Siciliæ, & Hieroſolymæ, Archiducem Auſtriæ, Ducem Burgundiæ & Brabantiæ, Comitem Habſpurgi, Flandriæ, Hollandiæ, Dominum Friſiæ, unicum Cæſareæ Majeſtatis filium, ut verum hæredem declarare, ac pro eo, à morte Caroli Patris, in ſucceſſorem recipiendo fidem juramentumque interponere, ita nos prædicto nomine & de mandato Ordinum Nobili viro Ioanni Lignæo Comiti Arembergio, Equiti Aurei Velleris, & Cæſareæ Majeſtatis per Friſiam, Tranſ-Iſulaniam & Groningam Præfecto, juſjurandum fecimus hoc modo:

Nos Delegati Præſulum, Religioſorum, Nobilium, Oppidorum, Proprietariorumque Friſiæ, fidem facimus nos Carolo Cæſare (cui Deus longam fœlicemque vitam largiatur) humanis exempto Illuſtriſſimo Duci, & Domino Phi-

lip-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

lippo Principi Hiſpaniarum &c. Domino Friſiæ, Cæſareæ Majeſtatis unico filio, & hæredi, tum hæredibus, poſteriſque eius, ut veris hæreditariiſque Friſiæ Dominis fideles ſubditos fore, Præfectiſque, Præſidibus, Senatoribus & Officialibus obſecuturos, neque facturos quidquam, quod Principi, hæredibus eius, Præfectis, Rectoribus, Præſidibus, & Officialibus, quoad jura Principis, contrarium, atque adverſum ſit. Pollicemur ea propter ſi quid tale contingat nos id vulgaturos Præfectis, Præſidi, & Senatoribus, omniaque facturos, ad quæ fideles ſubditi vero & hæreditario Domino præſtanda teneri ſolent. Ita Nos Deus adjuvet, & omnes Sancti. *Et quoniam jusjurandum, quod præſtitimus ratum efficaxque eſſe volumus, ita nos prædicti rogavimus Ioannem de Buſco-Ducis Abbatem in Hemelum, Iarichum Dekema Oldermannum civitatis Franequeranæ, Ioannem Buygerium, Prætorem Territorij Leovardienſis, Iure-Conſultos, ut ſigillis, & ſubſcriptione ſuâ muniant. Et nos Delegati oppidanorum poteſtatem fecimus Serapio Hania Iure-Conſulto, & Conſuli civitatis Leovardienſis, ſuâ manu ſubſcribendi, ſigilloq; prædictæ civitatis roborandi. Quod nos Ioannes de Buſco-Ducis, Iarichus Dekema, Ioannes Buygerius, & Serapius Hania fieri curavimus. Leovardiæ* XVIII. *die Ianuarij, Anno ſalutis* M. D. L.

cIↄ. Iↄ. L V.

Tum Philippi nomine reciprocum juramentum à Ioanne Lignæo Arembergio dictum hoc modo.

Iuſ-jurandum Comitis Arembergiæ.

NOs Ioannes Lignæus Comes Arembergiæ, &c. Friſiæ, Tranſ-Iſulaniæ, & Groningæ Præfectus, de ſpeciali mandato Illuſtriſſimi Philippi Principis Hiſpaniarum, Domini Friſiæ; Notum facimus hiſce litteris; Quia Ordinibus Friſiæ viſum eſt aſſentiri petitioni Caroli Cæſaris Domini noſtri clementiſſimi & Philippum Caroli Cæſaris unicum hæredem, in futurum, hæreditarium Friſiæ Dominum & ſucceſſorem, Caroli Cæſaris nuncupare, & declarare, eiuſq; rei hoc die nobis ab ijſdem Ordinibus facta ſolemnia ſunt, ita nos de mandato Principis Philippi reciprocè juramentum diximus hoc modo:

Nos Ioannes Lignæus Comes Arembergiæ, & Eques Aurei Velleris, Præfectus generalis Cæſareæ Majeſtatis per Friſiam, Trans-Iſulaniam, & Groningam, nomine & de ſpeciali mandato Illuſtriſſimi Principis Philippi Principis Hiſpaniarum, utriuſque Siciliæ & Hieroſolymæ, Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ & Brabantiæ, Comitis Habſpurgi, Flandriæ, & Hollandiæ, Domini Friſiæ, juramus ac fidem facimus, Illuſtriſſimum Principem Philippum, Carolo Cæſare (cuius vitam Deus prorogare dignetur) vitâ defuncto, Friſiam ut Dominum Hæreditarium decet juſtè & decenter recturum, Matrem Eccleſiam, Religioſos, Viduas, Pupillos, tum Equeſtrem Ordinem, Dominos, Nobiles, Oppida & Agros defenſurum, neque deſerturum, daturumque operam ut eorum pacta, privilegia, immunitates, conſuetudines & jura, primum ab Illuſtriſſimo Saxoniæ Duce Georgio, dein Cæſarea Majeſtate Anno milleſimo quingenteſimo decimo quinto conceſſa, confirmataque, integra maneant, & ſerventur, omneſque ſubditi & incolæ Friſiæ clementer habeantur, prout ab hæreditario Domino & Principe fieri æquum eſt. Ita nos Deus adjuvet, & omnes Sancti. *Et quia hoc modo res confecta eſt, ita nos has litteras manu noſtrâ ſignavimus, & noſtro ſigillo muniimus. Datum Leovardiæ,* XVIII. *die Ianuar. Anno* M. D. L.

Quas

cIↄ. Iↄ. L V. Quas tabulas ut accepto pridie Burgundicarum ditionum principatu confirmaret Philippus, evocatis ad ſe in atrium, quod regio ornatu inſtructum pellucebat, Friſiorum qui Flevum inter Lavicamque flumina colunt, Legatis, in eodem ſolio deſedit, repetitoque paterni conſilij ſecreto hunc in modum eos adlocutus eſt:

Philippi Oratio.

Poſteaquam Carolo Cæſari patri meo certis de cauſis, (quarum rationes heſterno die in Conventu omnium Belgicæ Ordinum vobis etiam præſentibus expoſuit) viſum fuit, dimiſſâ Principatus curâ, Belgicæ provincias, quas à majoribus longâ traditione acceperat, in me filium transferre, ita paternæ voluntati morem geſſi, arduumque illud regendi onus in me recepi. Quapropter ut Principatum ſumpſiſſe videar, qui obteſtatione ſanctiſſimi numinis firmetur, ac de libertate veſtrâ, Patrioque jure non delibet, hac juriſ-jurandi formulâ me adſtringo:

Iusjurandum Philippi.

EGo PHILIPPUS, Dei gratia Rex Angliæ, Franciæ, Neapolis, &c. Princeps Hiſpaniarum; Archidux Auſtriæ; Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxemburgi, Gelriæ, & Mediolani; Comes Habſpurgi, Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ, Palatinus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci, & Zutphaniæ, Princeps Sueviæ, Marchio Sacri Imperij, Dominus Friſiæ, Salinarum, Mechliniæ, Civitatis, Oppidorum & Territorij Trajectenſis, Tranſiſulaniæ, Groningæ, &c. Promitto & juro vobis Deputatis Terrarum & Oppidorum Friſiæ, ab iiſdem Mandatum & Procurationem habentibus, & ſpecialiter ad hoc authoriſatis, quod facta nobis ceſsione per Sacratiſsimum Dominum & Patrem noſtrum Carolum, eius nominis Quintum, Romanorum Imperatorem, de omnibus terris ſuis inferioris Germaniæ, & nominatim Dominio Friſiæ, inviolabiliter obſervanda, ita obſervari faciam omnia & ſingula quæ menſe Ianuario Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo Comes de Aremberga Guber-

bernator locum tenens Friſiæ, ex noſtro mandato & nomine, cum in dicta Friſia in futurum Dominum & Principem, poſt dicti Domini Patris noſtri deceſſum, reciperemur, tam generaliter quam particulariter communi terræ, Provinciæ, Oppidis & Subditis eiuſdem Friſiæ promiſit & juravit, & ad quæ virtute juramenti tunc præſtiti poſt obitum dicti Domini Patris noſtri tenerer, & obligarer, cum confirmatione Privilegiorum & Tractatuum, à Ducibus Saxoniæ, & Cæſarea Majeſtate obtentorum, & quod omnia alia faciam, ad quæ bonus juſtus Princeps ac Dominus fidelibus Subditis ſuis tenetur. Ita me Deus adjuvet, & omnes Sancti eius. cIↃ. IↃ. L V.

Et quoniam Iſbrandus Antiſtes Lidlumanus, Sixtus Dekema Eques, Aggæus Albada Cæſareï per Friſiam Senatores, Schelto Lyauckama, Gemma Burmania, pro Nobilitate, Tzomerus Vibenius, Oldermannus Snecenſium, Iacobus Sibrandius Leovardienſium, & Regnerus Annius Bolſuerdienſium Conſules, Delegati omnes Agrorum, Oppidorumque Friſiæ, adſtantibus Viglio Zuichemo Equite, Præſide Secreti Senatus, Reinoldo à Burmania Equite, Satrapa Coverdienſi & per Drentiam, Chriſtophoro Sternzee, Satrapa Harlingenſi, & Renico Camminga, præſente Ioanne Lignæo Equite noſtri Ordinis, & Generali Friſiæ, Tranſ-Iſulaniæ, Groningæ, & ditionis Lingæ Præfecto, juſjurandum fecere hac formâ:

Iusjurandum Ordinum Friſiæ

QVandoquidem nos Deputati & alij ſupra dicti, qui præſentes fuimus, Carolo Cæſare clementiſſimo Domino noſtro in Illuſtriſſimum Philippum filium, Regem Angliæ, & hæreditarium Dominum ac Principem, & hic præſentem patrimonium cæteraſq; Ditiones Belgicas, & Dominium Friſiæ transferente, Illuſtriſſimuſq; Philippus, hereditarius Dominus noſter, juramento ſe obſtrinxit, ſe ea omnia quæ tempore inaugurationis XVIII. *Ianuarij* M. D. L. *per Arembergiæ Comitem, Præfectum Friſiæ, promiſſa & confirmata juramento ſunt, tam generaliter, quam particulariter ſervaturum, prout Majeſtas regia poſt obitum Caroli patris tenebatur, & quidem eâ lege ac conditione ut è præſcripto mandatorum noſtrorum juſ-jurandum quoque Regiæ majeſtati diceremus: Ita fidem facimus, & juramus nomine Agrorum ac Oppidorum Friſiæ; Nos prædicto Regi fideles ſubditos fore, ſervaturoſque ea omnia quæ tempore Inaugurationis nos facturos promiſimus, & in quæ poſt deceſſum Caroli obligati eramus;* Ita Deus nos adjuvet, & omnes Sancti. *Propterea Nos Philippus ex Formula juramenti à Nobis præſtiti confirmavimus, & confirmamus eorum privilegia, & conventiones cum Saxoniæ Principe & Cæſarea Maje-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. L V. *jeſtate per Agrarios Oppidanoſq; initas, ſalvo tamen cuiuſque jure. In quorum fidem, & teſtimonium, & ad petitionem Deputatorum has perſcribi mandavimus, ac noſtra manu ac Cæſareo ſigillo, quo nos utimur, roborari fecimus. Datum Bruxellis* XXVI. *Octobris, Anno Domini milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo quinto. Subſcript.*

P H I L I P P U S.

Et ad mandatum Regis

D. OVERLOPE.

HÆC TABULÆ.

Quæ etſi populo Friſico ſpecioſæ viderentur, ſive odio factionum, quæ ante Saxonum tempora exarſerant, ſive quod Caroli Cæſaris Saxonumq; memoriam innovarent, tamen ſive gentis errore, aut in Philippum fiduciâ factum eſt, ut omiſſis aliorum Principum, qui à Francorum ætate hanc gentem nobilitaverant, tabulis, Romanorum Imperatorum diplomata vetuſtiſſimæ libertatis ſimulachra, & ſimul munimenta præterirentur. Quæ res Philippo occaſionem licentioſioris imperij, nobis fœdioris ſervitij, ac ultimæ rerum patientiæ dedit. Invenio in litteris ſecretioribus XVII. Octob. Bruxellis datis, Friſios ad Cæſarem Carolum, Bruxellis tum agentem, Renicum Cammingha, & Petrum Ruartium I C. ſtabiliendis patriæ ſuæ privilegijs tum ablegaſſe, impeditoq; ob inſtantia transferendi imperij ſolemnia Cæſare inritos voti Bruxellis hæſiſſe. Magnam quoq;, præter Cliviæ Ducem, Epiſcopum Oſnaburgenſem, Aureïque Velleris equites procerum frequentiam è Germaniâ, Hiſpaniâ & Galliâ Belgicâ conveniſſe, eosq; in ipſo apparatu magnam rerum mutationem ex futurâ imperij ceſſione formidaſſe. Friſios quoq;, etſi omnia præparante Viglio ſecreti Senatus Præſide, tardiores in mittendis legatis fuiſſe, iſtamq; cunctationem, veluti taciti metus interpretem, ſiniſtre ab aulicis acceptam. Traditum memoriæ eſt Friſiorum Legatos ſtantes & erectos, velut tacitâ utrinq; libertatis agnitione, Philippo Sacramentum dixiſſe, reliquarumque Provinciarum legatos, quas hæreditario jure Philippus tenebat, inclinato genu ſolemnia homagij recitaviſſe. Quæ ex magnâ domo & nobiliſſimi viri, qui actioni interfuit, ore profecta inſerenda annalibus duxi, quo opera mea lecturis innoteſceret, Friſiæ gentem præ cæteris magnâ libertatis prærogativâ valuiſſe.

Itaq; peractis ſolemnibus, Friſiæq; Ditionibus è jure tabularum conventionumque, quas memoravi, in Philippum à Carolo Cæſare devolutis, Legati in Friſiam regreſſi. *Senatus Philippi conſtitutus.* Tum Novembri menſe Senatus per Friſiam regius (qui à Carolo Cæſare dicundi adminiſtrandiq; juris poteſtatem acceperat) à Philippo confirmatus, adactique ad ſacramentum novi Principis Hippolytus Perſinius, Præſes, Iacobus Rouſſellius, Petrus Dekama Eques, Upco Burmania, Ioannes Rommartius, Iulius Gelius Fiſci Regij Procurator, Adrianus Vaſtartius, Antonius Lavailius, Alexius Gelius, Sixtus Dekama Eques, Aggæus Albada, & Valerius Ockingha Iure-Conſulti, cum Godefrido Duvenæo Graphiario. Poſt, quod Caroli Principis ætate diviſa in factiones,

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

& non niſi Saxonum, Geldri, ac Burgundi, armis fatigata gens cIↃ. IↃ.
perfecerat, Magiſtratus quoque reliqui juſ-jurandum homagij Philippo L V.
dixere, Philippuſq; ut ante Anno M. D. L. filius ac hæres Caroli, ita hoc tempore ſucceſſor nulla adhuc aut exili animorum diſſenſione per Friſiam renunciatus eſt. Hoc ut fieret, celebratum à Philippo aurei Velleris feſtum, & in iſtam ſocietatem (quam ducentis abhinc annis ut munimentum imperij & concordiæ Philippus Burgundio inſtituerat) Principes adſciti, tum theatralium ludorum, & recentis magnificentiæ imago provincialium animos impellebant. Ad hæc Caroli patris in Philippum fidele monitum, & magni Cæſaris lachrymæ preceſq; in ipſo Patrum conſeſſu fuſæ, tum ceremonijs pactiſq; conventis advocatum numen, velut adhuc intuentibus, percipientibuſque, obverſabantur. Vulgum verò novi, ut fieri ſolet, Imperij dulcedo (ac ſi illud libertati gentis parum derogaret) tum vernantes Principis anni, & gerendis bello paceque rebus habiles, univerſos, ut & Carolum Cæſarem, conciliatum per Mariæ nuptias Anglicum fœdus ſecuritate atq; fiduciâ implebant. Eo namque inter cætera cautum erat, ut Philippi ex Maria primogenito cum patrij, avitique regni, tum univerſæ quoq; Belgicæ hæreditas obveniret, pactorumque dotalium ratione æterna ac inviolata Anglicæ Belgicæque gentium fœdera haberentur.

Cæterum ut res humanæ ultrò fluxæ ac inſtabiles ſunt, ita novam rerum fœlicitatem velut cæcâ vertigine omnia rotantis fortunæ adverſitas excepit. Philippus namque ſive ut principatum ſuum (cuius ſolemnia proxumo menſe celebraverat) Romanorum Pontificum Imperijs aſſimilaret, ſive ut ſuſpectam, quam plurimum regnantibus, populi libertatem, ipſâ teneritudine rerum, ſpecioſo adhuc Principatus ſui exordio, perverteret, vulgato circà medium Decembrem Inquiſitionis Edicto, Ordinum populiq; ſpes non parum obturbavit. Itaque prioris fiduciæ, ut mobiles ad deteriora mortalium animi ſunt, vis repente converſa, actæque ante quinquennium admirandæ ſolemnitatis memoria perculſis animis ſe intorſit. Tum quippe certam ſpem futuri Principatus Philippo factam recordabantur, jactoq; ſimul cum Philippi imperio novæ ſervitutis fundamine primos Inquiſitores per Carolum Cæſarem in Friſiam miſſos quinq; jam annorum inſolentem dominatum exercuiſſe. Quare ſagaciores nihil aliud ſperari potuiſſe tum primum innuebant, quam ut poſt ordinatas cæptando Concilio (quod Paulus III. Pontifex conſulto Carolo Cæſare Tridenti indixerat) per Friſiam menſe Iulio, Anno cIↃ. IↃ. XLVI. ſupplicationes, ejuſdem Concilij decreta, eodem Carolo adhuc rerum potiunte per Friſiam cæteraſq; Provincias invaleſcerent, premendiſq; conſcientijs, & accidendæ Principum poteſtati repertum imperium Friſicæ quoque libertati contra datam à Cæſare fidem intorqueretur. Quod etſi edicto Anni cIↃ. IↃ. L. coërcendis Anabaptiſtarum furoribus, Carolus Cæſar adumbraſſet, ita arguebant Carolum Cæſarem, & Mariam Gubernatricem, promiſcuè edicti legem in eos quoque ſtrinxiſſe, qui caligine iſtorum temporum, & fædiſſimis cleri moribus offenſi alio cultu adorandum numen, quærendumq; æternæ ſalutis myſterium arbitrabantur. Exindè namq; Anno cIↃ. IↃ. LIII. Hyppolytum Perſi-

Inquiſitionis Edictum vulgatur.

cIↄ. Iↄ. LV. nium Regij per Friſiam Senatus præſidem, ſolenni Ordinum Friſiæ conventu ad IV. Eid. Ianuar. Leovardiæ indicto, multâ acerbitate & vehementi oratione nomine Caroli Cæſaris à Romanâ Eccleſiâ defectoribus atroces ex edictis pœnas comminatum, Prætoribuſq;, ut & Magiſtratibus, ſeverioris per Friſiam Imperij præſcriptum demandaſſe. Tum Hermannum quoque Letmatium, & Franciſcum Sonnium, Inquiſitores Friſicæ genti datos, reſcriptoq; Mariæ Gubernatricis, (quod XVI. Kal. Sept. Anno cIↄ. Iↄ. LIV. tranſmiſerat) novâ poteſtate auctos obſervandis Provincialium actionibus conſilijſque præfuiſſe. Itaq; criminabantur Carolum Cæſarem moderatum ante, & juris antiqui reverentem, procurato ſucceſſore filio, & adulta poteſtate novis rebus ſe dediſſe, Philippumque beneficio Friſicæ gentis anticipatum imperium (quod ei Ordines non niſi expletâ per Carolum mortalitate depacti erant) vivo patre, contra receptum regnantibus morem, quorum lenisſimi primo dominatus eſſe ſolent, ijſdem auſpicijs & ferè peioribus ordiri. Quâ de cauſa, quoque factum exiſtimo, ut honorarium ſexaginta millium aureorum, quod intra ſexennium Carolo Cæſari ſe daturos Ordines Friſiæ promiſerant, non niſi recuperatis majorum immunitatibus, & patrio jure reſtituto, per abolitas intra annum conventiones ut libertati adverſas, ita potentiâ regnantium, aut adulatione temporum introductas, ſe ſoluturos caverent, ſolemneſque eâ de re tabulæ approbante Carolo Cæſare, ac Mariâ Gubernatrice, etſi, ut creditum fuit, invitâ, velut in gratiam læſi offenſique populi Prid. Non. Iul. Anno cIↄ. Iↄ. LIV. conſcriberentur.

cIↄ. Iↄ. LVI. Unde etiam factum eſt ut Anno LVI. præſide Senatuque regio ſecundam honorarij penſionem exigente Friſij eidem Senatui hunc in modum reſponderint:

Inter Carolum Cæſarem & nos ante biennium procurante Arembergio Friſiæ Præfecto conventum eſt, ut ſexaginta aureorum millia titulo Honorarij (rogas vocabant) intra ſexennium juſtis penſionibus Carolus Cæſar acciperet. Hac tamen cautione interpoſitâ, ut ſi quid legibus noſtris atq; Privilegijs adverſum, durante Caroli imperio, actum foret, id omne intra breve tempus, & quidem ante unius anni effluxum per Delegatos Cæſaris reſcinderetur. Quâ pactione nos etiam cavimus, ut priuſquam ſecunda penſio à Cæſare exigi poſſet, poſtulatis noſtris, quæ ante biennium Cæſari exhibuimus, benigne & ex patrio jure reſponderetur. Cæterum quoniam Philippo Caroli patris ſucceſſori placuit legatos noſtros ad Præſidem Senatumque regium remittere, quo quædam poſtulata in judicio diſceptarentur, quibuſdam Philippus ipſe reſcriberet, ita cenſent Delegati noſtri conventioni Carolo cum Cæſare initæ ſatisfactum non eſſe. Et quoniam Senatus regius ſecundæ penſionis ſolutionem præſtari ſibi petit, ita proteſtamur exactionem illam fruſtraneam & irritam eſſe, nulloque jure ſubnixam; facimuſq; copiam notarijs noſtris Nicolao Cleutinghio & Gualthero Coquillano qui hanc proteſtationem Regio procuratori exhibeant. Datum VI. *Eid. Ian.* cIↄ. Iↄ. LVI.

Hoc modo dubijs Philippi ſubditorumq; animis, & lubricâ fide prima etiam principatus tempora fluebant, donec creſcente Inquiſitorum *Friſiorum querelæ.* inſolentiâ, contemptu ac deteſtatione tam enormis Imperij, magis magiſque nexus infœlicis concordiæ laxaretur. Quare Philippus, ne

prima

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

prima Principatus ſui infantiâ Friſiorum animos à ſe alienaret, ex litteris Leovardiæ XII. Kalend. Martij autore, prout deprehendo, Regio Senatu, datis, de attemperanda mox Inquiſitorum poteſtate cogitavit, demulcendiſq; offenſis mentibus, Edictum tale in Friſiam miſit. cIↃ. IↃ. LVI.

Edictum Philippi.

Quamvis ad præcavendas hæreſes, & errores adverſus Chriſtianam fidem in his Belgicæ provincijs exortos plurima Edicta facta, ac vulgata fuere, pœnæque iſti rei decretæ deterrere animos hominum debuiſſent, quo minus in ijſdem erroribus perſeverarent, ita deprehendo magnum pravis opinionibus incrementum per Friſiam accedere, cùm quod è vicinis locis illa contagio lueſque proſerpat, tum quod ſimpliciſſimi, innocentiſſimique ope ſeductorum corrumpantur inquinenturque. Et quia plurimæ difficultates ſuper puniendis per Friſiam pro rigore Edictorum hæreticis ex hac cauſa emanant, quod Georgius Scencus Teutoburgius, nuper provinciæ iſtius Præfectus, in conſeſſu regij Senatus fidem feciſſet, Carolum Cæſarem patrem meum ſuper hoc conſultum ſingulari clementiâ indulſiſſe, veniamque eidem Senatui feciſſe, quâ Edictorum aſperitati temperamentum reperiret, judicaretque pro qualitate rerum perſonarumque conſcientiæ magis normâ, quam pro ſcripti juris rigore. Ea propter perſpectis viſitatiſque actis, quæ mitigandis corrigendiſque Edictis perſcripta erant, de conſilio Senatus ſtatui atque ordinavi: Vt ij, qui ſimplicitate ſuâ aut perſuaſione aliorum, ab Eccleſiâ deſciverunt, contemnentes ſacramenta, interrogatique de articulis fideï ſuæ, non reſpondent prout veros Chriſtianos decebat, cæterum ut hæretici & contra doctrinam Eccleſiæ ſentientes, niſi intra ternum decimum quartum diem toties moniti reſipuerint, & ad communionem Eccleſiæ redierint, factâ errorum ſuorum confeſſione ſine morâ punientur pro rigore Edictorum. Illi vero qui præmiſſis admonitionibus, intra illud tempus reſipuerunt, redieruntque ad Eccleſiam damnantes errores ſuos, arbitrariâ à Senatu (qui hoc modo ex Edictis judicare non tenebitur) pœna corrigentur, cæterum hac lege & conditione niſi relapſi in hæreſes, neque illarum Doctores fuerint, quibus id beneficij nequaquam dabitur. Quod ad eos verò attinet, qui errore ſeducti non baptizari liberos ſuos fecerunt, aut baptizari vetuerunt, vetabuntque; illi, & ſi hac de re convicti fuerint, & ſi prima, ſecunda, aut tertiâ admonitione emendaverint ſe, ac pœnitentiam egerint, oblata abjuratione errorum ſuorum, arbitraria pœna corrigentur, ſin vero perſiſtant etiam admoniti, à Senatu meo è formula Edictorum igne punientur, non requiſita Inquiſitorum ſententia. Quapropter Senatui meo per Friſiam mando, ut ſine ulla tergiverſatione ea exequatur, quæ conſtitui, ac quæ publicè expedire judicavi. Datum Bruxellis II. Non. Martij, Anno Domini milleſimo quingenteſimo, quinquageſimo ſexto. Signatum

PHILIPPUS.

Et ad mandatum Regis

D. OVERLOPE.

Tum ut diverſitati religionum, & ſimul aſperitati publicorum judiciorum ſubveniret Philippus Georgium Egmondanum Prȩſulem Ultrajectinum, (cuius Eccleſiaſticæ juriſdictioni clerus tum per Friſiam parebat) Bruxellas evocavit, deque mittendo in Friſiam Legato Sedis

Legatus Sedis in Friſiam miſſus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↃ. IↃ. LVI. decretum fecit. Penſionem quoque eï ex ærario ſacro, tum etiam ſuo aſſignavit, Ioannemq́; Lignæum Arembergium ſecretis hac de re mandatis inſtructum in Friſiam præmiſit. Iis verò maxumè caverat Philippus, ut fœdis abominandiſque monachorum ſacerdotumque moribus aſperius remedium ordinaretur, deſciſcentiumq́; ab Eccleſia dignitates, & ſacerdotia, adſtricti moris vitæque cultoribus & incorruptam religionem profeſſis, interpoſitâ Præſulum autoritate, conferrentur. Itaque Arembergius evocatos ad ſe antiſtites ſui officij ſerio commonefecit, evileſcentiſque divini cultus reſtaurationem imperavit. Litteræ Philippi hac de re ad Senatum regium VIII. Eid. Mart. datæ. Mox

Cometa viſus. eodem Martio menſe dirus Cometes exarſit, aucto adhuc animorum metu triſti illo prodigio imminentium rerum funeſta initia ſignari. Carolum quoque Cæſarem conſpecto crinito inuſitatoque ſydere triſte illud præſagium ſuis extremis, tanquam inſtantibus, applicaſſe Guiciardinus tradit, animumq́; magni Cæſaris jam ante inclinantis vitæ ſollicitudine occupatum, majoribus privatæ fortunæ deſiderijs exarſiſſe. Cornelius Gemma magni Gemmæ Friſij filius celeberrimus illius temporis Mathematicus eaſdem fere, (cum de Carolo Cæſare non pronuntiet) criniti ſyderis præſignificationes tradit, additque quarto poſt anno, deïn ſeptimo, nono, & undecimo, tempeſtatis futuræ, quæ tum adhuc latebant, ſemina, velut per Criticas indicationes toti Europæ, & imprimis Belgicæ populo aperuiſſe. Itaque Carolus inſtructâ Liburnicarum claſſe menſe Septembri Zelandico portu ſolvit, unaq́; cum Eleonorâ, & Maria ſororibus in deſideratam diu Hiſpaniam navigavit, Cenobioque D. Juſti ſe clauſit. Scribit Strada Carolum Cæſarem, velut deſiderio veteris potentiæ retractum, tranſlati in filium imperij pœnitentiam egiſſe, faſtidioq́; privatæ vitæ ductum imminutam antiquæ majeſtatis venerationem, obvelatâ tamen animi ægritudine, diſſimulaſſe. Certe credibile eſt tantum Principem, qui ex ſecundarum rerum continuo fluxu fortunam velut in poteſtate habuerat, tantâ ex vitæ mutatione, quam brevem fore prænoverat, quadam generoſæ mentis concuſſione affectum fuiſſe, comparationeq́; temporum inſtitutâ, amiſſum vetus imperium loco indecentis recentiſque ſervitij habuiſſe. Tradit Demetrius Mariam Philippi amitam, ut non æquâ mente Præfecturâ Provinciarum defunctam, ita clam renitentem Carolum fratrem in Hiſpaniam ſecutam, quod calidioris cæli inclementiam, quæ cauſa mortis poſt fuiſſe creditur, dubiæ per annos valetudini, & temperamento infirmi corporis obtenderet. Eam ipſam quoq́; Mariam velut ab Hiſpanicæ, (quæ ſenſim in Belgicam immigrabat) gentis ſuperbis conſilijs abhorreret ſupremo conloquio, Belgicæ nobilitatis fidem tanquam grande ſtabiliendi imperij ſecretum Philippo commendaſſe, vocemq́;, ſi pondus habuiſſet, publicæ rerum tranquillitati, & tot gentium ſanguini profuturam veridico oraculo elocutam. Cæterum Philippi animus ſuæ magnitudinis, & potentiæ immodicus, libertatis verò Belgicæ & iniquus æſtumator, alijs tum imperij arbitris utebatur. Quorum ſuaſu hoc etiam factum eſt, ut vivo adhuc & agenti in Belgicâ Cæſari, quod alias exempto humanis fieri conſuevit, religio, & veluti conſecratio decerneretur, Philippusq́; Caroli patris de Religione reſcripta, & præſertim

Edi-

Edictum (quod Anno cIↄ. Iↄ. L. ex decreto Concilij Tridentini con- cIↄ. Iↄ.
ceperat) ſolenni Edicto XII. Septemb. confirmaret. LVI.

Edictum Caroli iſtiuſmodi erat.

QVanquam id operam ſemper dedi ut meos intra fines antiqua & vera religio Edictum
ſervaretur, etſi totus in hoc ſemper fui, ut qui multis nunc annis diſſe- Caroli à
minati ſunt per orbem Chriſtianum errores, hæreſes atque ſectæ funditus Philippo
tollerentur, licet hoc nomine vana ſubinde propoſui Edicta, graviſſi- confirmatur.
maſq; pœnas, tamen magno cum animi dolore accepi, non meæ ſolum Ditionis homines, verum exteros etiam qui noſtris in Provincijs habitant atque negotiantur, huius mali contagionem longè latèq; in promiſcuam multitudinem diffundere, ſic ut planè ſit opus acrem aliquam adhibere medicinam, & in ſontes diligenter inquirere, ut ea peſtis extirpetur radicitus, quemadmodum in poſtremis Provinciarum conventibus Præfectos & Ordines admonui, ut pro ſe quiſque diligenter in hanc curam incumberent & in veteri atque Catholica Religione permanerent, præſertim cum ſit omnium oculis expoſitum, quas turbas atq; ſeditiones in vicinis populis excitaret ea labes, ut interim de ſalutis & animarum diſpendio nihil dicam. Itaque de conſilio chariſſimæ ſororis germanæ, & reliquorum procerum, novam hanc legem fero, & ſimul edico. Primum, ne quis omnium quicunque ille ſit domi habeat, emat, aut diſtribuat, Lutheri, Oecolampadij, Zuinglij, Buceri, Calvini, & quoſcunque tandem libros editos annis abhinc triginta incertis autoribus, ut amplius in Theologorum Lovanienſium Catalogo continetur. Item ne quis ullam habeat picturam atq; imaginem fictam in ludibrium Divæ Virginis, atque Sanctorum, neve dejiciat, aut infringat ullam imaginem in honorem alicuius Divi depictam; Ne quis domum ſuam occultis conventibus aperiat, in quibus & diſſeminari ſolent errores & homines rebaptizari, & conſpirationes in Eccleſiam atque Rempublicam fieri. Ne quis de S. Scripturâ maxumè de rebus dubijs, atque difficilibus privatim aut publicè diſputet, aut eius interpretationem ſibi ſumat, niſi ſit Theologus, qui probatæ alicuius Academiæ teſtimonium habeat, qui ſecus fecerint punientur ut ſeditioſi, & publicæ tranquillitatis perturbatores, ac viri quidem gladio ferientur, fœminæ autem in terram defodientur, ſi quidem ab errore deſiſtent; ſi verò pertinaces erunt, exurentur, publicatis illorum bonis utrumcunque luant ſupplicium. Ad hæc teſtamenti faciendi poteſtatem nullam habebunt, & quicquid eius rei fecerint, à quo primum tempore hanc legem noſtram violare cœperunt, irritum eſſe jubeo. Præterea ne quis hoſpitium præbeat, aut ullà re ſubveniat ijs, quos de hæreſi novit ſuſpectos, mando, verum denunciet ſtatim Inquiſitori, vel loci Præfecto ſubiturus pœnam niſi faciat. Qui non malitiâ nec obſtinatione, ſed per infirmitatem lapſi fuerint in hæreſin, & errorem, neque tamen in hanc noſtram legem commiſerint, nec ſeditioſe quid fecerint & ſponte redierint ad ſanitatem, & abjuratione factâ recepti fuerint in gratiam, nullum poſthac ſermonem inter ſe conferant de rebus ad fidem ac religionem pertinentibus, alioqui plectentur ut in crimen relapſi. Qui non convictus quidem ſed admodum ſuſpectus de hæreſi damnatus fuerit, ut vel publicè ſatisfaciat, & idem poſt accuſetur hæreſeos, mulctabitur ut in crimen relapſus. Iis, qui ſunt hæreſeos, & id genus criminum maculâ polluti, licet in gratiam recepti fuerint, nullus honos, nullum munus publicum, nulla dignitas communicabitur. Niſi teſtimonium quis adferat ab Eccleſiæ miniſtro eius loci, ubi vixit poſtremo, non permittatur ei domici-

cIↃ. IↃ. LVI. *micilium, vel habitatio, nam ejuſmodi pro ſuſpectis haberi debent. Præfecti locorum, & reliqui noſtri Beneficiarij, diligenter inquirant in eos, qui legem hanc violabunt, ſed & Inquiſitoribus, Iudicibuſq; Eccleſiaſticis opem ferant, ut in quibus culpa reſidebit, comprehenſi pœnam luant, juxta formulam quam Inquiſitoribus præſcripſi, niſi faciant, arbitrio noſtro luent. Procurator etiam publicus cognoſcat, an ſuum illi munus faciant, & ſi negligentiam in ijs deprehendet, in judicium venire jubeat, & ſi deliquiſſe apparebit, Magiſtratus illis abrogetur, aut alia, quæ videbitur, pœna conſtituatur. Epiſcopi præterea, & Archi-Diaconi, & Abbates, & in genus alij proceres inveſtigent omni ſtudio, ſi quis ordinis Eccleſiaſtici ſit infectus eo morbo, & ſeverè vindicent. Qui contaminatum aliquem hac peſte norunt, vel quibus locis commorentur, & deliteſcant hæretici compertum habent, ilico deferant, niſi faciant, eandem, quam illi, pœnam luent. Delator, ſi modo non vana accuſatio fuerit, dimidiam partem bonorum illius conſequetur, ſi quidem bona ſexcentos aureos non excedent, nam quicquid erit ſupra hanc ſummam, eius decima pars illi decidetur. Qui conventus occultos Inquiſitori deteget, etiamſi cum illis conſilia contulit, non plectetur, modo & de religione bene ſentiat, & in poſterum abſtineat, ſed qui remotus ab eorum ſocietate deferet, præmium conſequetur, ut ſupra dictum eſt. Pœnæ, quas conſtituimus, irrogentur tales omninò, neque ſit in ullius poteſtate illas vel mutare, vel mitigare, quod ſæpe factum eſſe intelligo. Nam qui Iudices in eo delinquent, non ferent impunè. Qui de hæreſi accuſati, & in jus vocati profugerunt, ac poſteà proſcripti ſunt, ubi de ſocijs criminum jam mortuis acceperunt, ſupplicare ſolent, ut ad purgationem admittantur, quandoquidem probari crimen amplius non poſſe putant, eoque fit, ut reverſi falſam doctrinam & errores iterum diffundant, id verò ne fiat, publicè intereſt. Itaq; mando, ne locus ullus detur ipſorum poſtulatis, verum, ut omnes, qui citati non comparuerunt, ſed fugâ ſalutem quæſiverunt, habeantur pro convictis atq; damnatis. Qui pro ſuſpectis & fugitivis, & proſcriptis, & Anabaptiſtis intercedunt, habeantur pro fautoribus hæreticorum. Iudices autem & Præfecti neminem ex illis in gratiam recipiant, niſi vel meo, vel ſororis germanæ permiſſu. Qui ſecus agent, ijs abrogabitur Præfectura. Librarij nihil excudant, nihil divendant, aut diſtrahant rei ſacræ, niſi de voluntate & conſilio eorum, quibus hæc erit demandata cura, ſi quid etiam ipſorum operæ in eo deliquerint, ipſi præſtabunt. Et quia Catalogus extat librorum, quos Academia Lovanienſis rejecit, Librarij in ſuis tabernis eum habeant ſuſpenſum, & ob oculos poſitum, ne poſt ignorantiam obducant vel ipſi, vel emptores, deìn alterum habeant librorum ſuorum Catalogum. Qui non parebit, 100. aureis mulctetur. Pueros etiam erudiendos nemo ſuſcipiat, niſi permiſſu Magiſtratus, & præcipui Eccleſiæ miniſtri. Nihil autem doceat aut proponat juventuti, niſi juxta formulam à Theologis Lovanienſibus conſcriptam. Hæc Sleidanus.*

Tum ne memoria ſuperſtitioſæ in Carolum patrem pietatis per injuriam temporum intercideret, ſolenne hac de re Edictum bis in anno publicari per Friſiam juſſit, iſtique Actui VIII. Kalend. Iul. & IX. Kalend. Ianuar. dies redintegrandæ ſuæ, & juxta paternæ venerationi deſignavit. Legem quoque Carolo Cæſare Anno cIↃ. IↃ. XL. de legitimandis liberis latam Philippus tum confirmavit, antiquatoque Comitum, ut vocant, Palatinorum ſordido, & venali jure legi-

legitimationes non niſi ſuo, aut Curiæ reſcripto fieri præcepit, pecu- cIↃ. IↃ.
niamque iſti actui aſſignatam, ne quid detrimenti jus Principis patere- L V I.
tur, inferri in ærarium, legitimatorumq; nomina rationariorum tabulis perſcribi juſſit. Dein ſuæ & ſimul Belgicæ quietis pertæſus, Gallico bello, quod Anno CIↃ. IↃ. L I. Carolum inter Cæſarem Henricumque II. Gallorum Regem recruduerat, quinque annorum inducijs, ipſo Paſchæ feſto per Friſiam publica ſupplicatione celebratis, ſilente ac ſuſpenſo, ex eodem Edicto conſtitutis Inquiſitoribus miniſteria delegavit, deq; Gulielmo Lindano, homine pro more illius ordinis, ſuperbo in Friſiam mittendo cogitavit. Ei quoque, mutato Inquiſitoris, quod eâ ætate inviſum erat, nomine, quo invidiam apud Friſios declinaret Philippus, titulum Delegati generalis facere, ſummamq; ei rerum Eccleſiaſticarum cenſuram committere conſtituit. Seorſim verò volebat Philippus, ut à communione Eccleſiæ licentiâ temporum ſecretos, profanatæque Romanæ religionis inſimulatos arctius coërceret, eorumq; nomina actis perſcripta ad Senatum Regium deferret. Qui ætthereæ luis metu, ne ſocordiâ hominum inquinatus aër, pecori tum infeſtus, atrocem mortalibus peſtilentiam daret, jacentia campis animalium cadavera humari juſſit, Edictumq; eâ de re per Friſiam vulgavit. Sumptuum quoq; impenſarumque, quæ ante annum habendæ, honorandæque Philippi Principis inaugurationi, factæ erant cum legatis rationes initæ, Opidaniſq; ſeorſim, trecenti & quinquaginta ſeptem Carolini notabili temporum frugalitate ac parſimonia à Delegatis Opidorum è ſuo Ærario aſſignati. Tum Reynoldus Brederodius eius nominis III. vir illuſtris ex antiqua & nobili Ludigmannorum apud Friſios gente, quę Poteſtatis ſummum per Friſiam Imperium circa annum 988. in Goſuino Ludigmanno tenuerat, maternum genus ducens, litteras Leovardiam ad Senatum dedit. Iis monebat: Ducendæ ſe per ditiones ſuas in Vahalim, Moſamque flumina, novæ ac navigabilis foſſæ conſilium cæpiſſe, expediendis Friſiorum vicinarumqne gentium commercijs, quæ Friſij cum illius oræ populis multa per tempora magnâ onerum navigandiq; moleſtia egiſſent. Ita Friſios huc uſque ſuperato Auſtrini maris ſinu, lecta potioris Hollandiæ ora Dordracum magno flexu petere coactos, diſſitas navium ſtationes magnis ſæpe portorijs telonijſque redemiſſe. Et quoniam conſilij ſui ratio non alia ſit, quam ut Friſij compendijs locorum, & ſimul levamentis onerum fruantur, ita cælare rem non potuiſſe civitati Leovardiæ, cæteriſq; per Friſiam Oppidis fructuoſam. Monere ea propter ut Oppidani cæteriq; quorum intereſt, in commune conſulant ocyus, decernantque quod maturando negotio, & ſuo ſimul commodo expedire judicaverint. Itaque Senatus Leovardienſium ne quid ſocias urbes clàm haberet, eaſdem Brederodij (quibus ſuas Prid. Non. Aug. ſubjunxerat) litteras ad vniverſos oppidorum per Friſiam rectores miſit, eorumque Delegatos, ut Leovardiæ quam primum adſint, quod res moram non ferret, hortatus eſt. Ibi oppidorum Delegati volutatis deducendi operis rationibus iſtaque re, Iacobo Ægidio Conſuli, Hermanno Felteſio, & Alberto Iacobæo, Scabinis Leovardiæ urbis, Adriano Michaëlio Conſuli Harlingano,

Brederodij de novâ foſſâ ducendâ ad Friſios litteræ.

& Ot-

cIↄ. Iↄ. LVI. & Ottoni Bauconio Ærarij apud Franequeranos Tribuno, commiſsâ, Tzcmerum Vibenium Oldermannum Snecenſium, & nuperâ ad Carolum Philippumque legatione functum, delegavere, qui ad Brederodium eat, ac cum eo de telonio cæteriſque rebus agat, deq; ijs ad ſuos referat. Tabulæ mandatorum Prid. Eid. Aug. per Leovardios nullo, ut poſt patuit, eventu ſignatæ, decreti operis conſilio morte ejuſdem Brederodij (quæ VII. Kal. Octob. eum terris exemit) interrupto. Eâ namque evenit ut Henricus filius Brederodiæ domus ditione potiretur, turbulentiſſimique, quod poſt ſubortum fuit, temporis fortunâ, declinante ſenſim Friſiorum cum Vahalis, Moſæque accolis commercio, conſilia pacis, & florentium rerum non procederent. Mox enim gravis, & ſupra hominum memoriam memorabilis annona cum aſperrimo gelu, menſe Februario ſurgens, poſt in Martium ac Aprilem provecta, ac ſenſim aſperior tantam frumenti caritatem attulit, ut ad famen fermè veniretur, abſumptiſq; aut ſuppreſſis hominum alimentis languentia corpora flacceſcentis ferè animæ deliquio conciderent. Itaque plebes, ut ſolet ingruentibus adverſis turbulenta, tum maxumè inediæ impatiens, & ſtructoribus annonæ infeſta prærepta ſibi infælicis vitæ ſubſidia querebatur. Eſſe domi inopem turbam, & infirmis præ ediâ corporibus alimenta poſcentem, tum fæcundas matres deſideria non implere enutriendis infantibus deſtinata. Fœtus quoq; ipſos acetabulis adhuc ſuis, & ſecreto matrum clauſos injuriam miſerrimi temporis ſentire, cuius principium necdum ingreſſi ſint. Id verò mali non ab inclementiâ ſyderum, aut annorum ſterilitate, ſed aliunde haberi. Quippe incuriâ, aut aſſenſu dominantium annonam per homines flagellari inopum ſanguine, & alienâ miſeriâ fœlices, neq; abſimiles lieni, quod viſcus exareſcente toto corpore ſolum intumeſcit. Ab ijs eſſe quod exportata in Hiſpaniam è Friſijs frumenta, gravius annonæ pretium parent, ac tot millium animæ facilioris alimoniæ egentes inſatiabili paucorum cupidine, & avaritiâ crucientur. Ut id porrò non fiat ſtatuendem lenitati, & incuriæ imperantium terminum eſſe reprimendis coëmptionibus, quas Carolus Cæſar Anno cIↄ. Iↄ. XLVI. & poſt cIↄ. Iↄ. LIV. aſperis vulgatiſque per Friſiam Edictis vetuiſſet. Quin ſatius eſſe res malis artibus, & damno humanæ ſocietatis introductas, ſupinis civitatum rectoribus, & annonæ Præfectis, per vim ſubverti, omniumque vitam, & incolumitatem privatis diſpendijs emi. Itaq; parum abfuit, quin florentiſſimarum urbium direptiones inſtituerentur, acriorque ferro fames mobilem & egenam plebem, quiete temporum etiam præter hoc infidâ, ad perpetranda enormia ſtimularet. Cæterum benignitate propitij numinis ea infœlicis mali vis diuturna non fuit. Notat Andræas Gryphius vir literatus, & apud Utingeranos, Præturam tum gerens, panem ſecalicium II. libr. adultâ circa Kalend. Iun. frumenti caritate 12. mox eâ inclinante quatuor ſeſtertijs væniſſe, inopinâque rerum mutatione ſtupentes hominum animos vitæ velut remedium divinitus conceſſum reputaſſe. Ducentas quoque onerarias naves flante Euro Balthicum ſinum, deïn Germanici maris, (quod à Sundâ Daniæ freto veterem Friſiorum oram, marginemque intuti littoris pulſat) partem

ANNO cIↄ. Iↄ. LVII.

Annonæ caritas per Provinciam.

tem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

tem emenſas, frumentoque onuſtas confertim appuliſſe, eundemq; cIↃ. IↃ. annum, cuius initium penuriâ fermè funeſtum fuerat, ut deſperatio- L V I. nem mortalium eluderet, frugum, & annonæ feraciſſimum fuiſſe. Gemma notat hoc anno, qui horrendâ lampade in cælo viſâ, & ſecutis tempeſtatibus notabilis fuit, modij partem octavam tribus florenis cum ſemiſſe vænijſſe, intenſioreq; annonæ malo, ne frumenta quidem juſtum pretium excedentia ære aut argento haberi potuiſſe. Tum ut aſperis fatis, & importuno ſyderi res Belgicæ ſubjacerent, premente adhuc Provincias annonâ, reſurgens è Galliâ bellum ferbuit, Caroloq; Cæſare, ac Franciſco, Henricoque Regibus jam ante cæptum, Philippo Principi, cum ipſo Belgicæ imperio hæreditario velut jure obvenit. Qui propterea ne Henrici II. Gallorum regis periniqua conſilia, ſuam verò integritatem, & ſtabiliendæ pacis ſtudium cælaret, datis in Friſiam VI. Kal. April. litteris cauſam renaſcentis belli expoſuit. Ijs ſignificabat: Non aliâ mente ſe fuiſſe, qùam ut diuturno, quod Carolus pater cum Gallorum regibus, geſſiſſet, bello, finem imponeret, factaſque ante annum Non. Febr. inducias tanquam auſpices veræ duraturæque pacis integras, inviolataſque ſervaret, novoq; &, ut plurimum, lubrico principatui fundamentum ſervatâ quiete, & procurata florentis populi concordia ſubſterneret. Id verò per Gallorum Regem non licere, occaſionem rumpendi fœderis, & quinquennalium Induciarum jam diu animo agitantem. Exindè violata per Hiſpaniam, Pede-montium atque Belgicam finium jura, fœdatiſque vaſtitie agris, & ſacro limite, vim quoque commercijs libero mari inlatam. Poſtremò ne vires nocendi deeſſent, ſollicitata per Lavignium Legatum Turcarum fœdera, quo Italiæ, Hungariæq; bellum, & juxta furorem Otthomannicæ gentis ſentirent, omniſque Tanaïm intra atque Oceanum Europa illo fœdere diſſociaretur. Eius peſſimi conſilij Laubeſpinæ (is Henrico regi à Secretis) ad Baſſum Fontanum apud Belgas Legatum, indices litteras fuiſſe, quibus fidem faceret, Henricum regem mutare Inducias novo bello conſtituiſſe, & animum alere religioni fœderum, pactorum adverſum. Quamobrem velle metu inſtantis periculi, ut Friſij per Galliam & iſtius regni confinia agentes in ſua redeant, fruanturque domeſtica ſecuritate commerciorum jure-foris, & præſertim per Galliam infido. Dein Philippus trajectu in Angliam è Pleumoſijs facto Mariæ Uxoris, Anglorumque auxilia popoſcit, decretoq; procerum regni, tum aſſenſu populi Anglici, qui pro more gentis interponi ſolet, voti compos factus, bellum per fæcialem Gallo denuntiavit. Mox claſſe in Belgicam revectus haberi delectum juſſit, turmiſque equeſtribus (quas nomine Caroli Cæſaris Maria Gubernatrix Anno cIↃ. IↃ. XLVI. autoraverat) ſupplementa procuravit. Itaq; & Ioannem Lignæum Arembergium Friſiæ Præfectum, virum militiæ egregium, & qui jam ante Carolo Cæſare Gallicis bellis ſtipendia fecerat, adeſſe ocyus juſſit, rogatiſque voluntariorum (quod Friſium de jure patrio, & conventione Anni cIↃ. IↃ. XXII. Provinciâ evocare fas non eſſet) auxilijs ſolemnia propitiando per Friſiam numini inſtituit. Poſt ſupremo belli imperio in Emanuelem Philibertum Belgicæ Præſidem collato, circumferentibus arma

Gallicum bellum renovatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. per Italiam Gallis, exercitum jam ante de more luſtratum in Galliæ fi-
L V I. nes duci præcepit, vulgatoque, ac ſi in Rhemos expeditionem adornaret, eundem Philibertum cum copijs Marianum pergere, oppeririq; auxilia Germanorum juſſit. Is, dum ea adventant, triduum moratus equitum turmas, cum expeditâ peditum manu Guiſam, & mox Quintini fanum præmiſit, ſubſecutuſque cum reliquo exercitu, in quo Arembergius Friſiæ Præfectus voluntariorum ex illâ gente auxilia ducebat, haud procul Sabi flumine, quod urbem eam modico alveo lambit, caſtra locavit. Mox ſuburbio, & propugnaculo, quod cis flumen erat, occupato, arctiore obſidio oppidum preſſit, diſpoſitiſque tormentis & idoneo primum opere præparato oppugnare agreſſus eſt. Quâ re exciti Galli Dandaloto nobili viro, mox ipſo Conneſtablio duce caſtra propè poſuere, præmiſſoque in locum ſolvendæ obſidioni opportunum prono flumine Dandaloto, de tranſmittendis quoque in adverſam ripam reliquis copijs cogitavere. Cæterum per Lamoralium Egmondanum, qui in exercitu Philippi erat, detectum Gallorum conſilium omninò infructuoſum fuit. Itaq; Philibertus copiarum partem trajicere Sabim flumen, equitatumq; confeſtim ſubſequi juſſit, aſſecutuſque Gallorum exercitum, qui ſignum receptui jam dabat, fugæ, & per conturbatos ordines, confuſioni proxumum cæcidit, magnâq; clade affecit. Bis mille & quingenti ac inter eos nobiliſſimi Gallorum cæſi cruentatis ſanguine campis jacuere. Præda ingens parta, omniſq; ferè Gallorum apparatus arma, & machinæ, cum ſignis militaribus victoribus obvenere. Tum Philippus primis principatus ſui & juventæ annis præter ſpem hominum, qui Carolo Cæſare imperium ponente aliud augurati erant, id gloriæ adeptus in caſtra ad Quintini fanum contendit, confidenteq; Compendij Henrico Rege, muniendis tantum locis, & petendis ſociorum auxilijs poſt acceptam cladem occupato, urbem maxumam atque florentiſſimam Burgundicis iterum ditionibus adjecit. Ita Quintini fano potitus Philippus Ioannem Lignæum Arembergium Friſiæ Præfectum, cum delecta ſuorum manu, auxiliaribuſque copijs Caſtellum amandavit. Qui ne tempus gerendis accelerandiſque rebus deſtinatum muniendis caſtris inſumeret, in circumjacentes campos, nullo vallo, aut foſſâ præductis, repente effuſus locum naturâ munitum tormentis aggreſſus eſt, murique parte per vim machinarum repentè ſubruta, cæptandæ oppugnationi ſe paravit. Cæterum præſidiarij ultro inbelles, tum ſociorum ad Quintinum clade fracti, ſimulque rerum inſtantium metuentes Arembergio ſe permiſere. Arembergius locato ibidem præſidio, ordinatiſque rebus in Philippi ad Quintinum caſtra cum copijs revertit. Quâ in Galliam expeditione inoffenſo curſu rerum peractâ de reducendo in Belgicam exercitu, Philippus mox conſilium cæpit, motiſque derepente per ingruentis brumæ incommoda, & dubij aëris inclementiam caſtris, in hyberna ſe recepit.

Friſiorum fides. Friſij quoque navatâ Philippo extra ordinem opera, ut periculorum ultrò ſocij, ita gloriæ conſortes in ſua rediere, illuſtreque ut Anno cIↄ. Iↄ. L I. ad Metim, ita hoc tempore ad Quintini Fanum fideï in Principem virtutiſque exemplum, ore gentis huc uſque & memorabili fama celebratum edidere. Annotatum invenio Carolum

Cæ-

Cæſarem eodem bello Gallico reſurgente Anno cIↄ. Iↄ. LII. menſe Ianuario luſtrandis per Friſiam armis Arembergium delegaſſe, eundemque Arembergium evocatis Leovardiam agrariorum civitatumque Syndicis diem armiluſtrio ad XIV. Kal. Mart. dixiſſe. Voluiſſe quoq; ut Urbanæ Ruſticæq; tribus, tum ipſa quoque nobilitas more majorum arma in promptu haberet, ac tertius quiſq;, prout fieri ſoleret, ferreo thorace, loricâ, ac gladio, militari lege cingeretur. Tum Iacobus Oſius Flandricæ gentis, in Friſia apud Harlinganos agens, ob ſuſpectam, ut tum ferebant tempora, religionem, in carcerem Leovardiæ conjectus, ac non multo poſt à Senatu Provincæ regio damnatus, excruciatum per tormenta ſpiritum acerba morte, & memorabili in extremis conſtantiâ effudit. Conſtat ipſum Philippum Regem datis ad Lalainium Brabantiæ Præfectum Eid. Novembris Antverpiam, quâ in urbe Oſius vixerat, litteris, de eodem captivo cognoviſſe, ac ut cum eo lege & ex Edictis Caroli patris ageretur, etiam detectâ per Lalainium viri innocentiâ, Senatui per Friſiam regio demandaſſe. Vulgaris fama fuit eundem Oſium Antonij Lavailij Senatoris regij nuper miniſtrum & Scribam ab hero ſuo proditum, domeſticæ conſuetudinis & in Lavailium officij triſte præmium & ſortem violentæ mortis retuliſſe. Legem namquo aſperam Anno cIↄ Iↄ. XXXV. contra Anabaptiſtas ſanxerat Carolus, ut iſtius ſectæ aſſeclæ, aut fautores, mares capite luerent, fæminæ verò in puteum, fluentemvè demergerentur. Quamobrem & Edicto Anno cIↄ. Iↄ. XXXVII. publicato eoſdem ſectarios vinculis dari, Prætoreſque per Provinciam conſtitutos navatæ operæ teſtimonium ſingulis menſibus exhibere ſuo per Friſiam Senatui ſub pœnâ rogatæ legis juſſerat. Qui propterea Mennonem quoque Symonium presbyterio apud Witmarſios jam ante functum, poſt hæreſiarcham clam haberi, recipiq; vetuerat, deferentiq;, aut capienti 100. Carolinorum mercedem ex ærario Cæſaris aſſignaverat. Neque ullâ magis de cauſâ Maria Gubernatrix Anno cIↄ. Iↄ. LIV. convocari Friſię Ordines, Hyppolitumque Perſinium Præſidem Senatus verba facere in comitio juſſerat, quàm ut eadem Secta extirparetur, Ordineſque Provinciæ ſtatuendi in ſectarios juris præſidium Cæſaris Præfecto, Senatuiq; commodarent. Criminatus namque Mariæ nomine Perſinius erat, novarum religionum ſemina per Friſiam ſpargi, nihilq; aliud metuendum eſſe, quam ut invaleſcentibus indies ſectis avita religio obſcuretur. Inter omnes verò peſſimam Anabaptiſtarum eſſe, cuius id propoſitum ſit ſpecie præſtigij, aut ſimulatæ pietatis regna, & reſp. turbare, ſubverſiſque legibus, & ſublatâ Magiſtratuum autoritate damnatis moribus, & impiâ ad lubidinem ſuperſtitione uti. Hoc modo Floridi Campi cœnobium à fanaticâ gente occupatum, oppreſſos Monaſterienſes alioſq; vicinos, ut ſedem atq; officinam ſuæ impietati haberet, execrabilemq; dominatum, quem odio Principum & ſua ſtoliditate ſomniaverat, muris mœnibuſq; præcinctum tueretur. Ita eoſdem quoque ſectarios plus quam belluinâ feritate ſuarum conjugum carnifices, & ſimul parricidas extitiſſe, dirâque regni ſui imagine tamdiu uſos, donec Principum armis repreſſi, ac in anguſtum redacti dignas facinoribus ſuis pœnas referrent. Et quoniam

cIↄ.Iↄ. LVI.

Oſius religionis damnatur.

Edictorum in Anabapt. Series.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LVI. niam intereſſet humanæ ſocietatis, execrandum illud genus in naturâ rerum non extare, cæterum in ipſo ortu extingui, ita Carolum Cæſarem ſingularis prudentiæ Principem Edictis reſcriptiſq; ſuis caviſſe, ne in ditionibus ſuis haberentur, cæterum convicti reprobatæ religonis & impietatis ex hominum cœtu, tanquam uſurâ lucis, & vitæ munere indigni, exterminentur. Hæc à Perſinio Præſide IV. Eid. Ian. Anno cIↃ. IↃ. LIV. propoſita. Idcirco Philippus confirmatis jam ante Caroli ſanctionibus, exaſperatâ Anno cIↃ. IↃ. LVI. lege caverat, ut ſectarij iſtiuſmodi, pertinaces pręcipuè & refractarij, igne punirentur, Senatuſq; per Friſiam regius in eundem poſt Oſium ex Edictis ſtatueret. Tum, quod ante Philippus præconceperat, ne Romanæ religioni, quam ſolam teneri in ditionibus ſuis Carolus Cæſar, & poſt Philippus ſanciverat, aliquid contagij ex proſerpentibus per Europam, ut vocabant, hæreſibus accederet; Georgius Egmondanus Epiſcopus Ultraiectinus Gulielmum Lindanum ſacræ paginæ Doctorem titulo Vicarij per Friſiam poteſtate, ac Diplomate donavit, eundemq; pro jure, ut aiebat, ſedis juriſdictionem Eccleſiaſticam exercere juſſit. Diploma tale erat:

Diploma Lindani.

GEorgius Egmondanus Deï & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Trajectenſis, Venerabili & eximio Viro D. Magiſtro Wilhelmo Lindano, ſacræ Theologiæ Profeſſori, ſalutem in Domino, & in commiſſis debitam adhibere diligentiam de tuâ circumſpectione & induſtriâ & expertâ providentiâ plenam in Domino fidem habentem. Te per Friſiam noſtræ juriſdictioni ſubjectam, noſtrum Decanum Commiſſarium, ſeu Officialem, & ad ordinariam noſtram juriſdictionem Eccleſiaſticam, ibi noſtro nomine exercendam conſtituimus, deputamus & ordinamus, dantes & concedentes tibi per præſentium tenorem liberam & plenam poteſtatem, & auctoritatem ac mandatum, generale ac ſpeciale, de & ſuper quibuscunque cauſis meris, & mixtis, matrimonialibus, civilibus, criminalibus cognoſcendi, definiendi, ſententiandi & exequendi ſuper quibuscunque criminibus, culpis, delictis, & negligentijs quarumcunque perſonarum, communitatis vel univerſitatis ibidem ex officio, vel ad partium inſtantiam inquirendi, corrigendi & definiendi, in perſonas, univerſitates, Eccleſias, parochias & loca prædicta excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias aliaſq; cenſuras & pœnas canonicas fulminandi & infligendi, ac per te inflictæ & fulminatæ abſolvendi, ſuſpendendi, relevandi, & tollendi. Invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis, nec non matrimonia clandeſtine contrahentes, & eoſdem intereſſentes corrigendi & ab huiuſmodi excommunicationis ſententiâ, quam propter hoc inciderant, abſolvendi, quæcunque monaſteria non exempta verò auctoritate Apoſtolicâ nobis commiſſâ, quam præſentibus tibi ſubdelegamus, viſitandi auctoritatem, abuſus, negligentias & enormia ibidem inventa corrigendi, omniaque alia & ſingula faciendi & exercendi, quæ in præmiſſis & circa ea fuerint neceſſaria, ſeu quotquot opportuna, etiamſi mandatum exigant aliud ſpeciale & quæ ad dictorum ſpectant officium de jure vel conſuetudine (cauſâ correctionum & abſolutionum occiſorum, vulneratorum & immutilatorum clericorum, Eccleſiaſticarum perſonarum, ac violatarum immunitates eccleſiarum & cæmiteriorum, aliorumque locorum ſacrorum, exceptis, quas nobis ſpecialiter reſervamus, contradictores quoslibet & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas com-

compeſcendi, ſententias quas præmiſſorum occaſione ritè tuleris, ratas habebimus, ac faciemus auctoritate noſtrâ inviolabiliter obſervari præſentibus, uſq; ad noſtram notariam revocationem duraturis. Datum ſub ſigillo noſtro ad cauſam præſentem appenſo, die ultimâ menſis Iulij, Anno Domini milleſimo, quinquageſimo ſeptimo. cIɔ. Iɔ LVI.

Quod diploma an Philippo rege inſtigante Lindano conceſſum, an autoritate Egmondani indultum ſit, non reperio, hoc ſaltem conſtat, Philippum ſequenti menſe hoc ipſum Valencenis confirmaſſe die quarto Auguſti. Antonium quoq; Perennottum Epiſcopum Attrebatenſem ac Præpoſitum divæ Mariæ Trajectenſis Eccleſiæ menſe Iulio ſignaſſe. Robertum quoq; de Bergis Epiſcopum Leodienſem, ac præpoſitum ſancti Salvatoris Trajectenſis una cum Iacobo Utenengio Decano ſancti Petri, poſt approbaviſſe. Hoc verò Philippi diplomate cautum reperio, ne per hoc Lindani diploma moribus antiquis ac conſuetudine receptis quid decederet & ne oppidanorum aliorumque privilegijs, tum Abbatum reliquorumq; Eccleſiaſticorum jurisdictionibus quid derogaretur. Jus quoq; quod Philippus Senatusq; Regius in cauſis Eccleſiaſticis haberet integrum inviolatumq; foret. Hoc modo Lindanus à Philippo in poſſeſſioenm ſui muneris miſſus, Eccleſiaſticæ concordiæ deſtinata, ſeveriore imperio pervertit.

Itaq; curante per Belgicam religiones & trahente bellum ſegnius Philippo, qui cum Pontifice fœdus inierat, factum eſt, ut Henricus Rex Gallorum Caletum ad Iccium portum in finibus Morinorum urbem validam occuparet, ſubmotiſq; omni Galliâ (ac ſi occaſione Burgundicæ ſocietatis eorum per Galliam dominationi periodum tum fortuna pararet) Anglorum præſidijs, Divodurum Guiſius cum valido exercitu poſitis ad Moſellam caſtris obſideret. Quapropter Philippus, velut excuſſo per diſcrimen torpore, qui etiam incubante Belgicæ Gallorum exercitu de mittendo Romam Franciſco Sonnio, nuper per Friſiam Inquiſitore cogitabat, quo obſeſſis ſubveniret, repentè copias contraxit, miſſis in Provincias, qui auxilia concirent, exercitumq; in bellum cogerent ocyus. Tum ne miles ſtipendij, & juxta animi egeret, ageretque laxius, demandato Præfectis Præſidibuſque Provinciarum negotio populum tributum rogavit, eâque de re v. Eid. April. litteras in Friſiam ad Arembergium dedit. Qui propterea communicatis cum Senatu regio, qui tum comitiorum dies ordinabat, Philippi litteris, ad XI. Kal. Maij Friſiæ Ordines Leovardiam convenire fecit, Carolumq; Nitzenium virum Equeſtris dignitatis, & (ablegato ante annum Ultrajectum Hyppolito Perſinio) Senatus tum Præſidem verba facere juſſit. Ibi Nitzenius vir ut autoritate ac facundiâ, ita (quod jam ante Carolo Cæſare procuratorem Fiſci Regij per provinciam egiſſet) peritiâ rerum excellens à Caroli Philippique regum in Friſios affectu orſus, periculoſi temporis conditionem cum anteacti fortunâ compoſuit. Friſios quippe à recepto Carolo Principe fælices diu annos pace, & legibus florentes egiſſe, inturbataq; domi quiete uſos Franciſci Henricique Galliæ regum vafris, & pernicioſis conſilijs ſubfuiſſe. Eos aliena namq; invadendi cæca cupidine impulſos bellum ſemper ab occaſione cæpiſſe, ruptiſq; toties fæderum ſacris nullâ lege, aut conventione coërcitos, ut veteris in Burgun-

Comitium Ord. Friſiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ·IↃ. LVI. gundos odij, ita cupidinis profeſſionem patefacere. Hoc modo Anno cIↃ. IↃ. XXXVIII. decennales inducias per Friſiam ſolenni more promulgatas, eaſdemq; à Gallo violatas, mox Anno cIↃ. IↃ. XLIV. repetitas, infidam pacem, & brevem, ut plurimum, circuitum habuiſſe. Tempus quoq; quinquennalibus inducijs pridem præfinitum eodem Gallo autore abrumpi, ſtrataq; armis viâ dubiam partium fortunam victorias damnis cladibuſq; miſcuiſſe. Nunc verò rem in ſummum diſcrimen adductam. Occupatum quippe à Gallis Caletum, & Anglos Philippi ſocios maritimis Galliæ, & littorali tractu ſubmotos, nihilque aliud inſtare, quàm ut Divoduro Gallicis inſuper armis capto, reliqua Gallorum, & victrix manus in Pleumoſios ac interiora Flandriæ cæterarumque Provinciarum pergat, depulſaq; avitis ſedibus, aut exciſâ Belgicâ gente Philippum Principem poſſeſſione Burgundicæ domus exuat, veteri odio, & novo conatu non improſpere cæpto. Itaque uſitato gentium more quibus neceſſitas mali ſemper remedium extorſiſſet, obſtandum conſilijs hoſtium eſſe, & ſubveniendum ultimo exitio utili liberalitate, qua Principis imperium, patriæ ſacra atque leges, privatorum pignora, atq; poſſeſſiones in tuto ſint. Hæc Nitzenius. Cæterum Ordines agrarij ſive quod Anno cIↃ. IↃ. LIV. Carolo Cæſari honorarium (neq; enim de tributo loquutus erat Nitzenius) ſexagenta millium aureorum juſtis penſionibus addixiſſent, ſive quod faſtidium declinantis à libertate majorum Imperij ureret, poſtulato Arembergij ægrius aſſenſere. Recordabantur namque majores ſuos Carolo Cæſari præter agrum Biltanum, quem vectigalem eï reverentiâ Imperij fecerant, quatuordecim aureorum florenorum millia quotannis eâ lege ac conditione depactos, ut omnem Friſiam à Stavria in Gerricomium, qui Lavicæ amni imponitur, pontem, adverſum externa arma, ſuis etiam viribus, & illo Provinciæ ſubſidio, defenderet. Caviſſe quoque eoſdem Anno cIↃ. IↃ. XXIV. ut ulterioribus actionibus Carolus abſtineret, nulloq; titulo, aut ſpecie, imponendis genti Friſicæ novis oneribus ſe daret. Ab eo etiam fuiſſe, ut Caroli cum Imperio Romano, & Provincijs Belgicæ initam conventionem Anno cIↃ. IↃ. XLIX. Friſij rejecerint, ipſaque Maria Gubernatrix ſeceſſionem metuens, nihil acturos Friſios præter quam proprio & arbitrario motu de ſpeciali Cæſaris Mandato reſcripſerit. Oppidanorum verò Delegatis, (in quibus pro Leovardienſibus Serapium Haniam, Iacobum Ægidium, Iacobum Sibrandium, & Dyoniſium Wingiam, Conſules, Tzomerum Vibenium, Oldermannum, & Andręam Oenonium pro Snecenſibus, Adrianum Michaëlium pro Harlinganis, Nicolaum Hanſonium pro Franequeranis, Regnerum Annium, pro Bolſuerdijs, Theodorum Theodoretum Oldermannum, & Hermannum Roſwinckelium pro Doccomijs, Buwonem Diorræum, & Ulpium Nicolaum, pro Worcomijs, & Regnero Siboldio Delegato Hindelopæ, Sceltonem Martinium pro Slotanis, Gajum Andreæ pro Staurijs, & Auſonium Popma pro Ilſtanis fuiſſe comperio) alia, ab Agrarijs, mens erat. Quamobrem illi ſive æmulatione in eoſdem Agrarios, (quibuſcum in conſtituenda tum Reipub. formâ diſſidebant) ſive affectu in Principem, negotio Dyoniſio Wingiæ, Tzomero Vibenio,

Diſſentio Ordinum, in cauſa tributi.

Adria-

Adriano Michaëlio, & Regnero Annio commiſſo, decretum de præſtando ſubſidio perſcripſere; honorariumque Philippo pro modo agrorum ſuorum, quos ipſi cæterique oppidani jure dominij per Provinciam tenerent, tum territoriorum Urbicorum quantitate, ac juris ſui termino depacti ſunt. Rogavere inſuper Arembergium Senatumq; regium, ut de eo ad Philippum regem referant, deq; Oppidanorum promptitudine, ſi forte Agrarij diſſentiant, teſtentur. Hæc VIII. Kal. Maij perſcripta, & à Tzomero Vibenio Rollema, D. Wingia, Adriano Michaëlio, & Regnero Annio Leovardiæ confirmata. Cæterum an Gallicæ expeditioni plenius ſubventum ſit, in indigeſtis illorum temporum actis non reperio. Mihi veriſimile eſt, Ordines Agrarios, ne diſcrepare illâ temporum teneritudine ab Oppidanorum ſententiâ viderentur, conſenſum interpoſuiſſe, opeque tributi, honorarijve, quod è Friſiâ cæteriſque Provincijs ſubminiſtratum puto, vergente Auguſto, ſtipendia veterano militi aſſignata. Tum Philippus acceptâ dediti Divoduri famâ, Thermumq; nobilem Gallum Pleumoſijs imminere, Emanuelem Philibertum Belgicæ Præfectum cum parte copiarum in Condruſios præmiſit, commeatumque ut & annonam, Edicto ea de re Leovardiæ XIV. Kal. Iul. publicato, è Friſia fertiliſſimâque Lavicam inter Flevumque orâ comportari in caſtra juſſit. Poſt Emanuele Philiberto in Mediomatricum finibus relicto, Lamoralium Egmondanum virum inluſtrium natalium, & geſtarum nuper ad Quintinum rerum gloriâ clarum, Grevelingam cum potiſſimâ exercitus parte ablegavit, gerendiſq; cum imperio rebus præfecit. Ibi Thermus Gallus caſtra quoq; haud magno terrarum ſpatio diſcreta poſuerat. Qui ubi circumventum ſe in hoſtico videt, Egmondanumq; animum pugnæ præferre, de receptu cogitavit. Quare relabente vicini maris æſtu, & ſuperato Ada amne ſenſim retroceſſit, prémenteque tergum exercitûs Egmondano aciem inſtruere pro naturâ loci, temporiſque coactus eſt. Tum Egmondanus pro concione verba fecit, formatiſque Ordinibus ſignum pugnæ dari juſſit. Itaq; acies commiſſæ tamdiu dubiâ fortunâ & miro virtutis certamine pugnavere, donec Galli à præſidiarijs Anglorum navibus impetiti, equitatu inſuper prȩter morem Gallicarum turmarum tardo, & mox in fugam acto peditum quoque ordines luxati in diverſa ſpargerentur. Mille & quingentos Gallorum cecidiſſe fidus iſtorum temporum Scriptor annotavit. Thermus ipſe gravi vulnere accepto, prædam omnem, quam Flandriæ municipijs extorſerat, tum tormenta, ſignaque militaria Egmondano reliquit, cuius prudentiæ & virtuti illius ferè ævi Scriptores victoriam aſsignavere. Notat Cleutingius perlatâ Leovardiam Egmondani de Gallis victoriâ grates in templis publicè numini decretas, peractaque re divina populum ſacris locis effuſum, alterum illum Gallicæ cladis diem communi lætitiâ inſignivisſe. Tum Philippus, ut eventum rerum ſpecularetur, Attrebati diu commoratus, ultrò per ætatem, & regios ſpiritus (per quos arduæ res, & fortunæ etiam imperio ſubjectæ factu faciles videntur) maxumè verò recentis victoriæ fiduciâ luxurians de maturanda totis viribus, valida in Galliam expeditione cogitavit. Quare conquiſito per omnem oram milite, attematiſ-

cIↃ.IↃ. LVI.

Galli vincuntur ad Grevelingam

cIɔ.Iɔ. LVI. nuatiſque urbium præſidijs, ipſe rectà in hoſticum duxit, caſtraque prope Dorlentem Gallicæ ditionis oppidum metatus eſt. Pedeſtrem exercitum tricena millia, equeſtrem duodena conficiebant. In comitatu quoque regio clariſſimi per Germaniam, Belgicam atque Hiſpaniam, Duces ſpectabantur, Ioannemque Lignęum Arembergium Friſiæ Pręfectum, ſua etiam provinciâ Philippi litteræ, tum clariſsimæ expeditionis fortuna, velut optuma adipiſcendæ gloriæ materies, exciverat. Militum quemque ut ſacramenti religio, ita exoluta jam ante provinciarum ſubſidijs ſtipendia, univerſos virtutis & gloriæ contemplatio ad omne officium, & ſimul diſcrimen accendebant. Erant quoque, qui in opulenta hoſtium caſtra, & ſumptuoſam, etiam in bello, Gallorum luxuriem oculos converterent, quam Henricus rex, locato ad Petram pontem exercitu, haud vanâ quoq; ſuarum virium fiduciâ oſtentabat. Apparatus quoque Philippi caſtrorum multiplex, tormentorum machinarumq; variæ ſpecies, &, quod gerendo continuandoque bello primum eſſe ſolet, commeatuum ac annonæ copia è Friſiorum orâ, vicinoque tractu habebatur. Hoc modo comparatis neceſſarijs, & officio cuiq; militarium Ducum aſsignato, rem, prout erat, ultimi diſcriminis Philippus aggreſſus eſt, Dorlentemq; oppidum naturâ loci munitum, etiam Henrico rege ſtativa caſtrorum propiùs habente, oppugnare conſtituit. Cæterum perſuaſus à purpuratis, qui reprimendum lubricæ ætatis, & inconſulti impetûs ardorem ſanioribus conſilijs autumabant, cæpto deſtitit, contentuſq; magnificâ caſtrorum, & potentiæ oſtentatione ad Auctiæ fluminis ripam haud procul Henrici caſtris deſedit. Ita duorum potentiſſimorum Europæ regum capita, & fortunam anguſtis terrarum ſpatijs, appetitus gloriæ, & magnarum rerum inſatiabilis cupido circumſcripſerat. Quare periculi metus, & ſollicitudo obverſantium extremorum (in quæ facilius, quam res proſperi ominis humanarum mentium imbecillitas ſe deflectit) omnium animos pervaſit, ac ſi de alterutro regum ſubvertendo, & tot gentium internecione præceps proterendis rebus fortuna laboraret. Neq; aliud momenta temporum allatura videbantur, cum præter ſpem mortalium, quos vel arcano fatorum imperio duci tum obſervatum fuit, conſilium cæptandæ pacis, velut cælo miſſum, animos regum, atq; ingenia occupavit. Itaq; Legatis Inſulam Flandrorum miſsis, mox evoluto Octobri menſe imperato armiſtitio caſtra mota, copiæque aut impetratâ miſſione exauthoratæ, aut in hyberna circa Vergiliarum occaſum reductæ, non obſcurum futuræ pacis auſpicium fecere. Cuius belli Gallici mole, etſi haud dubiè Provinciæ gravarentur, ita maxumè metuebant prudentiores, ne Philippus, ſtratis cum Gallorum rege odijs, & diuturnâ diſſenſione in fœdus, aut, ut Principum ferè ſolet, in affinitatem verſa, inſitâ animi fluctuantiumque annorum mobilitate, exequendis per vim, quæ jam ante vulgaverat, Caroli Edictis ſe accingeret. Id namque curioſæ mentes, & velut anxiâ fatorum indagatione ſuſpenſæ ſecius interpretabantur, quod per Hiſpaniam equitum peditumq; delectus haberi dicerentur, copiæque Hiſpanorum, tanquam coloniam facturæ, Gallici belli prætextu, in Provincias Belgicæ magno numero ſe effunde-

Philippus prælium parat, & Gallus.

Conventus Inſulis Flandrorum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

derent. Quamobrem diſſitis oris, & longè poſt Pyrenæos non ſpiculatores tantum, cuſtodeſque regij corporis, ſed copias armatorum, (etiam ſilente ad tempus Gallico Bello) evocari, ac per præſidia urbium diſponi ægrius habitum, Philippumq; velut recentium pactorum, monitorumq; Caroli patris immemorem, novum imperium non favore fidiſſimi populi, ſed peregrino ſtipatore, & præſidiario milite inchoare. Reperio in actis publicis, majores noſtros Carolo Cæſare & Philippo rerum potiuntibus, quotannis è conventibus ſuis delegaſſe, qui læſæ libertati remedia peterent, omnibusq; quæ per dominantes abuſu potentiæ, inrepſeraut, actis prolatis Cæſarem & Philippum, eorundemq; Præfectos decentis & ſimul exorbitantis imperij commonuiſſe. Comitium quoq; XI. Kal. Maï Leovardiæ habitum perpenſiſq;, quæ aut arcendo populi ſervitio, aut comprimendæ dominantium licentiæ profutura credebantur, tuendo juri publico, tam in Eccleſiaſticis, quam politicis cauſis delectos. Decretum quoq; ut in Commiſſarios regios, Decanosq; inquirant delegati, faciantq;, dum de advocato provinciæ conſtituendo qui regio opponeretur deliberatum foret. cIↃ.IↃ. LVII.

Magnam quoque & ſub Carolo Cæſare inſtitutam jam ante, diſſenſionem tum viguiſſe, repetitiſq; in Senatu Philippi, quæ controverſa erant, varios, prout affecti erant, animorum motus obſervatos. Volentibus Agrarijs, ut tota dominationis vis ad ſe pertineret, Oppidaniq; à corpore Provinciæ ſecluſi, tributa arbitrio Agrariorum conferrent. Ita domi foriſq; diſſenſionibus occaſiones quærebantur. Cæterum infidam Belgicæ concordiam importuna maxumè Caroli Cæſaris, qui XI. Kal. Octob. naturæ legem impleverat; mors luxavit. Qui depoſito imperio, etſi in Hiſpaniæ ſolitudinem amotus, Philippi tamen filij ponderoſa conſilia, & teneriores annos ſenili prudentiâ moderabatur. Quare vivo Carolo florens adhuc & ſine motu Belgica, poſtquam lentâ febre ſublatum in Hiſpaniâ Provinciæ flevere, maxumi Cæſaris monumento libertas ſimul, & quies populi ſe concluſit. Unde publicus, domeſticuſque per Provincias mæror, dubium an Caroli Cæſaris immaturum funus, an inſtantia temporum pręſagæ mentes lugerent. Idcircò & per primarias Belgicæ urbes triſtes exequiarum pompæ, & mœrentium turbarum varij proceſſus ſpectabantur, quos paternis manibus, ac (ut mihi videtur) fato quodam futurę civilium bellorum tempeſtati Philippus filius procurabat. Funus quoque Carolo Cæſari Leovardiæ factum, deductumq; ad D. Viti fanum, lamentantium pręficarum, ut in Principum exequijs ſolet, luctumque univerſæ multitudinis ſecum traxit. Funeſtas quoque faces per Leovardiam urbem pręluxiſſe funeri ferunt, adornatiſq;, illorum temporum ritu, per delubra altaribus, magni Cęſaris umbræ, velut ęternitatem ingreſſæ, Præſulum, Flaminumq; miniſterijs conſecrationes decretas. Gemma ſcribit, admirandum venti vorticem menſe Iulio, toti Belgicæ viciniſq; locis incumbentem, ædificia paſſim arboreſq; disjeciſſe, ortumq; rurſus menſe Auguſto Cometen Carolo Cæſari imminentia extrema portendiſſe. Quamvis non ignorem, multos ſcriptores, priori Cometæ, qui anno quinquageſimo ſexto magno cum horrore gentium illuxerat, Carolinæ mortis prædictionem aſſignaſſe, mo-

ANNO cIↃ. IↃ. LVIII.

Carolus V. moritur.

D req;

cIↃ. IↃ. req; mortalium, quibus extraordinaria naturæ opera ad Principum exi-
LVIII. tus referre mos eſt, omnia illa, quæ cælo terriſq; apparuere, Carolino exceſſui applicata. Ut ut ſit, novum & inſolitum non fuit, tanti Principis obitum diverſis naturæ prodigijs ſignatum, laboraturamq; eius morte tot gentium ſecuritatem laboribus cæleſtium attributam. Strada notat, Carolum Cæſarem continuâ mortis & vergentis vitæ meditatione imaginarium funus ſuo in Secreto inſtituiſſe, ſolenniq; more, ac ſi rebus humanis exceſſiſſet, elatum, veri funeris ſecuturos apparatus, prævio, quaſi ſpectaculo, oculis ſuis delibaſſe. Quæ res etſi religionis plena præludenti ad æterna crederetur, mihi tamen à ſuperſtitione aliena non fuiſſe videtur, quod præter commune mortalium officium, ſeria & ſevera futuræ mortis argumenta ludicris exemplis, velut mox ulturo numine, dehoneſtaverit. Idem Gemma tradit, hyemem imbribus tempeſtatibuſq; valde fædam fuiſſe, ipſoq; crinito, quod arſerat, ſidere diſcutiendis aëris ſqualloribus invalido, novis mortalium aut ſaltem inſolitis morbis viam ortumq; præſtructum. Eodem quoq; anno magnum frugum ubertatem fuiſſe, populumq; benignitate cœli abuſum, luxu immodeſto proventum fælicioris anni prodegiſſe. Eandem quoq; anni, qui ſubſecutus eſt, temperiem fuiſſe, publicâq; terrarum fæcunditate, vitia quoq; hominum iſtius ætatis increviſſe, præſtruente quaſi providentiâ, ut eventura tempeſtas noſtro merito aut errore accidiſſe crederetur. Igitur Phlippus peractis, menſe Decembri, patri inferijs, Mariæ quoque amitæ, nuper Belgicarum Provinciarum Gubernatrici, poſt Mariæ conjugi (quæ durante legatorum ad ſanciendam cum Gallorum rege pacem XV. Kal. Nov. repentinâ morte deceſſerat) juſta perſolvit, honorarioq; funeri per Friſiam faciendo tempus ordinavit. Iuſſit quoq;, ut toto quintiduo ternis in diem horis campani æris per omnem Provinciam pultatio fieret, dieſq; poſtremus celebrandis Mariæ exequijs decerneretur. Qui caſus, ut toti Belgicæ funeſtus, ita Phillippo regi maxumè luctuoſus fuit. Eius morte namque factum eſt, ut intælicis & non durabilis matrimonij pactione Anglicam inter Belgicamque gentem inita ſocietas diſſolveretur, Philippuſque ſociâ vitæ & conſorte rerum orbus, Francici Anglicique regni titulis inſignibuſque è jure connubialium codicillorum cederet. Ijs quippe perſcriptum erat, ut Mariâ ſine liberis decedente, Angliæ, Franciæque regnorum titulos, (quorum ſpeciem magis quam vim, vivâ etiam & ſuperſtite Mariâ tenuerat) Philippus amitteret, uſurpandiſque inſignibus abſtineret. Qua-
ANNO. propter Philippus Eliſabethâ Mariæ ſorore ad regnum Anglię XVII.
cIↃ.IↃ. Kalend. Febr. evectâ, de omittendis Francicis Angliciſque titulis per
LIX. Emanuelem Philibertum ad Senatum per Friſiam regium ſcripſit, eundemque vetere judicialium actorum formulâ uti juſſit. Litteræ Philiberti Prid. Kal. April. Leovardiam miſſæ. Itaque Philippi regis conſilia eo tum ſpectabant, ut concuſſum bello Gallico, & acciſum Mariæ morte principatum, ſtabili, & incorruptâ pace muniret, Mariâque conjuge fato extinctâ, novâ matrimonij felicitate regiæ domus orbitatem repararet. Quare repetito fæcialium conventu, etſi dubio adhuc exitu conſilia regum fortuna libraret, pax tandem Cambreſij IX. Kal. April. facta. Traditum commentarijs eſt, Viglium Zuiche-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

mum, Friſicæ gentis, & equeſtris ordinis virum, Senatus ſecre- cIↄ. Iↄ.
tiorum Præſidem, præter alios ſanciendo fæderi à Philippo delega- LIX.
tum, valetudineq; impeditum procerum conventui, & actioni pacis
non interfuiſſe. Eâ præter cætera, cautum erat: Ut quicquid Galli-
co, Italicoq; bello vi, aut dolo partum, amiſſumvè foret, utrique
Regum, eorum ſubditis, ſocijſque reſtitueretur, omnibus & ſingulis
libera commercia, pax certa, atque conſtans eſſet. Emanuel quo-
que Philibertus Belgicæ Præfectus exceptis paucis, quæ, dum lege co-
gnoſceretur, pignori eſſent, omnia ſua cis ac trans Alpes reciperet;
Margaretamque ſororem regiam nuptijs ſibi adjungeret. Fœdus ipſum
toti ferè Europæ fructuoſum Carolo Hiſpaniæ Principi, & Delphinati
Galliæ probaretur. Tum adimplendæ conventioni Henrico regi tri-
meſtre, quadrimeſtre Philippo præſtitutum, obſideſque arbitrio par-
tium dati regum fœderi robur addidere. Quod ne Philippus Friſios
clam haberet, litteras eâ de re confeſtim ad Arembergium Præfectum
in Friſiam dedit, quibus certiores Friſios faciebat: Placuiſſe æterno
numini poſt tot tædia & incommoda bellorum diſcordibus regum ani-
mis deſiderium pacis inſtillare, aſperitatemque duriſſimi temporis ſum-
mo humani generis bono firmâ pace lenire. Ea propter velle, ut
Friſij ſtato ſupplicationum die amburbia decernant, votaque duraturæ
paci nuncupent tam fœcundæ mortalium fœlicitati ſolemnia. Hæc
Bruxellis Non. April. Philippi manu ſignata, ac Leovardiam tranſmiſſa.
Itaque publica lætitiæ ſigna per omnem Provinciam edita, ſtructi-
que in publico ignes, & accenſa funalia, teſtandæ domeſticæ rerum
incolumitati colluxere. Poſt Margareta Marchica, (ea Arembergio
uxor) litteris Philippi ſuas adjecit, procuratæq; interventu Chriſtier-
næ Lotharingicæ Gallicæ pacis nuntium Friſijs firmavit. Id verò ſeor-
ſim addebat, eâdem Chriſtierna, ut novi fœderis ita nuptiarum con-
ciliatrice, Eliſabetham Valleſiam Hen ici regis filiam Philippo deſpon-
ſatam, Philippumq; Gallici fœderis vinculum innovatâ matrimonij fide,
& opportunis Eliſabethæ amoribus geminaſſe. Hoc modo bellorum
funerumq; facibus nuptialis fax ſubdita, Philippuſq; ſecuro per Belgi-
cam principatu potitus de adijciendo Burgundicæ hæreditati Hiſpaniæ
regno à morte Caroli patris agitavit. Cuius exceſſum ut ſurgens iterum
menſe Auguſto Cometes portendiſſe, ut ante dixi, creditus eſt; ita ma-
gnæ rerum mutationis, & futuræ tempeſtatis ſignum infœlici Belgicæ
attuliſſe. Ab eo namq; tempore evenit, ut Philippus Carolo patre
finem mortalitatis adepto, velut amoto ſuarum actionum moderatore,
definitum lege principatum immodeſtiùs gereret, ſecretiſque à com-
munione gerendarum rerum Belgicæ proceribus, ſuorum Hiſpanorum *Cauſæ Bel-*
conſilijs, & Antonij Perennotti Cardinalis poſt Granvellani vafro, & *li.*
crudeli ingenio uteretur. Reputabat namq; Philippus, Carolum pa-
trem in Germaniâ res novas molitum, Nicolao Perennotto Antonij pa-
tre tanquam fidiſſimo, & principe Senatus uſum, Antoniumque filium
non alio à patre ingenio, magnæque per Belgicam autoritatis, ſtabi-
liendis ijſdem Caroli Edictis commodum inſtrumentum ſupereſſe.
Mariæ verò, ut dixi, Auſtriacæ alia mens, atque conſilium fuerat.
Prævidebat namque prudens fæmina, & longo uſu res Belgicas edocta,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LIX. (XXIV. enim annis Provincijs præfuerat) communi hoc modo concordiæ periculum fore, validâ utramq; inter gentem, Belgicam Hiſpanicamque, & pervetuſtâ æmulatione, quam à Philippi Auſtrij cum Ioannâ Ferdinandi Hiſpaniæ regis filiâ, matrimonio, poſt Hiſpaniam Belgicæ, Burgundiæque connexam, periti aulicarum rerum obſervaſſent. Ita factum eſſe, ut Legati, (quos quotannis in Belgicæ Provincias Hiſpaniæ reges mittebant) regijs magis quam ſuis opibus nixi Belgicam nobilitatem magnificentiâ ac luxu provocarent, attritisq;, nullo ærarij regij ſubſidio, Illuſtrium familiarum facultatibus eoſdem Belgicæ Principes reparandæ velut fortunæ avidos, ad captanda novarum rerum conſilia, Carolum verò Philippumque ad frenandam mobilium, ut talia fere Principum ſunt, ingeniorum cupiditatem propellere conarentur. Quam cauſam ſubſecutæ civilium bellorum tempeſtati, non ultimam fuiſſe Everardus Reidanus, qui in arcana iſtorum temporum penetravit, fidus autor eſt. Cui malo, etſi id occulto naturæ odio inter eas gentes diu alitum eſſet, occaſione belli Gallici grande incrementum acceſſiſſe haud dubium eſt. Criminabantur namq; intra ſe Hiſpani, ut Gallorum ſpolia, & manubias, ita omnis belli gloriam, & victoriæ decus Belgicæ genti ceſſiſſe, Lamoraliumque Egmondanum Belgici ſanguinis Principem, qui Philippi partes cum imperio geſſerat, cruentum illud diuturnumque bellum, Carolo etiam Cæſare variâ fortuna motum, primo ad Quintini fanum, deïn Grevelingam in littore Flandrico, Gallorum clade, & memorabili exitu finijſſe. Quare interveniente propriâ rebus proſperis invidiâ (quæ pravis aulæ artibus optumè facta peſſimè interpretari ſolet) faciliore Principis juventâ, per æmulos, &, ut creditum fuit, Ferdinando Albano præcipuo autore actum eſt, ut omnis Gallici belli gloria obſcuraretur, geſtarumque rerum magnitudo, & ſimul fælicitas, quâ fatorum auſpicio uſus fuerat Lamoralius, invidentium ſtudijs in fædiſſimam poſt cædem verteretur, populuſque Belgicus tributi, & fideï ſuæ mercedem novi Principis odium, & mox omnis ſævitiæ documentum acciperet. *Emulationes Ducum.* Ita libertati Belgicæ ſtructæ clam inſidiæ, quam Caroli, Philippique Principum inauguratione ratam ſemper inviolatamque Ordines Belgicæ caverant, & quæ Hiſpanos, cæteroſque peregrinos dignitatibus, honoribuſq; ſubmovebat. Ad quos ut ipſis Hiſpanis aditus pateret, formâ regni, ut notat Demetrius, mutare Remp. in Secreto Hiſpaniæ diu conſtitutum erat, Philippumque lubricæ adhuc, & ambitioſæ ætatis Principem majoris imperij pollicitatione circumvenire. Quare Gallico bello ſopito, & proclamatâ Philippum inter Henricumq; pace, hoc maxumè quærebatur, ut exurgens per Philippi ditiones religio, & cum eâ libertas opprimeretur, invaleſceretq; Philippi Imperium vi & armis ſtabiliendum. Scribit Borræus Henricum II. Galliæ regem Gulielmo Naſſovio Aurantio Principi Secretum icti fœderis clàm communicaſſe, pronoq; in eum affectu, ſive ut fato aut ordinatione numinis in plures arcanum fœdus diſpaleſceret, ſanguinarium Philippi de ſubvertendo Belgicæ ſtatu conſilium aperuiſſe.

Tum miſſus in Friſiam à Margareta Arembergius cum mandatis; Ut Gulielmi Lindani delegati regij Ultrajectini Præſulis, tum extraordi-

ordinarij per Friſiam Senatoris, autoritatem confirmaret, regiſque Philippi in ſtabilienda Romanâ religione voluntatem aperiret. Quæ duo varijs conventibus agitata populum Friſicum ab ipſius Lindani actionibus, ipſoque Philippo, alienavere. Qui capto deſerendæ Belgicæ conſilio, quo Hiſpanias reviſeret, Gandavo, ubi morabatur, litteras ad Præſidem Senatumque ſuum dedit, Friſiorumq; Legatos una cum cæteris Belgicæ Legatis adeſſe juſſit: Litteræ hæ erant: cIↃ. IↃ. LIX.

Philippi litteræ in Friſiam.

GANDAVUM, civitatem meam, devectus ſum, celebrando Aurei Velleris conventui, & ut rerum per Belgicam meam, antequam regna mea per Hiſpanias reviſam, moderamini proſpicerem. Quare Ordines mearum provinciarum convocare, & quidem quanto ocyus intra menſem hunc adeſſe volui, ne meum in Hiſpanias iter deliberatione, aut tarditate Legatorum retardetur. Igitur etiam mandabitis Friſijs, ut Legatos ſuos intra præſcriptum tempus mittant, tardiſq; & privilegium de Non Evocando *obtendentibus, perſuadebitis me in procinctu mei in Hiſpanias diſceſſus ſtare. Per hoc etiam eſſe, quod ante animo agitaveram, ne in provinciam illorum excurrere queam. Igitur quoniam Belgicâ propediem exceſſurus ſum, ne Friſijs quoque deſim, perſuadebitis ipſis ut Legatos ſuos ſalvo jure mittant, fidemq; facietis, hoc ipſum augendis illorum privilegijs commodiſq; fore. Litteræ Non. Iul. Gandavo datæ.*

Igitur repetito, & quidem acriore Philippi mandato, velut exulceratâ mente regiâ, quæ jus populi cum detrimento potentiæ ſuæ invaleſcere ægrius ferebat, comitium Delegatorum Friſiæ ad XII. Kal. Aug. Leovardiæ indictum, ibique recitatis per Alexium Gelium Senatorem regium Philippi litteris, Decretum factum.

Non poſſe ſe (ſalvâ interim majeſtate Philippi) Legatos hoc tempore extra provinciæ ſuæ fines mittere, cæterum perſtare in antiqui juris defenſione, quod Friſios patriâ ſuâ evocari prohibuiſſet. Hoc à Regnero Meinardo Paſtore Collumano, Gellio Bonnio Commendatore Hoſpitalis Snecani, & Guilielmo Hiſſio Advocato ſignatum.

Quod reſcriptum etſi jure ſubnixum foret, tamen aſperius illis videbatur, qui in Philippo durius paterno ingenium, & valituram ex patientia Belgarum potentiam obſervabant. Itaq; x. Kal. Aug. conventus procerum Leovardiæ repetitus, ſuſpenſâque agrariorum oppidanorumque lite, quæ tum flagrabat, Isbrandus Hardervicenus Præſul Lidlumenſis, Aggæus Albada IC. & Senator regius, Ruardus Roorda, & Serapius Hania Legum Doctor, & Conſul Leovardienſis, ad Philippum Delegati. Illis mandatum erat, ut cum Belgicæ Provinciarum legatis, Gandavum irent, deq; Philippi regis, antequam Belgio excedat, voluntate & poſtulatis cognoſcant. Præterea ut apud Regem populum Friſicum à pollutæ religionis ſuſpicione purgarent, falſaſque delationes apud Philippum profeſſione Romanâ diluerent. His mandatis litteræ ad Philippum datæ, quæ juris antiqui non obſcuram probationem, cum reverentiâ tamen dominantis conjunctam, præ ſe ferebant. Igitur ne Philippi evocatio Friſicæ genti in præjudicium cederet, Legati coram Præſide Senatuque regio comparuere, eaq; de re acta perſcribi

cIↃ. IↃ ſcribi manu Emskerchij Graphiarij regij, VIII. Kalend. Aug. curavere.
LIX. Ita gens noſtra dum juris ſui ob potentiam dominantis vim non poterat, nudam ſpeciem retinebat, aliquali ſolatio, ut ceſſante vetuſtæ, quam ab Imperatoribus Germaniæ, acceperat, & cuius libera atque ſocia provincia fuerat, immunitatis exemplo, in ſolis Philippi novam dominationem molientis actis, extaret. Unde Philippus confirmatâ etiam per Belgicam eâdem Gallicâ pace retineri ſub ſignis Hiſpanum militem juſſit, comparatiſque ad profectionem, quam in Hiſpaniam parabat, rebus, conventum omnium Belgicæ Ordinum Gandavi indixit, exhibitoque ſcripto hunc in modum diſſeruit:

Oratio Philippi ad Ordines Belgicæ.

IN Hiſpaniam, Ordines, curandis regni mei negotijs ire conſtitui, imitatus exemplum Caroli patris, quem è mediâ Hiſpaniâ veſtri aliquando amor, & publicæ pacis cura protraxit. Itaque Carolus pater, ne quid adverſum ordini ingrueret, ab Anno cIↃ. IↃ. XLIII. *tàm diu apud vos egit, donec in me filium Anno* cIↃ. IↃ. LV. *ſenio aut invaletudine, compulſus, Burgundicæ domus patrimonium transferret. Ipſe reliquum vitæ, quam brevem, & anguſtis terminis circumſcriptam poſt habuit, divinis meditationibus, tum curandæ valetudini deſtinaret. Ab eo tempore in Principem veſtrum delectus heic quoque ſubſtiti, veſtroque ac juxta regnorum meorum ſubſidio cruentum bellum, quo Gallia ruptis Inducijs in me ardeſcebat, firmâ pace clauſi. Neque exceſſurus adhuc Belgicâ meâ fuiſſem, niſi in motu Hiſpania, & niſi rationes mearum rerum, quas ipſe expendo, poſtularent. Hac de cauſa, ut Gallicum & atrox bellum robuſtis nervis traherem, regnum meum non modico onere preſſi, poſtquam tanti exercitus ſtipendijs veſtra liberalitas par non fuit. Iſto onere ut me levem, tributo, & ut illud exigam, impetremque, præſentiâ meâ opus eſt. Et quia hoc tempore omnem ſimul exercitum dimittere per inopiam æris non licet, ita legionem meam veſtris in finibus relinquo, ſtipendia, prout confido, à vobis habiturus. Vt quoniam flagrante bello deeſſe vobis nolui, ita vos recuperatâ per me pace quieti, & fœlices ſimile mihi ſubſidium præſtetis. Compoſitis per Hiſpaniam rebus idem addico, neque affectum in vos meum diſtantium locorum intercapedo imminuet. Quin daturus ſum operam, ut ordinato per Hiſpaniam regni ſtatu remigrem ad vos ocyus, modo res meæ, & ſimul veſtræ exigant, quarum incolumitati cætera mea poſthabeo. Interim Emanueli Philiberto nuper provinciarum Præfecto, & Gallico fœdere in res ſuas immiſſo (dum Carolum filium certis de cauſis, & antequam diſcors Hiſpaniæ regnum intravero, præficere vobis non licet) Margaretam ſororem meam ſubſtitui, eiq; ut & ſingulis Provinciarum præfectis, in mandatis dedi, religionem Romanam certam tectam, curet, ſtatuatq; in delinquentes è præſcripto legum coërcendos. Vt idem faciatis, Ordines, moneo, hortorque, ita fiet, ut florentiſſimas Provincias, pronumq; in vos Regem me ſitis habituri.*

Ordines diſceſſum ægre ferunt.

Ea Philippi Oratio, Legatis Ordinum mœrorem indignationemque ſimul incuſſerat. Dolebant quippe Provincias Gallicâ adhuc face calentes, ut ante à Carolo, ita nunc Philippo deſeri, ſummæque rei regimen inquietis peregrinorum ingenijs, & muliebri Margaretæ imperio committi. Erant quoque qui eandem Margaretam, velut tantarum rerum incapacem, pronuntiarent, &, quod in matrimonio ut

ante

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ante Alexandri Medicæi, ita tunc Octavij Farneſij viveret, hauſtos Italiæ mores criminarentur. Maxumè verò conquerebantur, militem Hiſpanum, & regij exercitus reliquias in finibus Belgicæ conſidere, omnis belli metu per Gallicam pacem ſublato, & poſt mortem Mariæ Anglicæ Eliſabethâ Valleſiâ in Philippi domum denuptâ. Idcircò è quiete publicâ fore, eum in Hiſpanias ablegari, alijs bellis uſui futurum, allaturumque intereà Philippo ſecuritatem per longinqua & infeſta claſſibus maria ituro. Quæ Ordinum, Principumque Belgicæ ſupplicatio, ut tandem fructu ſuo, ita odio quoque apud Philippum non caruit. Præterquam enim, quod exautorandi exercitus, cuius operâ bello Gallico uſus fuerat, & faciendæ intra trimeſtre militum miſſionis vanam ſpem faceret Philippus, ita creditus fuit, eo tempore clam ſententiam mortis in eos ſtrinxiſſe, qui amoveri in Hiſpaniam eundem militem, & extrudi Belgicis terris ſollicitaverant importunius. A quo etiam hoc fuit, ut idem miles poſt Philippi diſceſſum (qui VII. Kalend. Septem. Vliſſingæ claſſem ingreſſus erat) annum & ſemeſtre in Belgicâ ſubſiſteret, acturuſque haud dubiè diuturnius præſidium, ſolius, quâ ad Zerbium Afri littoris inſulam Philippus affectus erat, atrociſſimæ cladis inſperato vulnere revocaretur. Ita Philippus relictâ Belgicâ, quam pacatam à Carolo patre acceperat, turbatam verò reliquis vitæ, & regni ſui annis habiturus erat, in Hiſpaniam profectus eſt. Tradit V. CL. Suffridus Petræus quondam Ordinum huius gentis Hiſtoriographus, Philippum non aliâ de cauſâ, quam ad capeſſendum Regni Hiſpaniæ diadema, Belgica exceſſiſſe, ac ſecundo vento uſum ad VI. Eid. Septemb. in eandem Hiſpaniain appuliſſe. Alij addunt viſo attactoque regni littore claſſem Philippi horrendâ tempeſtate disjectam, naveſque plurimas ipſo etiam Philippo ſpectante, turbatis ſupra modum aquis demerſas. Gemmas quoq;, ſigna, toreumata, tum operis antiqui tabulas, mirâ Belgarum arte elaboratas ac per Germaniam Italiamq; à Carolo Cæſare regio paratui, ac domeſticæ magnificentiæ congeſtas, mari hauſtas, ipſumque Philippum magno vitæ diſcrimine fluctibus expoſitum, ſuis terris reſtitutum. Tum è Philippi abitu & ſimul relicto in præſidijs milite, præſcius velut eventuri mæror, & tacita ſimul indignatio omnem Belgicam pervaſit. Ratiocinabantur quippe prudentiores Philippum Principem Belgicæ genti diffiſum pignorandæ arctius fideï arma & militem delegiſſe, modumq; parando populi obſequio repertum, concordiæ quam maxume inimicum fore.

CIƆ. IƆ. LIX.

Tempeſtas in claſſe Philippi.

Strada notat, Ordinum ſupplicationem benignè à Philippo auditam, eandemque regia pollicitatione liberandi à milite Belgij firmatam. Cæterum properato Philippi abitu, & ut ille ſcribit, Belgicæ perincommodo, necdum ritè conſtitutæ res evanuere, mileſque Hiſpanus poſt anni effluxum per præſidia habitus. Quod ut argumentum ſuſpectæ apud regem Belgarum fideï fuit, ita occaſionem naſcenti properantique ad ſua initia fatali malo dedit, quod deïn licentiâ Hiſpanorum auctum, ne moram daret, procerum quoque acrioribus ingenijs ſtimulabatur. Sunt qui tradant, Margaretam Gubernatricem moderamini rerum jam admotam, Philippi miſſionem diſſuaſiſſe, ne demiſſo quod petebatur milite periculum à finitimis civitatibus incumberet, quas rumpendam ad pacem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ LIX. cem, ex ſe ſæpe infidam opportunitas nocendi impelleret. Quibus Provinciarum querimonijs etiam hæc per Friſiam ſeorſim acceſſit, quod Gulielmus Lindanus Philippi, & Ultrajectinæ Sedis Legatus (de quo in Friſiam mittendo Philippus Anno cIɔ. Iɔ. LVI. cum Georgio Egmondano Præſule Ultrajectino conſultaverat) inſolentius ageret, mandatiſque Philippi, & ſimul ſanctionibus Romanæ Sedis ſubnixus, temerandis ſacris, atque profanis ſua miniſteria adaptaret. Itaque Friſiæ Ordines ultrò ſuperbiam hominis peroſi, mox inſtigante clero, de cuius jure agebatur, inritati, ut peſſimarum rerum principijs obſtarent, prolixè apud Arembergium egere, deque ejuſdem Lindani ſuperbâ & inſolenti dominatione hoc modo conqueſti ſunt:

Oratio ad Arembergium à Friſijs habita.

E*TSI libertatis noſtræ diuturna poſſeſſio, quâ majores noſtri aureâ illâ ætate rerum uſi ſunt, Præfecte, & nuperæ conventiones, quas cum Carolo Philippoq; non ſemel inijmus, moviſſe Philippum regem debuiſſent, ne vis ulla legibus noſtris, ac religioſis ritibus, inferretur, ita præter ſpem noſtram jam diu diſpendium facimus noſtræ libertatis, obtruſo nobis* Gulielmo Lindano commiſſario *Fidëi, etſi revera Inquiſitori, homine peregrino, & ſupra quam ambitioſo. Quod genus hominum, ut majoribus noſtris infrequens fuit, qui à Sergio Pontifice poſt paganos ritus Friſicis terris ejectos liberè ætatem egere, ita cum hoc ipſo Philippi imperio, quod ſalvâ & incolumi libertate depacti eramus, novam ſervitutem accepimus. De patrijs legibus, quas ſuo huc uſq; ſanguine majores noſtri tutati ſunt, nunc non loquimur: Ne quis eas violaret Francorum impetus, & Normannicam vim, tum intentatum à Florentijs ac Albertis inclementius imperium ſuſtinuimus, & ne corpora lege mancupij ſervirent, noſque ultimi nepotum cum traduce ſpiritu peſſimam vivendi conditionem, & novorum juxta dominorum inſolentiam acciperemus. Nunc verò animis, atq; conſcientijs noſtris tormenta parantur. Vt, quia ferrum & cauteria urendis ſecandiſque mentibus non ſunt, quas ut liberrimas, ita ab omni terrenâ illuvie ſecretas immortale numen homini largitum eſt, cruciatibus corporum conſcientiæ deterreantur, ſerviantq; ſuperbis, importuniſque dominatoribus, quorum ſpecioſa pietas enormibus ſæpè flagitijs obtenditur. Ab eo eſt, quod ambitioni ſuæ modum non ponant, Eccleſiaſticas dignitates, contra leges patrias, à Carolo Cæſare Anno* cIɔ. Iɔ. XXII. *confirmatas conduplicent, autoritatem, honores, opes, ut reliqui mortalium, & ferè fædius rapiant, nullo, aut minimo pietatis documento, quæ deſtinata divino cultui, & ſaluti hominum miniſteria fædare curis ſæculi, & ludicris quærendæ fortunæ cupiditatibus non ſolet. Hoc verò Lindani per Friſiam munus, hæ actiones ſunt. Is namque imperia, æs, ſacerdotia, aut ſuæ conditioni adjecit, aut pretio corruptus largientibus conceſſit, & quidem in fraudem Eccleſiaſtici per Friſiam Ordinis, qui Philippi inauguratione caverat:* UT JUS EI INTEGRUM INTAMINATUMQUE ESSET, *Philippusque intacto omnis ſtatus jure, ac beneficio, prout Carolinis temporibus factum erat, omnem imperij ac potentiæ gloriam confirmandis religioſæ vetuſtatis monumentis impenderet. Nunc verò ut patrij ſacrorum ritus polluuntur, ita Præſulibus ac Decanis legitimum jus ſubtrahitur, quorum à tot ſæculis fuiſſet, res ſacras ordinare, ac clerum coërcere pudoris, & recti oblitum. Ea propter rogamus,*

Præ-

Præfecte, ut te iſtiuſmodi rebus interponas, procureſque in poſterum, Ne quid novum & inſolens, quod à majorum receptis ritibus declinet, per Friſiam invaleſcat. cIↃ IↃ. LIX.

Cæterum, ſive Legati reverentiâ, ſive quod Caroli Philippique regum Edictis & ſanctionibus Pontificum ultrò patrocinaretur Arembergius, parum profectum eſt. Hoc tantum ſubſecutum comperio, quod Arembergius ſpem Ordinibus redintegrandi Eccleſiaſtici juris faceret, ac de eâ re apud Margaretam Gubernatricem ſe acturum polliceretur. Verum in ſpeciem, ut eo tempore ferè omnia, ſed maxumè ut Philippi conſilia morâ invaleſcerent, aulicâ lenitudine trahebantur. Quamobrem Lindanus ultrò præfractus & contumax, tum notatâ Arembergij conniventiâ inſolentior in omnem immodeſtiam erupit, ſeverumq; inquirendi officium fædiore poſt imperio exercuit. Cuius rei cum eum Ordines Friſiæ acrius monerent, Lindanus interminatam poteſtatem, & ſecretam licentiam comprimendis temporum vitijs obtendit, Ordineſque ac Senatum juxta regium puniendis flagitijs, pollutiſque ſacris tardos criminatus, fremens & indignabundus cætu exceſſit.

Fruſtra accuſatur Lindanus.

Quâ actione cum odia gentis & juxta ſuperbia Lindani intenderetur, Ordines agrarij denuo libellum ſupplicem Præſidi Senatuique regio exhibuerunt, deque imminuto jure Eccleſiaſtico hoc modo conqueſti ſunt.

Convenimus cum Saxone, Carolo Cæſare, & dein Philippo Caroli Patris Succeſſore, privilegia & jura noſtra ſalva fore. At verò Philippus Rex Gulielmo Lindano diploma conceſſit, quo rerum Eccleſiaſticarum, dijudicandarum poteſtas ei demandatur. Quo ipſo cum Eccleſiaſticorum, qui tertium Provinciæ membrum conſtituunt, jus lædatur, duo tamen Philippus rex iſtâ diſpoſitione caviſſe videtur, ut privilegijs populi Lindani diploma non obſtaret, & ne regij per Friſiam Senatus auctoritatem ac jus minueret. Et quoniam Senatui regio incumbit, jus ſuum per regium Procuratorem tueri, ac defendere, ita de noſtro retinendo tantum laboramus, quod ab omni temporum memoriâ utque in hunc diem receptum Commiſſarios arbitroſque juris Eccleſiaſtici per Ooſter-Goos, Weſter-Goos, Silveſtres, & quidem ex ipſo ſacro ordine accepit. Præterea longâ conſuetudine presbyteri & paſtores hoc obtinuere, ut Decanos in jurisdictione ſuâ nominent, eligantq;, quibus coram omnis quæſtio, quæ judicio Senatus regij non ſubeſſet, in promptu decidebatur. Ad hoc compertum eſt Abbates, Lidlumenſium, ut & alios ſuorum ſubditorum Archidiaconos eſſe, ipſoſque per Friſiam Paſtores jus inſtituendi Vicarios habuiſſe. Quæ omnia etſi retineri debuiſſent, utpotè à Saxone, Carolo Cæſare, & ipſo rege Philippo Friſicæ genti confirmata, ita Lindanus horum omnium & juris apud majores noſtros quæſiti tranſgreſſor violatorque eſt. Præterquam enim quod Commiſſarios Eccleſiaſticos neque ex Ooſter-Goïs nec ex Weſter-Goïs, nec ex Sylveſtribus creatos admittat, ita Presbyteris Decani electionem negat, inque paſtores preſbyteroſque alicuius facti criminiſvè inſimulatos judicium exercet. Quod in Henrico Drolshagio perpetuo vicario Oldenhovio obſervatum eſt, quem à divinarum rerum adminiſtratione ſuo arbitratu ſemovit. Præterea paſtorum jus, quo vicarios inſtituunt, ad ſe trahit, facitque omnia, quæ immodicæ, & non legibus compreſſæ poteſtati conveniunt. Quod cum nobis intolerabile, ipſi indecens ſit, petimus, Præſes Senatuſque, ut ſuperbi hominis libidinem, inſolentiamque caſtige-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cI), I). LIX. *tis, illiuſque Lindani immodeſtos mores reſcripti ſeveritate coërceatis.*

Quo facto Præſes Senatuſque regius Lindanum ad ſe vocavere, increpitumque turbati ordinis & violatorum rituum abſtinere immodeſtis actionibus juſſere. Hæc IX. Kal. Aug. acta, & ab Emskerchio Graphiario regio ſignata. Quod etſi ſe facturum polliceretur Lindanus, tamen ſacræ et jam cæptæ dominationis cupido, hominem ex ingenio ſuo violentum magis efferavit, noviſque Friſiorum querimonijs occaſionem aperuit. Quippe ademptâ plurimis concionandi, ſacraque celebrandi poteſtate, omne Eccleſiaſticum judicium majore ſuperbiâ, &, ut fieri in liberâ gente aſſolet, invidiâ exercuit, ipſoſque Ordines, quaſi ex Philippi ore pronuntiaret, acerbioribus dicterijs inſectatus eſt. Itaque retracto ad judicium Senatus regij Lindano partes litis conteſtationem ſubiere, ipſeque Lindanus, etſi favore, ut profitebatur, regis ac Viglij Præſidis ſubiutus, acrem juris proceſſum, quo multa eï objectabantur, cum invidia provincialium ſuſtinere coactus eſt. Invenio in actis Renicum Burmania Iuris Doctorem, Valerium Cammingha, Haringum Glinzium, Heſſelum Ayſma Iureconſultum, Friſiæ Delegatos cauſæ actores fuiſſe, ipſoſque Leovardienſes, alienis à Lindano animis agrariorum partibus ſe adjunxiſſe.

Maris inundatio.

Poſt XVII. Kal. Decemb. ipſo novilunio, quo maria ordinarijs vicibus majore æſtu cientur, Oceanus intumuit, ruptoque multis in locis, qui Lemmarios ſpectat, aggere, depreſſa ferè ac paluſtria regionis obtexit: Itaque Biltanus ager, per quem clementi, & inſenſili ferè altitudine Friſia in Corum exſurgit, ut & maior Weſtergoæ pars, intactus ab aquarum ſalſedine manſit, toto Sylveſtrium tractu, qui à Cunera, & Stellinguerfijs in Winbritzeros, ac Wonſeranos protenditur, marinis undis operto. Ooſtergoos quoque pleroſque Leppæo aggere, velut munimento agrorum ſuorum, clauſos, ab hoc malo immunes fuiſſe Andræas Gryphius in ſuis notis autor eſt. Idem ſcribit aquam marinam eodem æſtu circa nonam veſpertinam repente Bornenſibus affuſam, mox Coro vento auctam, areas domorum, villarumq; habiles ferendis navigijs feciſſe. Poſt ſurgente Euro ſenſim relapſam eadem quâ perruperat, viâ, & laxantibus catarractis in ſuum alveum redijſſe.

Arembergius conventum habet.

Mox Arembergius ad VIII. Eid. Iun. conventum Ordinum Friſiæ Leovardiæ indixit, poſtulataque quæ vigeſimo menſis Anni LIX. Gubernatrix Margareta ipſi commiſerat, hoc modo Carolus Nitzenius, Præſes Senatus, propoſuit.

A*NNO* LVIII. *menſe Aprili Arembergius Friſiæ Præfectus vos convocari fecerat, & quidem de mandato Philippi regis, ut indicaret quibus oneribus regiæ res premerentur. Quæ ipſa quoque non aliâ ex cauſâ regio ærario obvenere, quam quod Provincias haſce à Gallorum armis ac incurſionibus liberaverit. Ita modo circa Rhenum, modo per Arteſiam, Hannoniam atque Flandriam exercitum aluit, quo à vobis veſtriſque finibus hoſtem averteret, qui regionem in veſtram, & Tranſlavicanos, tum gentes circa Iſalam flumen ſitas, excurſurus dicebatur. Hoc modo Provinciæ aliâ pace & ſecuritate beneficio regio floruere. Quod agnoſcendo, dum Groningenſes,*

Tranſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Tranſiſulani, Lingenſes, Drentini, & ipſi Geldri Philippo ſubſidia decernunt; vos ſoli perduci ad ſublevandum regis ærarium non potuiſtis. Neque tamen eo minus à bello ceſſatum eſt, quod binis, & quidem fœlicibus ad Quintini fanum, & Grevelingam prælijs, utilem honeſtamque pacem, ſed impenſâ regiâ dedit. Qui propterea res ſuas aut diſtrahere, aut pignori dare coactus, militem in armis, quantum potuit, ac fide retinuit, aliquos defectu æris, non exſolutis ſtipendÿs, exautoravit. Quæ ut ad manum ſint, ne fides, exercitus ac ſimul diſciplina ſolvatur, & ut ſubveniatur rebus regÿs diuturno ex bello impulſis, Margareta Gubernatrix conventum hunc haberi voluit, quo ſubſidia regi præſtaretis. Quod facere tanto vobis facilius erit, quanto minus provincia veſtra onerum ſuſtinuit, quæ durante Arembergÿ Præfecturâ neque militem colligere, nec militarem manum recipere intra fines ſuos juſſa ſit. Cum è contra Brabantini, Flandri, Arteſÿ, Hannonÿ, Namurcenſes, Luxemburgÿ militaribus injurÿs vexati ſint, regiſq; amore aut ipſi ſub ſtipendÿs fuerint, aut laudabili facilitate rogas conceſſerint. Quibus rationibus permotus Arembergius idem, quod anno LVIII. *proponi per me fecit, ut in memoriam revocaret, quæ iſto conventu acta ſunt. Quo tempore vos ipſi deprædicaſtis non minore affectu erga regem Philippum duci, quam quo Carolum patrem proſecuti eſtis. Vt iſtis vocibus fidem adſtruatis, retinendis in obſequio ac diſciplinâ egionibus, ſublevandæque domui regiæ, ſeptuaginta aureorum millia hoc tempore exigit, utque intra quadriennium æqualibus penſionibus ea præſtentur. Hæc* VIII. *Iul. voce Nitzenÿ propoſita.*

CIↃ. IↃ. LIX.

Quare XI. ad Arembergium ablegati Gerardus Duingelius Abbas Gerricomius, Ioannes Herama, & Hero Burmania, hoc modo reſponderunt.

Non uno malo populus noſter, Præfecte, gravatur, ſed inter ſteriles annos inclementiâ cæli infælices, tum inter infrequens commercium, res provinciæ trahantur. Vnde annonæ caritas, quæ publicæ infœcunditatis individua comes eſt, per Friſiam ſuborta, intumeſcente ad hoc mari, quod ruptis, aut attritis littoribus ſalſedine agros corrupit. Inde pecorum paſſim interitus, & frugum penuria facultates noſtras exhauſit, quas, veluti confluentibus malis, præter aggerum marinorum impendia, rogæ quoq; & precarium æs in Cæſarem collatum attenuarunt. Et certè niſi perire terras noſtras, quod in Zelandiâ evenit, aut arrodi ab Oceano volumus, marinis æſtubus frangendis, reficiendiſque aggeribus, omne, quod poſſidemus, impendendum eſt. Vt certè præſtando beneficio, & liberalitati obvia quæque calamitas nos invalidos fecerit, quorum inſuper ærarium, ſexaginta millibus aureorum, quos Cæſari Carolo erogavimus, exhauſtum ſcies. Tamen, ut in tantâ rerum anguſtiâ nos, quemadmodum ante Cæſari, ita regi Philippo approbemus, offerimus quinquaginta aureorum millia ſex penſionibus perſolvenda, ſub hac tamen cautione & curâ, ut ſalvo jure & immunitate noſtrâ fiat, & ut ex conventione cum Carolo Cæſare Anno XXXIX. *initâ, omne juri noſtro adverſum corrigatur.*

Quâ conditione lectâ offenſus Arembergius, cum Senatus regij parte in arcem ſe contulit, ſibique ſexaginta millia aureorum aſſignari purè non adjectis conditionibus petijt, quas regis Philippi nomine, ſi imminutum gentis jus foret, ſuppleturum ſe dicebat.

*Neque enim ante (*inquit*) civitate hac excedam, niſi quod regio Carolique*

CIↃ. IↃ. LIX. *nomine vobis promiſſum eſt, præſtetur, paratus, ut impendia conventuum publicorum evitemus, toto die ab ortu ſolis ad occaſum reparandis rebus veſtris vacare.*

Quare poſtero die, qui XII. erat, Arembergio per Ruardum Roorda & Heronem Burmania Delegatos, reſponſum:

Quamvis oblatio quinquaginta millium aureorum noſtram liberalitatem, & in Regem affectum ſatis prædicaverit, tamen amore & reverentiâ regiæ Philippi majeſtatis ducti, ſpondemus nos quinquaginta aureorum millia quinque juſtis penſionibus ſoluturos, ſed hac cautione adjectâ, ut læſi juris exempla aboleantur, & ut Lindani ſuperbiæ actionibuſque Eccleſiaſticis occurratur.

Hæc ab Eyſone Wiltinghio Præſule Clare-campio, Herone Burmania, Isbrando Harderviceno Antiſtite Lidlomenſi, Ruardo Roorda, Feddone Ockio, presbytero Oelano, & Ulrico Regnerio ſignata. Quæ cum detrectaret Arembergius, qui puram & ſine exceptione conventionem volebat, rurſus conventum ſibi dari petijt, novamque relationem ad Ordines inſtitui. Qui cum in priore decreto perſiſterent, Arembergius pertinaciam, an libertatem gentis miratus, præſtationem 50000. aureorum acceptavit, eâq; de re Margaretam Gubernatricem ſe moniturum fidem fecit. Ita res ad tempus interquievit, donec Margareta Gubernatrix, mobilitate animorum introſpectâ, libertati gentis aliquid daret, conventionemque cum Friſico populo initam, ſcriptis eâ de re ſolemnibus tabulis XIIX. Auguſti, ratam eſſe juſſit.

Extruendæ Baſilicæ conſilium. Reperio in actis, eodem conventu de extruendâ Philippi Baſilica, colloquium inſtitutum, Ordineſque Friſiæ, petente Arembergij nomine Nitzenio, tria millia aureorum erigendo operi, Leovardienſes octingentos addixiſſe. Sub hac tamen formulâ, ut conclave aliquod conventui Ordinum habendo, reſervaretur. Quæ res etſi anno XLVI. Carolo adhuc Cæſare & Maria Caroli ſorore, rerum potiuntibus, tractata in curia oppidanâ fuiſſet, ita tunc in comitio confirmata vim ac robur accepit.

Querela de Lindano. Mox vetus de Lindano querela recruduit, multaque odio illius & conciliandæ invidiæ Arembergio Senatuique regio oblata Lindani perſonam & ſimul dignitatem prægravavere. Quâ cum movere eum Ordines conarentur, non invalidis rationibus, quibus malè adminiſtrati muneris urgebatur, tamen exteri hominis ſuperbiæ, quam æquiori cauſæ plus datum, inrepente apud nonnullos metu, regiæ majeſtatis voluntatem repetitis contra Lindanum obloquijs eludi. Quare multa in ſpeciem acta, retinendique juris ſpe populo Friſico per Arembergium Senatumque regium factâ Lindanus abjectum & humilem, quem ſimulabat, animum, majore mox ſuperbiâ elevabat. Quod ab Arembergij, qui impenſe ei faciebat, conſilio profectum illi non ignorabant, qui arcanos per litteras cum Margaretâ Gubernatrice Arembergij ſermones, tanquam Lindano profuturos, evulgabant. Quippe illi Margareta reſcripſerat; Non videri ſibi accuſationum materiem amovendo Lindano ſatis validam, quin contra innocentiæ ejus facere, quod ab objectis ſe purgare ſingulari conſtantiâ offerret. Interea monituram ſe Epiſcopos & Archidiaconos juriſdictionem per Friſiam habentes, ut vetus mos in inſtituendis paſtoribus ſervetur, & ut curatum, ſicuti voca-

vocabant, beneficium nacti non niſi de conſilio præſidis Senatuſque re- cIↃ. IↃ.
gij, & ipſius quoque Lindani, repetito examini ſubijcerentur. Quod L I X.
ad commiſſarios Epiſcopi Ultrajectini & Archidiaconorum, qui Ooſtergoïs, & Weſtergoïs pro more præſint, placuiſſe Philippo regi, & Epiſcopo Ultrajectino, non ita pridem defuncto, ut ſtabiliendam ad religionem, reformationemque ſtatus ordiniſque Eccleſiaſtici per Friſiam, ut cenſor aliquis doctrinæ & pietatis laude præcellens crearetur, qui in vitam ac mores cœnobitarum paſtorumq; doctrinam inquirat. Cujus curationi, cum Rex, & Epiſcopus, tum ipſi Archidiaconi multum æris impendant, non aliam Regis, Epiſcopi, aut Archidiaconorum intentionem eſſe, quam ut Romanæ religioni conſulatur, & ne Friſij onere ſuſtentandi Epiſcopalis Vicarij, aut cenſoris, graventur. Præterea addebat Margareta non eſſe ſuæ poteſtatis, ſine regis voluntate, aut mandato, hac in parte quid mutare, neque inconſulto novo Epiſcopo aut Archidiaconis aliud decernere quam quod Philippo regi viſum fuiſſet. Se interim daturam operam, ut jus Friſijs ſartum tectum ſervetur, moneaturque Lindanus, ut ex præſcripto Philippi Regis agat. Hæc Bruxellis v. Eid. Iul. acta, & Margaretæ manu ſignata.

Tum ut res ultrò per Edicta & Inquiſitionem, deïn ob Hiſpanorum Legionem per præſidia diſtributam lubricæ, validioribus machi- ANNO
nis impulſæ nutarent, vix reverſus in Hiſpaniam Philippus poſt com- cIↃ. IↃ.
preſſos primatum ſanguine regni motus, & infælices exitu cum Eliſa- L X.
bethâ Valleſiâ regij Francicique ſanguinis fæminâ, celebratas nuptias, conſtituendorum per Provincias Epiſcopatuum negotio ſe dedit. Quapropter miſſo jam ante Romam, ubi Paulus IV. Pontificatum tum gerebat, & quo cum bellum in Italiâ Philippus geſſerat, Franciſco Sonnio Theologo Lovanienſe, & per Friſiam Inquiſitore, de conſilio Antonij Perennoti, hoc maxumè cavit, ut negotium Pontifex maturaret, ipſeq; occaſionem obturbandæ Belgicæ nactus, Gallici fœderis ſecretum, ſuo principatui, & juxta Provincijs fatale, & climactericum exequeretur. Itaque Paulus Pontifex, ne rei tam ſanctæ, & neceſſariæ moræ necterentur, XIV. Kal. Iun. Philippi mox conſilium approbavit, confirmarique tabulis fecit. Quo Pontifice humanitus abrepto, & damnatâ cum eo ob fœditatem geſti Pontificatus omni memoriâ, Pius IV. ſucceſſor eandem mox ſanctionem confirmaverat, Philippiq; propoſitum, velut perſanandis per Belgicam mentibus ſalubre, & Romanæ Sedis Imperio conducens corroborari factis eâ de re VIII. Eid. Mart. tabulis fecerat. Ita Sonnius curatis, quas Romæ voluerat, rebus, in Belgicam regreſſus ordinationes novorum Epiſcoporum, & ſimul fomitem civilis incendij clam adduxit. Reperio in litteris mandatorum Sonnij, cauſam conſtituendæ per Friſiam Sedis luxui & corruptis cænobitarum moribus imputatam, reprimendiſque adultis cleri vitijs unicum illud remedium ſanandis malis repertum. Duorum quoque Cænobiorum Horti Mariæ, & Lidlumani ampliſſimum cenſum Sedi deſtinatum, triaque millia ducatorum menſæ Epiſcopali aſſignata. Reliquum dotis, quod ante monachorum luxus inſumpſerat, Canonicis attributum, eoſq; è S. paginæ Canonumq; Doctoribus, tum è Nobilitate creandos in ijſdem litteris Philippum conſtituiſſe. Ultrajectinæ

cIɔ. Iɔ. quoque Sedi, ut ante Willebrordi ætate, Archiepiſcopum ordinatum
L X. Suffraganeoſq; Daventrienſem, Leovardienſem, Groningenſem, Harlemenſem, & Middelburgicum eidem Archi-Epiſcopo ſubjunctos. Quibus in Hiſpaniam à Sonnio miſſis robur poſt additum, Philippuſq; IV. Eid Maij in ipſo (ut habent tabulæ) conſiſtorio eâ de re Decretum fecit.

Extat in Cornelij Gemmæ obſervationibus terribilem Solis defectum menſe Auguſto eveniſſe, multaque prodigia velut facem belli denuntiantia, curioſè notantibus apparuiſſe. Lucem quoque magnam cum levi terræ motu notatam, totumque annum tempeſtatibus & procellis, tum fulminibus fragoribuſque cœli, turbidum fuiſſe. Præſagiente velut rerum naturâ, indicandis in hoc terrarum circulo motibus præludi.

Deïn Philippus regio luxu celebratis nuptijs Carolum filium unicum adhuc regiæ domus hæredem per omnem Hiſpaniam, juramento à proceribus regni ſubditiſque accepto, deſignari ſucceſſorem, confirmarique curavit. Ut ſcilicet dubio longioris vitæ ſpatio, & incertâ Eliſabethæ fœcunditate, diffuſum regni corpus, & haud pridem factionibus obnoxium, certo hærede, &, ſi quid humanitus accideret, majeſtate novi regnantis coërceret. Quarum rerum ut ignaræ adhuc per Friſiam mentes erant, ita domeſticis econtra malis, & multo prædone adfligebantur. Interceptis namque Gallicâ pace ſtipendijs peſſimos quoſque, ut nuper militiæ, ita tum ignaviæ ac deſidis vitæ cupido graſſationibus per provinciam mancipabat, otiumque inutile, & turbidis rebus, aut perdendis Provincialium fortunis ſuccreſſens, fædis & reprobatis bello ſceleribus paſcebatur. Quamobrem Senatus regius (quod jam ante ſancitâ Anno cIɔ. Iɔ. XLIV. Gallicâ pace Carolo Cæſare evenerat) edicto in prædones ſtatuit, deprehenſiſque cum telo conciliandæ ſecuritati publicæ ſeveram legem, pœnam capitis, denuntiavit.

Invenio in actis circa Berlicomos, Vieranos, Beetgumanos & confines enormi licentiâ pecora promiſcuè alienum in paſcuum acta, ipſoſque colonos agrorum & proprietarios eâ de vi apud Senatum regium conqueſtos, ad comitium provinciæ reſcripto Curiæ remiſſos. Ad libellum quoque ſupplicem ab ijſdem Berlicomijs ſocijſque anno ſequente III. Maï oblatum, velut diſtractis in graviora ingenijs, non reſcriptum fuiſſe.

Arembergius quoque Ægyptios paganis ritibus, & profanis ſuperſti-
ANNO tionibus imbutos, ſuæque Præfecturæ graves & moleſtos Friſiâ ocyus
cIɔ. Iɔ. excedere, ſimilique gladij pœnâ (quâ Carolus Cæſar ex Edicto An-
LXI. ni cIɔ. Iɔ. XXXIIX.) coërceri juſſit. Edictum VII. Kal. Octob. Vollenhovæ ſignatum. Cautum quoque, ut earum rerum merciumq; (quæ adulatione iſtorum temporum, ac diſcordi implicitoque factionibus populo Friſico, Carolo Cæſari Anno cIɔ. Iɔ. XXIV. vectigales factæ erant) apud Conductores Regios profeſſio fieret, perſolvereturq; vectigal importandis in Friſiam, rebus, mercibuſque aſſignatum. Pœna in Transgreſſores Edicti ſtatuta, decretumque ut confiſcationi rerum, mercium, naviumque pecuniaria quoque multa adijceretur à Carolo Cæſare Anno cIɔ. Iɔ. XLIV. fraudatoribus iſtiuſmodi vectigalium irrogata. Iï fructus deperditæ per diſcordias libertatis fuere, quorum onera adoleſcente principatu, poſt etiam bello aucta, liberrimam

tot ſæculis gentem diuturnis armis, & ſuccreſcenti indies ſervituti cIↄ. Iↄ.
implicuere. LXI.

Poſt partem Edicti à Carolo Cæſare Anno cIↄ. Iↄ. L. publicati Senatus per Friſiam regius renovavit, vetuitque; Ne quid in publicum, ANNO præterquam de conſilio Cenſorum typis ederetur, vulgareturque pœnâ cIↄ. Iↄ. ex eodem Edicto 100. aureorum conſtitutâ. Edictum IX. Kalend. LXII. Ian. Leovardiæ ſignatum. Hoc quippe Edicto obtendebatur, ne, ferace iſtiuſmodi librorum Germaniâ, quæ libertatem ſuam, invito etiam Cæſare, retinuerat, ſimile per Belgicam fieret, ætaſque tenerior, propriâ animorum mollitie, cum ipſo velut lacte præcepta purioris doctrinæ hauriret. Itaque Maria Gubernatrix nomine Caroli Cæſaris hoc *Edictorum* etiam Anno cIↄ. Iↄ. LIII. ſanxerat, ut decretorum Germaniæ liber *promulgatio.* per Friſiam non valeret, nullaque aut inefficax ad Decreta Germaniæ Auguſtanis Comitijs Anno cIↄ. Iↄ. XLVIII. facta reorum, damnatorumq; in cauſa religionis provocatio haberetur. Ijs namq; caverat Carolus, ut partem onerum Imperij Belgæ ferrent, ad eos verò Reſcriptorum, Statutorumque ejuſdem Imperij (quibus libertatem Religionis coactus indulſerat) communio, beneficiumvè non perveniret. Quapropter ne jure ac immunitate Germaniæ (quâ ab omni memoriâ ex tot Cæſaris Diplomatis, tum ex ipſa quoque Carolinâ conventione anni cIↄ. Iↄ. XXII. debebant) Friſij fruerentur, promulgatis per Belgicam de Religione Edictis, Statutiſque eos parere juſſerat, omni exemptione fœdo exemplo antiquatâ. Ita namq; inter Friſios Carolumq; Cæſarem conventum erat: UT CAESAR JUS SAXONIS AC HAEREDITARII PRAEFECTI CESSIONE ACCIPERET, EIQUE JUS-JURANDUM, UT ET HAEREDIBUS, POSTERISQUE NOMINE ROMANI IMPERII DEFERRETUR. Neque aliam rationem ineundi inter Belgicæ Provincias, Friſioſque fœderis Mariam Gubernatricem, Anno cIↄ. Iↄ. XXXV. IV. Eid. Iun. propoſuiſſe, quam ut ad mutua auxilia adverſum vim externam Provinciæ ſe obligarent, ſuo verò jure, (ac ſi fœdus, Principiſvè imperium nihil de eo delibaret) unaquæque Provincia frueretur. Cæterum robuſto Cæſaris Principatu, & adultâ poſt partium, quæ à libertate majorum deſciverant, adulatione, omnis aviti, patrijque juris memoria, atque vis ſenſim obliterata, Friſiorumque Ditiones Germaniæ Imperio ſubtractæ, duorum Cæſarum Maximiliani atque Caroli cupiditate, patrimonio Burgundicæ domus adſcriptæ ſunt. Ab eo namque fuit, ut ſolemnem illam cum Friſijs Anni cIↄ. Iↄ. XXIV. pactionem omiſſo Imperij, quod præferre debuerat, nomine, CAROLUS CAESAR, SE, ET HAEREDES, POSTEROSQUE, UT HOLLANDIAE COMITES ſervaturum caveret, nulloque tempore, ita paciſcente odio Geldricæ partis Burgundicæ factionis nobilitate, Friſiam ab Hollandiæ Comitatu ſe ſeparaturum, fidem interponeret. Quod ne fieret ſubſecutis temporibus Maria quoque Gubernatrix, datis in Friſiam Anno cIↄ. Iↄ. XLIX. Prid. Eid. Iun. litteris, obnixè Friſios rogaverat, ut fœdus autore Cæſare, cum Romano Imperio, de præſtandis auxilijs,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ.Iↄ. LXII. Auguſtæ Vindelicorum initum, Friſij approbarent, arctioriſque ſocietatis vinculo hac ipſa occaſione cum Belgicæ populis coïrent. Hoc namque illo conſilij arcano tum agebatur, ut Friſij hortatu Mariæ Gubernatricis, Principis fæminæ, & civiles animos movere non imperitæ, tum reverentiâ, cuius mandatum Maria præferebat, Caroli Cæſaris pellecti, & firmiore cum cæteris provincijs nexu uniti, ab antiqua Romani Imperij ſocietate divellerentur, communemque cum Belgico populo fortunam, & conditionem inſtantium temporum acciperent. Carolus quoque Cæſar ſociatâ Germaniæ Belgicâ, diſcors religionibus, & lacerum Principum armis Imperium commodius coërceret, compoſitoque, & pacato eodem Imperio Belgicam ſuam, novarum, ut aiebat, religionum fæcundam, in ſpeciem regni, & non diſparatæ cum Hiſpaniâ ſervitutis, ſubſidio eiuſdem fœderis formaret. Cæterum continuam in Carolo fælicitatem faſtidiente, & velut manum retrahente fortunâ factum eſt, ut ſua Germaniæ libertas conſtaret, Caroluſque Cæſar, prout incerti mortalium rerum eventus ſunt, propoſito excidens, præfractum illum & magnitudini ſuæ fatalem in religione zelum, quietis Belgicæ provincijs ſuo, & ſucceſſoris filij damno inferret, Friſios etiam, ut naturæ limite & ultimo Rheno, ita legibus, moribuſque à Belgicæ populis Burgundionum ſubditis diſcretos, ijſdem, quæ de religione per Belgicam ſanxerat, Edictis teneri obligarique pronuntiaret. Litteræ Mariæ Gubernatricis ad Senatum regium (qui judicium Caroli Cæſaris ſuper hac re per litteras XVI. Kal. Iun. Leovardiæ datas requiſiverat) Bruxellis IV. Non. Iun. Anno cIↄ. Iↄ. LIII. ſignatæ. Liber quoq; de Confeſſione Fideï incerto autore, & ſpretâ Cenſorum autoritate, editus, à Senatu per Friſiam regio damnatus eſt. Tum deducendâ reparandâque, quæ à Sigeri Cœnobio Garipam ducit, viâ, inter Tietzerchios, & Smallingæos orta lis à Senatu regio definita, mandatumque agrarijs per Provinciam; ut vias publicas eluvie brumalium aquarum fœdatas, ferendis equis, curribuſque commodas curent. Cautum quoq; aſperè, Ne quod maris ejectamentum, ſive æſtu è fundo actum, ſive tempeſtate disjectum, ſine Prætorum conſenſu à littore aſportaretur, cæterum omne fluitans, naufragumvè, ut ante ex pacto Cæſari, ita Philippo pro more cederet, denunciatione eius rei intra XXIV. horas Prætori, triduum verò Senatui regio facienda.

Caroli Cæſaris molitiones.

Idem ſtatuit, Ut ij, qui tabulationibus littorum, portuumvè (arcas veteres achitectonicæ autores, ut & hodie, vocabant) manus admoviſſent, earum aſſeres, ſublicas, tigna rupiſſent, abſtuliſſentve, capite luerent, ablatorum verò ejectamentorum convicti, pecuniariâ mulctâ, poſt arbitrariâ pœnâ corrigerentur. Hoc quippe nolebat Senatus, ut Friſica gens navigiorum ſpolijs qeuſtum faceret, munimentumque infidi littoris immenſo ſumptu arcendo mari à majoribus fundatum privati licentia, & rapacitate nudaretur. Mox ingraveſcenti rurſum annonæ proſpectum, publicatumque à Margaretâ Gubernatrice; Ne quod frumentum Friſiâ exportaretur. Quod decretum, quia Anno cIↄ. Iↄ. LI. Carolo Cæſare impediendis, minuendiſque commercijs videbatur, ita per Legatos coram Mariâ agrarij tum egerant, ne quid tale in poſterum manifeſto Provincialium damno perſcriberetur.

Annonæ Cura.

tur.

tur. Oſtendebant namque exportatis frumentis annonæ periculum non ſtrui, quod ea ſoli Friſici natura eſſet, minimum ſecalis, hordei verò ac avenæ plurimum ferre. His quoque ſolis ſtare, & florere commercia, ijſq; fieri, ut per mercatores aliunde advectos pecuniæ haud parum agrarijs accedat, quâ marinorum aggerum, tum regiorum vectigalium onera ferri queant. Sine hoc verò ſubſidio, nec privatas agrariorum res conſiſtere, nec ſtatas vectigalium penſiones præſtari poſſe. Neq; enim tantas oppidanis opes, atq; facultates eſſe, ut omni frumento paratum æs aſſignare queant, etiam extemplo perſolutum, caritatem annonæ daturum. Ita namq; fore, ut ipſi pretium quod volent, ſtatuant, agrariorumq; ſæpe anguſtiâ malè uſi per damnatas legibus coëmptiones, frumento caritatem, egeſtatem plebi, penuriam univerſis ſint paraturi. Idcircò rogabant Carolum Cæſarem, ut habitâ libertatis ratione, decretum antiquaret, duranteq; bello Gallico, aut caritate rerum tantummodò valiturum, fidem daret.

CIↃ. IↃ. LXII.

Diſceptatio.

Id Mariæ Gubernatricis reſcripto (additâ obteſtatione integrum agrarijs jus, inviolatumque fore) VI. Eid. Ian. confirmatum, ut ijſdem agrarijs tum damnoſum, ita hoc tempore ſublevandæ communi annonæ remedium fuit. Eò namque Margaretæ conſilium atque Edictum ſpectabat, ut coëmptiones ceſſarent, omneq; frumentum in promiſcuos populi uſus erogatum iſtius anni præſentaneæ ſterilitati mederetur. Æſtas enim ut multo imbre madens, ita torpido aëre putredinem frugum, mox animalium luem, atque peſtilentiam invexerat, ſtagnanteſq; per planitiem aquæ campis ſuopte ingenio humentibus ægrius laxabantur. Inveno in Annalium libro Kemponis Martenæ, graſſantibus adhuc per Provinciam Burgundicarum Geldricarumque partium reliquijs, Friſiæ Ordines Georgij Scenci & ſuorum dominatione offenſos, Margaretam Cæſaris amitam Provinciarum tum Gubernatricem ſuppreſſæ, aut ſterili annonæ ſimile remedium oraſſe, querimoniamque Ordinum eïdem Edicto, per Carolum ſæpius Cæſarem vulgato, cauſam dediſſe. Idem quoque Edictum vehementibus oppidanorum ſtudijs anno ſequente confirmatum, pœnamque lege conſtitutam violatoribus Edicti à Magiſtratibus per Friſiam irrogatam eſſe, Hobbio Baerdio, Cornelio Fonckio, Tarquinio Valleſio, Iacobo Iacobæo, G. Wallema, Theodoro Theodoreto, Foccone Andreæ, Ioanne Iulio Beima, & Bonnone Petræo III. Eid. Mart. ſubſcribentibus. Legem quoq; de ponderibus, & menſuris, Saxonum ætate latam, ab ijſdem innovatam, ſtatutumque ut per oppida Saxonicæ legis ratio atque formula obſervaretur. Dein litteræ à Senatu regio ad Prætores, Magiſtratuſq; per Provinciam datæ, quibus ſtatuebat; Ne qui clam conventus populi concioneſvè eſſent, intraque præturas aut oppida ulli advenæ præterquam probatæ in Eccleſiam fidei reciperentur. Sanxit inſuper, ut ex optumis quibuſque Magiſtratus populi Friſici crearentur, arcerenturque communione munerum dignitatumq;, novarum religionum ſuſpecti, tum fædiore vitâ, temulentiâ & adulterijs coöperti. Franequeranos etiam, velut majore rerum licentiâ præ cæteris uſos, idem Senatus commonuit, ut frequentes ſacris interſint, remque divinam more majorum agant, abſtineantque privatis conſultationibus

Edictum in conventus populi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ. LXII. Philippo regi, & ſimul paci publicæ adverſis. Litteræ III. Eid Novemb. Leovardiæ exaratæ. Unde Ordinum Delegati (in quorum numero Renicum Burmania Jure-Conſultum, Ruardum Rcorda, Valerium Camminga, Haringum Glinzium, & Heſſelum Ayſma fuiſſe comperio) velut diuturnioris moræ pertæſi, quod reparandi juris promiſſa tardiùs procederent, Commiſſarios, ut vocant, dari ſibi à Senatu regio petiere, qui de læſo imminutoque gentis jure cognoſcerent, actaq; & poſtulata toties in ſpem redituræ libertatis repetita eludi vanis reſponſionibus deprehenderent. Quare Senatus Regius Carolum Nitzenium Equeſtris ordinis virum, & Senatus Præſidem, Petrum Dekama, Equitem & Senatorem, Alexium Gelium Senatorem & regij Fiſci advocatum, delegavit; cognitiſq; quæ Ordinum Delegati prolaturi forent, totum ad Senatum relationes inſtitui juſſit. Qui ut commodis Philippi proſpiceret, gratiamq; novi dominantis cum odio provincialium demereretur, naves quoq; omnes ex Hiſpaniâ, Galliâ, Angliâ, tum è freto Danico, ac emporijs orientalibus in ſinum Scolbalgicum provectas, ſponte an de conſilio Margaretæ Gubernatricis, gravari nautico ære fecit, quo vaſorum indicandis ſyrtibus mari innatantium impendia commercijs negotiantium redimerentur. Quod cum ægerrimè provinciales haberet, & imprimis Collumanos Doccumanoſque, quorum onerariæ naves illo potiſſimum ſinu recipiuntur, Delegati Ordinum, qui indicti oneris novitate offendebantur, recitari Doccomij & per maritima, regij Senatus Edictum vetuere, populoque commercijs florenti, jus antiquum, immunitatemq; aſſeruere.

Adeò diffidentiæ vitium, quod poſtremis etiam Caroli annis ſe aperuerat, debile rebus ſe ultrò diſſolventibus vinculum, Philippi maxumè principatu increvit, pertinacibus populi in libertatem ſtudijs Principi ſuſpectis, & Arembergij Senatuſque Regij imperio Provinciæ gravi. *Armatum* Itaq; is jam ante caverat: Ne quis Leovardiæ præterquam officialis regius, aut publicus juſtitiæ adminiſter, cum telo incederet, ipſove noctis obſcuro, ſub pœnâ legis de VI PUBLICA latæ, perpetrandis obtegendiſque flagitijs uteretur. Poſt, ſtabiliendis Romanæ ſedis Pontificumque ſanctionibus ſtatuta per Provinciam publicavit. Iis præcepit. Ut feſtis diebus, & divino cultui dictis, quæcunque etiam operæ, commerciaque ceſſarent, ipſiſq; quadrageſimæ, aut alijs diebus, quibus Eccleſia jejunium ordinaſſet, eſu carnium Friſij abſtinerent. Statuit quoque ne, dum res divina publicè fieret, cauponaria, ANNO cIɔ. Iɔ. LXIII. & commeſſationes haberentur, pecuniariâ mulctâ, poſt arbitrariâ & gravi pœnâ tranſgreſſoribus irrogatâ. Hoc tantum indultum fuit, ut pro operarum, valetudiniſvè ratione Decanus, Commiſſarius, Preſbyter, Medicuſvè diſponeret, iſtiq; rei, ne quæ fraus ſtatuto fieret, teſtimonium ſcriberetur. Tum diuturna aſperrimaq; hyems omnium, qui *Aſperum gelu.* tum per Friſiam degebant, memoriam ſuperans Friſiæ incubuit. Quippe non Lavicæ tantum, Amaſique flumina, ſed Auſtrinum etiam mare, quod latiſſimis aquis, & qua Flevo proximius eſt, vehementi æſtu concitatur, commeandi poteſtatem hominibus, curribus, jumentiſque fecit, remque oculis expoſitam, & majoribus infrequentem naturæ quodam miraculo inſignivit. Annotatum reperio eadem flumina

atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

atque æſtuaria, quæ Friſijs prætexuntur, vernum ultra Æquinoctium glaciem aluiſſe, agroſq; non ante Iunium menſem revireſcentes adulti veris amænitatem brumali inclementiâ commutaſſe. Itaque pecorum fimus, quæ adhuc Majo menſe ſtabulabantur, in ipſis ſtabulorum foſſis adeò per gelu induruerat, ut ſolis ferramentis comminueretur, agrique antecedentis anni ſterilitate infœcundi ſtato Æquinoctij tempore non paſtinarentur. Hyems quoq; ut longa, ita quam maxumè aſpera acciſa pecorum pabula faceret, cultiſq; ſerius arvis metus iterum ab annonâ, & difficili alimoniâ anxijs ſollicitiſq; provincialibus haberetur. cIↃ.IↃ. LXIII.

Mox Margareta Gubernatrix datis ad Præſidem Senatumq; regium litteris totius cleri conventum indixit, litteraſq; ſuas prælegente Carolo Nitzenio, in cuius domo congregabatur, recitari hoc modo fecit. *Margaretæ litteræ de Concilio Trident.*

Concilium Tridenti coactum noſtis, ac jam Epiſcopos ſacræq; paginæ Doctores celebrando iſti Chriſtiani orbis conventui iſthuc ſe contuliſſe. Et quoniam tanta ac tam ſancta res ſine magnis impenſis geri non poteſt, rectè & ex voluntate regis facietis, ſi, quod ab omni clero per Belgicæ provincias factum eſt, pecunias quoq; iſti negotio colligatis. Neq; ſpero vos in illo Philippi regis decreto exequendo tardos ac contumaces fore, præſertim cum ſtabiliendo Eccleſiaſtico Ordini, & reprimendis erroribus jam ubivis graſſantibus, iſtud Concilium deſtinetur.

Similes litteræ ad Godefridum Sylvium Horti Mariæ Præſulem datæ, quo eius autoritate, Præſulum per Friſiam animi ex novitate rerum exulcerati, ſacrum ad æs corrogandum perducerentur.

Neq; enim (ſcribebat Margareta) *huic tributo obloquutum eſt, etiam ab ijs, qui à Belgicæ olim provincijs ſecreti, magno corpori ex juſtis principum imperijs ſe ſociavere.*

Quo cum Geldros, Ultrajectinos, Tranſiſulanos, & Groningenſes innueret, quos aut unius dominatio, aut Sedis reverentia rexerat, Friſiorum quoq; notatam tacitè libertatem obſtringi ad conferendum hoc ſubſidium volebat, ne unius gentis contumaciâ plurium fides laxaretur. Gemma in ſuâ Coſmocritice notat, præter terræ motum aliaque prodigia, horrendas tempeſtates, hac æſtate exortas, maritimis locis magna damna dediſſe, ipſumq; mare etſi minore æſtu ardente ſyrio intumeſcat, vi ventorum impulſum littoribus infeſtum fuiſſe. *Tempeſtates.*

Ita domeſticâ ferè fatorum adverſitate, foris & per Hiſpaniam res turbidis conſilijs trahebantur. Iam enim Philippus ruptâ cunctatione, regium opinatus præconcepta exequi, eaq; arbitrio regnantis, non ex eventu rerum metiri, quod in Hiſpaniâ IV. Eid. Maij Anno cIↃ. IↃ. LX. de Epiſcopis perſcripſerat, conſilium vulgabat, multique eâ de re neq; inveri rumores paſſim per Friſiam ferebantur. Unde ſubita conſternatio, mox tacitus mœror Provinciam frequentavit, ſecretaque in Philippum murmura, & diſſonæ voces præcinentium ſiniſtra auditæ. Id namque ciendis maxumè ingenijs erat, quod novarum rerum inſtituto inconſultis Ordinibus, quos reprimendis durioribus imperijs majores ſemper habuiſſent, ſancta, & venerabilis antiquitas convelleretur, imminutoque cœnobiorum jure ſacri reditus pijs uſibus,

cIↄ. Iↄ. bus, & ſublevandis egenis tot per ſæcula applicati novo Epiſcoporum
LXIII. luxui, & magnificentiæ deſtinarentur. Accedebat & illud, quod firmandæ Inquiſitioni ordinatio Epiſcoporum tanquam velum quoddam obtendi diceretur, tabularumque Epiſcopalium formula ab eâ ſuſpicione non variaret. Ideò ſcilicet Friſiorum Epiſcopo erogandarum in novem Canonicos præbendarum (ut loquuntur) poteſtatem factam, ut in causâ Inquiſitionis iſtiuſmodi aſſeſſoribus idem Præſul uteretur, ipſiq; Decreta Sedis, & eum ipſum in conſcientias dominatum Inquiſitionem de mandato Epiſcopi exequerentur. Quæ etſi corrigendis paganis (qui ex Africâ opum commerciorumq; cupidine in Hiſpaniam migraverant) Ferdinando rege excogitata eſſet, ita intorqueri conſcientijs ſuis aiebant, ut ipſi probroſæ exterminatæq; etiam Germaniâ, ac potiore Italiæ ora ſervitutis impatientes turbis ac ſeditionibus ſe darent, temeratâque ſui in Principem obſequij lege, ſibi ipſis exitium, Philippo verò quam ex compoſito quærebat, opprimendæ multitudinis, & infælicium armorum occaſionem accelerarent. Hac de causâ innuebant tributi etiam ſui, quod fædius, ope continuata poſt Gallicum bellum militi ſtipendia, ut poſt evocatam Italiâ Margaretam Gubernatricem Caroli notham imperitam rerum, & Belgici regiminis, ſumma imperij, aut regni (nam hoc moliebatur) Cardinali Granvellano miniſtro, & aſſentatori Romanorum Pontificum cederet, conculcatâq; Statûs publici, & Belgicæ Nobilitatis autoritate, ponderoſa negotia ad Philippum in Hiſpaniam, cæteroſq; aulæ regiæ ſatellites devolverentur. Hoc modo horrente, & contremiſcente populo, Ordinum quoque Principumque virorum mentes perculſæ, & quod peractâ non ſemel in Hiſpaniam legatione, (Montinius namque cæterique jam ante ad Philippum miſſi erant) velut obdurato regis animo, nulla in melius rerum ægreſcentium mutatio ſequeretur. Itaq; Principes aurei Velleris in quorum numero Aurantius, Egmondanus, Hoogſtratenus, Montmorentij cæterique erant, nutantium Provinciarum, & ſuæ juxta incolumitatis metu IV. Eid. Mart. ad Philippum regem litteras dedere, expoſitiſq; immodeſtis Granvellani conſilijs (quibus eum, per incuriam Principum, & quod plerique voluptatibus, atq; oblectamentis ludicris immerſi gravem luxu ac ſocordi ignaviâ vitam agerent, uſum fuiſſe Reidanus notat) tanquam civilium turbarum fomentis, revocandum eum in Hiſpaniam cum obteſtatione fideï ſuæ propoſuere. Alij addunt, adæſis per luxum facultatibus eoſdem Principes impulſos, more mortalium, quibus gravis alieni æris ſarcina, & recordatio veteris fortunæ eſſe ſolet, novas clam ſocietates inijſſe, iiſdemq; ſubnixos de ſubmovendo à procuratione Belgicarum rerum Granvellano præfervidis, neque injuſtis deſiderijs laboraſſe. Ubi verò omne ſalutis, quietiſque impetrandæ conſilium inritum fuit, validâ, & flagrante apud Philippum Granvellani gratiâ, ne quid labentibus in deterius rebus ipſorum otio, ac privatæ fortunæ affingi poſſet, miſſionem oravere, & ut Philippus lubricos honores, quos Carolus pater, aut ipſe, Belgicâ excedens conceſſerat, & ſimul in alios onera ac pericula transferret. Cæterum, ut lubricam Imperij ſemitam ingreſſis retrahere pedem fortuna non ſinebat, ita honores ijs à Philippo continuati, ut ſtato tempore

Inquiſitionis origo.

Equitum Aurei Velleris litteræ ad Philippum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

pore conſortes principatus ſui adminiſtros ex arduo, & prærupto ho- cIↃ. IↃ.
norum culmine præcipitaret. Qui propterea prævisâ nutantis fortunæ LXIII.
inconſtantiâ concilio ſtatus abſtinuerunt, potioremque regundæ, pacandæque (nam haud parum commota cernebatur) Belgicæ curam in cæteros dignationis ſuæ, & potentiæ æmulos rejecere.

Legatus Margaretæ in Hiſpaniâ

Tum MARGARETA Gubernatrix, ſeceſſione Principum Equitumque aurei Velleris clam offenſa, ne conciliandæ Granvellano invidiæ major procerum divulſio pararetur, legatum in Hiſpaniam properè amandavit, Antoniuſq; poſt Perennottus Cardinalis Granvellanus mandato Philippi, ſive ut Reidanus habet, ultrò injurijs Principum laceſſitus, inexpiabili erga Belgicam nobilitatem odio, ſuperſtite adhuc ſociorum factionis ſuæ potentiâ in Burgundiam, & mox Hiſpaniam conceſſit. Cæterum Principum Belgicæ ſeceſſio, ut inimicis paratura invidiem videbatur, ita econtra potentiam paravit. Submoto namque Belgicâ Granvellano evenit, ut quos ante conſiliorum ſuorum participes fecerat, eoſdem inlatæ ſibi contumeliæ ultores relinqueret, omneq; publicæ autoritatis robur, in excuſationem Granvellani, & oppreſſionem adverſæ partis, & ſimul Belgicæ libertatis verteretur. Creditum fuit præclaros alios viros, & fortunam ex virtute nactos, ut ante dominatus, ita tum Granvellani famæ importunos defenſores extitiſſe, ipſumq; Philippum Granvellani è Belgica diſceſſu exacerbatum, ardens ſponte ingenium, & præcipitia ſuorum conſiliorum exaſperaſſe. Itaq; Senatus tum regius per ſeceſſionem Principum, ſui juris, & poteſtatis factus in curam conſecrandorum, introducendorumq; Epiſcoporum deflexit, quod ad negotium ocyus capeſſendum, Margareta Gubernatrix primores Senatus muliebri vehementiâ impellebat.

ANNO cIↃ. IↃ. LXIV.

Fredericus Tanteburgius Archi-Epiſc. Vltraject.

Iam enim menſe Iunio Fredericus Tauteburgius, qui Egmondano ſucceſſerat, primus poſt Willibrordum Ultrajectinæ ſedis Archi-Epiſcopus totam conſtituendi per Friſiam Epiſcopatus rationem evulgaverat, miſſumq; in Friſios diploma Pontificum ſanctione, ac Philippi mandato firmaverat.

FREDERICVS, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ, Archi-Epiſcopus Trajectenſis, Vniverſis præſentes litteras noſtras viſuris Salutem in Domino. Cum dudum Sanctiſſimus Dominus noſter Pontifex Maximus; ad preces Sereniſſimi Principis PHILIPPI, *Hiſpaniarum Regis Catholici, domini temporalis civitatis & patriæ Trajectenſis, Domini noſtri clementiſſimi, ad honorem & gloriam Dei omnipotentis, pro religionis Orthodoxæ conſervatione, ac patriæ & ſubditorum ſalute, certos Archi-Epiſcopatus ac Epiſcopatus in provincijs ſuis inferioribus erexerit. Et præſertim novam Sedem Epiſcopalem in civitate Leovardienſi, cui tota provincia & populus Friſiæ de Ooſtergoo, Weſtergoo & Sevenwolden, perpetuo tanquam ſuo Epiſcopo Diocæſano ſubjiciantur, conſtituerit; & ab Eccleſiâ Trajectenſi, cui anteà ſuberant, ſeparaverit; Notum facimus, quod nos, qui ex Sanctæ Sedis Apoſtolicæ clementiâ & dictæ ſereniſſimæ regiæ maieſtatis auſpicio & favore, ad Archi-Epiſcopatus Traiectenſis Præſulatum vocati & aſſumpti ſumus, eaque omnia quæ per eandem Sedem Apoſtolicam circa huiusmodi erectionem Epiſcopatus Leovardienſis ſalubriter decreta & ordinata* ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ. *exiſtunt, quo ad nos & Archi-Epiſcopatum noſtrum attinet, rata & firma*
LXIV. *eſſe volumus omnibus viâ, modo, formâ, ac jure, quibus potuimus & poſſumus melioribus, creavimus, conſtituimus & deputavimus, creamusq; , conſtituimus & ordinamus, ac deputamus, per præſentes, noſtros certos indubitatos, & legitimos procuratores & mandatarios ac nuncios ſpeciales ac generales, ac negotiorum noſtrorum infra ſcriptorum geſtores irrevocabiles, videlicet Reverendum in Chriſto patrem, Nobiles & Magnificos viros, D. Iohannem Epiſcopum & Suffraganeum noſtrum in Eccleſiâ Cathedrali Groningenſi, &c. abſentes tanquam præſentes, & eorum quemlibet (qui has deferet ſolum & in ſolidum ſpecialiter & expreſſè) ad noſtro nomine & ſub titulo & qualitate Archi-Epiſcopi Trajectenſis, ad quamcunque requiſitionem dictæ regiæ Cathed. Majeſtatis ac Illuſtriſſ. & Excellentiſſimæ Principis Duciſſæ Parmæ & Placentiæ, &c. Locum-tenentis & Gubernatricis generalis harum provinciarum, vel etiam ipſius Illuſtris Domini Comitis Arembergenſis locum tenentis generalis patriæ Friſiæ, coram Senatu provinciali, ſeu ſtatibus ac populis dictæ Friſiæ, aut civitate & Eccleſiâ Leovardienſi, aut alibi ubi opus, & neceſſe erit comparendum, ibique quo omnia, quæ circa erectionem & inſtitutionem dictæ novæ Sedis Epiſcopalis Leovardienſis de noſtro conſenſu, ut prædictum eſt, ſancte ordinata exiſtunt; nedum ſi neceſſe fuerit hoc ipſum declarandum, vel denuò conſentiendum, ſed aſſiſtendum quoq; & juvandum, ut conſtet mentis noſtræ fuiſſe, & eſſe, ut negotium hoc pro dictæ Sedis Apoſtolicæ ac regiæ Majeſtatis intentione planè conficiatur, & executioni ac effectui mandetur, nec non ſpecialiter ac generaliter ad omni juriſdictioni autoritati & poteſtati Eccleſiaſticæ & ordinariæ, quam nos ratione Eccleſiæ noſtræ Trajectenſis hactenus in dictâ provinciâ Friſiæ cum appendentijs ſupra dictis habuimus, & nobis competere potuit, ac impoſterum quomodo prætendere poſſemus in favorem dicti novi Epiſcopi Leovardienſis ſi opus ſit, cedendum & renuntiandum, quemadmodum etiam ex abundanti bonâ fide cedimus & renuntiamus per eaſdem præſentes, exceptâ duntaxat ſuperioritate & jure noſtro metropolitico, quod in Eccleſiâ & Diocæſi Leovardienſi ſubjecta & ſubjicienda nobis & Archi-Epiſcopatui noſtro Trajectenſi perpetuò ſalvum, integrum & reſervatum eſſe intendimus. Et generaliter omnia alia & ſingula faciendum, dicendum, gerendum, declarandum, & procurandum quæ in præmiſſis & circa ea neceſſaria erunt, ſeu alias quomolibet opportuna, & quæ nos ipſi ſi præſentes & perſonaliter ibidem adeſſemus, facere, declarare & aſſiſtere poſſemus, etiamſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quam præſentibus eſt expreſſum, & majora forent prænarratis. Promittentes in fide Archiepiſcopi totum id, & quicquid per dictos noſtros Procuratores & Mandatarios, ſeu eorum alterum actum, dictum, factum, geſtumvè fuerit in præmiſſis ratum, firmum ac gratum perpetuò habituros. In cuius rei fidem & teſtimonium eaſdem præſentes manu noſtra ſubſcripſimus, ſigilliq; noſtri ſecreti juſſimus appenſione communiri. Datum in ædibus Archi-Epiſcopalibus civitatis Trajectenſis, menſis Iunij die ſecundo, Anno à nativitate Domini, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto.*

F R E D E R I C U S.

Quapropter Margareta, ut ſingulis Provinciarum Ordinibus conſilium Philippi commendaret, litteras in Friſiam ad Ordines, Senatumque

que Leovardienſem dedit, quibus docebat: Placuiſſe Philippo Regi cIↃ. IↃ.
Epiſcopum Friſijs deſignare, ac Leovardiæ Sedem conſtituere. Hac LXIV.
de causâ Philippum, Romam Franciſcum Sonnium ad Paulum & Pium IV. Pontifices Romanos ablegaſſe, ne quid temerè ſtatueret, adultæ temporum licentiæ, & manifeſtis ab Eccleſia receſſionibus opportunum. Neq; enim aliud iſtâ Sonnij Legatione; & hoc ipſo Decreto ſpectaſſe, quam ut ipſe Hiſpaniâ ſuâ clauſus, ita exigente regni ſtatu, per Epiſcopos in Provincijs Belgicæ, & ſimul Friſiâ conſtitutos, religionem, tot ſæculis receptam, & ſimul jus populi ſtabiliret, rerumque ultrò fluentium, ut in humanis conſtans nihil atque perpetuum eſſet, ordinem, confuſionis vitio intactum conſervaret. Et quoniam à longâ temporum memoriâ Eccleſiaſticarum rerum ſumma per Friſiam cognitio, ac conſecratio Antiſtitum penes præſulem Ultrajectinum fuiſſet, ita Philippum regem, hoc ipſo erectæ Sedis beneficio cleri maxumè ærario proſpexiſſe, ne tantis impendijs Legationes Ultrajectum fiant, cæterum intra Provinciam omnia habeantur, ordinationi, conſecrationique religioſorum præſcripta. Propterea Archiepiſcopum Ultrajectinum jus ſuum, quo ante uſus fuerat, Suffraganeo ſuo Friſiorum Epiſcopo ceſſiſſe, ut is ſimili poteſtate agat, commiſſumque ſibi munus ex inſtituto veteri, bono populi Friſici tueatur. Rogare eapropter Friſiæ Ordines, & Senatum Leovardiæ urbis, ut omnem operam erigendæ Sedi præſtent, quo Philippi regis voluntati, & conditioni ſimul temporum ſatisfiat. Litteræ Margaretæ Bruxellis VI. Kal. Aug. ſignatæ. His addebat Margareta, Sedem in Provinciâ conſtitutam agrarios, oppidanoſque majore concordiâ juncturam, foreque ut divulſi ante Provincialium animi, eâdem communione ſacrorum connexi, in unum corpus ſepoſitâ diſſenſione coalituri ſint.

Invenio in archivis Provinciæ Deputatos Ordinum, ſuo & Magiſtratus Leovardienſium nomine Magaretæ Gubernatrici hunc in modum reſpondiſſe: Diſplicere ſibi quam maxumè Philippi regis in conſtituendâ apud Leovardios Sede, conſilium, neque è Rep. videri hoc inſtitutum antiquandis patriæ legibus, & majorum immunitatibus repertum. Quas ipſas ſartas tectas fore Carolus Cæſar publicâ Anni CIↃ. IↃ. XXIV. conventione fidem feciſſet. Neq alià lege Philippum paterni Principatus hæredem, & ſucceſſorem Friſico populo obſtringi, quam quæ conſervandis ijſdem privilegijs ſit. Quorum propterea ſanctum, atq; inviolabile jus nihil commune haberet cum novo illius Ordinis inſtituto, quod inquietudinem populo, exitium Provinciæ daturum ſit. Quapropter ſe operam, ac conſilium commodare iſti negotio non poſſe, niſi ſpeciali Ordinum Friſiæ mandato inſtructos, quorum interſit, Ne quid detrimenti. Rogare intereà Præfectum Arembergium, pro eâ re apud Gubernatricem intercedat, interpreteturque reſponſum à libertate ſua, & ſtudio ſalutis publicæ profectum. Hoc in acta relatum, ac à Serapio Hania, C. Fonckio, Valerio Buma, Ruardo Roorda, Haringio Glinzio, Docone Martena, Iacobo Sibrandio, & Heſſelo Ayſma, V. Eid. Aug. ſignatum.

His duorum potentium cænobiorum validæ adverſus ordinationem Epiſcopi contentiones, & juxta querimoniæ accedebant. Repetebat

namq;

cIↃ. IↃ. LXIV. namque Horti Mariæ Antiſtes Regnerus Aſperanus in conſeſſu Delegatorum, Ordinem illum Honorio II. & poſt Calixto Pontifice inſtitutum, illudque cænobium ab Anno cIↃ. IↃ. LXIII. tenui fortunâ uſum, pietatis & ſanctimoniæ claritudine ſenſim increviſſe. Datos eï ex inluſtribus familijs Antiſtites, hominesque deſiderio cælibis vitæ & faſtidio terrenarum rerum correptos, locum hunc delegiſſe ſuo ſeceſſui, & pijs meditationibus commodum. Exinde cenſum, temporum progreſſu auctum, non aliâ donantium intentione, quam ut numen à mortalium turbâ ſecretis ritè coleretur, reliquumque cenſus frugalitate cænobitarum corrogatum egeſtati pauperum inſerviret. Hoc modò poſt trium ferè ſæculorum ambitum jus cænobio integrum fuiſſe, donec inteſtina bella ambitione & diſcordiâ Principum, ac ſciſſæ per Friſiam nobilitatis Saxonicis temporibus exorta, cum ipſo Principis imperio occupatâ Provinciâ, vis quoq; cænobio inferretur. Tum quippe Tacone Æbinghâ viro nobili loci Antiſtite, cænobij agros maris alluvione paſcendo pecori vicino littori adjectos à Georgio Saxone per vim occupatos, ac aggere circumductos annuos cænobij reditus minuiſſe. Antiſtitem ipſum diſpendio ſuarum rerum, & imperio Saxonis potentis domini offenſum, ac tempori obſecutum depoſitâ dignitate Lidlumum commigraſſe, animiq; ægritudine, poſt peſtilentiâ correptum diem vitæ clauſiſſe. Neq; Carolo Ceſare meliorem Cænobij fortunam fuiſſe. Ita ſparſis per Provinciam Ceſareï exercitus reliquijs locaria agrorum intercepta, inductis quoque cænobio præſidijs, ne quod ſacrum religioſumque intactum armis aut ſaltem armorum incommodis haberetur. Tum militem contemptâ loci religione fædâ libidine & immundâ Venere ſacrum polluiſſe, oppreſsâque immunitate (quam à Pontificibus donatam Carolus Cæſar Anno cIↃ. IↃ. XV. per Florentium Iſelſteinium, poſt Vormatiæ ipſis Imperij comitijs, coram Legatis, integram fore promiſerat) importunis exactionibus vexaſſe. Cæterum iſta omnia bellicæ tum legi imputata. Nunc verò quietâ regione, & ſilentibus armis loci jus inverti, atque violari, eoq; robuſto Principis imperio perventum eſſe, ut nec Senatus Philippi jus petentibus dicat, aut reſtitutionem in integrum poſcentibus ſubveniat, cæterum ſupplici clero, tum ipſis Friſiæ Ordinum Legatis juris Eccleſiaſtici defenſoribus ſilentium imponat. Id Renico Burmaniæ, & Franciſco Camminghæ viris nobiliſsimis, & mandata Ordinum gerentibus à Senatu regio, Anno cIↃ. IↃ. LV. obveniſſe, nihilque aliud in poſterum ſperari poſſe; quam ut leges per vim ſileant, omneq; divinum, & juxta humanum dominatio Principis, & cupido majoris imperij profanet. Interim morem ſe gerere mandato Principis hac in re non poſſe, quin obteſtari jus inveteratum, innocentiam Ordinis ſui, morum atque Religionis integritatem, violenta hæc eſſe, perraro retinendis in fide mentibus diuturna. Neque abſimilia Isbrandus Hardervicenus Lidlumanus, omniſque per Provincias antiſtitum ordo proferebant. Creditum fuit collegiorum iſtorum antiſtites molliori vitæ ſuetos, ut ægrius à jure ſuo, ita vivendi licentiâ dimoveri potuiſſe, difluentemque otioſo luxu vitam nactos, metuentes diſciplinæ, cenſuræ Epiſcopali periniquos extitiſſe. Notat Sibrandus Leo in Vitis Abba-

batum Horti Mariæ, Ioannem Haſſeltanum loci illius Antiſtitem, Mariam Gubernatricem Caroli Cæſaris ſororem Anno cIɔ. Iɔ. XLV. Provinciam Friſiæ luſtrantem unà cum Georgio Egmondano Epiſcopo Trajectenſe, & Maximiliano Burano Friſiæ Præfecto, ſumptuoſo, & æmulo principum epulo excepiſſe, eundemque Antiſtitem immodico luxu jam ante uſum, ne umbrâ quidem virtutis in poſteros transfuſâ, ſex millia alieni æris Henrico Smeinzio ſucceſſori reliquiſſe. Eundem quoq; Smeinzium ſocordis ignaviæ hominem, & domeſtico paratu nobilitati gravem æs alienum cumulaſſe, auctoque nexu creditoribus obligatum, & ſuarum rationum oblitum, curâ Petri Dekamæ Senatoris regij dignitate exutum, mox in ſquallidum carcerem detruſum, ac vix dimiſſum, attenuatum mærore corpus cum vitâ poſuiſſe. Reperio in actis, Godefridum Sylvium Smeinſij ſucceſſorem, implorato prius Curiæ decreto annuos hoc tempore prædiorum reditus, expungendis nominibus alienaſſe, ipſumq; Smeinſium Volveganum tanquam conflati alieni æris autorem, in ipſis venditionum tabulis inſigniviſſe. Reditus quoq; & prædia cænobiorum, quod in Philippi prætorum mandatis obſervo, rerum divenditarum onere exempta fuiſſe, ſolaq; proclamatione per tribunal factâ, emptorem in poſſeſſionem rei divenditæ immiſſum. cIɔ. Iɔ. LXIV.

Idem Sibrandus Leo tradit, Isbrandum Hardervicenum Præſulem Lidlumanum, ante dignitatem rectè ingenio uſum, mox dignitate corruptum celebrandis quotidianis epulis, & geniali vitæ ſe dediſſe, Præpoſituræque inſuper Bolſuerdienſis adminiſtrationem adeptum, mox eâ à Senatu regio privatum, deìn munere Antiſtitis defunctum, & reddendis rationibus imparem, Embdam, poſt Francofurtum, dein Coloniam redijſſe, deſtitutumque à ſuis, peſtilenti aurâ attactum, mortalitatem impleviſſe. Ejuſdem quoq; Antiſtitis electione biduum in ipſo cœnobij atrio largâ potatione exactum, preceſque ad DEUM fuſas, tum ceremonias iſti actui ſolemnes infami ebrietate, & probroſis repotijs fœdatas. Perſcriptum commentarijs eſt, Præfectum Arembergium, Senatumque regium, tum ipſum quoque Gulielmum Lindanum Commiſſarium jam ante monaſticorum collegiorum luxu inritatos, clàm illud conſilium Philippo ſuggeſſiſſe, immutandoq; ordini occaſionem commodaſſe. Eundem quoque ordinem ſuâ opinione Principis imperio exemptum, jus ſuum pertinaciter tutatum, de removendo Friſiâ Epiſcopo vehementius laboraſſe.

Ipſos quoque Oldehovios, Nyehovios & D. Catharinæ presbyteros totumque Leovardiæ civitatis clerum, expenſis Margaretæ, quas memoravi, litteris liberiùs reſpondiſſe, Philippoq; ac Margaretæ Gubernatrici promovendæ Sedis operam denegaſſe.

Neque enim (reſpondebant) beneficia noſtra, quæ poſſidemus, ab alijs, quam à Magiſtratu Oppidano, interveniente electione & collatione, accepimus. Cum ipſis enim ſocietate ac nexu juncti ſumus, neque fas eſt nobis fœderi inter nos inito, niſi de voluntate Rectorum civitatis, ac ipſorum provinciæ Ordinum, renuntiare. A quibus cum beneficia, cum emolumenta noſtra proveniant, rectè faciet Gubernatrix, ſi apud Philippum regem reſponſum hoc, velut à libertate profectum, excuſaverit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↃ. IↃ. LXIV. Quare ipſi quoque Ordinum Delegati, ne ſoli clero odium pararetur, ijſdem fere, ſed nonnihil acerbioribus decretis reſponderunt. *Convelli novæ Sedis inſtituto, violarique jura, & privilegia gentis, cui libertatem à majoribus pace belloque partam Carolus Cæſar, & Philippus non unâ pactione aſſeruiſſent. Neque tantum jus patrium tolli, cæterum ex illâ rerum novitate tempeſtates naſcituras provinciæ exitioſas. Se quoque ipſos ex illis diſcordijs turbiſque in odium Philippi regis incurſuros. Atque hanc eſſe ſibi mentem, hæc eſſe Decreta Ordinum, mandataque, non conſentire in Epiſcopi introductionem.*

Epiſcopi ros.

Cui rei cum Præſes Senatuſque regius multa objeciſſent, & ex re provinciæ eſſe, ut religio, & cum eâ pax ſervetur, & ne regis voluntati ac mandato quid decedat, quod per Brabantiam, Geldriam, Tranſiſulaniam, Groninganam civitatem & Omlandiam valuiſſet, ita denuò à Friſijs repoſitum: *Scire ſe quid Romæ actum foret, & quantum incommodi nova Epiſcoporum electio per vicinas provincias daret.* Neque poſſe ſe (ita enim reſcribebant) ſine totius populi Friſici conventu, in hoc conſentire, cuius intereſſet, aliquid mutare. Ita res in ſuſpenſo manſit, donec tandem horrore Albani nominis, & ſimul feritatis ſpreti regij decreti vindictâ inardeſcentis conterritus, populus Epiſcopum reciperet.

Libellus ad Margaretam miſſus

Tum libellus ſupplex à Friſijs ad Margaretam, & dein ad Philippum in Hiſpaniam miſſus, in quo de cædium homicidiorumq; impunitate, & frequentibus per Friſiam in fraudem creditorum ceſſionibus conquerebantur, contraq; juris Saxonici, quod Georgius ſanxerat, inſtitutum, omnium rerum licentiam lenitate Iudicum increſcere. Quare Philippus, aut Philippi nomine Margareta Gubernatrix, invaleſcente homicidarum multitudine, quæ ne à propinquis quidem fuſi ſanguinis crimen pretio redimebat, jus ad Saxonicum recurri juſſit, Friſijsque, ut clariora iſtius decreti aut legis documenta ederent, mandavit. Quod cum propter locorum intercapedinem, agente in Hiſpaniâ Philippo, maturè fieri non poſſet, Margareta Saxoniæ principis conſtitutionem exhiberi ſibi petijt. Igitur extracto apud Margaretam negotio poſtulata quædam, quos ante delegatos monui, Carolo Nitzenio Præſidi, Petro Dekama, Alexio Gelio Senatoribus tradita, quo nautici æris exactiones in ſinu Scolbalchico ceſſarent, & ut homicidijs ceſſionibuſq; bonorum increſcentibus paci publicæ, & commerciorum proſperitati ſubveniretur. His addebant, ut quinque præturis, quod Harlinganæ arcis Satrapa impedire dicebatur, jus ſuum ſalvum eſſet, liceretque aggerum præfecto omne lignum contabulationibus littorum deſtinatum, pro recepto more vacuis juxta portam foſſamque marginibus inlocare. Præterea ut prædiorum Eccleſiaſticorum fructus, vacante miniſterio, reparandis paſtorum ædificijs, aut patrono, aut pauperum uſui cederent, nulliq; ſacerdoti beneficium conduplicaretur. Tum de Prætorum, in quos acriter tum invectum, licentiâ avaritiâque coërcendis quædam addita, poſtulatumque, ut quoniam regiæ populique pecuniæ exactores, quæſtoreſq; forent, autoritate Senatus reddendas ad rationes cogerentur. Poſtremo de judicijs illorum reformandis actum, ac ut Leppæo aggeri, qui Ooſtergoam ab inundationibus tuetur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

tur, reliquiſq; per Opſteranos, Smallingios, Scoterlandos, & Anver- cIɔ. Iɔ.
dios aggeribus prætores iſtorum diſtrictuum proſpiciant: Quibus ab A- LXIV.
rembergio, Nitzenio, Dekama, & Gelio reſponſum, Scolbalchicum ſinum, nunquam tonnis vaſiſq; ligneis quæ vadoſum mare indicarent, natatum fuiſſe, neq; regi id oneris incumbere, cæterum regem perſpecto maris atq; æſtuarij diſcrimine, & ne naves Doccumanorum &c. Harlingenſium in ſyrtes impingerent, naufragijſq; exponerentur magnâ æris impensâ ſecuritati navigantium ſubveniſſe. Quam ſi reponere regij ærarij tribuno Friſij velint, daturos ſe operam, ut diploma apud Philippum ſuper hac re impetrent, & ut iſtâ nautici æris ſolutione mercatorum res exonerentur. Quod ad cædium immanitatem, & ceſſionum fraudes attineret, ſcripturos ad Regem & Margaretam, facturosque ut Edictorum quæ ætate Saxonum viguiſſent, ratio habeatur. Idem de Prætoribus aggerum Præfectis reſcriptum, diſſimulatis aut elevatis illorum vitijs, qui regiæ, quam obibant, functionis prætextu, libertate, & fortuna populi abutebantur. Tum Doccumani ne quid aſperius paterentur, ſalvo Collumanorum aliorumq; jure, certis ſub conditionibus cum delegatis regij Senatus tranſegere, ſeq; in ſingulas navium laſtas dimidium ſeſtertium ſoluturos recepere. Sex-viri quoque quos redarguendo Philippi imperio, quotannis conſtitutos dixi, morte Gulielmi Hiſſij, & Heſſeli Ayſmæ, Barthium Idzaerda, & Tiepconem Oenema Iureconſultos ſurrogavere, quo autoritatis dignitatiſq; ſuæ vis morte prædeceſſorum non ſolveretur, & ne illorum ſollicitudines pervigiliaq; intermitterentur, qui refrænandæ Philippi potentiæ, & tuendis legibus deſtinabantur. Quare & adverſus prætores regios, & imprimis Pelgromium Indichium Ferverdicum, Emconem Genchenium Smallingium, & Simkonem Duconium Idardium, validæ accuſationes inſtitutæ, eæq; majore cum acrimoniâ repetitæ corrupta affectibus indicia, & fædatam peculatu avaritiam proferebant. Cæterum regiæ dominationis fiduciâ, & quaſi Philippi conſilia præſcirent, etiam inter publicas criminum inſimulationes, & vehementiam actorum rei convictiq; ſecuritatem immunitatemq; profitebantur, acerbiſq; injurijs, tanquam fortunâ ac potentiâ regis validi, in omnem ſuperbiam proterviamq; dicendi ſe effundebant. Ut certè communi diſcordiæ viam præſtruere acerbitas partium videretur, omniſq; judiciorum vis in infælicium armorum rabiem tranſitura. Unde prodigia, notante in commentarijs Cornelio Gemma, rurſum hoc anno enata, cælumq; chaſmate, & horrendo hiatu, quaſi maria terraſq; hauſturus videretur, deforme, annorum quoque triſtes inclementias aperuit. Quippe gelu menſe Decembri ortum, inclinante eodem, ita ferocivit, ut multis mortalium, imprimis pauperioribus, manus, pedes, ipſaq; genitalia prociderent, præterq; hominum mortes armenta quoq; & aves acerrimo frigore extinguerentur. Scribit idem autor, annoſas etiam nuces, pyros, perſicas, moros, ficus, roſarum frutices, viteſque emarcuiſſe, magnamq; annonæ caritatem ex injuriâ hybernæ aſperitatis ſubſecutam. Peſtilentiam quoq;, velut compreſſis corporum poris ac impeditâ tranſpiratione, enatam, malumq; ſcorbuti (ſcelotycen & ſtomachacem) Friſijs ſolis populare per vicinas quoq; regiones ſe ſparſiſſe. Idem quoq; gelu Apri-

Querela adverſus prætores Philippi.

Prodigia.

cIↃ. IↃ. LXIV. Aprilem uſq; in menſem & adultum ver protractum agricolarum labores & ſimul ſpem anni conturbaſſe. Tum Heſſelus Ayſma defuncti patruelis Ordinum Delegatorum curâ recenſendo Annalium operi, quod ex Saxonum Caroliq; actis Kempo Martenâ vir nobilis concinnaverat, delectus, ne memoria priorum temporum interiret, & ut ſcirent poſteri quantum inter antiquam gentis noſtræ libertatem, ab Imperatoribus Regibuſq; religioſe habitam, & Saxonum Caroliq; dominationem intereſſet. Quam cum aut potentum aſſentatio, qui aulæ honores ac ſimul opes ab imperatoriâ aut principali indulgentiâ affectabant, aut patientia percuſſi Cæſaris majeſtate populi peperiſſet, ita erant, qui in priſcæ libertatis recordationem ſe reflecterent, acrioriſque imperij, quam libertas ferre poſſet, metuentes vindicias indecentis regni ab ipſâ inermium actorum fide requirerent.

Annalium libri cura Heſſelo Ayſma demandata.

Traditum libris Edictorum Provinciæ reperio, Anglos inter Philippique ſubditos litem tum ortam, Philippumq; agente in humanis Mariâ conjuge Anglorum ſocietate uſum, ita populi Anglici aut Eliſabethæ reginæ actionibus offenſum, eandem tum reſcidiſſe. Querebatur namque Philippus Belgicam gentem ſuæ tutelæ commiſſam, & commercia cum Anglis exercentem per Angliæ regnum novis oneribus exactionibuſque gravari, conventioneſque inter Belgicæ Principem & Anglorum regem jam ante initas, novo illius regni ſtatuto infringi. Eliſabetham quippe jam ante regio Edicto caviſſe; Ne Belgæ merces, & ſimul opificia in Angliam perferrent, cæterum commercijs ejuſdem regni abſtinerent. Addebat Philippus intutum Belgicis mercatoribus fretum Anglicum fuiſse, Eliſabethamq; reginam ſpreta Legatorum actione, & æquiſſimis conditionibus aliò conſilia vertiſſe. Et quoniam ſubditorum ſuorum non alia poſtulata eſſent, quam ut ſimili jure, quo Angli per Belgicam, ipſi in eodem regno fruantur, ita moleſtius ferre ſuorum ſubditorum jure imminuto commercia impediri, aut aliò terrarum transferri. Ita Anglos pannorum forum è Belgicâ in fines Imperij Embdam tranſtuliſſe, non aliò conſilio, quam ut fortuna Belgicæ gentis decreſceret, & infida diu ſocietas novâ lite laxaretur. Quapropter velle ut Anglorum regno Friſij excedant, abſtineantque ſimiliter, dum Edictum Eliſabetha reſcindat, natæq; ex hac causâ lites per arbitros dirimantur. Intereâ vetare, ne panni Anglici in Friſiâ recipiantur, vendanturvè, quin econtra ſtatuere, ut recepti, ac veno poſiti fiſco cedant. Litteræ Margaretæ Gubernatricis IV. Kalend. Aug. Bruxellis in Friſiam miſſæ, ac Leovardiæ III. Eid. publicatæ. Conſtat ex ijſdem litteris, graſſantem tum per Angliam luem atq; peſtilentiam edictum promoviſſe, ſuſpectiſq; Anglorum mercibus, & negotiantium halitu commercia retardata. Tum repulſæ Epiſcopalis injuriam tanquam contemptum imperij ſui ulturus Philippus, litteras minarum plenas ad Margaretam Gubernatricem dedit, quibus ſevera juſſa recipiendæ Inquiſitionis, & Concilij Tridentini continebantur. Quare Margareta convocato Status Belgici Senatu, ne quid clam haberet, litteras Philippi exhibuit, quas diverſi, prout cuiuſque animus, aut ingenium erat, dubijs illis aſperiſque temporibus variè interpretabantur. Erant, qui publicanda ocyus per Provincias Philippi

De Pannis Anglicis.

Philippi ad Margaretam litteræ.

pi

pi-decreta cenſerent, ſuadentibus econtra prudentioribus, & inter eos cIɔ. Iɔ.
Viglio Zuichemo, differendam decretorum promulgationem eſſe, donec LXIV.
Senatus Belgicus de Provinciarum ſtatu ad Philippum retuliſset. Alij *Diſceptatum de ijs.*
addunt Viglium Zuichemum, ſi quod è prolatatione reï incommodum, regiævè iræ periculum reſultaret, id omne in ſe recepiſſe, præſenteq; Margareta ſponſionem obtuliſſe. Cæterum Viglij ſalubre, & amans publicæ pacis conſilium per aliorum ſuffragia evictum tum fuit. Itaq; laxata malis fræna, ac Margareta Gubernatrix XIII. Kal. Ian. litteras ANNO
ocyus in Friſios perſcripſit, quibus ſignificabat: Velle Philippum ſuis cIɔ. Iɔ.
de Religione Edictis populum parere. Monere quoque oppidanos Ma- LXV.
giſtratus, ut ſub pœnâ in ijſdem Edictis comprehenſâ è Senatorum *Philippus*
Scabinorumvè numero ſingulis trimeſtribus unum edant, eique poteſta- *Concilium*
tem faciant Concilij Tridentini Decreta ſarta tecta curandi. Scribit *Trident. urget.*
Vir Clariſſimus Abelus Franckena in Hiſtoricis ſuis fragmentis, Tridentinum Concilium à Paulo III. Pontifice Tridenti ad Atheſim flumen cæptum, ut omnium per Germaniam, ita Belgicam motuum matrem extitiſſe, Carolumque & mox Philippum reverentiâ procerum eiuſdem Concilij tanquam inſpiratione numinum actos, Perennottis patre & filio impulſoribus, omnem civilis imperij Legem, atque rationem neglexiſſe.

Tum rurſum prætoribus regijs à Iulio Gelio procuratore Fiſci, dies dictus, miſſuſq; Ianuario menſe Bruxellas (cuius nomen actis reticetur) vir nobilis, qui coram Viglio Præſide & Ioachimo Hoppero Senatore regio quereretur. Publicanos, aut conductores regiorum vectigalium per Friſiæ portus fraudem Regi, ac commercijs facere. Præturis morte aut alia ex cauſa vacuis ſucceſſores dandos, eoſq; à populo electos offerendos Senatui regio eſſe. Conventiones cum Saxone ac Carolo Cæſare initas renovandas eſſe. Satrapas arcium coram judicio regio conveniendos. Privilegiorum Friſiæ pactorumque publicorum inſtrumenta à Viglio Præſide, ac Hoppero, repetenda eſſe. Ad quæ reſponſum in commentarijs iſtius viri nobilis reperio. Non intereſſe tantum provinciæ, ſed & regis, ut publicanorum fraudibus ſubveniatur, eliganturque prætores more antiquo, conſtituanturque à Curiâ, ſed ut conventionibus Saxonicis ac Caroli Cæſaris cum hac gente initis firmamentum accedat, archivorumque acta à Viglio, & Hoppero, qui ſe ad hoc offerrent, provinciæ reſtituantur. Quod ad ſatrapas attineret, eos, qua prætores forent, coram regio Senatu ſiſtendos, donec aliter à Philippo ſtatutum ſit. C. Gemma notat, non uno huius anni prodigio inſignitam civilis belli tempeſtatem, æmulationeſq; ac diſcordias virorum Principum, velut ipſo conciente cælo, plebem quoque ipſam inſtantium pavidam funeſtis partibus miſcuiſſe.

Tum vulgatis per Friſiam Margaretæ litteris altiore metu trepidatum, perculſarumq; mentium ſollicitudinem inauſpicati prodigiorum monitus auxere. Tradunt monſtrorum ortu deformes partus tum notatos, horrendaque per vicinos Friſios vaticinia maturum exitium ceciniſſe. Cæteris laborantium tabeſcentiumvè velut rerum mœſtæ & incompoſitæ facies, & per omnem Provinciam manifeſta civilis concordiæ deliquia, ut certioris mali præludia obſervabantur. Quare Mar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. Margareta Gubernatrix prodigiorum fide conterrita, & ut mollitiem
LXV. ſexus, animumque miſeratione triſtiorum omnium motum oſtentaret; de mittendo in Hiſpaniam ad Philippum Legato cogitavit, convocatoq; ocyus Status Belgici Senatu Principes Aurei Velleris, & provinciarum Præfectos adeſſe Bruxellas juſſit. Ibi ponderato temporum diſcrimine de Legato propoſuit, perrogatiſque ſententijs Lamoralium Egmondanum virum illuſtrium natalium, & Carolo Philippoque regibus Gallicis aliſque bellis clarum, expediendæ in Hiſpaniam Legationi deſignavit. Strada ſcribit, Egmondanum ab illâ legatione alienum non fuiſſe, publicæq; Belgarum cauſæ prætextu uſum, ſua quoque deſideria, in ſpem privatæ utilitatis expoſuiſſe. Quod arcanum Margaretæ Gubernatrici fæminæ, nobilitati Belgicæ haud ſatis æquæ, aperire magnæ temeritatis fuiſſe videtur, hominemque laudis & ſimul opum potentem æmulæ (nam id Regi indicaverat) principi devium ab honeſto conſilium inſtillaſſe.

Illius mandata habebant, ut omnium Ordinum nomine Philippum Regem de ſtatu ſuarum ditionum doceret, Edictorumque aſperitati ſalubre remedium oraret. Quapropter Egmondanus in Hiſpaniam non ſegni itinere contendit, ſalutatoque, pro more, Philippo rege, in hunc modum diſſerere potuit:

NON veni ad te lætorum, proſperorumque nuntium ferens, PHILIPPE REX, *nec reporto manubias Gallorum, quibuſcum bella nuper illuſtria victorijs geſſiſti. Cæterum accedo triſtium & infælicis veri narrator. Belgicam florem regnorum, & hæreditatis tuæ non leviter commotam, metuentemq; graviorum turbarum, quas decreta tua, &, ſi in ea perſeveres, novæ ſeveritatis imperium dabunt. Neq; enim edicta tua minore curâ (quam quâ olim Carolo patre per Germaniam Principes) Belgæ, cæteræque nationes expendent, ſupra omnium gentium faſtigium, quas Sol videt, ſuâ, nec inverâ opinione libertatis ac armorum gloriâ evecti. Quos cogitabis ſuis fortunis, ac virtute uſos maioribus tuis præclaras victorias, & ſecura imperia peperiſſe. Id patris Caroli voce, cum imperio ſe abdicaret in conceſſu Patrum, ac honorati Ordinis expoſitum. De tuis bellis, cum Gallorum vires nuper in te verſæ, ipſe teſtaberis, reputabiſque (ſi pacatam florentemque Belgicam tuam vis) beneficia populi illis præmijs, & gravi dominatu non penſari. Quin clementiam potiùs oſtende ijs, qui fide ac obſequio erga te cum omni terrarum gente certabunt, modo conſenſum tui imperij cum illorum libertate non auferas. Certè majores tuos, etiam offenſos, non depuduit, odia ſimul cum armis ponere, donareq; clementiam Arteveldis ac Agricolis, qui frænandis majorum tuorum imperijs inteſtina ac victricia arma per Flandriam circumtulere. Ita reputa Carolum Burgundionem atavum tuum ſuctum bellis & ferocem, amore pacis Gandenſium licentiam tolleraſſe, & ne arma in ſuos verteret, adprobaſſe, quæ faſtidiret. Idem ſi facias,* PHILIPPE REX, *obſequia populi tui, opes, & tributa, ex te ipſo gloriam ac decus habiturus es. Cæterum ſi arma, & vis apud te prævalebunt, contumaciam tuorum, deìn egeſtatem ſpectabis, & tranſire aliò terrarum commercia, quibus majores tui ſuam potentiam debuerunt. Fiet inde, ut in antiquas Sedes (quod olim ſub Ludovico Maleano Flandriæ Comite, Anglica,*

glica gens faciebat) ac tutiora loca, & bellis inacceſſa populi remigrent, relinquaturque Provincijs ſolitudo, & poſt inopiam omnium rerum etiam optumarum confuſio. Quare vota, quæ omnium ſubditorum nomine Legatus offero, ac deſideria tuorum implebis, temperabiſque ſeverius imperium clementiâ, cui ſoli, tuam, & florentis nuper Belgicæ fortunam, conjugum ac liberorum noſtrorum, tum cariſſimi cuiuſque pignoris incolumitatem commiſſam ſcies. Eam ſi mihi addixeris Legato, PHILIPPE *Rex, non indignos hac legatione fructus feram, quorum is primus ſanctiſſimuſque erit, tibi ditiones tuas, quas à præclaris majoribus longâ traditione accepiſti, cæterum mihi, & ſubditis tuis dulciſſimam patriam ab imminenti periculo liberaſſe.* CIƆ IƆ LXV.

Ferunt eâ Egmondani legatione delinitum Philippum ſpem clementiæ, & mitioris imperij feciſſe, eundemq; Egmondanum feſtino itinere ex Hiſpaniâ in Belgicam revectum, magno gaudio, etſi non diuturno, Provincialium animos perfudiſſe. Ab eius namq; reditu factum eſt, ut omne reſtituendæ quietis conſilium protraheretur, conceptæq; melioris fortunæ ſpes, & deſideria longiore apud populum morâ evaneſcerent. Hoc tantum ſubſecutum Demetrius tradit, ut leniendis Philippi Edictis Legati à Margareta ederentur, eorumque officia, attemperandæ Edictorum ſeveritati deſtinata, Hiſpaniæ Senatus, Inquiſitorum interventio perverteret. Fuere, qui Barlamontium, hominem ex imo ad res magnas, &, ut plurimum, invidiæ expoſitas, evectum, Margaretæque Gubernatricis muliebri gratiâ ſubnixum, autorem fotoremq; peſſimorum conſiliorum criminarentur, eumque ſecreto commercio Hiſpaniæ familijs, & magnatum negotijs innexum grande obſtaculum impudentibus auſis quieti Belgicæ ſubſternere. Itaque Philippum jam ante monuiſſe, ut ſuæ animæ & legis conſcius patris Cæſaris Edictis robur adſtrueret, duplicatâque hoc modo in paternos manes, & ſimul Eccleſiam Romanam pietate, etiam inter homines agens, quod patri evenerat, conſecrationis velut gloriam & ſimul imaginem futuræ æternitatis acciperet. Quare Philippus, Barlamontij aliorumq; conſilijs impulſus, etiam reverſo in Belgicam Egmondano, edixit. Ut reſcripta de Religione integra, & inviolata eſſent, cultâque imprimis Inquiſitione, Tridentinum Concilium per Epiſcopos ſtabiliendum Belgicæ genti, cæteriſque trans Rhenum Friſiorum populis ſacro-ſanctum haberetur:

Edictorum mitigatio reiecta aut dilata.

Barlamontij fides.

Cui malo ne fomes quoq; per Friſiam deeſſet, Fredericus Tautoburgius Archi-Epiſcopus Ultrajectinus, ſive Philippi impulſu, ſive ut novam dignitatem acrioribus ſtudijs exornaret, datis ad Præſulem Staurium litteris, omnes Friſiæ Abbates Ultrajectum evocavit, habendoque ibidem Concilio adeſſe juſſit. Litteræ hæ erant:

Archiepiſcopus citat Abbates ad Concilium.

Reverende Domine Abbas ſyncere dilecte: Metropolitica noſtra autoritate Regiæ Majeſtatis atq; Illuſtriſſimæ Dominæ Duciſſæ Gubernatricis harum ditionum Generalis ordinatione ſubnixa, vobis indicimus & denuntiamus, Concilium provinciale inchoandum auſpicandumq; menſis Octobris proxime futuri, die decimâ mane, apud Eccleſiam noſtram Metropolitanam, & Cathedralem in civitate Trajectenſi, cum ſolemnitatibus debitis & conſuetis fineq; Canonico (Dei opitulante gratiâ) terminandum. Ad quod quidem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↃ.IↃ. LXV. *dem provinciale Concilium; qui de jure ad id vocari debent, vocati ſunt; prout & vos præſentes ſeriò vocamus, una cum alijs Abbatibus circumvicinis ordinis veſtri noſtræ Metropolitanæ ſuperioritati ſubjectis, quos tecum adducas, idq; ſub pœnis Eccleſiaſticis in vos, ſi emanſeritis, per dictum Concilium infligendis (quod fore non ſperamus) ad conſultandum, & tractandum ſuper ijs, quæ Dei gloriam, Eccleſiæ decus, unitatem fideï, morum emendationem, atq; animarum ſalutem, reſpicere & concernere dinoſcantur. Valete in Domino; ex Arce noſtrâ Duerſtede. 15. Septmb. Anno 1565.*

FREDERICUS,

Archi-Epiſcopus Trajectenſis.

Abbates ſe excuſant. Cæterum clerus ſpreto Archi-Epiſcopi mandato, veteris potentiæ libertatiſq; reminiſcentiâ, contumaciam induit, fiduciâq; ſociæ poteſtatis (quâ Ordines & Leovardienſes complectebatur) detrectantem immodeſta abſentiam profeſſus eſt. Quod ſive antiqui Iuris obtentu, quod evocari finibus Friſium non ſinebat, ſive inſtinctu politicæ autoritatis factum, in commentarijs iſtorum temporum non obſervo. Hoc ſaltem verum eſt, totum provinciæ, cuius membrum clerus conſtituebat, corpus, Epiſcopali potentiæ tum obluctatum, civilem potius regnandi in Philippo modum, quam novam ſacri ordinis dominationem expetiviſſe. Quare Ultrajectinus excuſſam à Friſiorum Præſulibus, Sedis ſuæ reverentiam indignatus, contumacem clerum, dato duodecim dierum tempore, rurſum ad Concilium evocavit, ac ut adeſſet, cum aliquâ ſeveritate edixit. *Secundo citantur.*

FREDERICUS à Tautenburg, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ, Archi-Epiſcopus Trajectenſis; Notum facimus, univerſis & ſingulis; Quod cum nos inſequendo ſacri Oeconomici & generalis Concilij decretum, ſanctæq; Sedis Apoſtolicæ confirmationem & mandatum (quo omnia & ſingula dicti Concilij decreta conſervando, eadem ab omnibus Chriſti fidelibus ſuſcipienda & ſervanda eſſe decrevit, ac in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœnis iiſdem ſacris canonibus conſtitutis, alijſque gravioribus etiam privationis arbitrio eiusdem ſanctæ Sedis Apoſtolicæ infligendis, univerſis & ſingulis Patriarchis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, & alijs quibusdam Eccleſiarum Prælatis, ut eadem decreta in judicio & extra diligenter obſervent, & à ſubditis quiſq; ſuis faciat inviolabiliter obſervari, diſtrictè præcepit, & mandavit (ne noſtro deeſſemus officio) Synodum provincialem ad decimam diem huius menſis Octobris indixerimus, & ad eandem omnes noſtri comprovinciales Epiſcopi & ſeu Suffraganei aliiq; Prælati & capitula per nos evocati, tanquam obedientiæ filij comparuerunt, in tantum quod divina gratia idipſum provinciale Concilium fæliciter ſit inchoatum. Cumq; nonnulli, & inter hos potiſſimum Prælati Friſiæ, atq; Tranſiſulaniæ, per nos tamen ſeriò evocati in prædicto Provinciali Concilio deſiderarentur, Seq; contumaciter abſentaſſent. Nos maturâ cum Venerabilibus fratribus noſtris comprovincialibus & Suffraganeis, Epiſcopis nimirum Harlemenſi, Middelburgenſi, Groningenſi, Leovardienſi & Daventrienſi, nec non Epiſcopo Ruremundenſi, deliberatione præhabitâ, eoſdem ſic evocatos, prout revera ſunt, contumaces reputavimus, non indignum fore cenſentes; reliquis exemplo pœnâ aliqua ſalutari feriri, niſi antiquius duxiſſemus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

mus, de nimiâ argui miſericordiâ, quàm rigore. Quapropter eoſdem Præla- cIↃ. IↃ. *tos omnes & ſingulos, tam prius vocatos, quam nunc primo vocandos; (et-* LXV. *iamſi exemptionem ab ordinaria noſtra juriſdictione, quavis etiam Apoſtolicâ autoritate prætendant, & habeant Commiſſarium etiam noſtrum, & Archidiaconorum Trajectenſium, Leovardiæ reſidentem) Iterato evocandos eſſe duximus, prout præſentium tenore evocamus, ijſdem & eorum cuilibet tam ordinariâ noſtrâ, quam ſanctæ Sedis Apoſtolicæ (cuius hac in parte tanquam eiusdem ſub titulo noſtræ Archiepiſcopalis dignitatis delegatus) vice fungimur, totiuſq; Concilij provincialis inchoati autoritate diſtrictè mandantes, ſub inobedientiæ ac arbitrariæ correctionis pœnis, noſtro tam in qualitate prædictâ, quam aliàs, ac totius Concilij provincialis arbitrio infligendis, ac moderandis, quatenus infra duodecim dierum ſpatium à receptione & intimatione præſentium compareant, & quilibet eorum compareat perſonaliter Trajecti ad Concilium provinciale inchoatum; Ibidem ipſis injungenda incumbentiaq; officia & munia obituri, quo omnia communiter ad Dei gloriam omniumq; Chriſti fidelium ſalutem tractari & concludi poſſint. Niſi tamen ijdem Prælati, & ſeu eorum aliquis legitimam & in jure fundatam (præter tamen quamcunq; exemptionem quæ hac in parte militare non poteſt) cauſam & excuſationem habeant, ſeu habeat, quominus perſonaliter comparere poſſint, ſeu poſſit, ad quam coram nobis dictoq; Concilio provinciali allegandum, & ſimul ipſorum ſeu ipſius conſtituendum præſtandum, & ſubeundum, omniaq; alia & ſingula faciendum & gerendum, quæ ipſi conſtituere, facere & gerere poſſent, & deberent, ſeu poſſet, & deberet; ſi perſonaliter comparuiſſent, vel comparuißet, procuratorem cum ſufficienti mandato mittant, ſeu mittat, ne ulterior eorum ſeu ipſius contumacia & inobedientia nos, alioqui invitos, ad pœnarum aliquarum declarationem, & ſeu, tanquam inobedientium, imò rebellium conſtrictionem contra eoſdem procedere cogat. Ad evidentiam atq; robur præmiſſorum; Nos, atq; comprovinciales noſtri Epiſcopi his litteris ſubſcripſimus, eaſq; noſtri ſigilli appenſione munivimus. Datum Trajecti ſub anno à nativitate Domini milleſimo, quingenteſimo ſexageſimo quinto, menſis Octobris die decimâ quintâ. Sic ſubſcriptum, Fredericus, Archiepiſcopus Trajectenſis; Nicolaus, Epiſcopus Harlemenſis; Nicolaus de Caſtro, Epiſcopus & Prælatus Middelburgenſis; Ioannes Knijff, Epiſcopus Groningenſis; Remigius Drutius, Electus Leovardienſis; Ioannes Mahuſius, Electus Daventrienſis.* Et ſic ſubſcriptum de mandato ſupra fati ampliſſimi Domini Archi-Epiſcopi.

HENRICUS ZONNIUS, Not.

Pro ſuâ & Reverendiſſ. ſpecialiter deputatus.

Quare repetito exaſperatoq; Ultrajectini edicto conventus cleri Leovardiæ habitus, decretumq;, ut ad declinandam contumacis ſilentij invidiam Archi-Epiſcopo reſponderetur, mittereturq; Ultrajectum Ghyſbertus Arnoldinus, actuarius publicus, cum Arnoldo Harderviceno, qui litteras perferrent, ſub hac formulâ. Allatæ ſunt ante paucos dies.

Reverendiſſime atque Illuſtriſſime Domine, nobis per quendam, qui ſe curſorem juratum aſſerebat, litteræ tuæ Rev. Celſit. perlatæ ſunt, quibus tua Rev. Celſit. nos contumaciæ accuſabat, & denuo ad diem duodecimum poſt earum receptionem vocabat, ut Trajectum veniremus. *Reſponſio Abbatum.*

ↀ. Iↄ. LXV. *Atq; in iiſdem Rever. tua Celſit. affirmabat ſeſe deſtinaſſe nos competenti pœnâ afficere, quod omnino factum fuiſſet, niſi tuæ Rever. Celſitud. præſtabilius viſum fuiſſet, de nimiâ miſericordiâ quam rigore argui. Nos ut laudamus, quod inſontes non punieris, ita ſummopere admirati ſumus, quæ res effecerit, ut tam ſiniſtram de nobis opinionem conceperis, cum ante hac nunquam citati fuerimus. Sed tamen cum huiuſmodi evocatio, extra fines huius noſtræ regionis fiat, contra antiquas atq; approbatas conſuetudines atq; privilegia noſtra, re deliberatâ cum Deputatis Ordinum huius regionis, quos Status vocant, atq; Senatu Leovardienſi, ſcripſimus tuæ Rever. Celſit. excuſationes noſtras, idq; linguâ vernaculâ, propterea, quod Deputati Senatuſq; nobis ſocij ſint in privilegijs atq; conſuetudinibus patriæ defendendis. Nos etſi non dubitamus, quin rationibus allegatis, etiam ſecundum ſacros Canones, excuſemur, quo minus eo venire cogamur, tamen & privatim volumus teſtari noſtri animi erga tuam Rever. Celſit. benevolentiam atque promptam obedientiam in iis, quibus conſuetudinibus noſtræq; regionis privilegijs nihil derogatur. In his autem, quamvis maximè velimus; non eſt nobis integrum, neq; in noſtrâ manu, quicquam abſq; aliorum Ordinum conſenſu tentare. Is eſt enim, ſemperq; fuit omnium Ordinum nexus, ut unus abſq; alio in iis, quæ publicam utilitatem concernant, nihil queat efficere. Quare cum nos tantum unius Ordinis, Eccleſiaſtici, ſcilicet pars aliqua ſimus, & fruſtra non habentes aliquam poteſtatem quidquam decernendi in aliorum præjudicium, veniremus, idq; inſtante jam hyeme atq; tempore, quo ſecundum probatos autores maria clauſa cenſentur, non ſine ſummo diſcrimine, petimus unanimes ut tua Rever. Celſit. nos excuſatos habere dignetur. Offerimus in alijs omnibus, in quibus & poſſumus & debemus, promptam obedientiam. Rogamus clementiſſimum atq; omnipotentem Deum, ut tuam Reverendiſſ. Celſit. quam diutiſſimè ſervet incolumem, atq; depulſis tenebris atq; erroribus, reſtituat Eccleſiæ ſuæ ſerenitatem, atq; fideï unitatem, noſq; tuæ Rev. Celſit. quam humillimè commendamus. Leovardiæ 8. Novembris, 1565. Nicolaus Landenſis, Abbas Stauriæ in Hemelis; Petrus, Abbas in Foſuert; Eyſo Wiltink, Abbas Clarecampi; Henricus Steenwyck, Abbas Floridi Campi; Everardus Dotechem, Abbas Gerricomius; Iſbrandus Harderwijck, Abbas in Lidlum; Henricus Keſſel, Abbas in Dockum.*

Ordinum litteræ. Quo die juxta nominatos Præſules, Ordinum quoq; Friſiæ Delegati, una cum Magiſtratu Leovardienſi, litteras ad Archi-Epiſcopum Ultrajectum miſerunt, expoſitâq; Belgico idiomate juris antiqui conſuetudine, hoc modo reſponderunt.

Reverendiſſime in Chriſto Domine & Pater;

Paucos ante dies Præſules noſtros Vltrajectum evocaſti ad Concilium. Ad quod, etſi ſub interminatione pœnarum, cum non iverint, denuò citari ad tuum judicium feciſti. Quo ipſo cum jura, privilegia, & exemptiones gentis noſtræ tollantur, quæ auferri non expedit, & quæ neque pro affectu tuo in Friſios imminuta voles, ita ſcies longa libertatis poſſeſſione nos gaudere. Quam neque per illos etiam Principes infirmari voluimus, quibuſcum contraximus, ut neque belli tempore, neque ex aliâ cauſâ, finibus noſtris extra heremur. Hoc ipſum Saxonica dominatione, hoc conventione regiâ & Carolinâ cavimus, ac ut ipſi religione juris-jurandi noſtra ſacra, noſtras le-

ges

ges confirmarent. Sic anno quadringenteſimo nonageſimo octavo Saxonem, CIↃ. IↃ. *anno milleſimo quingenteſimo Carolum Principem obſtrinximus, ne provinciâ* LXV. *evocaremur, cuius pacti fructum, & Caroli Cæſaris, & Philippi filij durante imperio, retinuimus. Et quoniam Eccleſiaſticus ordo nobiſcum communem Remp. conſtituit, ex indiſſolubili nexu, quo invicem obligamur, ita ſeparari disjungique non poſſunt, quæ longis temporum ſpatijs coaluere. Tanto minus in præjudicium alicuius ſtatui poterit, præſertim cum ſine conventu Ordinum, ſine relatione ad populum Ordineſque inſtitutâ, nihil agi gerique poſſit. Præterea ad vos ire, nec anni tempus, nec clauſum navigantibus mare permittet, neque cenſemus Præſules noſtros (quod in Concilio Turonico factum) ad hoc teneri, imprimis cum ex præceptione regiâ ab iſto onere liberentur. Quare excuſabis abſentiam illorum, dabiſq; veniam illorum libertati, cuius argumentum hoc in caſu allegandum eſt. Quod ſi feceris, beneficia, quæ noſtræ poteſtatis erunt, à nobis expectabis, habebiſq; cæteris in rebus nos dignitatis tuæ reverentes. Ita à Nicolao Landenſi, Petro Foſuerdico, Eyſone Wittinghio, Henrico Steenuicano, Everardo Dotechemio, Isbrando Harderuiceno, Henrico Keſſelio, Ruardo Roorda, Haringio Glinſio, Valerio Cammingha, Docone Martna, & Heſſelo Ayſma ſignatum.*

Quorum poſtremi ad Arembergium Præfectum, Senatumque regium poſtero die ablegati, auxilium interceſſionemque apud Philippum aut Archi-Epiſcopum oravere.

Reperio in actis, Ghyſbertum Grotium actuarium publicum, Friſiorum nomine, litteras provincialium decimo quarto Novembris die Dureſtedum pertuliſſe, admiſſumque ad colloquium aulicorum Mindani, & Wingardij perhumaniter exceptum. Ipſum quoq; Archi-Epiſcopum, quaſi ſuo conſilio tota res non ageretur, ſe modeſtè excuſaſſe, Suffraganeiſq; ſuis atque provincialibus Epiſcopis partem iſtius invidiæ imputaviſſe. Mandatum quoq; Margaretæ Gubernatricis obtendiſſe, apud quam, ſi excuſari contumacia Præſulum poſſet, quorum litteras ad Margaretam miſſurus foret, ſe de ſeveritate conſilij facile remiſſurum. Hæc v. Id. Nov. Dureſtadi acta, ac Ghyſberti Grotij manu ſignata. Cæterum Philippi animus propoſiti tenax, ne aut regno ſuo, quod moliebatur, quid decederet, & ne gentis obſequium minueretur, ſeverioribus decretis negotium religionis exaſperavit, immaniumque edictorum rigorem majore acerbitate tutatus eſt.

Edictum Philippi.

Addit Borræus atrocius quiddam, Philippumque prodito immanis ſevitiæ conſilio horrendam hanc Legem edixiſſe: Malle ſe multorum millium ſanguinem profuſum, quam ſuis de Religione, Carolique patris Edictis, quid decedere. Mandaſſe quoque, ut Anabaptiſtæ, quotquot vinculis dati eſſent, per omnes Provincias nullâ miſeratione, aut conniventiâ Iudicum necarentur, ſtatuerenturque exempla deterrendis populi ingenijs valida. Ita recens gaudium mærore converſum, ægerrimè ferente Egmondano Principis animæ, & legationis ſuæ fidem contrarijs decretis ſubverti. Quare immodicus affectuum, probra in Philippum, etiam in ipſo procerum conſeſſu, effudit, queſtuſque de fluxâ fallacis regni conditione, fraudem legationi ſuæ factam temperandis inimicorum æmulationibus aſſeruit. Quæ res, quia ſecre-

Egmondani indignatio.

cIɔ. Iɔ. LXV. ſecreto ſilentio ægrius obſignabatur, ſparſa in populum, venerationem Regis, auctis econtra odijs, minuebat. Itaq; nobiliſſimi quique, velut prævisâ formidabili tempeſtate, in cætus coïre, & communicare conſilia, ut ſi plebes tumultuaretur, communis autoritas tempeſtatem ſedaret, ſi Philippus deſæviret, concordia opponeretur. Philippus namque ut ſuo in exitium populo uteretur, Edicto Leovardiæ publicato caverat: Ne extrâ Provinciam Friſij ſtipendia facerent, commeatumvè bellicum vicinis regnis Provincijſque præſtarent. Quare & externa Principum arma ſecutos, eodem edicto revocari juſſit, ipſeque mentis metuſq; ſui detector conciliabula cætuſq; populi prohibuit, ad quos per exceptas immodeſtius virorum Principum legationes amor vacillantis patriæ populum, Principeſq; haud iniquis deſiderijs impellebat. Quamobrem oblatâ nuptiarum opportunitate, quas Alexander Farneſius Octavij, & Margaretæ Gubernatricis filius, cum Mariâ Portugallicâ celebrabat, colloquia Principum, Belgicæque Nobilitatis inſtituta, conſultatumq; de fædere, quod ſolemnibus ſancientium votis poſt ictum retundendæ peregrinorum in aulâ Philippi, & Senatu regio potentiæ, ſubmovendiſq; omni Provinciâ Inquiſitoribus fuit. Formula fæderis hæc erat:

Occaſio fæderis.

cIɔ. Iɔ. LXVI.

Formula Fæderis.

Quandoquidem pro vero accepimus, peregrinos quoſdam alienis à Belgicâ animis ſepoſitâ gloriæ divinæ, ac ſalutis publicæ cura, privatâ ambitione, & avaritiâ compulſos, regio, & Provincialium cenſui inhiare, eoſdemque peregrinos fucatâ pietatis ſpecie, & ſimulato in concordiam, pacemque publicam affectu, eò Philippum Regem compuliſſe, ut, ſpreta juriſ-jurandi, quo ſe obſtrinxerat, religione, exaſperandis Edictis incumbat, Inquiſitionemq; omni divino humanoq; juri adverſam, ac omnium temporum memoriam ſuperantem Belgicæ intorqueat. Ipſi vero ſanctimoniæ prætextu id tantum curent, ut Ordinum, Magiſtratuumq; autoritatem, legum, conſuetudinum, immunitatumq; à majoribus traditarum vim atque efficaciam conculcent, poteſtatemque legitimis adminiſtratoribus ereptam in ſe ſuoſq; transferant, habitiſque per Inquiſitionem in modum mancupiorum Provincialibus ea moliantur, quibus patriæ periculum, Deo, Religioni atq; Regi, cultus, honos, obſequium minuatur, inferaturque Provincijs ut ſolitudo, ita vaſtitas & confuſio. Ita nos officij Legiſq; noſtræ, quâ Regi obſtringimur, non ignari perſeverare volentes in fide & obſequio erga Regem, & à ſacris rebuſque noſtris vim omnem atq; miſeriam avertere, ſanctum & religione jnriſjurandi firmatum ſædus inijmus, eo maxume conſilio ut Inquiſitio ceſſet, ipſaque ut omnium malorum fons & origo, prout in regno Neapolitano, aboleatur, extirpeturque. Præmiſſa obteſtatione Deo coram & omnibus gentibus terrarum, nos nihil adniti contrarium gloriæ Dei, aut repugnans Regiæ Majeſtati, cæterum id curare ut Regi ſuus honos, legibus inſtitutiſque majorum, ſua vis atque integritas conſtet, arceanturque ſeditiones & turbæ noſtræ patriæ exitiales. Quod idcirco Fædus juravimus validum, atque perpetuum fore, advocantes ad hoc Deum Opt. Max. & conſcientias noſtras nullâ ratione aut cauſa nos illud infracturos, tranſgreſſuroſque eſſe, neque laturos ut cuiquam noſtrum vis aut injuria ex hoc ipſo fiat, eoque ipſo ſemel obligatus, quocunq; etiam caſu, aut tempore eximatur, ita tamen ut officium omne conforme ſit noſtro fæderi aut ſociorum arbitratui. In teſtimonium fidemque rei ſupra ſcri-

ptæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXVI.

ptæ advocavimus æternum numen, quod animis atque conſcientijs noſtris præeſt, ut benedicat fæderi, ſapientiæq́; & prudentiæ ſpiritum nobis det, quo omnes noſtræ actiones ad nominis divini gloriam, regis commodum, concordiam pacemque publicam, ac ſalutem noſtrarum animarum dirigantur.

Fæderis formula, per Germaniam & Belgicam promulgata

Cuius Tabulæ per Provincias ſparſæ, ac ad Maximilianum II. Imperatorem Philippi patruelem, qui Auguſtæ in Vindelicis comitia Imperij tum agebat, miſſæ, Romani Imperij interceſſionem implorabant. Sperabant namque fæderati, ut Germania, partâ in invidiem Caroli Cæſaris religionis libertate, communione juris antiqui, & memoriâ veterum coloniarum, tum fæderis Anno cIↃ. IↃ. XLIX. icti, ſociæ gentis miſereſceret, aſſerendæque libertati Belgicæ interceſſionem potentis Imperij apud Philippum commodaret. Maximilianus Cæſar mitis ingenij Princeps propinquitate ſanguinis, & ductâ in matrimonium Mariâ Philippi ſorore per affinitatem Hiſpanicæ domui innexus optumo & amantiſſimo pacis ingenio ad conciliandum cum Philippo Belgicæ populum uteretur. Itaque vulgatâ per Provincias ac omne confinium fæderis famâ magnus horror atque trepidatio fuit, ac ſi iſto nobilitatis fædere extrema ſeceſſio, & rerum omnium certiſsima confuſio pararetur. Emiſſæ in publicum turbidæ voces, criminantium, pollutas civilibus armis infælices dexteras eſſe, legiq́; per Provincias militem alio à Principis ſacramento autoratum. Cæteri cenſebant religioni Pontificiæ diſcrimen impendere, non alio coëuntium in fœdus conſilio, quam ut populus aſperè habitus durioris imperij ſortem, cum licentiæ regno commutaret. Magnam verò illam rerum converſionem ſine tempeſtate perfici non poſſe, valido & inexorabili rege, & fæderatâ Nobilitate tuendæ libertatis percupidâ. Eam quippe juris ſui defenſionem à fædere orſam, Bruxellas Brabantiæ urbem, ſedem Principis habendo conventui, & maturandis conſilijs deſtinaſſe. Quæ omnia, ſeneſcentibus nuſquam rumoribus, mobilitate velocis famæ tamquam præcipiti turbine ferebantur. Neq́; Margaretæ Gubernatricis animus idem, ceterum pro diſceptantium opinione, ut ſolet rebus turbidis, muliebri quoque fragilitate fluctuabat. Quare increſcente per aulam metu, vehementi ſollicitudine implexa de detegendo rerum per Provincias ſtatu, & ſcribendis ad Philippum litteris agitavit. Metuebat namque Margareta, ne infirmitate ſexus ſui, aut publici commodi reſpectu, commotæ nobilitati equior facta lenitatis apud Philippum regem incuſaretur, incerta famæ pro veris ſæpe haurientem. Econtra aſſertâ Edictorum aſperitate & mandatis Philippi obſecuta, infidam nobilitatem, & jam novæ ſocietatis conſilia profeſſam acerbioribus odiis irritaret. Itaque litteras in Hiſpaniam ocyus dedit, quo omne adhibendi robuſto malo remedij diſcrimen in ipſum Regem reclinaret. Iis litteris docebat.

Margaretæ conſilij anceps.

Margaretæ litteræ ad Regem.

Populum Belgicum Edictis offenſum magnâ inquietudine ferri, & turbis ciendis proxumum pernicioſa quieti publicæ conſilia meditari. Ita nobilitatem in fædus pertractam ſtabili concordiâ coaluiſſe, facturam haud dubiè majora, niſi iſtiuſmodi pactiones aut effecta fæderum prudentiâ Regis cohibeantur. Clementiâ, & moderato imperio opus eſſe. Saltem cavendum ne quid ipſâ mali exacerbatione, aut vigore præ-

cIↄ .Iↄ præſcribatur, præterquam quod Rex judicaverit rei ſuæ & juxta ſubditorum expedire. Interim rogare ſe Regem mitigari quam primum Edicta curet, leniatq; imperium, & cum eo animos novitate rerum effrenes.
LXVI.

Margareta litteras in Friſiam dat

Tum Margareta Gubernatrix ut Friſios à ſocietate fæderis deterreret, & ne oppida per Provinciam, velut robur regij imperij in partem adverſam tranſirent, fæderatique juris fierent, litteras ad Senatum Leovardiæ urbis VI. Kal. April. iſtiuſmodi miſit:

Niſi certa eſſem inſtantis periculi, meâ admonitione veſtræ res non eguiſſent. Nunc autem quia fide non vanâ accipio homines quoſdam clandeſtinis conventibus, dein conſpirationibus ſubnixos Provincijs exitium, Philippo Regi, cuius ſacramento obligantur, vim, atque bellum machinari, ac jam militem autoraſſe, majoris mali metu deterrita, ut illorum conſilij certiores vos facerem, mei muneris eſſe duxi. Cum enim hoc tantum agere in animum inducant, ut cuncta miſceant, ac turbent, parandarumq; per vim opum avidi, civitates, honores, æraria & privatorum fortunas ſuas faciant, occurrendum veteri medicina cenſeo, quâ in ipſo civilium furorum ortu cautum ſemper fuit, ne invaleſcerent. Quapropter veſtro, & maxumè publico bono agetis, ut fomenta malo dematis, providique & perſpicaces rerum curetis ne illorum ſocietas novâ mobilis populi acceſſione augeatur. Quin Philippi Regis nomine mando vobis, ut urbis veſtræ, portarumq; decentem curam cuſtodiamque habeatis, faciatiſque ea omnia, quæ impediendis fæderatorum machinationibus, & veſtræ ſecuritati conducere cenſebitis. Vigilantibus, & in commune conſulentibus cuncta proſperè evenient, ignavos ac ſuarum rerum incurioſos fortuna deſtituet.

Quæ Leovardiam Bruxellis perſcripta, ac in primarias Belgicæ urbes tranſmiſſa fæderatam peſſime nobilitatem habuere. Et quemadmodum impuris corporibus ingeſta ſupra modum alimenta quam maxumè nocent, ita adactum jam ante civili concordiæ vulnus atrocis injuriæ fæditate, tanquam fæcundâ mali materie, intumuit. Iniquum namq; erat, homines præter majorum decora, & gentilitias imagines, tot Principum affinitatibus, & ſuâ gloriâ claros conjurationis infamiâ gravari, Margaretamq; Gubernatricem extra matrimonium Cæſaris natam fæminam, tam enormem calumniam clariſſimis Belgicis familijs imponere. Quapropter fæderata Nobilitas ſuam juxta & publicam cauſam actura, ne quid moræ interveniret, die Bruxellis condicto coram Margaretâ Gubernatrice voce, & ſcripto, verba faciente Henrico Brederodio, hunc in modum diſſeruit:

Oratio Brederodi.

Libellum, quem vides, ſupplicem exhibemus tibi Margareta, ut apud te more antiquo ſcripto ageremus, ac de noſtro in Philippum regem affectu propalam teſtaremur. Cui legitima obſequia conferre, more majorum noſtrorum qui hac laude omnes terrarum nationes provocavere, gloria quoq; noſtra, & incolumitas eſt. Itaque illi olim fortunas ſuas, corpora, atque animas periculis objecere, ut in tuto Principum ſuorum, & ſimul res patriæ eſſent, quas hoc ipſo tempore Philippi Regis Edicta non parum conturbavere. Cui etſi Caroli patris decreta tolli durum atque profanum videatur, tamen in acta eius Edictaque nos jurare manifeſtæ civilium animorum pertur-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

perturbationes non ſinunt. Quas etiam ipſas ſevera Philippi juſſa ac imperia augebunt potiùs, quam ſedabunt. Ita vides concitatum populum haud obſcura affectarum mentium ſigna præferre, nihilq; inſtare, quam ut cæptâ ſeditione, præceps ruina ſacra omnia atque profana commiſceat. Quare ſatius erit, inquietis, & niſi ſiſtas, mox efferis futuris animis, amovere aut in aliud tempus reijcere Inquiſitionem, fontem omnium malorum ut vides, quam optumi cuiuſque civis fortunam, ſanguinem atq; famam leviſſimorum hominum delationibus, accuſationibus, atq; ſententijs ſubijcere. Quarum certe rerum vel ſolus metus turbas, & ſeditiones exitabit, quæ ſi ingruant, Margareta Princeps, reputabis noſtrorum omnium, quos vides, conditionem miſerrimam fore, dum urbibus munitionibuſq; excluſi, ac per plana agrorum diviſim ſparſi, primam furentium inſolentiam, & cum eâ teterrima quæque ſufferemus. Spectabimus direptionem noſtrarum rerum, & poſſeſſionum vaſtationem, ne quid dicamus de liberorum, ac conjugum ſtatu, quas pro arbitrio victoris impudicus furor, aut hoſtiles manus temerabunt. Quare habendum Margareta, clementius imperium, ſine quo integritati, ſecuritatique noſtræ locus eſſe non poteſt. Edicta mitigari, aut aboleri è re Philippi regis, & ſimul noſtrâ erit. Quare hoc imprimis neceſſarium judicamus, ut Legatum in Hiſpaniam mittas ocyus, moneaſque Philippum præſentium rerum & impendentis exitij. Non quod regij imperij majeſtatem noſtro præſcripto aut conſilio ſtare velimus, ſed ut noſtræ fideï publicum hoc & illuſtre documentum rex accipiat, omniaque paci ac fortunæ publicæ adverſa clementiâ hac de re commoniti Regis, & de conſilio Ordinum amoveantur. Rogamus interim Margareta, ut omnis actio Inquiſitionis religioniſvè in ſuſpenſo ſit, dum Rex aliter decernat, & conſilium hoc noſtrum, quod publicæ ſalutis cura noſtris mentibus atq; pectoribus extorſit, à Philippo Rege in ipſo rerum ſecreto expendatur. Quod ſi fiat, ſatisfactum noſtris deſiderijs, & in patriam affectui erit: ſin minus obteſtamur, Deum, Regem, & te Principem Margareta, dein noſtras conſcientias, publici exitij conſilium alijs autoribus ſtetiſſe. Quin ſcias non Gallorum nos fœdera, non Germaniæ ſocietates quærere, ſed ut exaſperatus ſeductuſque Philippi Regis animus ad ſe redeat, miſereaturque innocentiæ illorum, qui ſanguinem ſuum, atque glorioſa funera, regijs imperijs ſacraturi eſſent. Tantum abeſt nos vetus ſacramentum exuere, aut à rege deſciſcere, (quo piaculo non niſi aulæ ſatelles, & vanus delator nos adſtringet) cæterum volumus ut patriæ quies, Regi honos atque autoritas ſit, ſileantque in poſterum Edicta libertati, & conſcientijs hominum adverſa. CIↃ. IↃ. LXVI.

Ad hæc Margareta : *Accepiſſe ſe ſupplicationem, acturamq; ut ea ad Philippum Regem ocyus mittatur. Se quidem jam diu conſilium cæpiſſe intercedendi apud Regem pro leniendis Edictis, idque cum Ordine Aurei Velleris Provinciarum Præfectis, tum Status Belgici, Regioque Senatu communicaſſe. Cæterum ſuæ poteſtatis non eſſe, quod delegatam tantum haberet, ſtatuere pro arbitrio, aut mederi malis temporum ſine Regis reſcripto, quod interponi debere ipſi fœderati non ignorarent. Curaturam interea, ut (dum rex decernat) quies Provincijs ſit, Magiſtratuumque ac Inquiſitorum poteſtas cum temperamento exerceatur. Hæc poſtridie, Non. April. perſcripta.*

Ita Margareta Gubernatrix muliebri aſtutiâ, & ex Italiæ ſuæ diſciplinâ velum Edictis obducere, præferre moderamen, metu fœderatæ Nobilitatis & civilium armorum, quod ijs reſiſtendis par non eſſet,

debili

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ClƆ. IƆ. LXVI.

Margareta mitigationem Edictorum promittit.

debili urbium præſidio, & ſolis prætorianis ad corporis cuſtodiam delectis. Quare crudis adhuc per Hiſpaniam quoque rebus, & mobili per Belgicam populo remedium ab oſtentatione clementiæ quæſivit, factâque lenioris imperij fide exacerbatas mentes demulſit. Tum fæderati lenocinio verborum Margaretæ Gubernatricis, verſipellis fæminæ, ac fiduciâ reſtitutæ quietis in ſua rediere. Scribit Demetrius finitâ Nobilitatis cum Margaretâ actione ſimplicem populum, & morum aulæ rudem ſuis commercijs, ac diurnis operis mox uſum, intermiſſa turbidis rebus negotia velut compoſitâ tempeſtate continuaſſe. Cæterum ut ſpes mortalium lubricæ, ut plurimum, & fallaces eſſe ſolent, ita fæderatæ Nobilitatis, populiq; incerta & eventu inrita fuit. Perlato namque in Hiſpaniam icti fæderis, mox Philippi aulam nuntio, regium animum primo conſternatio, poſt ira, & abolendi fæderis ſtudium occupavere. Conſtat certe ab illo tempore alieno magis à Belgicâ animo Philippum fuiſſe, ſubſecutaſque res, ut aulicâ ſimulatione, ita revera ſecretis & infeſtis odijs obductas. Populum quoque ſuæ ſervitutis, & fluxæ per aulam Principis fideï pertæſum majore deſiderio fæderis flagraſſe, reſpuentemq; Edicta, ac velut ſpatia laxantem libertati, arcana conſcientiarum profeſſum. Criminabatur namque Margaretam Gubernatricem pactis conventis vim derogare, ac datam publicè Nobilitati fidem aulæ artibus deludi. Philippum ipſum, adhibendo deploratis rebus remedio tardum, lenta conſilia trahere, differreque illius vulneris curationem, quod moræ impatiens eſſet, &, cuius notæ, necdum coalitâ cicatrice, conſpicerentur. Caviſſe enim fæderatam Nobilitatem, ut reſcriptum Margaretæ libello Brederodij ſubſcriptum efficax eſſet, minimoq; temporis ſpatio interjecto Philippi regis ratihabitione firmaretur. Ordinum quoque, (penes quos pace, belloq; adminiſtratio rerum, & jus publici conſilij fuiſſet) conventus intra Provincias de voluntate Regis haberetur, ſtatueretur que quiddam tollendis civilis diſſidij fomentis opportunum. Itaque debili Philippi ac Margaretæ Principum fide, & quod Ordinum convocatio illâ rerum deſperatione præpediretur, offenſa multitudo velut ad mores, ac ingenium rediens rurſum in cætus coïvit, communemque concordiam, ut munimentum retinendi juris durioribus dominantium imperijs objecit.

Philippus à fæderefacto Belgis iniquior.

Legati à Margaretâ in Hiſpan. miſſi.

Quapropter Margareta periculi metuens, & ut ſponſioni ſuæ, quâ Nobilitati ſe obligaverat, robur adfingeret, de ſuo & Senatus Belgici Conſilio, Ioannem Marchionem Bergæ, & Florentium Montmorentium Montinium in Hiſpaniam ablegavit, ijſq; poteſtatem fecit, ut de mitigandis Religionis Edictis, ac auferendâ Inquiſitione coram Philippo agerent, veniamq; præteritorum orarent. Additum quoque de maturando Ordinum Belgicæ conventu, quod ſine illo ſubortam tempeſtatem ſedari non poſſe conſentiens hominum fama teſtaretur. Quæ mandata in ipſo regij Senatus conſeſſu à Legatis expoſita, plus invidiæ ſuis autoribus, quam adjumenti rebus Belgicis attulere. Creditum fuit, eoſdem Legatos longioris in aulâ moræ pertæſos, ac jure ſuo immodeſtius, quam conſuetudo regni ferret, uſos, pro gratiâ odium, & ex eo contumaciam audientium reperiſſe. Alij addunt, conventum omnium Belgicæ Ordinum urgentes ferventius, & de contumelijs ac

inriſu Hiſpanicæ gentis, haud vana ſuæ Belgicæq; nobilitatis fiduciâ, cIↃ. IↃ. queſtos, inſtructuoſam legationem, & poſt mercedem triſtis officij LXVI. accepiſſe. Quorum omnium, ut nihil fæderatos fallebat, quod ſecretis epiſtolarum commercijs & fido interprete res gererentur, ita in populum ferente ocyus famâ divulgatum, infidam jam ante Belgicæ quietem abrupit. His accedebat, quod exules fæderati excedere ditionibus Edicto juberentur, diſturbatiſque per arma, aut vim, populi conventibus, reformata, ut vocabant, religio novis ſupplicijs, & piorum ſanguine coërceretur. *Male excepti.* Suſpectæ namq; Margaretæ Gubernatrici ad populum conciones erant, & divino cultui ſecuritas armis quæſita. Quæ propterea ne odia fæderatæ Nobilitatis, & conglobatæ multitudinis in ſe derivaret, longarum precum continuatione tantum profecit, ut lenito, prout videbatur, Philippi regis animo cum fæderatâ & jam mobili Nobilitate in reciprocam conventionem deſcenderit. Eâ perſcriptum fuit, ut Inquiſitio ceſſaret, novoque ac mitiore Edicto antiquatis ſuperioribus, ſupplici Nobilitati litteræ traderentur, quibus de FIDE PUBLICA caveretur. *Conventio Margaretæ nobilitatis.* Nobilitas quoq; legis, ac officij memor, juſtum Philippo obſequium præſtaret, provideretque in poſterum, ne ſacrorum locorum vaſtatio, arma, aut vis ulla, fædera quoq; aut ſocietates haberentur, regio juri publicæ tranquillitati adverſæ. Id Pactum IX. Kal. Sept. tabulis ſignatum, ac in Friſios eodem Auguſto inclinante perlatum. Itaq; tum arma poſita, ac conciones (quod jam ante Margareta indulſerat) per Provincias reſtauratæ, populuſque, ut fere ſolet, facilè affectuum imperio parens priorum criminationum materiem per ſubſecutam fælicitatem excuſſit. Nobilitas quoque fæderis auſpex velut reſtituto jure patrio ſecura, ſecreto ſuo ſe clauſit, Præfectique à pactionis formulâ Provincias ordinavere. Cæterum aſfulgentis fortunæ, & quietis ſplendor durabilis non fuit, quod armorum apparatum fama nuntiaret, & quod pactionis ratihabitio præter exſpectationem tardius ex Hiſpaniâ mitteretur. Quare diffidentiâ Principum, civiliumq; animorum ſubdola omnia, atque involuta ſuſpicionibus manſere, animiq; mobiles, velut impellente vento, huc illuc in ſpem publicæ ſecuritatis acti varias rerum ſpecies, & imagines circumtulere. Ea per ſuperiores Belgicæ Provincias, & in Philippi aulâ rerum facies, tum erat. Neque per Friſiam, quam Lavica Flevuſque lato alveo diſterminant, melioribus fatis res agebantur.

Poſtquam enim libellus ſupplex (quem Henricus Brederodius fæderatorum nomine Margaretæ Gubernatrici obtulerat) Leovardiæ circa Kal. Iun. vulgatus, ingenia procerum, populiq; non parum is affecit. *Criminationes populi.* Reputantibus prudentioribus non ſine gravi causâ ſociatam fædere Nobilitatem fæminæ Principi ſupplicaſſe. Eam namque optumo jure de confractis patriæ ſuæ legibus queſtam non temerario nexu, non fortuito concurſu conveniſſe. Æternum rerum ordinem iſtiuſmodi conſilia ſequi. Gentes quippe ab initio faciundæ ſocietatis cauſâ congreſſos, poſt dominantium lubidine oppreſſos, mutuæ defenſionis auxilium, odio ac infamiâ pravorum principum à communi concordiâ petijſſe. Ita pacatos ante Belgas, & ſuorum Principum reverentes, ſeceſſionem non niſi ab oppreſſione feciſſe, & quod intereſſe cenſerent liberum an man-

 cipem

cIɔ. Iɔ LXVI. cipem Spiritum ſub patrio cælo traherent. Hoc modo ne cum lucis uſurâ inauditæ ſervitutis legem acciperent, Edictis atq; Inquiſitoribus, dein Epiſcopis obſtitiſſe, advocatâ juris patrij, & antiquarum conventionum fide, quas teredo annoſæ vetuſtatis & potentia regnantium necdum ſuſtuliſſet. Extare adhuc homines memoriam temporum repetentes, qui obſequium Principi debitum confundi cum ſervitute, & infælicem Patriam exponi periculis indignentur. Preſſiſſe intereà generoſos Spiritus, & ne cauſam exitio darent, ſupplices Principi factos, turbidis temporibus uſitata remedia, conventum Ordinum oraſſe. Æquum ſcilicet fuiſſe, ut inter Regem populumque ortæ lites, interceſſione Optumatum ſternerentur, ſanareturq; omne malum, à motu ac licentiâ populi, aut ambitione Principis profectum. Id recuſanti inimicam pacem videri. Eſſe Margaretam verſipellem fæminam, & vota Nobilitatis fæderatæ aulicis artibus trahentem, tum Philippum Hiſpaniâ ſua ſeptum falſis rerum teſtimonijs inturgeſcere. Alterutrum eligendum eſſe, aut coëundum in fædus, aut turpiter ſerviendum. Hæc in ſecreto per Friſiam agebantur.

Legati in Friſiam miſſi. Quamobrem fæderati ſparſis per omnem Provinciam ſocijs, perceptâq; populi Friſici in fædus inclinatione, Herbertum Raephorſtium, Fredericum Egmondanum, & Albertum Huchtenbroeckium, clarorum natalium viros, in Friſiam ablegavere: Mandata eorum hæc erant, ut de fædere, & rebus cum Margaretâ Gubernatrice Bruxellis, tum cum ipſo Philippo Rege in Hiſpaniâ geſtis ad Friſios referrent, ijſque copiam ſcripti fæderis & ſuorum ſimul mandatorum facerent. Curarent quoque, ut, factâ regiæ iræ, & ruentium indies in peius rerum obnuntiatione, repellendis à Patriâ periculis in eandem ſocietatem Friſij condeſcendant, ſpretâque Margaretæ Gubernatricis monitione, & fallacibus litteris, commune libertatis ſtudium, & ſimul diſcrimen amplectantur. Ita acceptis mandatis Legati in Friſiam profecti, Leovardiam Provinciæ metropolim pervenere. Famâ ferunt Legatos candidis equis vectos, veſteſque cinericei coloris indutos, ligneumque poculum argenteis laminis obductum, præferentes, multorum hominum affectus commoviſſe, formatoque præter morem habitu, ſervile etiam in Regem obſequium, & patientiam inſontis ludibrij ſignaſſe. Immania namq; à Pontificijs in Legatos convitia jaciebantur, effræniſque ac maledici oris licentia integritatem fæderis, & ſimul exiſtimationem Legatorum impetebat. Notat Antonius Iodocius, actuarius publicus, Herbertum Raephorſtium unum Legatorum, diem ut plurimum ſomno, noctem oblectamentis vitæ, & exercitijs libidinum egiſſe, dignitatemque Legati turpi ignaviâ & nocturnis fæminarum amoribus attaminaſſe. Alij in atrociores calumnias, prout pravus cuiuſque animus, aut ingenium dictabat, invidiâ fæderis effundebantur. Quamobrem Legati ne illa temporum partiumq; diſſenſione in diſcrimen traherentur, Delegatis Ordinum Friſiæ Leovardiam evocatis, iſtiuſmodi litteras exhibuere:

Legatorum Oratio. *QVanquam graves cauſæ nos impulerint, Ordines, ut in Friſiam veſtram proficiſceremur, ita pro vero accepimus, eſſe quoſdam qui aſſerant ſpeciali nos man-*

mandato inſtructos ad pertrahendam clandeſtinis modis in fœdus noſtrum Friſicam cIↄ. Iↄ.
Nobilitatem adveniſſe. Quæ calumnia ne famæ, ac exiſtimationi noſtræ a- LXVI.
pud credulas mentes quidquam derogaret, ac ne haberemur pro ijs, quos pudere ſuæ Legationis & officij poſſet, veſtro in cætu Ordines nos ſiſtimus, fidemque facimus nullis ſecretis mandatis nos munitos eſſe, cæterum adferre tabulas Sanctiſſimi Fœderis, & honeſtiſſimæ ſocietatis Principum nobiliumque virorum manu obſignatas. Tantum abeſt homines nos eſſe malis artibus, conſilijſque inſtructos. A quibus etiam ut longius nos abeſſe probemus, exhibemus propalam eaſdem tabulas, obteſtamurq; noſtrum ac majorum decus, non aliam Legationis noſtræ cauſam fuiſſe, quam ut de honeſto ſanctoque fœdere certiores vos faceremus. Veſtri arbitrij erit, hoc approbare aut rejicere. Nobis ſatis erit, noſtræ Legationi ſatisfeciſſe, ac nos ipſos populum Friſicum, Ordines, à communione ejuſdem fœderis excludere noluiſſe.

Cui Orationi ut fides adſtrueretur, & ne quid Legatorum officijs, illâ partium per Provinciam, & ſimul civitatem æmulatione, affingi poſſet, teſtimonij publici dictionem petiere, ac ut rei apud Friſios geſtæ memoria actis mandaretur. Igitur Ordinum Delegati, quò facili, & quod metuebant, inſtanti calummiæ occurreretur, & ne plebs ſeditionem ex vanis acribuſq; rumoribus agitaret, ita perſcribi curaverunt.

*V*ENERE *ad nos VV. Nob.* ALBERTUS HUCHTENBROECKIUS, & FREDERICUS EGMONDANUS, *formulam Fœderis adferentes. Præter hoc verba in noſtro conventu habuere non alium, ut profitebantur, in finem, quam ne clandeſtinæ conjurationis inſimularentur, & ut evulgaretur juſtiſſimum ſanctiſſimumque Fœdus; quod noſtræ quoq; genti, ſi retinere libertatem vellet, offerri deſiderabant. Neq; enim Legatos arcere provinciâ licuit, quos gentium jus inviolabiles feciſſet, & qui ex uxorum ſuarum dotibus prædia & poſſeſſiones per Friſiam tenerent. Vt certè ne in mali quidem conſilij, aut fabricatæ conſpirationis ſuſpicionem apud nos venirent, quæ plerumq; imbecilla, ex animi livore atq; odio, aliquid injuriæ, etiam bonis, afformat. Ita enim fit, ut qui timeri volunt ex ſuâ, alienam potentiam formident, credantque vero proxima, quæ ipſi finxere. Nos teſtimonium, quale debuimus illorum integritati innocentiæque dandum duximus, ne videamur ex iniquo quid egiſſe. Hoc à Ruardo Roorda, Haringio Glinzio, Valerio Cammingha, Docone Martna ſignatum.*

Ut mirari liceat, læſæ libertatis Belgicæ concors documentum non ineruditis alias ingenijs & huius ſæculi ſcriptoribus conjurationis titulo traduci, ipſoſq; ſuorum Pontificum, aut Principum aſſentatores juris aboliti vindicias peſſimi criminis enormi infamiâ velare. Quod equidem illis familiare deprehendo, qui in regno, aut Principatu nati, educatiq; ſuæ tantum ſervitutis conſcientiâ, ad defenſam armis nobiliſſimarum gentium libertatem, ex conſuetudine crudi, atq; infælicis obſequij non aſſurgunt. Ut ut ſit, hoc ſaltem incomperto eſt, invalidi Fœderis initium fato quodam regnanti Philippo obiectum, magna & quidem terrarum orbi formidoloſa incrementa inter continuas belli tempeſtates, & variantis fortunæ aſperitatem traxiſſe, nobilitatemq;

cIↃ. IↃ. LXVI. ac populum Belgicum in vindicandâ dominantium immanitate terrarum gentibus ex divinæ benignitatis indulgentiâ præluxiſſe.

Invenio in actis iſtorum temporum, magnam de Fenis Bantianis Scoterlandiiſq; inter Petrum Dekama Equitem, Antonium del Vailium, Balduinum Loæum cum ſocijs, & quoſdam nobilium, ſuper aquâ iſtarum paludum deducendâ controverſiam fuiſſe, litemq; modo ad Senatum regium, modo ad legatos Ordinum remiſſam, magnâ acerbitate partium animos irritaſſe. Quippe Dekamæ inveteratum ſedecim annorum jus, & intemeratam poſſeſſionem obtendebant, eq; Fenorum foſſurâ (quos inſularum natantium inſtar Friſicis terris ſtagniſque ſe ſuperfudiſſe creditum eſt) magnum operariorum multitudini, tum toti provinciæ commodum obvenire. Quippe egeſtati iſtos bituminoſos agros tractantium ſubveniri, & evocari in provinciam vicinos, è foſſurâ ceſpitum ſe ſuſtentantes, quos in omnem regionem devehi gentis intereſſet. Econtra nobilitas iſtis paludum ac bituminoſis aquis ſuos agros ingenio ſuo depreſſos, & humentes oppleri criminabatur, agriſq; fertilibus ex vitiatæ corruptæque aquæ inundatione ſterilitatem induci. Ne ipſa quoq; regis domania ab hoc malo exempta eſſe, conſulendumq; eſſe æquitati, quæ non ferret, ex unius paucorumq; commodis, inreparabile damnum detrimentumq;, niſi ſubveniatur, Friſicis agris terriſque accedere. Cæterum cauſæ ex ſe juſtæ patronos atque advocatos deeſſe, potentiâq; adverſariorum perterritos officia ſua, & clientum fortunas negligere. Hæc à Douwone Douma, Tito Hettingha, Eraſmo Douma, Florentio Abbema, Horatio Oeningha, Onnone Grovenſtenio ſignata, 28. Iun. & Deputatis exhibita. Ita factum eſt, ut tarditate judicum, majora odia accenderentur, ſpretâq; judicij autoritate, prædicta nobilitas, coactâ plebis ruſticæ manu, catarractas rivoſque devehendo ceſpiti factos injectâ terrâ oppilaverit. Quo tempore metui poterat, ne futura civilis belli fax ſe oſtenderet, latenſque inter regios & libertatis patriæ amantes, odium ex violentis iſtiuſmodi actionibus, turbiſq; ſe aperiret. Cæterum interventus Sibrandi Hettingha Prætoris Scoterlandici, & Hanſonis Gelij actuarij, negotium Eelkoni Haulæo advocato Curiæ diſceptandum in foro demandavit, actionemq; in judicio perſequendi poteſtatem fecit. Hoc etenim Scoterlandi volebant, ut Drachtana foſſa, qua Drachtanis in orientem eſt, juxta viam publicam repurgaretur, oppilatuſq; paulò ante rivus omnem paludum agrorumq; eluviem ſine ullo obſtaculo exoneraret. Itaq; litis conteſtatio in judicio regij Senatus facta, omnem occultioris diſſidij vim amovit. Gemma notat paulo ante Iconomachiam, quæ per omnem Belgicam mox ſecuta, horrendæ nubis imaginem in cælo, menſe Iulio conſpectam, ingentia fulgura cum grandine ejaculaſſe, flammeoq; colore, quaſi univerſi conflagrationem minaretur, non nihil remiſſo, in ventos pluviaſq; abijſſe. Magnam etiam tempeſtatem fulminum, una cum nubium fragoribus Leovardiæ auditam, ex incerti notis obſervo, illamq; cæleſtis oræ conturbationem ſecuturis populi motibus aſſimilatam.

Reperio in notis ejuſdem Iodocij, famoſos libellos odio Inquiſitorum Leovardiæ tum ſparſos, gratumq; eâ tempeſtate Brederodij nomen

men publico præconio celebratum. Autores quoq; famoſorum carminum de Sententiâ regij Senatus virgis cæſos, proſcriptoſque, immodeſti laboris mercedem præter cruciatum ſaucij per flagra corporis, pænam exilij accepiſſe. Idem Iodocius addit, creſcente per exemplorum fæditatem populi audaciâ, Regem quoque ipſum diris opprobrijs impetitum, Margaretamque Gubernatricem, tum Præfectum Senatumque per Friſiam regium haud abſimili criminatione, & acerbis dicteriis exceptum. Itaque exaſperatis judicijs, animi concivium, quos miſeratio atrocis ſpectaculi, aut propinquitas movebat, majoribus in regios odijs ferbuere, quibus fomentum Gabinius Selſma vir audacis ingenij, & juxta liberrimi oris, (apud quem Legati diverterant) novo commento ſubminiſtrabat.

CIↃ. IↃ. LXVI.

Famoſi libelli ſparſi.

Gabinij Selſmæ actiones.

Is namq; clam per urbem cives convocare, deprædicare periculum, quod à Pontificijs immineret, qui infidis animis publicè familiares, intra ſe cædes, & excidium fæderati populi agitarent. Ideò ſcilicet in ſocios, ac concives ſtatutum aſperius, regiumque Senatum in corpora liberorum, ingenuorumq; civium ſævijſſe. Aggeſtas in ſupplicij loco triſtes virgas, & avidum libertatis avitæ ſanguinem manu carnificis expreſſum. Parari adhuc majora ſocordibus fæderatis. Commeare namque ad Arembergium internuncios, eoſque noctu intromitti, inſcio inconſultoque cive, cujus interſit urbem in tuto eſſe, & non introïre clam homines infeſta aut ſaltem ſuſpecta conſilia perferentes. Quin demandandam potius civi urbis cuſtodiam, ut per omnium curam, omnium quoque ſecuritas habeatur. Hæc ab eodem Gabinio in Curiâ oppidanâ cum vehementiâ dicta. Quare Decreto Magiſtratus claves portarum civibus traditæ, Sagittariorumq; collegium agendis excubijs præfectum. Additi his diurni vigiles, quibus mandatum erat, ne militem intromitterent, quem ad firmandam majore præſidio regiam arcem, alijs è locis Arembergius evocaverat. Qui comperto regium militem portâ prohiberi (quam D. Iacobo ſacram illorum temporum religio, Carolo v. Cæſare ſub Maximiliano Burano Friſiæ Præfecto extruxerat) arce regiâ cum paucis ſtipatoribus deſcendit, Vibiumque Allartium primipilarem aſperè adlocutus, iræ plenus in arcem ſe recepit. Addit Iodocius, Arembergium prehensâ viri barbâ comminatum extrema; Magiſtratus, quod Allartius obtendebat, imperium contemptim habuiſſe. Itaque Magiſtratus robur imperio daturus, Kal. Sept. primipilares civicarum cohortium ad ſe vocavit, ac pro defenſione urbis ſacramentum accepit. Alij putant defendendis reformatis concionatoribus id factum, quos durante Inquiſitorum & Gulielmi Lindani dominatu per Leovardiam urbem ſacris domeſticiſq; miniſterijs liberiores conſcientias clàm delegiſſe jam diu Arembergius indignabatur. Itaq; illum nimia & imperioſa populi libertas, Magiſtratum importuna Arembergij conſilia, & ſiniſtræ machinationes urebant. His accedebat, quod Philippum Segoviæ è febre lecto affixum conventio Margaretæ, & fæderatæ Nobilitatis offendiſſe diceretur, Philippuſq; diſplicitæ pactionis ægritudinem aulicâ ſimulatione, & fucatis in Principes blandicijs velaret. Quapropter Magiſtratus ne diſcordi cive aut multitudine quid tentaret, frequentiſſimo conventui in Curiâ habendo VIII. Eid. Sept. diem

Leovardienſium acta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXVI. diem dixit, Conciliumq; juratum, ut & Tribunos cohortium, ac ſagittariorum Præfectos adeſſe in Senatu juſſit. Ibi Tarquinius Valleſius Conſulatum tum gerens, & qui in Senatu præſidebat, verba in hunc modum fecit:

COnvenimus in hunc locum P. C. ut de formandâ civitate noſtrâ cogitaremus, proſpiceremuſque conſcientŷs, legibus, atque fortunis noſtris, quas regŷ imperŷ importunus rigor, & ſoluti dominantium mores fermè oppreſſere. Vt ea ſingula reſtituamus parabili medicinâ, & non longâ curatione egemus. Ab animarum noſtrarum curâ, tanquam præcipuo mortalium bono, ut incipiamus cenſeo; ac ut diu ſacra noſtra clàm & in ſecreto profeſſi ſubmoto potentium metu profiteamur publicè. Quapropter templa ab imaginum idolorumq; cultu repurganda, ut Deum ex præſcripto noſtrarum mentium, & divinæ legis culturi, locum habeamus ſuperſtitione vacuum, & nullâ ſacerdotum illuvie deformem. Occaſionem abſentia Præfecti, qui in Tranſ-Iſulaniam conceſſit, & noſter zelus dabit. Neque enim grave nobis præſidium, quod portis noſtris excluſimus, neque alieni à nobis, quos exploravimus, civium animi ſunt. Paucis adverſarŷs noſtræ vires auctæ meo conſilio pares ſunt, modò moræ rumpantur, & opportunitate commodi temporis utamur. Quamobrem cenſeo primâ nocte id faciendum, ac depurgandis fanis, ne quid promiſcuus plebis turbævè furor peccet, ſagittarios adhibendos. Opificum collegia, quæ templis dicavere auferant, cætera amoveantur pro arbitrio eorum, quibus negotium demandabitur. Hæc Valleſius:

Edictum Leovardienſium. Mox decretum Senatus eâ de re perſcriptum, Edictumque per præconem; Ne qui nocte proxumâ in publico præterquam Sagittarij, illivè eſſent, quibus poteſtatem prodeundi Senatus feciſſet. Cæteri dubia civitate aut triſte ſilentium, aut mæſtam ſolitudinem, omnes varias rerum ſpes, atque eventus exercebant. Itaque Sagittarij mandato Senatus accepto, adultâ nocte in unum convenere, progreſſique in templa, præter Nyehovam, D. Vito & Catharinæ ſacra, ſubverſis aris omne Pontificijs ceremonijs ante ſubſerviens, quod per omnem Belgicam jam ante factum erat, ſubmoveri ſpectantium oculis fecere. Iodocius notarum autor, etſi affectibus indulgens, tradit omnem ſacram ſupellectilem fædè confractam atque disjectam jacuiſſe, octenoſque ſagittariorum manipulos iſti negotio deſtinatos mandatum Senatus perfeciſſe. Tum Edictum ab eodem Præcone pronuntiatum, quod turbandæ quieti nocturnæ aut vaſtandis ultra ſacris vim omnem

Reformatio cœpta. atq; inſolentiam vetabat. Hoc modo immutato civitatis ſtatu poſtero die (qui v. Eid. Sept. fuit) exercitia reformatæ religionis cæpere, ſacra facturis Antonio Nicolao & Martino Elio, quos magno numero ad fanum D. Vito ſacrum, armati cives ſequebantur. Tarquinius verò Valleſius, Conſul, cum Henrico Albertio Senatorij ordinis viro ſtipati ſatellitio ſuorum, & inſignia imperij præferentes, totum ordinem procedentium antecedebant, omneq; negotium, quod invidiâ non carebat, & ſimul ſecuritatem docentium gravi autoritate tuebantur. Tum Res divina primum ab Antonio Hogebeintano nuper ſacerdote, poſt à Martino presbytero Tjumano, facta. Scribit Iodocius eos depoſito ſacerdotali habitu ædem ingreſſos, mox pileis pallijſque

con-

contectos, in ſuggeſtum aſcendiſſe, populumq; præſidio armorum ſub-nixum, ab ore diſſerentium, tanquam oraculi voce pependiſſe, Itaq; Senatus regius peractam concordibus animis rem divinam ægrè ferens, metuenſque ne cæteri ad exemplum deſciſcerent, trium Eccleſiarum paſtores Ivonem Joannis, Sixtum Abbæum, & Douwonem, Oldehovios; Adrianum Vernerum, Nyehovium; & Douwonem Jouckenium, cum Petro Jacobæo, Vicario ad Catharinæ, in Regiam Curiam ad III. Eid. Septemb. evocavit. Ibi Carolus Nitzenius Præſes, in hæc verba erupit:

cIↃ. IↃ. LXVI.

Reformati in Curiam regiam vocati.

Etſi de integritate veſtrâ non dubitemus, quin de Romanâ Eccleſiâ Catholicâ optumè ſentiatis, tamen quia pericula nos urgent, voluimus, ut teſtimonium veſtræ fideï noſtro in Senatu diceretis. Idcircò per ſalutem animarum veſtrarum, per conſcientias veſtras, & juſjurandum quod Philippo Regi præſtitiſtis, vobis deferimus, ut id nobis audientibus dicatis, adprobetiſvè religionem Romanam Catholicam, aut ſignificetis eam animis mentibuſque veſtris adverſari. Nolumus equidem ut vera rerum judicia falſis involvantur, ac vos videamini ſimulatam pietatem metu periculi, & pro conditione temporum profeſsi.

Refert Iodocius, Sixtum Abbæum Oldehovium, omnium nomine, Senatui regio reſpondiſſe, eundemque adprobatâ in Senatu Romanâ religione poſtridie inversâ mente reformatæ apertam confeſſionem feciſſe. Quamobrem Senatus Regius ijs mandavit, ut, non obſtante locorum ſacrorum vaſtitate, ac turbatiſſimi temporis injuriâ, officia, atque conciones continuarent; ſubnixiq; conſcientijs in arduâ, ac concreditâ ſibi preſbyterij vocatione perſiſterent. Edictum quoq; VIII. Kal. Sept. Bruxellis à Margaretâ Gubernatrice in templorum, ſacrorumque violatores perſcriptum, publicari ocyus Leovardiæ & per omnem Friſiam juſſit, ſuumq; graviore ſub pæna prid. Kal. Sept. factum addi, vulgarique fecit. Ijs cautum erat: Ne quis templa, ſacravè loca, rituales libros, aras, imagines, ſtatuaſvè confringeret, auferretvè, ſub pænâ ſuſpendij, & bonorum confiſcationis. Sanxit quoq; ut in talium reos, velut ſacrilegos, Dei hominumque hoſtes & contemptores, jus necis cuivis eſſet, impunitate non tantum cædis, ſed & mercede promiſſâ. Magiſtratus quoque oppidorum conniventes, &, quo minus iſtiuſmodi puniantur, præpedientes, pro fautoribus talium habendos edixit, ac ut Oppida, Univerſitateſq; per Magiſtratus populivè delictum omni jure, ac immunitate exciderent. Famoſi quoque carminis crimen, modo in Religionem, Pacem publicam, Regem, Gubernatricem, Rectoreſvè Provinciarum commiſſum eſſet, eâdem laqueï pænâ corrigi juſsit, eandemque Flevum inter Amaſumque copias conſcribentibus, autorantibuſvè denuntiavit.

Edictum contra iconomachos.

Mox Arembergius XVI. Kal. Octob. quatuor civitatis Conſules ad ſe vocavit: miſſionemq; quanto ocyus reformatæ religionis miniſtris poſtulavit. Templis quoq; faniſq; veterem ornatum reddi petijt, omnemq; deformatæ civitatis ſtatum mutari antiquo juſsit. Ad quæ Conſules.

Convocavimus, Scabinos, concilium juratum, cohortium Præfectos & vexilliferos, præterea manipulares ſagittariorum, & honeſtiſſimorum civium primos, ut poſtulatis tuis, Præfecte, reſponderemus. Quo tempore decretum eſt

(quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. *(quod ante triduum te præſente profeſſi ſumus) reformatos paſtores dimitti*
LXVI. *non poſſe, neq; ornamenta templis reſtitui, cæterum volumus ut in præſenti ſtatu civitas permaneat, dum aliter à rege, aut Ordinibus generalibus totius Belgicæ ſtatutum ſit. Nihilominus, fidem Regi datam ſervabimus, petimusq; ut odio, aut gratiâ ſepoſitis, regi omnia tranſcribas prout acta ſunt. Itaque paſtores reformatos admiſimus, ornamenta templorum amovimus, averruncandis majoribus malis, & ne in publicam ſeditionem iſte civitatis motus erumperet. Quamobrem petimus, ne ſiniſtre hoc interpretari velis, omnemq; rerum geſtarum ſeriem bonâ apud regem aut Gubernatricem fide exponere. Quam cum in acta redigi petieris, ut Rex, aut Gubernatrix de toto negotio cognoſcat, ita cenſuimus mittendos ad te ex primariâ nobilitate, qui conventionem honeſtam offerant, ut utriuſque religionis exercitia in fanis, templiſq; indulgeas. Nos, ſi id permittas, cives noſtros inducemus, ut ſacramentum regi dictum renovent, & ut regiæ arci, tuæ perſonæ, & Senatui regio ſecuritas ſit. Hoc ſaltem præcaveri volumus, ne præſidium arcis novo externoq; milite adaugeas, cum noſtrorum civium fide tutus eſſe queas. Et quoniam mandatum Regis deſiderari obtendis, neq; conventionem inſtitui ſuper his rebus poſſe, ita actis comprehenſa tibi tradimus, ne iſtorum, quæ evenere, memoriam prægraves. Neq; enim religioſorum tuorum exercitia turbavimus, cæterum hoc egimus cavimuſq;, ut tutè Pontificiorum ſacra fierent. Quæ ſi ipſi continuare volent, per nos licebit, obeant.*

Deïn Deputati quoq; Ordinum Arembergio libbellum hunc obtulere.

Non hanc tantum per civitatem, Præfecte, ſed populum per reliqua oppida agroſque conturbatum vides. Omnia quoq; angore, metu atq; tumultu agitari, non aliâ ex cauſâ, quam quod militem conſcribas, arcemq; regiam majore præſidio obfirmes. Et quamvis propter merita tua, etiam ab illis annis, quibus Friſiam cum laude rexiſti, ſiniſtræ ſuſpiciones de te concipi non poſſint; & quidem eo magis, quod neq; mandatum à rege Philippo autorandi armatos, coram Valerio Cammingha, & Ruardo Roorda, pridem ſis profeſſus, tamen ſedari efferatæ plebis mentes nequeunt, & fiduciam reconcipere, quam minuerunt. Nam unam cohortem & quidem in corporis tui arciſq; cuſtodiam tibi non invident, modo fidem ſecuritati noſtræ des, bonaq; ac corpora noſtra à vi & incurſu militum tuta fore. Cuius animi ſi ſis, Præfecte, colluviem otioſorum per agros ac cænobia ſe ſpargentem, ad diſciplinam revoca, & exonera ſacra profanaque loca iſto metu, qui infidus ut plurimum, concordiæ paciſq; cuſtos eſt. Quod ſi feceris, Præfecte, perſeverabimus in fide regi datâ, pacem pro bello habituri. Hæc ab Isbrando Herdeviceno, Præſule Lidlumano; Sceltone Liauckama, Petro Cammingha, Amelandiæ Domino; Gemma Burmania, Iulio Dekama, Sixto & Siricio Donia, Epone Douma, Sceltone Tiaerda, Serapio Galama, Hartmanno Galama, Edone Heringha, Wilcone Holdingha, Eraſmo Douma, Sibæo Sceltema, Gabinio Sceltama, Vigero Siiſma, Alepho Aggema, Ottone Herama, Heſſelo Oosthemio, ſignata.

Poſt Kalend. Octobrib. alio Edicto Senatus cavit: Ne per preſbyteros, Paſtores, vicarios cæteroſvè beneficiarios, in Religione quid novaretur, cæterum res divina, more priſco, ſub pænâ amiſſionis beneficij, exerceretur. Sed novæ Veritatis deſiderio incaleſcens miniſtrorum zelus,

alia

alia meditabatur. Itaque factum eſt, ut finitâ Anthonij concione (ſolis Ivone & Douwone Oldehovio exceptis) cæteri priore habitu excuſſo, reformatis ſe ſociarent, ſpretiſque temporum periculis ſecreta animorum profiterentur. Tum Sixtus Abbæus vir magnæ facundiæ pro concione verba fecit, præmiſſâque Fidei confeſſione multa de inſtitutis, erroribuſque Pontificum, ac regno Antichriſti diſſeruit. Quare gratulari non parum ſibi ac ſymmiſtis ſuis quod à tanta ſæculorum caligine ſacrario veritatis recepti ad veros divini numinis cultus redijſſent. Petere ſe D. O. M. miſereatur cæcitatis tam diuturnæ (cuius omnes ſinguloſq; certo conſcientiæ teſtimonio puderet) ac firmandis in fide mentibus Spiritum det ſanctioris ſapientiæ autorem. Tum ceſſantibus edicto Magiſtratus Pontificiorum exercitijs, templa reformatæ Religioni aſſignata.

cIↄ. Iↄ. LXVI.

Igitur velut fatis concordiam pacemq; publicam revellentibus, & religionis diſſenſione ſimul cum metu regio auctâ, Ordinum Deputati conventum Præſulum, Nobilitatis, & agrariorum indixere, omneſque citati, quaſi de re ponderoſâ conſultaturi ad diem XIV. Kal. Decembrium adeſſe Leovardiæ juſsi. Ex Ooſtergois, Petrus Trajectenſis; Moſanus, Abbas Foſuerdicus; Gerardus Dotichemus, Præſul Gerricomius; Petrus Cammingha, Amelandiæ Dominus; Suffridus Heemſtra, Epo Douma, Gemma Burmania, Tetardus Holdingha, Ritſco Eyſingha, Hector Abingha, Sixtus Emingha, Bennertus Hillingha, Ritſco Dyxtra: Ex Weſtergois, Isbrandus Hardervicenus, Præſul Lidlumanus; Henricus Steenvicenſis, Abbas Floridi-Campi; Hector Hemmema, Edzardus Grouſtins, Iarichius Botnia, Oldermannus Franequerenſium; Scelto Liauckama, Dominicus Hottingha, Oldermannus Bolſuerdienſium; Hero Ockingha, Sixtus Donia, Serapius Galama, Vibius, paſtor Cubardius; Godſcalcus Hiddema, Renicus Gerlacius; Ex Sylveſtribus, Ioannes Harmannus, Prior Haſcheranus, Auco, paſtor Sindelius; Douvo Douma, Iulius Dekama, Foppo Douma, Meinius Lycleſius, juris Licentiatus, Iouco Oenius, Edo Auconius, Florentius Abbema, Poppo Pierius, Andræas Mirica, Medicus; Quo die, cum Deputatis congregati Ordines de negotio religionis deliberavere, non ſine animorum perturbatione, quod Margareta Gubernatrix litteras comminationis & acerbitatis plenas ad Arembergium, Arembergius ad Senatum regium miſiſſe, nec inveris rumoribus, diceretur. Unde Delegati Ordinum, mox in Curiam citati, prælectæq; Gubernatricis litteræ, quibus Magareta jubebat; *Nihil in religione, ſacriſque ritibus mutari Regem velle, neque dandum eſſe tempus poſtulatis fæderatorum Nobilium, cavendumque imprimis Senatui, ut omne Fædus, omnem ſocietatem, omnes conventus diſturbet.* Hæc Leovard. XIV. Kal. Dec. acta.

Itaq; magna in conventu Ordinum conſternatio orta, qui ut inſtantibus malis mederentur, Delegati ad Arembergium, & ſimul Margaretam Gubernatricem, Doco Martna, Barthius Idzaerda, Dominicus Hottingha, Oldermannus Bolſuerdienſium; qui dilationem publicando Philippi Edicto poſtularent, ac ut Præfectus Arembergius apud Gubernatricem, Gubernatrix apud Regem pro Friſijs, datis fiduciarijs legatorum litteris intercederet. Hoc etiam additum, ut, dum rex decre-

CIↃ. IↃ. LXVI. decretum religionis cum Ordinibus Belgicæ feciſſet, toti Belgicæ populo, & eius ſupplicationibus Legati ſe afformarent, & ut remedia minuendis Philippi exacerbationibus, & reſtituendæ per provincias paci quærerentur. Cæterum an inſtitutæ legationi eventus reſponderit, non reperio, hoc ſaltem conſtat, Philippi animum ex ſe immanem mitiora decreta tum reſpuiſſe, anniq; ſequentis diſcordias majoribus odijs repetitas.

Arembergij litteræ. Quas populares turbas & mutationem rerum ægre ferens Arembergius, qui in Tranſiſulaniam profectus erat, IV. Eid. Decemb. litteras ad Magiſtratum dedit, quibus fidem faciebat; Non placere ſibi iſtam actionem, quin monere Magiſtratum, ut habita quietis publicæ curâ, modum ponat fervidis ſtudijs, ſinatq; religionem Romanam reſtitui tot ſæculis uſurpatam. Se propediem adfore, conciliandis divulſis mentibus, daturumque operam ut ſopiatur auferaturque omne civilis diſcordiæ fomentum. Reperio in notis Iodocij, litteras Arembergij non multum ponderis habuiſſe, Magiſtratumq; oppidanum prioris conſtantiæ documentum tam diu dediſſe, donec Phillippi regis aſperius Edictum poſtrid. in ſecreto Senatus recitaretur. Itaque tum, *Conventus Leovardiæ* ne adſpernari Philippi Imperium, & excuſſiſſe legitimum obſequium per deſideria novæ pietatis fæderiſque videretur, Proprid. Eid. Decemb. collegium Sagittariorum in templum D. Viti convocavit, communicatoq; edicto (quod, reſtitui Romanam religionem, & autoritatem Præfecti volebat) ſuper eo publicando longum conſultavit. Erant namque in collegio ſagittariorum, qui procacibus, ſervilibuſque ſtudijs Philippum ſectabantur, ſacriſque ac ceremonijs Pontificijs impenſius dediti, gloriâ etiam fædiſſimæ ſervitutis ſe placarent. Qui propterea, ne pro ſupprimendo Philippi Edicto ſtetiſſe viderentur, dubijſque temporibus ſuffragiorum libertate in diſcrimen venirent, fano D. Viti exceſſere, relictâ multorum civium multitudine, quam Dio- *O. Wingiæ oratio.* nyſius Wingia, qui Magiſtratui à ſecretis erat, in hunc modum allocutus fertur:

QVod verba apud vos faciam, Concives, non de nihilo eſt, poſteaquam in magnum diſcrimen Philippi regis exacerbatio, & noſtra innocentia nos perduxit. Qui ut vivere optaveramus more fælicium majorum, quibus omnia ſecura, inturbataque etiam Carolo Cæſare fuere, ita nos nepotes fortunatorum patrum Philippi filij aſperitas exercet. Cuius etiam imperium ut omni lege ac exceptione careret, & ut minimum haberemus, quod intactum ſervitute eſſet, conſcientias quoque noſtras paucorum hominum inſpectionibus ſubijcere conatus eſt. Vidimus quippe jam diu oberrantem Gulielmum Lindanum Inquiſitorem, hominem peregrinum, & præferocem, iſtiuſmodi imperia exercentem, quæ pati fortium, & liberorum hominum non eſt. Quorum majores ut Normannicam ſervitutem, ac Hollandicam dominationem excuſſere, ita nos ſoli degeneres huc uſque, ignobiles animos inhoneſtaq; pectora novis iſtis viliſſimiſq; cenſoribus mancipavimus. Reliqui vero vicini, ſocijq; noſtri, ne iſta turpia, & horrenda paterentur, in fædus coïvere, gnari concordiâ res parvas creſcere, diſcordiâ dilabi & concidere. Atqui iſtius fæderis copiam miſeratione ſociorum accepimus; ut ſepulta virtus noſtra ſe erigeret, ac nos ſemel memores patriæ vacillantis, omnem ignaviam, metumque generoſis ani-

animis excuteremus. Ratum quoque idipſum fœdus fecimus, quantum in no- cIↃ. IↃ.
bis fuit, & æquiſſimam cenſuimus ſupplicationem, quam Henricus Bredero- LXVI.
dius Margaretæ Gubernatrici obtulerat. Eâ opinione ſubnixi populum in ju-
ſtos cœtus convocavimus, & ne ſuperſtitionum ſervi eſſemus, templa à ſordibus
depurgavimus, ſtabilijmuſq; religionem noſtris congruam. Vt paucis dicam,
Libertatem nobis, aut ſaltem imaginem, eius paravimus, iſtorum hominum
machinationibus adverſam, qui in ultimam ſervitutem protruſos nos vellent.
Inde Arembergij minaces litteras, & heſterno die Philippi Edictum accepimus,
juſſique ſumus ea dimittere, quæ magno conſtiterunt. Redonare hoſtibus ini-
miciſque noſtris templa, Curias, Collegia, Magiſtratus, dignitates, & opes,
& brevi omnia iſta, quæ juſtis titulis poſſidemus, nobis econtra reſervare
contemptum, infamiam, egeſtatem, exilium, mortem, & hac ipſâ peiorem
æternam ſervitutem. Id namque neceſſario eventurum eſt, ſi Edictum hoc pu-
blicemus, quod ego, ſalvis circumſtantis coronæ judicijs, ſupprimendum cenſeo.
Quin ſuadeo potius, Concives, ut memores fœderis, & ſanctiſſimi nexus,
quo nos invicem obligavimus, perſeveremus in propoſitio, parati res noſtras
atque ſanguinem conſecrare Libertati, quam recidere in ſortem fortibus egre-
gijſque viris non tolerandam.

Tum cricumſtantes dexteras erexere, perorantiq; Dyoniſio pronis *Philippi E-*
vultibus aſſenſum eſt. Cæteri qui cætui ſe ſubtraxerant, poſtridie eo- *dictum ſup-*
dem in loco ſe ſiſtere juſſi, mulctâ, niſi præſto eſſent, Carolini au- *primitur.*
reï indictâ. Ibi perrogatis populi ſuffragijs iterum de ſupprimendo E-
dicto decretum factum, proficiente nequicquam illorum ſeceſſione,
qui iſti reï vehementibus ſtudijs adverſabantur. Itaque Hector Æbin-
ga vir nobilis, & ab illo decreto alienior, etſi in ordinem ſagittario-
rum cooptatus, Hallemum ſe conferre juſſus eſt, ac curare ampliſſimas
poſſeſſiones, quas illo in diſtrictu plurimas hæreditario jure tenebat.
Non egere quippe libertatem populi iſtiuſmodi defenſoribus dicebant,
quibus periculum creare crudis illis civilium furorum temporibus, immo- ANNO
deſtæ locutionis præceps temeritas poſſet. Tum XVII. Kal. Ian. ma- cIↃ. IↃ.
gnum illud Dominicæ cœnæ myſterium Leovardiæ adminiſtratum eſt, LXVII.
accipiente illud è primis Tarquinio Valleſio Conſule. Cæteris longo
ordine accedentibus, ut magnum Eccleſia incrementum ſenſerat, ea-
dem communio facta. Nec multum poſt quatuor Curijs populi, etſi
ſeorſim, convocatis (quas Hoecani, Kempemani, Mennemij & Olde-
hovij conſtituebant) Magiſtratus creandis tribunis cohortium ſe dedit,
ne illâ teneritudine ac infantiâ libertatis publica quies occultis machi-
nationibus obturbaretur. Urgebat namq; Magiſtratus, ut Sagittarij,
penes quos jus eligendorum Tribunorum erat, iiſdem Tribunis pote-
ſtatem facerent cum Senatu urbis agendi, conſulendi, ſtatuendique
quod è re civitatis eſſet, tabulæque mandatorum, & procuratio-
nes Tribunorum ad arbitrium Senatus formarentur. Sed diviſâ
urbe, & ſagittariorum collegio in diverſa ſciſſo, paucorum contu-
macia Senatus conſilijs obſtitit. Hoc quippe cavebant Sagittarij par-
tis adverſæ, ne quid juramento Philippo regi præſtito decede-
ret, omneque civitatis commodum, & actiones Senatus, cum ſacra-
mento populi, & Philippi imperio convenirent. Ita Paulus Brecke-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXVII. rus, Henricus Tarquinius, Bernardus Sirxma, Theodorus Haringius, & Nicolaus Staſius interceſſere. Alij immodeſtius pro affectuum lubidine agebant. Neque enim deerant, qui ſcriptis clam proteſtationibus libelliſque criminationum (conciliandæ apud Arembergium ac Margaretam Gubernatricem gratiæ) populum divellerent, publicèq; confidentes & turbulenti, violatam a fœderatis juriſ-jurandi religionem clamitarent. Sibi quippe Philippo Caroli Cæſaris filio & hæredi Anno cIↄ. Iↄ. L. & poſt Anno cIↄ. Iↄ. LV. Regi Principique præſtitum juriſ-jurandum, integrum, intemeratumque fuiſſe, neque miſcuiſſe ſe turbulentis eorum conſilijs, quorum manus intactæ ſacrilegijs non eſſent. Quæ res cum ſeditionibus datura cauſam videretur, Magiſtratus Henricum Tarquinium, tanquam incentorem turbarum in cuſtodiam dari juſsit, quo cæteros ab effræni licentiâ commodius deterreret. Reperio Antonium Iodocium notarum autorem, Conſuli Allæo Tereſio de ſiſtendo caviſſe, Magiſtratumque, ne quid in innoxios ſtatuiſſe videretur, acta proteſtantium Pontificiorum in populum vulgaſſe. Paulum quoque Breckerum hominum peregrinum, & quod in matrimonio nobilem fœminam teneret, ad dignitatem Præturæ evectum, à Suffrido Bejemo viro nobili in regio Senatu fruſtra accuſatum, materiem ſuæ defenſioni à vehementibus in Philippum, & Romanam religionem ſtudijs mutuaſſe. Ita ſurſum deorſum magnâ diſſenſione animorum res Leovardienſium volutabantur, donec Arembergius è Tranſiſulaniâ redux (in quam ſedandis motibus cum quatuor Germanorum peditum cohortibus, & aliâ Equitum levis armaturæ profectus erat) ſuo in Bergumanos adventu, Pontificiorum animos, & juxta fortunam erigeret. Qui vocatis ad ſe confeſtim militarium copiarum tribunis, Iacobo Huſingio, Quirino Lacceio Burano, Erneſto Mulartio, Foxio Haſſeltano, & Ioanne Splinterio, parari ultionem nuperis ſeditionibus non obſcuris indicijs innuebat. Cui, etſi ſalubrius remedium ordinare Margareta, adjuta Belgici regijq; Status concilio, potuiſſet, ſopiendis coërcendiſq; turbis validum, ita econtra muliebri temeritate, aut magnitudine periculi perculſa litteras in Hiſpaniam ad Philippum dedit, quibus civilium motuum ſeriem exponebat. Vaſtata templa, innovatos divini numinis cultus, oppreſſam autoritatem regnantium, & quidem de eorum conſilio, quos olim Carolus Cæſar, aut Philippus filius ſui imperij exordio, dignitate Equeſtri, Aureiq; Velleris inſignibus ex inſtituto Burgundicæ domus donaverat. Rogare itaq; Philippum, ut rerum per Provincias ſuas nutantium miſertus, ex Hiſpaniâ in Belgicam properet, mobilem facile populum ſuâ majeſtate ac præſentiâ compreſſurus. Quod Margaretæ conſilium expendens ſecum Philippus, convocatis regni proceribus, de componendis Belgicæ turbis conſultavit. Erant, qui popularem illum morbum, (quem ex immodeſtâ potentum dominatione ortum non ignorabant) lenioribus medicamentis curandum cenſerent, perſanandiſque tumoribus optumum ſemper remedium Quietem fuiſſe. Parum gloriæ ex civili bello ſperandum, multum periculi. Hoſtem autem, ſi bellum rex velit, non longè quærendum importunis adhuc Otthomannorum furoribus & Africæ orâ nuperis etiamnum bellis, & inſidijs

dijs Maurorum infidâ. Belgas enim peculiari Principum reverentiâ, velut religione quadam numinis, ad obſequia redituros, ſi recludi clementiæ ſecretum ſpectent, & regiæ iræ impetum lenitate fractum. Alij verò bellum & arma ſuadebant, reſpuentibuſque velut medicinam malis, ferro atque cauterio utendum. Animum quippe Belgici belli Philippo, jam dudum, nunquam cauſam fuiſſe, quam nova populi fædera, & defectiones, turbæ nunc & ſacrilegia ſuppeditarent. Auferendam itaque libertatem, omnis licentiæ fomitem & Remp. regno per bellum mutandam, quod ſolo etiam fiſci nervo trahi queat. Ita decretum de inferendo Belgicæ bello Madriti in Hiſpaniâ perſcriptum, autore præcipuo Antonio Berennotto Epiſcopo nuper Atrebatenſe ac Cardinale Granvellano, quem ut Belgicæ libertati gravem, querimonijs Principum Aurei Velleris inductus, Philippus in Burgundiam poſt Hiſpaniam ſevocaverat. Ipſe verò Philippus curam adminiſtrationemque gerendi belli in ſe recepit, ordinatâque per Sábaudos, Burgundos, & Lotharingiam profectione litteras in Friſiam præmiſit, quibus ut ſui adventus, (quod poſtremo Gandavenſi conventu Ordinibus Provinciarum promiſerat) certiores Friſios faciebat, ita ad pacis concordiæq; ſtudia illius oræ populum hortabatur. Dies quoque ſupplicationum iſti rei proſperandæ ordinatione Philippi ac Pij IV. Pontificis per Friſios indicti, ne adverſitate votorum auſpiciorumque magnos armorum apparatus, & longinquum ex Hiſpaniâ itiner Philippus inchoaret. Quod propoſitum alij diſſuadere, commodo, aut ambitione, allegare domeſticas imperij curas regnumque rectore vacuum relinqui non poſſe. Fore namq;, ut Philippo externis bellis occupato, interna per Hiſpaniam reſurgant, breves intra annos repreſſa, ſed quorum vulnera, aut ſaltem ſenſus in illuſtribus familijs extaret. Præter hoc arma, & eventus bellorum volubili fortunæ ſubjacere, cui committendum auguſti capitis pignus non ſit, in quo tot nationum, populorumque ſalus verſetur. Eſſe mare vaſtum & turbidum, aut intermedios hoſtiles agros, tum adventurum Regem eo locorum, ubi omnia infida, & popularium tumultuum plena ſint.

CIↃ. IↃ. LXVII.

Diſcurſus de Philippo.

Bellum decernitur.

Philip. in Belg. parat.

Quare ſatius eſſe cum imperio, ac exercitu in Provincias Belgicæ Legatum Præfectumq; mitti, facturum quæ rex juſſerit, & minore infamiâ decretâ ſævitie uſurum. Sic mutato Philippi conſilio, ſupremum belli imperium in Ferdinandum Albanum devolutum fuit, æmulo nequicquam Carolo Principe Philippi primogenito, quem Anno CIↃ. IↃ. XLV. è Mariæ Portugallicæ priore matrimonio ſuſceperat. Is namqne regiæ indolis vigentiumq; annorum Princeps, gerendo bello, aut adminiſtrando per ætatem imperio capax, in hoc maxume adnitebatur, ut repreſſâ inimicorum aulicorumq; potentiâ, Belgicæ præficeretur, ſuæque apud populum illum gratiæ non vanus æſtumator, nullo ſanguine, cæterum vacuum ſibi diſſenſione imperium aſſereret. Sed civile Carolo ingenium, & ſtabiliendæ, ut creditum fuit, Belgicæ Libertati pronum, Philippo patri diſplicebat, cuius animus per icti fæderis & infælicium turbarum recentem memoriam, triſtes civilis licentiæ vindicias per Præfectos meditabatur. Quare Leovardij, ne ſtudia quærendæ libertatis, & nupera urbis tempeſtas in exitium ſuum vertere-

Albanus deligitur Dux

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. teretur, Serapium Hania Iure-Conſultum, Conſulatum tum gerentem, & Allardum Iacobæum Senatorem oppidanum, una cum Gisberto Aernſma, ac Frederico Inthima in ſupremâ Curiâ cauſarum patronis ad Arembergium misêre, ne in causâ reformatæ Religionis, quid novaretur, ſed eadem permiſſa, omnibus ſingulisq; publicæ pacis beneficium eſſet. Cæterum Arembergius contectam animo offenſam ægre occulens, ſeverius reſcripſit, ſtatuitque ut reformati miniſtri ad III. Eid Ianuar. ante Solis occaſum Leovardiâ excedant, neque recipiantur in poſterum, ſub pœnâ regiæ indignationis, & publici judicij. Reſcripſit quoque ut Ædilitiæ poteſtati, quos comites aggerum vocabat, omnem templorum ornatum, cultumque numinis veterem reſtituant, curentque ne quid diſcrepans contrariumvè moribus ceremonijſque antiquis intra urbem habeatur. Hæc VI. Eid. Ian. in cœnobio Bergumano acta. Tum ipſi etiam Pontificij, ſui metuenters veniam Arembergium orarunt, teſtati propalam.

LXVII.

Legati Leovard. ad Aremb. miſſi.

NUpero illo urbis motu iiſdem animis erga regiam Majeſtatem ſe affectos fuiſſe, quos quinquageſimo, & dein quinto poſt anno ſolemni illâ Philippi Principis inauguratione profeſſi eſſent. Quale nec in partes factionum pertractos ſacramentum variaſſe, cæterum abſtinuiſſe facinoribus, quæ præceps furor paucorum, ſpretâ regnantis Majeſtate ſuaſiſſet. Qui propterea etſi jure ſtatuere quid poſſet iſtis furoribus & inſolentiâ dignum, tamen non dubitare ſe, quin pro clementiâ ſuâ daturus veniam ſit Philippus Rex, & quidem iis præſertim, in quorum animis ac conſcientiis incorrupta fides habitaret. Paratos ſe etiamnum eſſe, ſacramentum dicere ad arbitrium Præfecti, modo ne publico civitatis juri quid decedat.

Ita Hector Æbinga, Hero Burmania, Vitus Cammingha, Allardus, Bernardus, & Dodo Sierxmani, Tetardus Isbrandus, D. Iacobus Cantor, Paulus Breckerus, Theodorus Haringius, Ioannes Iacobæus, Nicolaus Staſius, Simon Regnerus ICtus, Isbrandus Prutius, Vitus Gelius, Carolus Meinardus, Douwo Suffridæus, Everardus Ioannis, Albertus Ruſſius, Benedictus Gerbrandius, pro ſe & Bernardo Gerbrandio, Fecco Broecmannus, Auco Menenius, Gerardus Henricius, Thomas Laurentius, Paulus Iohannis, Lucas Staſius, Franciſcus Theodori, Hermannus Nyenhovius Iureconſ. Franciſcus Tetardius, Adrianus Henricius, Martinus Breckerus, Dominicus Franckenius, Vibius Gerartius, Weſſelus Ioannis, Nicolaus Suffridæus, Ritſco Tadæus, Gellius Menenius, Ioannes Nyenhovius, Cornelius Nicolaï, Egbertus Everardi, Petrus Everardi, Allardus Gualterius, Cornelius Fredericus, Thomas Hermannus, Adrianus Thomæus, Georgius Folckertius, Henricus Serapius, Wilhelmus Buitenſis, Hoito Meinſma Iureconſ: Nicolaus Sixtinus, Isbrandus Andreæ, Benedictus Francetus, Matthæus Sluſius, Franciſcus Sluſius Advocatus, Iohannes Everardus, Henricus Gerartius, Oeno Hemkenius, Nicolaus Bredanus, Iaocbus Harbaius Iureconſ. Botto Leoninus, Everardus Bartoldius, Buwo Foppius, Gualterus Wilicius, Otto Ioannis, Elco Ludolphus, Hermannus Tzomæus, Goſſo Hanſonius, Bartholomæus Nicolaus Cultrarius, Petrus Harmanni, Auco Auckius, Gellius Ioannis, Adrianus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Harmanni, Suffridus Ulpius, Cornelius Edgerus, Iacobus Iorritius, Georgius Hanſonius, Ulpius Hinnæus, Ioannes Faber, Nicolaus Atſonius, Iacobus Algerus, Ioannes Nicolaï Oeganus, Sixtus Lamberti, Egbertus Regneri, Ento Hanckenius, Gerardus Buvonius, Quirinus Vitus, Ioannes Sagittarius, Henricus Tarquinius, Folckerius Nicolaï, Goſſuinus Ioannis, Hilarius Suffridi, Rutgerus Lanio, Allardus Feckenius, Leonardus Danckartius, Sapo Feddonius, Elingus Vitius, Petrus Bervicius, Anthonius Iodocius, Sixtus Theodori, Henricus Anthonij, Antonius Henrici, Antonius Boſmannus, Gaſparus Hyeronimus, Cornelius Landemannus, Gerardus Iaſperis, cum Bernardo, Gerardo, & Tabbone filijs, Thomas Cornelius, Vincentius Gerardi, Warnerus Egberti, Godefridus Ioannis, Feddo Goythiæus, Siricius Goſuini, Petrus Magirus, Ebius Wolſius, Ielco Gabinius, Gerbrandus Petræus, Andreas Hanſonius, Gerardus Hermanni, Nicolaus Albartius, Thomas Belteſius, Bernardus Ioannis, Georgius Ioannis, Ritſco Tadæus, Nicolaus Symonius Stellinguerff, Menenius Iuckenius, Hinno Pierius, Tiallengus Galilæus, Lambertus Lubberti, Adrianus Ioannis, Viardus Wermoltius, Lælius Pierius, Buwo Gulielmius, Henricius Hoecanus, Mauricius Theodori, Ludolphus Brouwerus, Buwo Douwonis, Ioannes Ioachimus, Vopco Aylius, Tiebbo Buwonius Iureconſ. Bernardus Petræus, Ioannes Petræus, Petrus Nicolaus, Matthias Iodocius, Otto Reinſius, Meio Hepkenius, Titus Nitterſius, Cornelius Gualterus, Ioannes Adamius, Federicus Henricius, Hector Hanſonius, Anthonius Capſarius, Iacobus Faber, Auco Douwonius, Petrus Abbæus, Regnerus Franciſci, Bernardus Sutorius, Ioannes Hubertus, Doco Thomæus, Hyeronimus Hania Advocatus, Ioannes Gulielmus Medicus, & Scabinus, Simon Suffridæus, Wigerus Ioannis, Iobus Iodocius, Hanſo Nitgerus, Martinus Ioannis, Heſperus Liauckonis, Iacobus Sibrandius Conſul, Matthias Rommartius, Iureconſ. & Penſionarius, Iacobus Herbajus Sagittariorum collegij actuarius, Iulius Mockama, D. Ivo Ioannis Paſtor Oldehovius, Douwo Vicarius, Bartholomæus Rinxevallius, Cornelius Colobertus, Iureconſ. D. Ielto Thomæus Decanus, D. Fecko Snecanus, D. Symon Spanebergius, D. Fredericus Adriani Præbendarius Nyenhovius, ſignavere.

CIƆ. IƆ LXVII.

Tradit Iodocius, Magiſtratus oppidani Legatos eodem die cum Pontificijs Bergumi convenientes, inſpecto Pontificiorum libello ſupplice ejuſdem ſubſcriptionem obtuliſſe, Pontificioſq; ſuâ innocentiâ ſubnixos, & ſeorſim patrocinio ſuæ cauſæ uſos, id modeſte recuſaſſe. Itaque Arembergius loquendi copiâ Tarquinio Valleſio, & Allæo Teješio Legatis Magiſtratus factâ, dimiſſis repente Pontificijs, poſtulata quædam exhibuit, quæ ſuppleri ocyus, non falſo perturbatæ mentis indicio flagitabat. Ea hæc erant.

Poſtulata Arembergij

Senatus populuſque Leovardiæ urbis mandato VIII. huius menſis die facto (de exterminandis ſcilicet Miniſtris) pareto.

Novam Religionem aut fœdera non habeto, facitovè; ſi quæ facta ſint, reſcindito.

Decreta Philippi Regis pro more publicato.

Tor-

cIↃ. IↃ. LXVII. Tormenta, pulverem, omniaq; inſtrumenta Belgica, Arembergio permittito.

Ruardum Roordam, Valerium Cammingham, Douwonem Doumam, Goffonem Æbingam, Serapium Haniam, Tarquinium Valleſium, Allæum Tejeſium, Wibrandum Elconium, Sibrandum Sibrandium ſponſores obſideſve dato, ſi recuſent, alios ſubſtituito.

Ab Inquiſitione, Edictisque nuperis, ut & militum præſidio, immunis eſto:

Concordiam pacemq; publicam curato, eâ ſervatâ, ſponſores obſideſvè poſt annum liberi ſunto, veniaque eſto.

Margareta Gubernatrix (à cuius voluntate totum negotium, dum aliter de conſilio Ordinum Belgicæ, rex decernat, pendebit) ſi approbaverit; omnia rata firmaque ſunto.

Quæ ab Arembergio III. Eid. Ian. in Bergumanis ſignata, ac Leovardiam à Legatis perlata.

Ibi coacto confeſtim Senatu, cæteriſque de quorum ſecuritate ac periculo agebatur in conſilium adhibitis, mandata Arembergij Legati expoſuere, ad quorum ratihabitionem offenſi regis potentia, & indignatio Præfecti, tum maxumè civiles diſcordiæ ſtimulabant. Ab aliâ parte, quo minus Arembergij mandatis obſequerentur, ſacramentum fæderis, & clam initæ ſocietatis, tum, quæ magnum in animos hominum jus atque imperium habet, libertatis cupido dubium Senatum remorabantur. Cæterum ſuſpenſa & ardua conſilia formido imminentium, & domeſtici cujuſque pignoris cura, & ſimul miſeratio abrupit. Itaque decreto Senatus ratihabitio perſcripta, ſponſoreſque in Senatum evovati fidejuſſoriam cautionem præſentaneis periculis interpoſuere. Tabulæ eâ de re XIX. Kalend. Febr. ſcriptæ, & Ruardi Roordæ, Valerij Camminghæ, Douwonis Doumæ, Goffonis Æbinghæ, Serapij Haniæ, Tarquinij Valleſij, Allæi Tejeſij, Wibrandi Elconij, & Alberti Iacobæi manu ſignatæ. Tum à Senatu primoribuſque civium, quos jam ante communio juris, fæderiſvè obligaverat, ſponſorum indemnitati proſpectum, actaque ea de re confecta Serapius Hania, Tarquinius Valleſius, Allæus Tejeſius, Albartus Iacobæus, B. Ioannis, Ioannes Symonius, P. Petræus, H. Ayſma, G. Florentius, Ioannes Franciſcius, Wibrandus Elconius, Hector Sixtinus, Franciſcus Gerritius, W. Arnoldius, Nocolaus Ioannis, Franciſcus Regnerius, Cornelius Gellius, F. Amckius, Cornelius Florentius, Elco Valerius, Ioannes Lambartus Senior, Suffridus Gerbrandius Beima, Heſſelus Tarquinius.. T. Petræus Teetlum, Leo Petræus, Ioannes Gommartius, Arnoldus Everardus, Michaël Melius, Eilardus Meinardus, Abbæus Udius, Iarichus Wopconius, Henricus Iarichius, Wibrandus Wibrandius, Petrus Arnoldius, Auco Emius, Petrus Tevius, Ielbo Iacobus, Iacobus Sibrandius, Ioannes Wilhelmi Velſius, & Dyoniſius Wingia confirmavere. Dein Arembergius ne conventio vacillaret, & ne potens civitas ad capeſſendam per arma defenſionem accenderetur, veniam anteactorum fecit, nihilq; in corpora, ac res fortunaſq; civium & Senatus è causâ innovatæ religionis, anteactarumq; turbarum ſe ſtatuturum fidem dedit, ſcriptoq; com-

Conventio inita.

communijt. Hoc tantum cavit, ut pro præſidio juſto comitatui, & Prætoriæ equitum alæ intra urbem locus eſſet, quam Leovardij non ignorarent cuſtodiæ corporis deberi. Spondebat præterea, ſi fortè Margaretæ Gubernatricis aſſenſus non ſubſequeretur, ſe daturum operam, ut urbe, ac Provinciâ exceſſuri periculi præmoneantur, juſtumq; fugæ ſpatium deſerturis patriam aſſignetur. Quæ ad Margaretam Gubernatricem tranſmiſſa, magnis negotijs tum implicitam, & ſui metuentem, tamdiu efficacia fuere, donec adultis viribus & circumfusâ nihil ſiniſtri metuentibus infidi Regis potentiâ, clarorum civium exilijs fortuna, & vanitas fallacis aulæ probaretur. Quapropter Margareta, ut animum oſtenderet ab extremis conſilijs, & ſubjugando per vim populo non abhorrere, hoc etiam caverat: Ne, quod inter Leovardios, & Arembergium de præſidio actum erat, exemplo eſſet, cæteroſq; Præfectos Arembergio ſucceſſuros obligaret. Itaque fide publicâ, aut ſaltem eius imagine per Legatos acceptâ, omnia ſecuritatis plena videbantur, niſi quod miniſtri ſtato die Prid. Eid. Ian. urbe ejecti magno & velut domeſtico luctu totam urbem complevere. Scribit Iodocius, eos à Tarquinio Valleſio cæteriſque fœderatis inclinante die deductos, ac in exilium prægreſſos mutuis ſolatijs tædia temporis, & moleſtiam inſtantis fugæ levaſſe. Fæminas quoque conſulares, & patritias ut mollitie ſui ſexus, ita miſeratione abeuntium correptas profuſis in ſinum lachrymis, & illuvie corporum ſquallentes, importuno dolori ſuccubuiſſe. Tum XII. Kal. Febr. fana refecta, omnique templorum ornatu ex pacto reſtituto, Pontificij ad intermiſſa divini cultus exercitia rediere. Supellex quoque ſacra & æs ſignatum, (quod elapſo autumno antiſtites cœnobiorum extra Provinciam non tam direptionis metu quam explendæ avaritiæ ablegaſſe Senatus regius criminabatur) cænobijs tum reſtitutum, omneq; injuriæ crimen, & religionis odium, ut oblivione præteriti temporis obductum, ita concordi amicitiâ penſatum eſt. Mox armamentario urbis reſerato pulvis tormentarius, globique ferrei in arcem comportati, æneæque machinæ ſumptu civitatis, inteſtino, & factionum bello fuſæ Arembergij uſibus ceſſere. Qui compoſitâ cum Leovardijs lite, ut omnem intra Fleyum Lavicamque Provinciam ad exemplum compreſſæ urbis formaret, ad prætores Grietmannoſvè litteras dedit, quibus ſtatuebat: Ut reformati Miniſtri intra triduum provinciâ, ſextiduum vero ditionibus Philippi, ſub pænâ capitis excederent, redintegratiſq; per Friſiam fanis ſacriſq; locis ijdem Prætores Romanam Religionem reſtitui curarent. Dein convocato Senatu Regio de habendo Leovardiæ Comitio propoſuit, ſextumque Kal. Febr. diem conventui Ordinum in æde (quam circa annum CIƆ. IIIIC. LXXXVII. fundatam in archivis Leovardiæ urbis reperio) Iacobæorum deſignavit. Ibi per Carolum Nitzenium præſidem Senatus eadem fere cum ijs, quæ Leovardijs obtulerat, poſtulata exhibuit. Hoc verò maxumè urgebat, Ne quod fædus Ordines facerent, nupereque inito, niſi excludi à conventione vellent, renuntiarent ocyus. Ratihabendis quoq; poſtulatis idoneos ex Ooſtergois, Weſtergois, Sylveſtribus, & Oppidanis ſponſores dari ſibi petijt, totamque actionem arbitratui Regis, aut Margaretæ Gubernatricis permiſit.

Margaretæ interpretatio.

Miniſtrorum exceſſus ex urbe.

Pontif. res reſtabiliuntur.

Edictum.

Conventus Ordinum.

CIƆ. IƆ. LXVII.

cIↃ. IↃ. LXVII. miſit. Voluit quoque, ut Ordines Friſiæ, quod numero plures eſſent, triginta aut circiter Delegatos è ſuo cætu ederent, ijſq; poteſtatem amplam facerent ſecum, & Senatu regio de rebus controverſis agendi. *Ordinum querela.* Ordines verò, etſi in conſtituendo certo Delegatorum numero minima difficultas eſſet, peſſime habebat, quod actioni inchoandæ univerſum Senatum Arembergius deſtinaret, ac quibuſque peregrinis (qui ex inſtituto Burgundicæ Curiæ in iſtum Ordinem cooptabantur) arcana reipub. & jus partium tanquam ſuſpectis arbitris committeretur. Quare Valerium Cammingam, & Doconem Martnam, viros è primariâ Nobilitate, & ſcientiâ rerum claros ad Arembergium miſère, qui de eo referrent, ac ut ſoli inquilini Senatores actioni comitioque pro more patrio intereſſent, poſtularent pertinacius. Quod etſi Arembergius ferret ægrius, ita morem petentibus geſſit, binoſque Senatorij ordinis, & nobilis proſapiæ viros, Tiallengum Eyſingam & Petrum Frittemam, faciendis actorum relationibus delegit. Tum Friſiæ Ordines ab Arembergij poſtulatis orſi grates eï egere, quod ut ante Leovardios, ita tum Friſios quoſque Edictorum aſperitati, & durioribus Inquiſitorum imperijs exemiſſet, Friſicæque genti cum cæteris Philippi Provincijs jus indiviſum fore in ijſdem poſtulatis declaraſſet. *Ordinum Poſtulata.* Hoc tantum volebant Ordines; Ne cui Friſio in cauſâ Religionis vis fieret, & ne in corpus liberi hominis, aut etiam fortunas aſperiore judicio ſæviretur. Cenſebant quippe illâ Margaretæ Gubernatricis cum fæderatâ Nobilitate pactione licentiam immodeſtæ coerctionis imminutam, & duriorum Iudicum officia per vim conventionis refrænata. Ea propter aſſerebant, Arembergium veniam anteactis inconſultâ Margaretâ Gubernatrice pro jure Præfecti largiri poſſe, ſocioſque ſuæ imbecillitatis pænitentiam profeſſos illuſtri clementiæ exemplo donare. Quod verò ad publicationem Edictorum Philippi attineret, eam ſe facturos more uſitato, modo ne Edicta conventioni inter Margaretam fæderatoſque initæ, aut juri patrio adverſarentur. Sponſionem verò pro exequendis poſtulatis præſtare, ut nec juris, ita nec poteſtatis ſuæ eſſe, lubricis in lapſum mortalium ingenijs, & unius crimine per alterius innocentiam non expiando. Itaque patrijs legibus etiam ante Saxonum tempora validâ libertate, poſt etiam Carolo Cæſare Anno cIↃ. IↃ. XXIV. & dein Anno cIↃ. IↃ. XLV. ſancitum fuiſſe, ne ex alterius delicto quis conveniretur, & ne paucorum culpa in omnium pænam excurrat. Poſſe Arembergium ſubſidio juris adverſus ruptores pactionum uti, ac vi tacitæ obligationis, quâ delinquentium bona fiſco ſubjacent, injuriam ſpretæ, ac violatæ legis vindicare. De Fœdere ajebant Ordinis, id ad ſe non ſpectare, & ex veteri juris formulâ ab alijs ictum, per alios diſſolvi debere. Rogare itaque Arembergium, ut militem quietis ſecuritatiſque publicæ perturbatorem finibus amoveat, præſtetque Provinciam ab omni violentiâ militum, graſſatorumque immunem. Hæc Ruardus Roorda, Douwo Douma, Iulius Dekema, Hero Ockingha, & Douwo Roorda poſtulatis Arembergij reſponderunt. Fæderati verò ſeorſim.

Qui ne rerum ſuarum, ac famæ diſcrimen facerent, & ut defenſione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ſione communium Provinciæ Ordinum ſe munirent, Prid. Kal. Febr. cIↄ. Iↄ.
Nicolaum Cleutingium, & Arnoldum Albartum Hardervicenum in LXVII.
conſeſſum Ordinum cum hac obteſtatione ablegavere: Non cenſere *Fæderatorum acta.*
ſe, Arembergium aliâ adverſum ſe actione uti poſſe, quod renuntiatio fæderis per conventionem Margaretæ, ac fæderatorum facta videretur, & quod eadem conventio omnem ſocietatem, & cum eâ, ſi quæ fuerit, noxam ſuſtuliſſet. Ideò ſcilicet eandem conventionem de voluntate Margaretæ Gubernatricis per Friſios publicatam, ne priorum memoria extaret, & ut omnium offenſionum materies æternâ oblivione ſepeliretur. Et quoniam Arembergius exemplar fæderis, ſociorum nomina, & novam renuntiationem flagitaret importunius, eoſdemq; fœderatos autores publicæ calamitatis, & evocati in Friſiam militis prædicaret, ita Fœderati coram Ordinibus eorumque Delegatis fidem faciebant, Arembergij accuſationes falſis rerum teſtimonijs inniti. Nullo quippe tempore adverſus Philippum conſilia cepiſſe, non legiſſe militem, aut in uſum ſtipendiorum tributa cumulaſſe, cæterum ea feciſſe, quæ fidelium ſubditorum officia, & ſacramenti lex poſtularet. In eo propoſito perſiſtere paratos eſſe, modo ne publicæ pacis beneficium ſibi adimatur, & in ipsâ patriâ ac natali ſede, cujus ſanctiſſimum affectum in omni actione præferrent, ætatem agere iniqui temporis fortuna, & inimicorum invidies non vetaret. Daturos interim operam, ut copiam Fœderis Ordines habeant, experianturque ab omni malitiâ, ac flagitio alienos, ipſo Fœderis conſilio nihil aliud, quam Divini nominis gloriam, Regis, & Patriæ commodum quæſiviſſe. Iſta Epæi Doumæ, Suffridi Bejemi, Renici Gerlacij, Hartmanni Galamæ, Wilconis Holdinghæ, Sibonis Sceltamæ, & Edonis Heringhæ cæterorumque Fœderatorum nomine à Nicolao Cleutinghio, & Arnoldo Albarto Hardervicено actuarijs perſcripta, ac Ordinibus Provinciæ exhibita. Hoc verò maxumè ſpem conciliandarum partium, & cæptæ conventionis præpediebat, quod Arembergius in perferendis reſcriptis apparitore, homine importuno uteretur, & quod Iacobum Elpendamum (is Brederodio à ſecretis) virum nobilem, & fæderi ſocium, Suffridi Beyemi domo extractum in cuſtodiam, mox publicum carcerem dediſſet. Metuebant namque Ordines, ut idem non ſemel religionem Fœderis profeſſis accideret, & ut ipſi curâ aut miſeratione propinquorum, affiniumque periculoſis interceſſionibus involuti, eiuſdem diſcriminis, & juxta invidiæ magnitudinem ſentirent. Quapropter miſſis ad Arembergium Docone Martena, & Ruardo Roorda fideï publicæ cautionem popoſcere, ne, dum lege & ex æquo agerent, Arembergius doloſis artibus, & inſperatis inſidijs ſecuros circumveniret. Quâ acceptâ, hoc etiam fœderatorum nomine propoſuere, ut quoniam exhiberi tabulas fæderis urgeret Arembergius, fæderatis ad ſocios eundi poteſtatem faceret, ut de reſcindendo fædere conſultarent, quo ſolvi ſe non poſse ſine aſſenſu ſociorum, & læſione famæ Fæderati aiebant. Neque enim violati fæderis maculâ adſpergi ſe velle, aut deſciſcere à ſocijs impendentis periculi metu: ſemel quippe fidem fæderi datam, miſeratione infælicis patriæ, ne ferret dominos libertati graves, & ipſi Philippo minus æquos, cui parere è formula

Elpendamus carceri datur.

Ordinum querimonia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. mulâ antiquarum conventionum animus adhuc, atque ingenium eſſet. LXVII. Volebant intereà tam Ordines, quam Fœderati, ut venia anteactis eſſet, ac ut Arembergius ad Gubernatricem eâ de re ſcriberet, poteſtatemque impetraret condonandis offenſis validam. Hæc Ruardus Roorda, Doco Martna, Edſardus Grovenſteinius, Heſſelus Mockama, Heſſelus Feitzma, Siuckius Emingha, & Ioannes Aylva, cæteriq; Ordinum, Fœderatorumq; retulere. Cæterum Arembergius liberiore reſponſo excandeſcens Fæderatis objecit. Non potuiſſe eos in nova fœdera coïre, obligatos adhuc Philippo regi, cuius obſequium, nec apud Margaretam Gubernatricem, aut ſe Præfectum exuiſſent. Itaque geminaſſe juſ-jurandum, quod ij facere ſolent, qui venales animas Principum imperijs profeſſi antiquam fidem novâ eluunt. Quin recordarentur à Rege ac Principe ſuo deſciviſſe ligatos adhuc veteris obſequij lege, neque proteſtatione apud quenquam uſos, conſilium ſecutos fuiſſe licentiæ, & fæditatis plenum. Quare militem exautorare, ac præſtare intactam præſidio Provinciam non poſſe, niſi ad ſanas mentes Ordines, Fœderatique redeant, deprecatique veniam enormium, offenſi Regis gratiam exorent.

Arembergius excandeſcit.

Ordinum declaratio.

Quâ longâ & acri contentione factum eſt, ut Friſiæ Ordines pro ſe & Fœderatis propalam teſtarentur; Approbare ſe jam ante dicta factavè, neque ſpe impetrandi favoris, aut metu imminentium periculorum receſſuros à jure ſuo, quin daturos potius illuſtre conſtantiæ documentum, quo jus patriæ retinendum, aut ſimul cum eo ſubeundum diſcrimen decernant. Pereunte patria periculo ſolatium fore, vana jam dudum ad avitas leges, & Principum fidem provocatione, cujus fructum adulta poteſtas, & novi dominatus inſatiabilis cupido ſuſtuliſſet. Ita namque Anno cIↄ. Iↄ. xv. ipſâ Caroli per Friſiam inauguratione conventum fuiſſe:

VT omnis, ſi quæ obveniret, Carolum inter, populumque Friſicum, Diſſenſio, per quatuor Arbitros componeretur; judicandæque liti bini è Friſijs, totidemque pro Principe ederentur. Carolus quoque in fines Provinciæ militem non induceret, omneque controverſum ex pactione Anni cIↄ. Iↄ. xxxi. Præfecto, Senatuique ſuo decidendum daret.

Ita Ruardus Roorda, Doco Martna, Valerius Cammingha, Dominicus Hottingha, Barthius Idzarda reſcripſere. Creditum fuit, Arembergium ſpectatâ Ordinum pro tuendo patrio jure, fide, atque conſtantiâ, implacabilem tum animum induiſſe, ſpretâque nuperâ pactione cum Leovardijs initâ, pejora, &, concordiæ infeſta conſilia cæpiſſe. Itaq; dimiſſis præfractè Delegatis, conventus quoque ipſo-

ipſorum Ordinum Leovardiæ ſolutus eſt, curſuque præcipiti, velut cIɔ. Iɔ.
flexu ſyderum ſolet, cum fragore ſe aperiens futura tempeſtas proce- LXVII.
rum ingenia diſſociavit. Scribit Iodocius, iſto conventu de reſcindendo præſertim fœdere Arembergium egiſſe, Delegatiſque Ordinum, modo renuntiatum fœderi foret, læſi regis gratiam, & reſtitutionem in integrum addixiſſe. Cæterum mihi res patriæ evolventi penitiùs, ſecus notatum, Arembergiumq; nullo pacis conſilio, militem hoc tempore clàm collegiſſe, eundemq; adultâ demum æſtate in ſpeciem dimiſſum, ac edicto Senatus regij coërcitum, Provincialium rebus damna, atq; moleſtiam dediſſe.

Finis Libri Primi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIƆ. IƆ.
LXVII.

P. WINSEMII
Hiſtoriarum
LIBER SECUNDUS.

ITAQUE dubiâ per Friſiam pace, & Ordinum Arembergijq́; conventu dirempto, ac ſi longius à concordiâ mortalium mentes occulta fatorum vis, nexuſque cauſarum latentium abduceret, manifeſta mox graviorum diſſenſionum ſigna ſe oſtendêre. Populus namque læſi juris, & oppreſſæ libertatis ſarcinam, & ſimul infamiam ferens ægrius, novis conciliabulis ſe immiſcuit, effuſuſque in publicum communicati doloris ſenſum, tacitâ indignatione, & ſecreto murmure expreſſit. Plebs verò ſuarum perturbationum & ſimul potentiorum civium manceps, incondito ac diſſono clamore omnem Leovardiæ urbis angulum complebat. Ea vociferari amiſſam libertatem, oppreſſos ſanctiſſimi fœderis ſocios, Arembergium commiſſæ ſibi genti iniquum nova, & ſervilia obſequia per nudatam munimentis urbem ſperare. Eiectos in exilium miniſtros, abducta in arcem tormenta ac pulverem, nihilque aliud ſupereſſe, quam ut patientiam minuant, inſtarque ſervorum compediti ruptis ergaſtulis in libertatem ſe vindicent, cum ipſo ſanguine, ac vitâ à laudatis majoribus relictam. Paucis quippe conſiliorum fabricatoribus omnem calamitatem ſtare, eſſeque in Senatu urbico tuendæ plebi creatos, miniſteria ſua Præfecto Senatuique regio venditantes, Præcipuè verò in Matthiam Rommartium civitatis Syndicnm mordacibus odijs invehebatur. Itaq́; factum eſt ut eidem Rommartio VII. Kal Mart. oppidanâ Curiâ, pro more egreſſo, & domum eunti periculum ſtrueretur, populuſque confertim confluens eundem Rommartium, velut piacularem læſæ libertati victimam, trucidandum clamitaret. Cæterum Rommartius ut vitæ conſuleret, ſecreto domus ſuæ derepente ſe abdidit, tnrbæque æſtuantis impetum honeſto perfugio declinavit. Quâ re perceptâ Arembergius, ſedandis exulceratis civium animis arce regia p opere deſcendit, pultatiſq́; Rommartij foribus intromiſſus, eundem in arcem regiam, quærendæ ſecuritati duxit, quam publico illo motu rerum, adſcitis in comitatum quinquaginta ſtipatoribus, ipſi ſibi Arembergius parabat. Tradit Iodocius iſto motu populi vix repreſſo, inclinante in veſperam die novum cæpiſſe, civiumq́; multitudinem in foro conglobatam, Abbæo Udio & Theodoro Guliel-

Vrbis Leovardiæ ſtatus.

Arembergius Rommartij protector.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXVII. Gulielmio, ut idem addit, autoribus, Pierio Ielgerhuſio homini Pontificio vim intuliſſe, eundemq; Ielgerhuſium publico digreſſum, & in privati domum ſe abdentem vitæ diſcrimen, & præſentaneam mortem evaſiſſe. Quare Arembergius ne illa civilium animorum efferveſcentia continuis periculis exponeretur, conſiliorum Philippi haud ignarus, Martij menſis initio duas militares cohortes in urbem evocavit, quas Quirinus Laceius Buranus, & Erneſtus Mulartius certis ſub ſignis ducebant. Snecenſibus quoque (quorum res elapſo Septembri ut & Franequeranorum inſidas fuiſſe Borræus notat) duarum cohortium præſidium impoſuit, quibus Iacobum Huſingium, & Ioannem Splinterium præfecerat. Quare ut ante edictis, ac ſeveritate legum, ita tum popularis licentia armis frænabatur, durioriſque imperij impatientiam duriora remedia ſequebantur. Philippus namq; Edicto in Friſiam tranſmiſſo, jam ante ſanxerat; Ut ij, apud quos veteris jurisjurandi religio valeret, turbandis defectorum conventibus ſe darent, eoſq; & cum ijs creſcentem licentiam pœnâ capitis, aut etiam graviore coërcerent.

Arembergius militem in urbem inducit.

Qua lege omnes armorum crimine pollutos, aut populi ſeductores puniri, eorumq; bona fiſco addici præceperat: Itaque tum Arembergius ſpreta, quam cum Leovardijs inierat, pactione, & præſidio urbi inducto, velut ſecurum imperium adeptus, adhibito in conſilium regio per Friſiam Senatu, de pellendis Friſiâ reformatis miniſtris decretum executus eſt, èq; territorio Leovardienſi Andræas Huſumanus, Aggæus Hempenius, Gellius Fintzumanus, Ioannes Corniumanus, Michaël Leckumanus, Eco, & Henricus Stenani, è Ferverdico Petrus, & Rodmarus Ferverdij, Tiebbo Marrumanus, Focco Blyenſis, Bernardus & Ioannes Wanſuertij, Valerius Hallemius, è Menaldumæo Gysbertus Deinumanus, Iacobus Marſemius, Fredericus Menaldumæus, Edo Schingenſis, Fecco Vierius, è Wonſerano Iacobus Arumæus, Sibrandus Kimſuartius, Sixtus Burguartius, Ioannes Pingumanus, Arnoldus Dedgumanus, è Winbritſerano Feito Oſthemius, Gellius Smallebruggius, Sibo Santfortius, Andræas Snecanus, Suffridus Hegius, è Lemſterano Ioannes Lemmarius, è Franequerano Egbertus, & Henricus Tjumani, Cyprianus Buranus, Wigerus Scalſemius, è Tietzerckio Gerardus Wijnſius, Sixtus Oedkerckius, Gellius Tietzerckius, Nicolaus Eeſtrumanus, è Baerderano Tyallengus Huynſius, Abbæus Weidumanus, Ioannes Boſumanus, ex Hennardæo Vibius & Wiardus Cobardij, è Biltano Ioannes duo Mariæ, & Annæ Parochi, è Dantumano Wilco Ianumius, Regnerus Rinſmageeſtanus, è Dongerano Joannes Bornuerdius, Folcardus Morræus, duo Butenpoſtij, Collumanus, & Olduoldius paſtores Provinciâ eiecti.

Miniſtri reformati pelluntur.

Reperio in armario Biltano præter hos à Iodocio nominatos Ioannem Sichemenſem Coudumanum, Sceltonem Aitzema Lutkepoſtium, Iacobum Galmerium, Betſterſuagium, Iacobum Abbæum Vreterpium, & Joannem Joannis Norderdrachtanum fuiſſe, eoſdemque purioris doctrinæ profeſſione factâ fatalem illâ tempeſtate clariſſimis optumiſque viris exilij fortunam domeſtico otio, & non ſpernendis conditionibus prætuliſſe. Unde miſeratio ſociorum, metus verò ſui, populum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

pulum, atque Nobilitatem pervaſit, haud inani conjectura præſidium militare ignaris Provinciæ Ordinibus clàm collectum, & tot innocentium capitum exilia ſtabiliendo irati Regis imperio, & exitio libertatis decerni. Itaque Ordinum Friſiæ Delegati ſuſpectâ Margaretæ Gubernatricis, & Præfecti actione, in Hiſpaniam ad ipſum Regem libellum ſupplicem hunc in modum miſère. cIɔ. Iɔ. LXVII.

Libellus ſupplex ad regem miſſus.

CAROLUS CAESAR *pater tuus*, PHILIPPE *Rex, primâ Principatus ſui per Friſiam ætate id majoribus noſtris indulſerat, ut à militum belliq; onere immunes eſſent, & ne ex alieno edicto corrigerentur. Poſterius indultum agente adhuc in terris* CAROLO *patre tuo repetitis Anno* cIɔ. Iɔ. XXXIX. *&* XLV. *pactionibus tamdiu integrum ſervavimus, donec te Principe de vigore legis & integritate ſimul prioris beneficij dubitaremus. Poſtquam enim extitere, qui jure Eccleſiaſticarum collationum nec immodeſtè uſi religionem delegêre ſuis conſcientijs congruam, ita ab eo tempore paucorum actio nos omnes ſuſpectos fecit, ac ſi aſſenſus univerſæ gentis, & communis ſuffragatio eorum conſilijs interveniſſet. Quorum memoriam etſi conventio* MARGARETAE *Gubernatricis & fœderatæ Nobilitatis haud dubiè aboleverit, ita non vano metu percellimur, ultionem recentium turbarum autoribus facinorum, nobis verò omnibus periculum, atque diſcrimen parari. Vt iſtud averruncemus, offerimus obſequium, & ſi popoſceris, Rex, corpora, atq; ſanguinem, modo ſinas nos publicâ pace frui, & in tutâ poſſeſſione, ac noſtrarum rerum uſu conſeneſcere. Si namque, quod fore prævidemus, bellum & militem terris noſtris induxeris, ſubvertes fortunas noſtras, reſcindeſq; conventionem Anni* cIɔ. Iɔ. XXIV. *& cum eâ patris tui Caroli Cæſaris memoriam. Vtrâque verò cultâ tibi firmum imperium, nobis ſecuritatem præſtabis. Hoc tantum ſubiunge pro clementiâ tuâ, ut, quoniam in priſtinum ſtatum, incompoſitis adhuc per Friſiam & lubricis rebus, doctrina Pontificum reſtitui nequit, libertatem conſcientijs habeamus, ſinaſq; nos profano loco ſociari, quem ipſi noſtrâ religione imbuamus. Templa, & fana à majoribus noſtris rei divinæ dedicata, Pontificijs cedent, nobis ſatis erit privato tecto fortunam, & ſimul exercitium noſtræ fideï clauſiſſe.* Hæc Delegati.

Reſcriptum Margaretæ.

Cui ſupplicationi Bruxellis interceptæ Margareta reſpondit: Querimonias Ordinum Friſiæ ſæpe ex Arembergio Præfecto auditas, nunc ſcripto comprehenſas, ac mittendas ad Philippum Regem in ſuas manus incidiſſe. Qua ex re occaſionem nacta eſſet propenſum in Friſicam gentem animum oſtendendi, ratihabitione pactorum, conventionumq;, quas Carolus pater divæ memoriæ cum iſto populo inijſſet. Interim muliebri etiam patientiâ ferre ſe non poſſe, paucos Philippi Regis, & ſui oblitos inquieta ingenia novandis rebus admoviſſe, ſpretis Edictis, quibus Carolus Philippuſq; Reges antiquarum traditionum, & Romanæ Sedis fidelem obſervantiam præcepiſſent. Quod ne fiat in poſterum, atrociores pœnas delinquentibus decreviſſe, quibus optumos in fide, peſſimos in metu contineret. Nam promiſcuam religionem pro captu, ac temperie ingeniorum variam per Friſiam tolerare, nec fas ſibi, nec honeſtum videri, Romanorum Pontificum, & Caroli

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. Philippique Regum infamiâ, qui majorum ritus reverenter habuiſſent,
LXVII. velut retinendo imperio, & ordini rerum utiles. Quibus attemperandis adfuturus propediem ex Hiſpaniâ Philippus ſit, daturus operam, ut indicto Ordinum totius Belgicæ conventu, decernantur, ſtatuanturque Regi & juxta ſubditis ſalutaria. Monere interim ac hortari Friſios, in fide erga Philippum Regem perſiſtant, dentque operam quam maxumè ut pravitate temporum aut erroribus imbuti in viam redeant, juſtitiæque ac pacis officina culto ſervatoque ſacramento regio habeatur. De collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum, & eorum jure, addebat Margareta, dependere illud à Philippo Rege, & inſtitutione Archidiaconorum, ſi quid verò patrij juris hac in re fuiſſet, id defectione eorum amiſſum eſſe, quos incapaces beneficij in regem rebellio, & reatus teterrimi criminis feciſſet.

Nobiles in exilium pulſi.

Tum Flos Friſicæ, fœderatæque Nobilitatis in exilium per injuriam temporum pulſus, exterminatuſq; patriâ ac poſſeſſionibus ſuis Rhenum Amaſumque ultra ſeceſſit, invictiſque animis libertatem ſuam, & ſimul fortunam exilij profeſſus eſt. Quod ipſum Hartmannum Galamam, & Franciſcum Eyſingham Wirdumanos, Heſſelum Feitzmam Huſumanum, Siuckium Emingham Cornjumanum, Suffridum Beiemum, & Ottonem Haniam Leovardios, Oenonem Heringham Hyemanum, Epæum Doumam Seniorem, & Menenium Scheltemam Hallemios, Deitzium Wingiam Blyenſem, Wilconem Holdingham Angjumanum, Pibonem Haerdam Tennartium, Douwonem Glinzium Dronrijpium, Oenonem Grovenſteinium & Edonem Heringham Marſemios, Foppium Camſtram Deinumanum, Sibethum Scheltamam Boxemium, Scheltonem Roordam Berlicomium, Hommium Hettingham Prætorem Baerderanum, Heſſelum Ooſthemium Prætorem Idardium, Heſſelum Feitmam Peynſium, Ieltonem Eelſmam Sexbyrumanum, Edonem Gerbrandam Harlingſum, Gulielmum Bumam Dreſumanum, Franciſcum Leonardum Hugenium Collumanum, Tarquinium Valleſium, & Allæum Teieſium Conſules Leovardios, Fecconem Ayſmam, Henricum Allartium, Gerardum Florentium Scabinos, Franciſcum Hemmium, Iureconſultum, Gabinium Selſmam Iuniorem, Ioannem Simonium, Everardum Arckenium, Siboldum Ayſmam, Sibrandum Sibrandium, & Renicum Gerlacium Hotzemanum, nullâ tum adhuc judicis ſententiâ ſponte, & ſagaci imminentium formidine compulſos delegiſſe, in actis illorum temporum reperio. Heſſelum quoque Haitzma virum nobilem, & Simonem Longobardum à Foxio Haſſeltano qui præſidium Slotæ agebat, prope Lemmariam captos, Leovardiamq; abductos. Iam enim circa portus & catarractas fluminum, rivorumq; miles, aut graſſator regius oberrabat, locaq; fugæ gentis commoda militaribus ſtationibus exponebantur. Ne ſcilicet diſcrimen, quod parabatur, nobilitas populuſque declinaret, & ne gentium per Hollandiam vicinaq; loca commercijs conciliabuliſq; Friſij libertatis percupidi, communicatis in regem odijs juvarentur. Septuaginta Nobiles fuiſſe, autor tradit, eoſque ſuſpecto Arembergij ingenio, & aulæ moribus, triſte exilium domeſtico diſcrimini prætuliſſe. Quare plurimi Groningam urbem validam & præpotentem ſe contulere, ut illâ civitate, tanquam tutâ fugæ ſuæ ſede reciperen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

perentur, utq; civitatem partium fœcundam, auctâ exulantium multitudine, à regiâ magis dominatione alienarent. Quod in medijs aulæ pavoribus, ne Tranſ-rhenana Friſiorum ora deficeret, obſervans Margareta perſpicax fæmina, Arembergium Leovardiæ agentem ſecretioribus litteris hortata eſt, ut præſidium, ſi fieri poſſit, urbi inducat, populiq; libertatis ſuperbiâ ferocis infida obſequia militari manu coërceat. Quare Arembergius inter blandimenta, & minas regiæ indignationis ope Mepſchij, qui vicarium iſtâ in urbe rectoris imperium tenebat, tantum profecit, ut collegia opificum, civitatis robur, Philippo aſſereret, multiſque reluctantibus, de recipiendo regis præſidio decerneretur. Quâ pactione firmatâ, Margareta Gubernatrix è legione Scombergica quatuor peditum cohortes, ductore Blaſio Vegerſenio, homine Germano, urbi induci curavit, non ſine magnâ criminatione illorum, qui potiundæ libertati deſtinata, præſidiario milite interverſa querebantur. Econtra Margareta lætabatur Groningam Philippo regi aſſertam, dubiumq; & nutantem populum armorum vi, & terrore præſidij coërcitum. cIↄ. Iↄ. LXVII.

Ita depreſſo per Friſiam fædere, Arembergius Maij menſis initio Harlingam properavit, ſtipatuſque alâ equitum levis armaturæ, Erneſtum quoq; Mulartium cum cohorte pedeſtri cito iſthuc agmine ire juſſit. Iam enim non inanis famæ rumoribus narrabatur, Fæderatos exules mari ſe commiſiſſe, fideq; publicâ nequicquam per Arembergium datâ, patrijs terris ejectos, Tranſamaſanam Friſiam cogitare, quam Edzardus II. Ennonis II. & Annæ Oldenburgicæ filius, paterni Comitatus hæres tum moderabatur. Quorum exulum conſilia, ut everteret Arembergius, inſtructiſſimam triremem (cui Mulartius cum imperio præerat) latiſſimis Flevi æſtuarijs immiſit, ut de exulum adventu cognoſceret, quos Iacobus Donckerus Harlinganus onerariâ navi vectabat. Qui enavigato Auſtrino ſinu, dein Flevi (tertium & Boreale Rheni oſtium eſt) æſtuario, quod minores majoreſque Friſios interluit, navem eandem (cui Batenburgici fratres, profugaque nobilitas alijque ſe commiſerant) ad vadum adegit, quod non longo intervallo à littore diſcretum in orâ præterfluentis Flevi exſurgebat. Quare Mulartius validâ remigum manu eandem navem aſſecutus ſuam fecit, proditoſque Donckeri ſcelere ac perfidia Gysbertum & Teodoricum Batenburgicos Harlingam in arcem abduxit, in quâ ipſe Arembergius apud Satrapam Eſpelbacchum, cuius infantem in lavacro ſuſceperat, geniali tum feſtivitate agebat. Itaq; is velut de Belgicâ Friſicâque nobilitate triumphaturus, (in quâ Hartmannus Galama, Suffridus Beiemus, & (quem tertium in annalibus Franckenæ reperio) Gulielmus Buma erant, captivorum ſorti illuſit, minacemque vultum, ac torvitate horridum interpoſitis acribus verbis, in Suffridum præcipuè Beiemum detorſit. Cæterum is ſpretis comminationibus maſculo reſponſo in Ioannem Lignæum (ita enim contemptim indigetabat) invectus, inſolentiam Arembergij præclarâ voce, & illuſtri conſtantiæ elogio retudit. Oſtendebat quippe Beiemus, non fædi carceris, aut inſtantis leti metum generoſam mentem labefactaſſe, ſedupereſſe etiam compedito libertatem, qua teſtimonium ſanctiſſimo fœderi daret.

Arembergius Harlingam tendit.

Batenburgici & Nobiles Friſij capiuntur.

Arembergius capitivis inſultat.

cIↄ. Iↄ. LXVII. *Donckeri Scelus.* Captivi nobiles in arcem Rupelmondanam ditionis Flandricæ poſt ductì, annuæ cuſtodiæ tædium, glorioſo vitæ exitu, & memorabili morte finierunt. Tradit V. Cl. Abelus Franckena in Hiſtoricis ſuis commentarijs, Donckerum nautam ære corruptum, cuidam nobili, (ſed obſcuræ originis regiæque factionis, per ſcelus iſtud ad Præturam poſt evecto) hac in re ſervijſſe, ipſumq; Donckerum à perpetrato facinore Deo, hominibuſq; inviſum, commiſſum crimen perpetuo contemptu & egeſtate ſuorum quaſi fatalibus pænis expiaſſe. *Friſij improbant factum* Tum nomen Prætoris memoriâ temporum, faſtiſque indignum annales doctorum virorum cenſuere. Quod Arembergij facinus Friſios certè peſſime habuit, qui poſthabitis majorum immunitatibus extrahi patriâ ſuâ indigetes non inritis querimonijs criminabantur. Nullos quippe avorum ſuorum à Francorum per Friſiam dominatione indulto Pipini Regis Flevum ultra & Viſurgum flumina, patrijs terris evocatos, domeſticamq; militiam & ſuum forum ſemper ſecutos, aliena judicia non pertuliſſe. Itaque Carolo V. Cæſare cautum fuiſſe: Ne quis nobilis, aut in dignitate, conſtitutus, ratione delicti Provinciâ evocaretur, ipſique etiam perduelles non niſi binis è Nobilitate, binis è populo Oppidano delatâ criminis cognitione, damnarentur. Nunc verò nobiliſſimi ſanguinis viros (quos ex ipſo quoque Caroli Cæſaris reſcripto coràm Friſiæ Ordinibus, aut eorum arbitris ſiſti oportebat) alio terrarum captivos abduci, nulliuſq; manifeſti in Principem criminis convictos remotæ cuſtodiæ & peregrinis carceribus mancipari. Hæc præmia ſui in Burgundicam Auſtriamq; domum affectus, & in Principem fideï eſſe, ut habitam religioſè, Carolo etiam Cæſare, populi libertatem adoleſcens dominatio & potentia in ſummum, & mox ruiturum faſtigium adducta ſubverteret? Itanè duorum ſæculorum & ultra factionibus feſſos ac mutuo ſanguine madentes ad imperium principis tanquam portum quietis perfugiſſe, ut vix terſâ aviti ſanguinis adſpergine, ſuo quoq; imbuerentur, & non in acie, aut armis, ut majores, cæterum inter vincula, & pædorem carcerum per tormenta & carnificum manus perirent? Ideòne ſub Georgio Saxone Gerbrandum Mockamam, & Gemmam Iouſmam viros Nobiles, templis ac aſylis extractos & gladio percuſſos, poſt Carolo Cæſare, Ianconem Doumam invicto ſupra fortunam animo patriæ libertatis defenſorem acerrimum accuſatione inimicorum, & ſpretâ in Cæſarem adulatione oppreſſum, in peregrino carcere & octenni cuſtodiâ extinctum, ut in exemplum ſævitia iret, & omnis patriæ defenſo odium, & mox damnationem irati Principis acciperet? Hac de causâ Arembergium nupero conventu certum datæ fideï publicæ tempus aſſignaſſe, ut eo evoluto ſecuritas coëuntium procerum, & patriæ tranquillitas terminum haberet, ſocioſq; fœderis & propinquitate ſanguinis ſibi junctos in longinqua terrarum ſalubris conſilij victrix neceſſitas, & vis major diſpargeret? Scribit Jodocius præter veſtes ſacerdotales, hierothecas, infulas, aureos cælatoſq; calices, captivorum numerum centenarium fuiſſe, eorumq; plurimos in campi planitie haud procul aggere, & marino littore, quod urbi in Auſtrum eſt, morte affectos triſte aditi fœderis præmium tuliſſe. Septem quoque ex ijſdem captivis, & in ijs nobiliſſimæ familiæ adoleſcentem ſuſpendio necatum.

Cla-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Clariſſ. Franckena notat, quod interrogatus an perpetrati per Friſiam ſacrilegij, violatorumq; templorum reus eſſet, longo annorum ſpatio, ſe ſacris non interfuiſſe liberius, aut fortè incautius reſpondiſſet. Id certè ſi non cauſam, pondus ſaltem addidit, ut præter dignitatem natalium violento, & ignobili fato tolleretur. Addit idem ſcriptor, eorundem neces repentinâ Inquiſitoris morte velut divinitus ſignatas, Ioannemq; Carolum, advocatum, & Levinum Everardum Curiæ Mechlinienſis Senatorem, à Margaretâ Gubernatrice in Friſiam tum miſſos, patrimonia exulum fiſco regio applicaſſe. Jodocius ſubjungit, eoſdem Margaretæ Delegatos, ut capitalium rerum quæſitores cognitionibus captivorum Harlingæ præſediſſe, Focconemque Romartium Senatorem Regium una cum Iulio Gelio fiſci regij per Friſiam Patrono prioribus additum examini reorum, & mox ferendis ſententijs præfuiſſe. Batenburgici fratres juſſu Margaretæ per Erneſtum Mulartium Vilvordam ducti, per ſtudia libertatis & quærendi ſuffugij ſuo poſt ſanguine infælicem patriam inbuêre. Alij narrant ex captivis viginti quatuor à delegatis Curiæ, aut regij ſenatus ad triremes damnatos, paucisq; ſuſpendio necatis, quoſdam interceſſione virginum, quæ Harlingæ Arembergio ſupplices factæ erant, à cuſtodiâ & ſimul periculo mortis liberatos, inter aliorum aſpera clementiæ beneficium & gratiam vitæ accepiſſe. Partem quoq; prædæ inter Mularti milites diſtributam, partemq; illius occultatam ſectoribus profuiſſe.

cIↄ. Iↄ. LXVII.

Fœderatorum bona fiſco applicata.

Mox regreſſis Leovardiam Rommartio & Gelio Senatoribus, Abbæus Udius civis primarius, vinculis datus, Theodoruſq; Gulielmius exilio multatus eſt. Creditum fuit eiſdem civibus nuperæ ſeditionis ſuſpicione, & per intentatam Rommartio, ac Ielgerhuſio vim id mali obveniſſe, Focconemq; Rommartium Senatorem regium illatam Matthiæ fratri injuriam honeſtâ ultione & prætextu juris vindicaſſe. Tum Iacobus Elpendamus Leovardiâ Harlingam, Gulielmus Buma Harlingâ Leovardiam perductus, Everarduſque Enſius Coverdiæ Satrapa, in arce regiâ acuto morbo extinctus, deducente funus ipſo Arembergio, honoratis exequijs Oldehovæ humatus eſt. Reperio in libris Edictorum Margaretam Gubernatricem, etiam gerendi belli poteſtate Ferdinando Albano clàm commiſſâ, de regis adventu ad Senatum Leovardiæ urbis hoc tempore ſcripſiſſe, populumque illius loci ad concordiam & obſequium hortatam de reſarciendis ſacrarum ædium damnis atque diſpendijs monuiſſe. Mandaſſe quoque, ut Senatus profugorum civium nomina in indicem referret, fugæq; proxumorum conſilia denuntiata bonorum confiſcatione, & poſt Edicto XVIII. Kal. Octob. vulgato, pænâ capitis præpediret. Ubi namq; certis rumoribus nuntiatum, Præfecturam Belgicæ Ferdinando Albano demandatam formidati nominis, (quod immanitatis ſuæ famâ Pyrenæos Alpiumque juga jamdudum tranſcenderat) & ſimul prævisæ tempeſtatis horror Friſios, & in ijs Leovardios concuſſit, quod in eius adventu oppreſſas leges, temeratos penates, cruentata parentum ac liberorum ora, denique polluta divina, atq; humana jura intuerentur. Itaque factum eſt, ut plurimæ familiæ per tutiores domeſticis malis fugas rebus ſuis conſulerent, ligneiſque muris clauſa libertas, & portis con-

Brederodij actuarius.

Albanus Dux belli nuntiatur

cIↃ. IↃ. LXVII. ſeptiſque urbium ac infidæ continentis effuſa, ventis marique ſe committeret. Tum Amaſus, ac Viſurgis fluvij claſſe frequentati, exulesque aut ultrò profugi metu inſtantium bellorum apud Bremenſes Embdanoſque conſederunt; quod ijs in locis, etiam ante Ioannis Laſci adventum, reformata religio, connivente Germaniâ; & oræ iſtius rectoribus haberetur. Ita miſſis in exilium fæderatis, Arembergius compoſitam, ordinatamq; Provinciam ratus, circa Kal. Iul. in Tranſiſulaniam & poſt Brabantiam profectus eſt, quo loci Ferdinandus Albanus regio cum exercitu expectabatur. Bellum namque infælici Belgicæ parari, novi quoque jam ante per Germaniam, & Burgundiam delectus, tum Franciſci Avilani regij apud Carolum Gallorum regem Legati interceptæ litteræ adſtruebant. Erant quoque qui ante biennium reſtauratum Baionæ inter Galliæ, ac Hiſpaniæ reges fædus non ignorarent, Carolumq; Galliæ regem impuberem, & adhuc regni incapacem per limitanea Galliæ à Catharinâ Medicæâ matre ſpecie luſtrandorum finium circumductum, curante eâdem matre cum ſorore Eliſabethâ Valleſiâ Philippi conjuge, & (ut Reidanus tradit) auſpice fæderis Albano, novam ſocietatem opprimendæ religionis & auxiliorum mutuorum inijſſe. Quare Ferdinandi Albani, & ſurgentis belli terrore, Principes quoq; Aurei Velleris perculſi habitis conventibus, de ſummâ rerum, & periculi conſultavere. Non defuerunt, qui inter arma, & minacem cædis Philippum (id namque ad Margaretam Gubernatricem clàm perſcriptum erat) etiam de veniâ cogitarent, parciturumque ſubditis Regem pro agnatâ clementiâ opinarentur. Ita Egmondanum ne Belgicâ excederet, amplæ poſſeſſiones, conjugis, ac liberorum cura, tum vana, & imaginaria conciliandæ ſecuritatis ſpes occupaverat. Præterea favor militum, partæque gloriæ decus obvium, velut interceſſuræ pro eo legiones eſſent, cuius imperia & ſimul victorias Gallico bello adoraſſent. Aurantius verò providens caſuum circumſtrepentibus periculis tutiorem fugam cenſebat, & ut innocentiæ aſylum per Germaniæ imperium quæreretur. Eſſe in eo Principes propinquos, quibus poſt exacta Germaniæ bella, diuturnum pacis tempus adfluentiam opum, commodum amicis ſubſidium, dediſſet. Neque in Galliæ regno intutas ſedes, aut minora auxilia fore, quod in eo Condæus & Amiralius rerum potiantur, & quod laboranti nuper ijſdem de cauſis Germaniæ vires ſuas ſuppeditaverit. Tum Carolum Cæſarem Gallicis armis ad æquas conditiones compulſum, integrâ manente Germaniæ libertate, quam à Philippo per Belgicam non temerari, maxumè etiam Galliæ interſit. Idcircò ſatius eſſe obſequi neceſſitatibus temporum, ac impetrandis Germaniæ Galliævè ſubſidijs locum quærere ſecuritati, quam habere in infælici Belgica per advolantia Hiſpanorum agmina non poſſent. Cæteri autem Principum opponenda Philippo arma, & commune auxilium judicabant, quod ſtabiliendæ patriæ libertati Henricus Brederodius per ditiones ſuas alijq; è Nobilitate Belgicâ parabant. Sed omne negotium per contraria Principum virorum conſilia improſperis auſpicijs procedebat. Ex quo evenit, ut ſparſis diſſipatiſque fæderatorum copijs Margareta Gubernatrix vergente Præfecturæ ſuæ tempore, omnem fere Belgicam regi aſſeruerit, Romanâ religione, una cum

Arembergius in Brabantiam.

Principum Aurei Velleris conſult.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cum ornatu templorum reductâ. Quæ cauſa fuit, ut Aurantius magno CIↃ. IↃ. comitatu Bredam, deïn Dillenburgum conceſſerit, Henrico Brederodio Principe fæderis Embdam, & deïn Gemam comitatus Scouwenburgici avecto. Quo in loco velut decretâ fugæ, & morti ſede poſt annum nullo hærede extinctus eſt. Tradit præclarus ſcriptor Everardus Reidanus, Ioannem Bergæ Marchionem, & Florentium Montmorentium, Montinium, intellecto Ferdinandi Albani adventu, deprecandæ culpæ privatâ legatione in Hiſpaniam profectos, omnem turbatæ Belgicæ cauſam in Gulielmum Naſſovium Principem Aurantium rejeciſſe. Tum Segerus Grosbecius, agente per Brabantiam Arembergio, omni intra Flevum Amaſumq; Friſiæ regendæ datus, quæſitoreſque rerum capitalium Prid. Non. Iul. Leovardiam advenere, ubi tum de more ſolenne ambu bium nundinalibus ferijs habebatur. Scribit Iodocius eoſdem cognitores una cum Foccone Rommartio, & rerum criminalium per Brabantiam Prætore iſti proceſſui interfuiſſe, ſeveritatemq; capitalium judiciorum Harlingæ exercitam publicâ religione expiaſſe. Erneſtum quoq; Mulartum, & Quirinum Laceium Buranum, toto nundinarum tempore cum cohortibus per urbem præſidio ſtetiſſe, quæ rudiore illorum temporum diſciplinâ, multis tum ac ſeditioſis diſcordijs exponebantur. Quare Grosbecius propè regiam arcem Leovardiæ prætorium erexit, adſcitiſque in conſilium Iacobo Huſingio, Foxio Haſſeltano, Ioanne Splinterio, Quirino Laccio, cæteriſq; militaribus viris, per Henricum Stellinguerfium Prætorem partium litem diremit. Tum Foxius Haſſeltanns, qui Harlingæ præſidium egerat, cohortem ſuam Bolſuardiam, & poſt Oldenzelam antiquam Saliorum in Tubantibus ſedem ducere juſſus, ac Grosbecius cum Petro Dekama habendæ militum recenſioni, Groningam profectus eſt, cui urbi Arembergius, ut antè dixi, ſollicitâ ac urgente Margaretâ Gubernatrice, ope Ioannis Mepſchij, quatuor Germanicarum cohortium præſidium impoſuerat. Quo armiluſtrio peracto Grosbecius Leovardiam ſe recepit, convocatoq; de more Senatu bellico duos militum Gerardum Stuferium, & Beilanum quendam, capitis damnatos vitæ ſervavit. Mox profectione in Tranſiſulaniam paratâ Snecam tranſiens urbem partibus infidam, ubi præſidium jam ante locaverat, tribunos cohortium in Xenodocheium convocavit, expoſitiſq; clàm quæ fieri vellet, navem ingreſſus & relicto ad lævam lato Vidri oſtio ſinum Auſtrinum emenſus Campos pervenit, quod oppidum in orâ Iſalæ fluminis ſitum, fatales iſti temporum ætati diſcordiæ agitabant. Credebant Snecenſes Grosbecium civilibus ingenijs diffiſum, majores copias per Tranſiſulaniam paraturum, grave præſidium, & turbidæ civitati aſperius remedium minari. Iam enim civis ſocietate fæderis ardeſcebat, militem æris egentem inſolentia ſequebatur. Itaque vulneratis per eum centurionibus & (ut Cl. Franckena tradit) omni lege per inopiam ſtipendij ſpreta, factum eſt, ut Grosbecius compoſitis per Tranſiſulaniam rebus feſtinantius Snecam rediret, nulloque tumultuario milite ſtipatus & ſuſpicione civium animis exemptâ, è veteri diſciplinæ militaris inſtituto unius facinoroſi gregarijque militis ſanguine perieuloſam ſeditionem componeret. Neq; modeſtioribus animis per omnem Provinciam

LXVII.

Grosbecius Pro-Præfectus Friſiæ.

Grosbecius in Tranſiſulaniam profectus.

Grosbecius Snecam redit.

ciam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. ciam iſta multitudo utebatur. Ea rapere, auferre, cædes, & juxta
LXVII. incendia dare, odio fæderis, ac popularium turbarum, quibus rependi iſtud enormis præmij debere non diſſimulatâ mente, Arembergius judicaverat. Quo Bruxellis agente, continuis agrariorum apud Senatum regium querimonijs, effectum eſt, ut inſolens miles, quem tumultuariè Arembergius reprimendis fæderatis collegerat, ſacramento cederet, turpiterque & ex flagitio dimiſſus, Senatus regij lege, & poſt Edicto Margaretæ coërceretur. Ita fluitantibus per Friſiam cæteraſque provincias rebus de maturando bello Philippus cogitavit, cuius apparatu Hiſpania etiam, & Sicilia cæteræq; Philippi ditiones perſtrepebant. Quare veteranæ legiones omni ferè Italiæ orâ inſuliſque mediterranei maris evocatæ, quas in uſum Turcici belli, aut retinendi per ea loca dominatus Carolus Philippuſq; reges conſcripſerant. Tum Inſubrum agros luſtrandis copijs Ferdinandus Albanus (qui Barcelonâ Genuam Liguſtici maris emporium cum triremibus adpulerat) deſignavit, parumq; à quartanæ paroxyſmis, doloribuſq; articulorum convaleſcens in Sebaudos, ac Allobroges, dein Burgundiam, & Lotharingos progreſſus, omnem exercitum (in quo decem Hiſpanorum millia fuiſſe Everardus Re danus notat) in agrum Luxemburgicum ditionis Belgicæ effudit, tabulaſque mandatorum ſuorum flagitante Margaretâ exhibuit.

Strada notat in exercitu Albani octo peditum millia, & ſeptingentos, equites mille & ducentos fuiſſe, Margaretamq; Duci adhuc per Inſubriam agenti de attenuando exercitu ſcripſiſſe, minuendo terrori, & ne partes jam pacatis & reſumptis obſequijs mites ad virtutum ſicuti mos eſt, aut propellendam immaniſſimi ducis aſperitatem reſuſcitaret. Hoc quoq; creditum fuit, metuiſſe Margaretam imperij ſui & plus quam muliebris prudentiæ fructum periturum, ſi ferox Dux, & mandato, quod dediſſe fratrem inconſulto impetu arguebat, ſubnixus atq; ſuperbiens tantis cum copijs Alpium ſummitate deſcendens, Belgarum fines ac provincias ingrediatur, deſtructurus per vim & arma, quicquid illa conſilio, & ſagacitate profeciſſet. Neq; enim alia ſperari poſſe, quam quod præter colluviem, quæ caſtra ſequi ſolet, nobilium ſcortorum lixarumq; peritiſſimos belli, & clariſſimos omnium gentium Duces, militeſq; ſeveritati admoturus ſit, ſurrepturus ſibi omnem gloriam, quâ fratri, & ut tacitè in litteris arguebat, ingrato provincias aſſeruiſſet. Igitur Margareta, etſi omnia, ſicut in aulâ fieri ſolet, ſimulatione tegerentur, quo Caroli V. filiæ, & ſorori regiæ quid honoris daret, in palatio regio ſalutatâ veteranos, quos Provincijs induxerat, per præſidia diſpoſuit, indignantibus civitatum rectoribus ac legatis, tam aſpera Præfecturæ initia, & invidioſam autoritatem, etiam gratulantibus aſſentantibuſq; ex metu. ſe oſtendere. Ferunt duras ſuperbaſq; voces ex ipſius ore auditas, omnium rerum, quæ eminentiſſimæ dignitatis forent, arbitrium protuliſſe, traditumq; ſibi à Philippo per Belgicam Friſioſque ſummum imperium haud obſcuris indicijs declaraſſe Bruxellis. Traditumq; ſibi à Philippo ſummum rerum per Belgicam Friſioſq; imperium haud obſcuris indicijs oſtendit. Margaretam quippe dominatus exſortem modicis tantum vulgaribuſq; negotijs præfuturam ſolam imperij umbram, atq; imaginem retinuiſſe. Sibi curam Magiſtra-

ſtratuum civiliumq; functionum commiſſam, quibus privare modicè ſu- CIↃ. IↃ.
ſpectos queat, facili cenſurâ, ſed quæ vitæ neciſque poteſtatem includat. LXVII.
Ad hæc urbes infidas & rebellium exemplis inhærentes arcibus armiſq; coërcere, omniaq; poſſe facere, quæ retinendam ad pacem regiſq; ſui jus tutandum conducerent.

Deïn ſub exitum menſis Septembris Ioannes Carolus Antverpius, & Levinus Everardus in ſuprema Mechlinienſi Curiâ Senator, Leovardiam iterum à Margareta miſſi. *Legati in Friſiam miſſi.* Iis datum in mandatis erat, Senatum per Friſiam regium ſecretum ſui officij commonefaciendi, quo in exules, profugoſque & eorum bona è decreto regis ſtatueretur. Alij credidere, progreſſo jam in Belgicam cum exercitu Albano, eos copiam mandatorum, quæ à Philippo rege Ferdinandus Albanus acceperat, clàm attuliſſe, litteriſque Margaretæ munitos durius adminiſtrandi per Friſiam imperij præſcriptum regio Senatui exhibuiſſe. Ioannes Carolus vir ob peritiam legum à morte Iulij Gelij (qui tum vitâ conceſſerat) procuratoris fiſci, eidem tum Gelio ſurrogatus eſt. Qui annus ut Friſicæ libertati maxumè climactericus, ita annonæ exitialis fuit. Quippe Sole Tropicum Cancri ingreſſo, poſt Caniculæ exortu efferveſcens aër, tantâ, & tam continua ſiccitate attactus eſt, ut toſtæ per ardorem fruges uredine ſyderis marceſcerent, ruptâque *Annona caritas.* velut naturæ lege nullo ferè imbre, aut pluviâ fluens æſtas annonæ proventum accideret. Quamobrem Margareta Gubernatrix ſpreta & ſepoſita Agrariorum Oppidanorumque lite poſtremo (quod in Friſiam miſit) Edicto, aſſervari per Provinciam frumenta juſſit, ne patente in vicina loco commercio, ut ante inclementiam cæli, ita caritatem frugum inops & egena plebes ſentiret. Jam enim Ferdinandus Albanus crudele, & præferox imperium gerendis rebus applicabat, inſtarq; feræ Belgicam velut ſaltum prædæ fæcundum ingreſſus, rudimenta durioris viriliſq; imperij muliebribus lenibuſque Margaretæ conſilijs obtendebat. Molles quippe à ſexu fæminarum animos eſſe, pace aut ſecundis rebus nonnunquam imperio pares, ingruente verò procellâ rerum oneri & periculis ſuccumbentes. Nunc verò exedentibus viſcera ulceribus aſperam manum admovendam, depurgandamq; impuri corporis ſentinam validiore catarctico, ut integris adhuc partibus vigor ſuus, & vis ſpirantis moventiſque animæ conſtet, cæteras malo contactas, & vitiatas per conſenſum ignis, aut ferrum abſumat. Adultos Belgicæ morbos extrema remedia expoſcere. Id Philippo Regi, id ſanctiſſimæ Inquiſitioni placuiſſe, quorum uni parere majeſtas veri legitimiq; Principis, alteri verò veneratio numinis compellat. Itaq; Ferdinandus Albanus à reſtaurandis (quæ Carolus Philippuſq; Reges ſanxerant) Edictis, imperium orſus, *Albanus Edicta promulgat.* Senatum quoque capitalium rerum conſtituit, iſtique judicum conſeſſui Præſidem ſe deſignavit. Poſt Lamoralium Egmondanum, & Philippum Montmorentium Hornanum velut ad conſilium vocatos, in ſecretum conclave ſevocari, diſcinctoſque contra jus Ordinis & inani obteſtatione uſos in cuſtodiam dari juſſit. Traditum litteris eſt Albanum invidiâ gloriæ (quam Lamoralius Egmondanus Gallico bello ſibi pepererat,) correptum, id mandati à Philippo rege clam accepiſſe, eidemq; Egmondano, (ut & Aurantio ac Hornano)

cIↄ. Iↄ. nano) ex Hiſpaniâ ſententiam mortis, & deſtinati percuſſoris attuliſſe.
LXVII. Igitur Margareta Gubernatrix ſagax fæmina, & ut ex Albani odio gratiam captaret, menſe Sept. de aſſignatâ Ferdinando Albano poteſtate latius apud Friſios per litteras expoſuit, ipſaq; æmulatione, ut Demetrius tradit, ergà Ferdinandum Albanum, aut tædio imperij ducta, miſſionem flagitavit. Quâ poſt impetrata, ne inſalutatis provincialibus Italiani reviſeret, v. Eid. Decemb. ad Ordines, Senatumq; per Friſiam regium litteras miſit, quibus ſeriem, moleſtiamque geſtarum à ſe rerum exponebat: A pacis quippe, fœderiſque Gallici pactione Belgicæ Friſijſque ſe præfuiſſe, veteri Principum fæminarum exemplo, quas ætate, aut bello olim compeditus Carolus Cæſar moderamini rerum admoviſſet. Ita primis Caroli annis Margaretam amitam, dein adulto jam Principe, & Germaniæ Imperium adepto Mariam ſororem Provincijs præfectas magnarum etiam rerum capacem muliebrem ſexum oſtendiſſe. Cæterum omne imperij onus in ſpem Regij adventus à ſe ſuſceptum, quem in Belgicam ſuam celerare primo, quo ipſa voluiſſet, tempore, Turcarum arma, ac infidæ Maurorum per Hiſpaniam res vetuiſſent. Iſtâ occaſione uſurpatum ſibi diuturnius imperium, quo, etiam ſurgente per Belgicam tempeſtate, ſe non abdicaſſet, adjuta quam maxumè eorum conſilijs, qui in partium novarum ſocietates ægrius pertrahebantur. Quare nec ſpes ſuas redeundi in Italiam, nec Octavij mariti deſideria expleviſſe, quin curaſſe potius, ut ad Eccleſiam Romanam, ac reverentiam regis licentioſa nonullorum ingenia redirent. Hoc modo bonum publicum domeſticâ conſuetudine ac matrimonij dulcedine ſanctius habitum opimos poſt imperio ſuo fructus ſedatam Belgicam attuliſſe. Quâ ipſâ quoque excedere medio in curſu rerum mens adhuc, neque conſilium fuiſſet, niſi præter fragilitatem ſexus continua invaletudo infirmum corpus labefactaret. Hanc cauſam maturati diſceſſus, & longarum apud Philippum precum fuiſſe, quæ multo poſt tempore tantum valuiſſent, ut ſecuturus propediem Rex Ferdinandum Albanum in provincias cum imperio præmiſerit, quod hac ſignificatione, dum in conſeſſu Ordinum non liceret, ſe deponere teſtaretur. Ita valere Friſios juſſit, ac III. Kal. Ian. Belgicâ exceſſit octennis imperij, & compoſitæ fermè tempeſtatis gloriam ſuo Octavio reportans. Mox à diſceſſu Margaretæ, velut amotâ conſorte rerum, Ferdinandus Albanus in promiſcuam ſævitiem effuſus, publica loca civili fæderatoq; ſanguine implevit, nefariumq; excindendæ reformatæ multitudini fædus, ut ante Cambreſij, ita poſtmodum Baionæ ictum optumus iſtiuſmodi rerum miniſter executus eſt. Quare ne per Galliam, inteſtino bello tum flagrantem exules Belgæ ceſſante domeſtico queſtu foris ſuſtentandæ vitæ ſtipendia facerent, omnes Condæi militiam ſecutos edicto revocavit, auxiliaq; inſuper è Baionæ pacto promiſſa Catharinæ Mediceæ addixit, quæ Florentinæ gentis fæmina, per ætatem impuberis filij in procuratione regni tum erat. Tum ut melius res per Galliam procederent, ipſe Albanus ducturum ſe auxilia promiſit, quæ nec tanta in Galliæ regnum ſimul effundi, nec tam valido, & ambitioſo exercitus Duce Catharina Medicæa verſipellis fæmina volebat. Hoc modo modeſtè repulſus Albanus, Ioanni Lignæo

Margaretæ abitus.

Albani crudelitas.

Arem-

Arembergio Friſiæ Præfecto, ducenda in Galliam auxilia demandavit, in quibus duo peditum millia, equitum mille & quingenti habebantur. Quæ expeditio ne improſperè ſuccederet, Prid. Non. Ian. triduanæ ſupplicationes, & amburbiorum ritus Leovardiæ inſtituti, ut ſolennium votorum nuncupationibus repurgando à reformatis Galliæ regno, ſuſceptum negotium promoveretur. Neque minoribus erga fæderatos odijs per ipſam etiam Friſiam Ferdinandus Albanus graſſabatur. Is namque datis ad Senatum regium litteris, omnes ſinguloſque exulum (quorum nomine conſulares viros, & profugam præcipuè Nobilitatem cenſebat) Bruxellas ad III. Eid Febr. evocavit, ac ad dicendam cauſam adeſſe Educto juſſit, quod V. & IV. Eid. Ian. ad campani æris ſonum pro roſtris recitatum concivium animos non parum commovit. Eo comprehenſum erat, ut citati, niſi ſe ſiſterent, pro convictis haberentur, contumaciumque ac profugorum bona publicæ auctioni, & Fiſco regio ſubeſſent. Idem dies XII. Kalend. Febr. per Benedictum Francetum apparitorem regij Senatus, viro Nobili Edoni Heringa, & Cornelio Fonckio Tribuno nuper ærarij dictus, locandarumque ædium poteſtas, quibus exules Leovardij profugerant, Theſaurario per Friſiam regio data. Tum ſtipendia per Hiſpanum quendam à Ferdinando Albano Leovardiam miſſum, militi aſſignata, militariumq; cohortium recenſio Oldehovæ facta. Scribit Iodocius earundem cohortium tribunos à peculatu immunes non fuiſſe, multoſq; per egeſtatem, & penuriam æris nomina profeſſos, iſti recenſioni interfuiſſe. Idem tradit, circa ea tempora militem quendam, qui Arembergium Præfectum glande in Galliâ ictum nuntiabat, à Quirino Laceio captum, ac de ſententiâ regij Senatus virgis cæſum, validumq; incendium non procul Hoca ac Haionis Cammingani domo ſubortum, ope civium militumque, qui in armis erant, repreſſum fuiſſe. Dein poſtrid. Non. Mart. Leovardiæ Tarquinij Valleſij viri Conſularis nomen ex oppidanâ Curiâ per Edictum recitatum, quo noxij turbatæ civitatis motus, & receptio novi fæderis, ac ſimul religionis, iſti viro tanquam moderatori omnium rerum imputabantur. Per eum conciliabula populi imperata, conventuſque collegiorum inſtitutos, ut conſilium ſacrilegio commodaret, templaque ac cœnobia nefandâ civilium furorum intemperie vaſtarentur. Prohibitum urbe regium militem, ſpectante & indignante ipſo Arembergio, & portarum cuſtodiam militi extortam, ac ſeditioſo civi commiſſam. Ductos in ſubſellia novos ſacrorum Doctores, & arma ipſis quoq; templis inlata, quæ non niſi juſſu Principis & pro eius defenſione haberi poſſent. Illi ſemel ſacramenta dicta, illi nuncupatas ſupplicationes, ne deſciſcere quis à Philippo præterquam perduellis poſſit. Quapropter mandare ut Tarquinius Valleſius ad III. Kal. April. dein VII. & XIV. diem Bruxellis coram Ferdinando Albano compareat, rationem ſuorum factorum redditurus. Reperio in Hiſtoricis fragmentis clariſſimi ſcriptoris A. Franckenæ, ijs ferè temporibus fædaratos nonnullos, & ſeorſim Anabaptiſtas (quod Anno 1565. etiam evenerat) ſupplicijs affectos, alioſq; ſquallore funeſti carceris aut metu mortis abſumptos, vitam finijſſe, Inquiſitores quoque ante ex pacto ablegatos, in Provinciam tum reductos,

ANNO CIↃ. IↃ. LXVIII.

Albanus in galliam mittitur.

Fæderati nobiles citantur.

Incendium Leovardiæ.

Accuſatio Valleſy.

Statutum in Anabaptiſtas.

cIↃ. IↃ. LXVIII. ductos, aſperiſq; edictis annuos exulum reditus interceptos. Horrenda quoque proſcriptionis perduellioniſque vocabula per Friſiam audita, durante avitâ libertate, à Francorum quoque temporibus, noſtris majoribus ignorata, & cum robuſto Principis imperio introducta, repertis ingenijs, quæ curas patrum, & ſanctiſſimas pro retinendâ libertate ſollicitudines, calumniâ teterrimi criminis fædarent. Unde in vicinis cæteriſque locis factum eſt, ut ſummâ velut animorum deſperatione (cum innocens quiſque à ſupplicio, aut ſaltem eius metu immunis vix haberetur) relictâ domo, ac familiâ, urbibus pagiſquè excederent, agreſtiumque ac barbarorum more, ſylvis clauſi ferinam belluinamque vitam latrocinijs ſimul ac flagitijs ſuſtentarent. Quod ne per Friſiam fieret, quæ magnis arboretorum ſpatijs in Auſtrum ſe effundit, Edicto Albanus cavit, hominèſque vitæ ac fortunarum incertos, à vindicandâ temporum iniquitate revocare conatus eſt. Quamobrem & Edicto Anni CIↃ. IↃ. LXVI. XII. Kal. Maï. renovato, ullas copias intra Flevum Amaſumq; flumina colligi, autorarique ſub pænâ capitis vetuit, exulumque ac profugorum bona per Ioannem Carolum Senatorem fiſco adjudicavit. Iuſsit quoque ut exulum cognati, propinquiq;, tum actuarij publici apud Prætorem Judicemvè, omnium bonorum, actionum, obligationum, pignorum, redituumq; profeſsionem, ſub pænâ legis, facerent, deque exulum ſtatu ac conditione, Martinum Bergium fiſci quæſtorem docerent. In ſacerdotum quoque religionem, mores, atque vitam aſperè inquiri fecit, interdictâque ijs matrimonij ſocietate, & omni quoque concubinatu damnato, cælibatus & continentiæ legem inculcavit. Id verò aſperrimè vetabat, Ne cum perduellibus (ita enim Edictum habebat) ullum commercium eſſet, & ne mariti patrijs terris extruſi onera exilij ſolatijs conjugum levarent. Quapropter fæminas ad maritos commeare, ſub pænâ fuſtigationis, prohibuit, deprehenſoſq; exulum cuſtodiæ dari, & puniri ex Edictis præcepit. Sic ut domi oppreſſâ per vim patriâ intuta manſio, ita deligentibus exilia mutationes ſedium, aditus atque itinera præcludebantur. Jumenta quoq;, navigia, & currus inſpectoribus expoſiti, quo deſerentium patriam conſilia Senatus regius perverteret, & ne ſæviendi materies multitudine fugientium minueretur. Mare etiam navigantibus invium quod præſidiariæ naves, aut plurimæ triremium per æſtuaria vicini maris, aut oſtia fluminum ſpargerentur. Quare & per omne Friſiæ confinium ſparſi exules, præcluſâ veniæ ſpe, rati, quod res erat, glorioſius fore bello miſeriam finire, quam æternâ exilij ſorte multari, diviſi ante & palantes multis in locis confertim confluxere, communicatiſque conſilijs retundendam Philippi, præfectorumq; ſævitiem, juſtis armis decrevere. Neque enim de jure armorum longum diſſerebatur, apud homines gnaros, in quâ nati eſſent, ſuæ libertatis, & juxta immanis injuriæ, quâ peregrinis in terris inter ignotas facies trahere vitam cogerentur, honeſtâ fere morte peiorem. Idcircò Legatos ad Aurantium Dillenburgum mittere, ut bellum paret, promittere ſubſidia, & reſiduas adhuc in exilio vires, modo fæderatis ſocijſque Ducem ſe præbeat, quibus placuiſſet, aut fortiter in armis occumbere, aut dulciſſimam patriam ſemel videre à tyrannis liberatam. Sed Principem

Legati ad Aurantium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Aurantium ultrò circumſpectum & onera bellorum ſerio expendentem, clↄ. Iↄ.
multæ cauſæ, & inter has magnitudo hoſtium, & infirmitas oppreſſæ LXVIII.
patriæ remorabantur. Adhæc imperium Germaniæ dubium, Cæſarem Maximilianum naturâ mitem, & nuper in Philippi aulâ miſſo in Hiſpaniam Carolo fratre male exceptum, Principes propinquos communis periculi metuentes, & impulſas magnopere exulum res criminabatur. Quin prolatandum potius bellum eſſe, dum defectio urbium quarundam Belgicæ habeatur, ſurgantque in ipſis patriæ viſceribus validæ partes Philippi imperijs adverſæ. Tum quippe opportuna exulum ſociorumque auxilia fore, ſi domeſticis populi armis externa ſe junxerint, omneque confeſtim robur ſe aperiat geminatis viribus pugnaturum. Quo Aurantij conſilio belli quoque apparatus tam diu protractus eſt, donec irritâ omni, etiam Cæſaris Electorumque Imperij interceſsione, poſt Philippum filium Secreto literarum extractum, & in Hiſpaniam abductum, ipſe Bruxellas cum cæteris proceribus ab Albano evocatus, proſcriptuſque ſuarum rerum & principis famæ, iteratiſque exulum precibus motus, bellum decerneret. Quare Principum propinquorumque ſocietatibus ſubnixus, Ioanneque Naſſovio fratre, & ærario exulum (qui Embdam, Bremam atque Veſaliam Clivorum plurimi è Friſiâ profugerant) adjutus armis experiri ſtatuit, Ludovicumque Naſſovium fratrem, ac Gulielmum Bergenſem habendis delectibus militum præfecit, quos Bergenſis per Geldriam ac vicina loca, Ludovicus in ſuperiore Germaniâ autorabat. Ita coactas tumultuariè copias expediri per Haſsiæ, ac Weſtphaliæ fines juſſit, Ludovicumque fratrem in Tranſamaſanos Friſios amandavit, certus è majoribus Friſijs (qui Flevo Lavicâque terminantur) prompta auxilia adfore, & iſtius oræ nobilitatem ultrò mobilem in partem reſurgentis iterum fæderis conceſſuram. Quare Ludovicus Embdam, urbem in ripâ Amaſi fluminis ſitam, ingreſſus, commeatum ſibi paravit, copiaſque Amaſum fluvium tranſvexit, quem orto etiam Æquinoctij verni ſydere, ac primo quoque Aprili (ut & per Friſiam lacus ac incilia) glacie obtectum fuiſſe, in notis ſuis Ioannes Tiara Iureconſultus annotavit. Foſſam quoque Leovardiæ urbis ternis quaternisq; viris tranſitum dediſſe, abſumptiſque pecorum pabulis, magnâ fæni penuriâ & ſimul caritate Friſiam laboraſſe. Sic traducto per Amaſum milite, & in Reiderium agrum expoſito, magna per urbem Leovardiam civilium animorum trepidatio fuit. Nam Pontificius quiſque deprædicare periculum, ac non obſtantibus Paſchalibus ferijs (quæ in vigeſimum April. diem tum incidebant) ſarcinas, ac vaſa colligere, & mox fugam parare, quam ſolæ ſtationes militum ad portas excubantium præpediebant. Illi confirmare animos, promittere ſecuritatem, non eſſe eam fæderati exercitus magnitudinem, ut ad urbem adventurus ſit, tot paſſuum mill. & intervallis locorum à Ludovico diſcretam. Intermediam adhuc Groningam urbem validam, & præſidio regio firmam, ſuperandos Ludovico amnes, & locorum difficultates eſſe, quæ regijs adhuc copijs teneantur. Manendum itaque intra conſeptum urbis, & rejecto levi periculo, imitandum eſſe exemplum fortibus viris ſemper uſitatum, qui corpora & dexteras ſuas tutelæ

Aurantij res.

cIↃ. IↃ. telæ liberorum, atque conjugum objeciſſent, & ſi res popoſciſſet,
LXVIII. glorioſa funera turpi effugio antehabuiſſent. Iſtis rationibus inducti cives qui Pontificij erant, domum ivere. Cæteris fæderi clàm adſcriptis, (qui huc uſque latuerant) excedendi urbe poteſtas facta, ne, ſi quando cum copijs ad portam Ludovicus, civitatis periculum duplicato hoſte geminaretur. Tum in Friſiâ quæ Amaſo Flevoque clauditur, multa prodigia, ac horrendæ ſpecies præliantium in aëre armatorum apparuere. Notat quippe Andræas Gryphius prætor Utingeranus, vergente Auguſto paulum à medio noctis cælum velut colore ſanguinis rubuiſſe, verſuſque ortum Solis æſtivum, partes in juſtâ quadam planitie concurriſſe. Copias quoque militares à cæteris diſcretas, ſeorſim tanquam auxiliares ſtetiſſe, aciemque exercitus, ab ortu venientis primam inclinaſſe. Tum agmen ab occaſu deſcendens, terga fugientium ferijſſe, ac victoriâ potitum. Itaq; tum primum funeſtæ partes per Friſiam cis ac trans Lavicam ſe aperuere, populique ſeceſſio, & rerum omnium apparatus inſtans bellum ſpectavit. Quare annonæ reique frumentariæ extemplo proviſum, cautumque edicto; Ne quid frumenti aliudvè bello neceſſarium, Provinciâ exportaretur. Tum navigia, currus, equi undique per Grosbecium conquiſiti, eductique præſidijs milites per finitima Leovardiæ loca & circa Bergumanos oberravere. Grosbecius namque decem & quatuor ſchlopetariorum manipulos, & ſexaginta ex principijs delectos milites, Bergumum VIII. Kal. Majas ablegaverat, ne fæderati per iſta loca provinciales armarent, ijſque copijs adſcriberent, quas Hylco Martinius, vir magni animi, pro Ludovico Naſſovio velut nomine Imperij autorabat. Ducenti quoq; milites, ductore Quirino Laceio Burano, Snecâ Columum miſſi, ut littore præterfluentis æſtuarij, ac ingreſſu iſtorum locorum fæderatas copias prohiberet, quæ circa Doccomium & per Dongrios, ab Hommio Hettingha, viro è Friſicâ nobilitate, & aſſertore fæderis contrahebantur. Cæterum arce Weddanâ, expeditâ militum delectorum manu per Ludovicum Naſſovium occupatâ, vulgatâque per Friſios iſtius rei famâ, altior adhuc metus Pontificiorum animos, & ipſum quoq; Grosbecium invaſit. Qui propterea, ut dubiâ temporum fortunâ, procerum ingenia atq; voluntates introſpiceret, Kal. Maijs vicinam nobilitatem ac primarios Leovardiæ viros, quos aut honor Magiſtratus, aut forenſis eloquentia commendabat, in Curiam regiam convocavit, univerſoſq; velut pro concione, hunc in modum adlocutus eſt.

Prodigia belli.

Oratio Grosbecij.

NON ignorare vos puto, Friſiam veſtram poſt factionum tempora, Carolo Cæſare armis, aut bellis intactam, mutuâ populi concordiâ floruiſſe. Quâ ipſâ ut etiamnum viveretis, diu in votis habui, operamque, abſente Arembergio, omnem impendi, ut fomes ulterioris diſſidij tolleretur, ac Provinciam intra hanc omnia moderata, & quam longiſſime ab omni violentiâ eſſent. Cæterum, quia ſupra modum periculum excrevit, & commune concordiæ vinculum eorum defectione ruptum eſt, qui armis uti, quam parere regi ſuo malebant, reſtaurare hoc, quod datum mihi eſt, imperij validius cogor, cuius robur, lenitate & patientiâ fermè amiſſum erat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

erat. Quare volo ut ſacramentum auctius, quam quod profeſſi eſtis, Philippo regi præſtetis, juretiſque univerſi & ſinguli, non deſcituros vos unquam à Philippo rege veſtro, quacumque etiam de cauſâ, daturoſque operam ut Præfectorum ac Senatus imperijs abunde ſatiſfiat. Et quia metui poteſt, ut Ludovicus Naſſovius Reiderios jam ingreſſus ac tert. vix lap. à Groningâ caſtra tenens nobis, & urbi huic periculum creet, cenſeo concordiâ opus eſſe (ſine quâ propulſari nulla vis unquam potuit) & Leovardiam urbem communibus viribus propugnandam. Hoc ut faciatis, præſtari fidem mihi hoc ipſo conventu volo, ut in bellum iturus omnia hic compoſita habeam, & ſecuritatis plena. Si qui verò ſint, quibus id factu grave videatur, eos ſecedere jubeo, ac ſua ſimul conſilia & pericula expendere. cIↃ. IↃ. LXVIII.

Tum ſecedens nobilitas, in qua Doco Martna, Hector Dekama, Hector & Goffo Abingha, Renicus & Vitus Cammingha, tum Siricius Donia erant, communicato cum Gysberto & Chriſtophoro Aernſma, Feccone Rhala, & Ioanne Tiara Iuriſconſultis, conſilio, per eundem Tiaram Grosbecio reſpondit. Majores ſuos à multis annis, & deïn ſe ipſos Carolo ac Philippo regibus fidem obſequio feciſſe. Itaque novo ſacramento, dum vetus adhuc obſtringat, obligare ſe non poſſe, facturos interim ad quæ teneantur è jure formulâque pactorum, quæ Carolus Cæſar & majores ſui inijſſent. Tum Curijs populi in Minoritarum templum evocatis, per Grosbecium, ore Graphiarij regij eadem, ſed nulla ſucceſſu, repetita. Quippe magnum murmur ſecedentis mox turbæ ortum, alienos à Grosbecij propoſito animos oſtendebat. Quare contegendæ iræ vix par, cætu effuſus in arcem regiam ſe contulit, reducemq; poſt è Galliâ Arembergium, in ultionem contumacis populi inſtigavit. Refert Iodocius, nonnullis cauſarum in regio Senatu patronis, quod à dictione novi ſacramenti abhorruiſſent, foro interdictum, & Hylconem, de quo dixi, Martinium, militum apud fœderatos conquiſitorem, in cænobio quodam captum, una cum ſex captivis Leovardiam abductum. Interim ne res per Leovardiam in incerto eſſent, & ne civitas foris cum Ludovico Naſſovio, domi cum inimico cive certaret, Senatores regij firmandis populi in regem obſequijs privatorum domos adiere. Eos monere ac hortari, manerent in fide Philippi, inveteratumq; Auſtriæ Principum jus integrum illæſumque curent, fore alias, ut, cum novarum partium profeſſione, fructum quoque delibent, novæ & non ſperatæ calamitatis. Spargi quidem Ludovicum tumultuariâ manu circa Amaſi ripam per Provinciæ fines, cæterum facile debellandum, ſi concordes coëant cives, ac regis ſui obſervantes, commune auxilium in exitium hoſtium vertant. Cogitarent Leovardiam Provinciæ metropolim vallo, ac foſsâ circumductam ſedem Senatus, & publicorum munimentorum vaſtationibus, ac rapinis exponendam non eſſe. Quin expenderent potius liberos, conjuges, omniaque divina ac humana concordiam & commune ſacramentum implorare, quo ſalvo everti nequeat tot carorum pignorum incolumitas. Sed dubiâ & diviſâ civitate parum profectum. Itaque Grosbecius Non. Maij. Groningam celeravit, luſtratoque, quod Arembergius in Galliam iturus ibi poſuerat, præſidio, quadringentorum

Reſponſio fœderatorum.

Senatus Regij pro Philippo molitiones.

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

rum manum in cænobium Wittewerumanum duxit, ut Ludovicum ulteriore in Provinciam ingreſſu prohiberet. Cæterum territus Ludovici copijs pedem retraxit, relicto interea Groningæ Ioachimo Panſero, qui regio nomine delectum ageret, tutandiſq; Tranſlavicorum finibus plures copias conſcriberet. Quas ipſas per eundem Ioachimum Panſerum Marnium, in Harenum pagum poſt eductas ipſo noctis obſcuro à præſidio, quod Ludovicus Dammonæ locaverat, cum præfectis, primipilaribuſque cæſas deletaſque in fragmentis ſuis Hiſtoricis Cl. Franckena annotavit. Ludovicus namque redacto in poteſtatem Weddæ caſtello partem exercitus Dammonam miſerat, ut propius Groningam ſuggreſſus, præſidiarios ad velitandum eliceret, metuque ſui majore omnem Provinciam impleret. Itaque convocatis Dammonæ Tranſlavicanorum Ordinibus, per Tiallingum Eyſingham virum è Friſicâ nobilitate, & juris ſcientiſsimum, commeatum atq; pecuniam recenſendis copijs imperavit. Inſtare quippe aliàs militarium ſeditionum diſcrimen oſtendebat, ac metuendum eſſe, ut miles è rapto ſtipendia faciat, magno Provincialium incommodo, quibus opprimendis non veniſſet. Solam enim populi libertatem ſibi curæ eſſe, & non alio fine arma ſumpta, quam ne Hiſpanus oppreſſum iret Provincias ſanguine ſuorum madentes. Cuius furori ut modus ponatur, militem è Germania in Friſios duxiſſe, ſed qui retineri in officio ſine ſtipendijs non poſsit. Itaque militi ſtipendium, ſtipendio tributum deberi, ut diſciplinæ militari locus ſit, & intacti maneant eorum agri & poſſeſsiones, quorum intereſſet; Ne quid detrimenti. Tum petito deliberandi ſpacio Tranſlavicani Ordines Groningam ad Grosbecium profecti, mandata Ludovici expoſuerunt, quibus tributa per Provinciam eum flagitare fidem faciebant. Quare Grosbecius Tranſlavicanorum Legatos in caſtra Ludovici ſe recipere, ac redimere pecuniâ periculum juſsit, quod iſti amovendo non aliud remedium ſupereſſet. Parvas quippe ſibi copias & Harenâ clade acciſas, tum infidum omne per utramq; Provinciam imperium expendebat. Itaq; Legati ad Ludovicum reverſi, coacto repente per agrarios tributo, pecuniam aſsignavere, omnique inſolentiæ parcitum eſt. Mox Groningani metu obſidionis ad Ferdinandum Albanum Legatos Bruxellas miſere, qui auxilia rogarent, debili intra urbem præſidio, & maxumâ Tranſlavicani agri parte hoſtium copijs expoſitâ. Igitur Ferdinandus Albanus proclamata Carolum inter IX. Galliæ regem, & Condæum, Amiraliumq; pace, Ioannem Lignæum Arembergium Galliâ evocavit, ducendaque eï in Friſios auxilia commiſit. Tum Carolus Brimæus Comes Meganus, qui mille, & quingentos peditum, equitum quadringentos ducebat, ſubſequi juſſus, ac præſidia pleraq; Ciſlavicanarum civitatum Groningam amota, quo Grosbecius, Non. Maij menſis abſente adhuc Arembergio, præceſſerat. Qui mox Gallico bello defunctus è Brabantiâ in Tranſiſulaniam, poſt Friſios maturans IV. Eid. Maij Bergumanos, ac mox ſex navigijs vergente in occaſum die Leovardiam advenit, communicatoq; cum regio Senatu conſilio, Grosbecium Groningâ per litteras acciri juſsit. Is acceptis Prid. Eid. mandatis Groningam ſe recepit, ipſeque Arembergius etſi affectâ valetudine,

Regij cæduntur in pago Hareno.

Tiallengi Eyſinghæ pro Ludovico oratio.

Aremberg. in Friſiam redit.

præ-

præpediretur, ſalutato quoq; Senatu in Bergumanos, & poſt Groningam profectus eſt, decem Hiſpanorum, & poſt duabus cohortibus Quirini Laceï Burani, & Erneſti Mulartij in eandem urbem præmiſſis. Ubi compoſitâ, ut Cl. Franckena notat, militari ſeditione, nihil cunctandum ratus, exercitum omnem, ſex tormentis campeſtribus inſtructus, Dammonam ducere conſtituit, quam Ludovicus Naſſovius, ut ante dixi, pleriſque cum copijs tuebatur. Quorum certior factus Ludovicus caſtra Dammonâ Slochterum movit, non metu, ut quidam voluere, ſed ut ſparſas iſtam per oram copias conjungeret. Quare Ludovici receſſum, fugam ratus Arembergius, ocyus exercitum pergere juſſit, compertoque è captivis (quos Ludovicus Harenâ pugnâ captos dimiſerat) magnam in exercitu Ludovici commeatus penuriam eſſe, decertare prælio conſtituit, ad quod Hiſpani ſive inſito calore, ſive pugnandi occaſionem ſpeculati, præfervidis ſtudijs incendebantur. Sed inſtans & illunis nox caſtra diremit. Igitur, poſtero die, curatis militum corporibus Arembergius caſtra propius adduxit, exercitumque magno cæli ardore, adultum enim ver erat, ac armorum juxta pondere defatigatum apud Winſchotum ſtare parumper juſſit, præmiſſis confeſtim exploratoribus; qui de Ludovico cognoſcerent, ac de ſitu Caſtrorum nuntiarent. Ubi verò per eoſdem ſpeculatores cognitum, Ludovicum nullo fugæ, ut rati erant, conſilio, decertare prælio conſtituiſſe, animus Arembergij velut eventuri mali præſagio non parum elanguit. Quapropter differendum diem pugnæ ratus, moræ ac tarditatis ſuæ cauſam, tanquam apud milites concionatus in abſentem Carolum Brimæum Comitem Meganum rejecit. Illum quippe vix diei itinere caſtris abeſſe, & poſtero die cum auxilijs adfore, quo cum Ludovico confligere auctæ vires & vegetior miles ſuaderent. Sed Hiſpanus præconceptæ victoriæ fiduciâ præceps, tum gloriæ ac prædæ juxta avidus, conſerendas cum Ludovico manus incondito clamore vociferabatur. Quare Arembergius importuno militi obſecutus, confertam ſimul aciem in Ludovicum duxit, qui mediâ & arbuſtis circumſeptâ camporum planitie tripartitum jamdiu exercitum juſtis ordinibus inſtruxerat. Schlopetarij etiam quadringenti per inſidias poſiti, quibus mandaverat Ludovicus, ut ſponte recedentes ſuos exciperent, inſequentemq; feſtinantius hoſtem ex inſidijs adorirentur. Quod conſilium magnum pondus ſubſecutæ victoriæ attulit. Itaque Naſſovij, & in ijs Ludovicus, & Adolphus fratres, impreſſione in equitum turmas, quæ paucæ circa Arembergium erant, factâ, mox volentes pedem retulere, donec conſtituto loco machinæ, & ingruens eques, tum locati per inſidias ſchlopetarij Arembergici exercitus ordines conturbarent. Quibus luxatis verſi in fugam Hiſpani promiſcuâ cæde ceciderunt. Arembergius ipſe, levi primum capitis vulnere accepto, mox equo, quo vehebatur, deturbatus, fortiter adhuc pugnans, ac nequicquam hoſtilis poſt dexteræ miſericordiam implorans à gregario Ludovici milite, textore, ut tradunt, Boſumano, vel ut alij aſſerunt, à ligulario Franequerano, Zeugma dicto, confoſſus eſt. Cæteros frequens ijs locis uligo, altiſſimæque paludes abſorpſerunt, mille, & octingenti, una cum ipſo Arembergio, in cæſorum nume-

CIƆ. IƆ. LXVIII.

Ludovici Naſſovij cum Arembergio pugna.

Victoria.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXVIII. rum relati incruentam Ludovico (ſexaginta enim tantum deſiderabantur) victoriam reliquêre. Solus Adolphus, Ludovici frater, fortiter rem gerens inter Principes viros glorioſâ morte exſpiravit, ſuique deſiderium luctuoſæ Naſſoviorum domui reliquit. Cadaver eius Weddæ, ut & Arembergij fano cænobij Heiligerlæi, militaribus exequijs inlatum. Ita primam fæderati belli, ac Ludovici fœlicitatem fratris morte acerbior Fortuna penſavit. Tum ex Hiſpanis captivi laqueis enecti, communem adverſi ſortem pertulere. Reperio in notis A. Franckenæ, finito prælio Germanis parcitum fuiſſe, trecentoſque captivos, qui poſt id temporis ſtipendia ſe apud hoſtem non facturos, Ludovico depacti erant, ſingulari clementiâ dimiſſos. Aberat non procul eo loco cum quinque cohortibus, paucisque equitum turmis Carolus Brimæus Comes Meganus, qui perceptâ Arembergij ac ſuorum clade celerrimâ fugâ Groningam abreptus civitatem, in quam ægre intromiſſus erat, exarmari fecit, veritus haud dubio ne adversâ Arembergicæ pugnæ fortunâ animi civium, novarum, ut ſolent, rerum ultrò avidi Fæderatis partibus ſe adjicerent. Iam enim illius cladis reliquiæ ſine ullo ordine palantes, ac inermes circum urbem Groningam & per univerſam Friſiam ſpargebantur. Unde caſtrorum fuſique exercitus opes, aurum atque argentum omne, tum arma, veſtes, equi, trecentique currus vehendis machinis, cæteriſq; rebus facti, victoribus ceſſere. Ludovicus victor, more bellicis Imperatoribus recepto, poſtquam locum pugnæ, ſed ſanguine hoſtium cruentatum ſpatio tridui inſediſſet, Dammonam ſe recepit, portumque Delphzilanum munijt. Tum Tiallengum Eyſingham Iureconſultum, qui verba apud Tranſlavicanos nuper fecerat, ac in comitatu Ludovici tum erat, domeſtico malo multatum fuiſſe reperio, omniaque eius bona immiſſis in domum militum manipulis, commentario perſcripta. Notat Iodocius ſex campeſtria tormenta, quæ Arembergius Groningâ abduxerat, Ludovico quoque obveniſſe, ac quatuor cohortes peditum III. Kal. Iun. ſparſas, & inermes Leovardiam profugas advolaſſe. Duas quoque cohortes, Snecâ prohibitas, ipſumque Grosbecium feſtino itinere modo Groningâ Leovardiam, deïn Leovardiâ Groningam revectum, reparandis per Friſiam rebus incubuiſſe. Idem Iodocius notat, clerum Leovardiæ hoc tempore ex omni inter Flevum, Lavicamque Friſia conveniſſe, ac de mittendis Ultrajectum Delegatis conſultaſſe, quos Fredericus Scencus Teutoburgius, Archiepiſcopus Ultrajectinus de mandato Ferdinandi Albani, promulgandis per omnem Diocæſin Concilij Tridentini Decretis Ultrajectum evocaverat. Litteræ XXII. Aprilis Ultrajecto datæ. Quibus reſponſum ab Abbatibus hunc in modum reperio.

Tiallengi Eyſinghæ bona fiſco decreta.

ILluſtriſſ. ac Reverendiſſ. citari nos denuò coram Metropolitana feciſti, & quidem, ut profiteris ex mandato Ferdinandi Albani, ut voluntatem regis cognoſceremus, ac quid de Concilio Tridentino per Friſiam & Diocæſin publicando decreverit. Quæ evocatio etiamſi legitima foret, neque derogaret privilegijs noſtris, & integrum nobis commodumq; foret ire, tamen non poſſumus hac in re imperio tuo ac mandato obſequi, cum ſine totius provinciæ, cui innexi ſumus, conſenſu nihil agi queat, quod ad plurium, imo ad omnium commodum atque utilitatem ſpectat. Tempus præterea breve, & per quam

quam auguſtum nobis præſcriptum. Addimus vias ipſas, hoſtium copijs, quæ cIↃ. IↃ.
non longæ abſunt intutas impeditaſq́; eſſe, noſque in perpetuo metu futuræ LXVIII.
vaſtitatis, verſari. Itaque extra fines regionis hoc tempore ire, & à monaſterijs noſtris abeſſe, valde grave & moleſtum nobis erit, quod ijs evenire ſolet, quibus de ſecuritate præſtari cautio, etiam per autoritatem judicij, non poteſt. Et quia tertio tantum Ordinum Friſiæ membro cenſemur, neque in fraudem ſociorum noſtrorum quid ſtatuere poſſumus, petimus ut excuſari nos ſinas, quos alijs in cauſis reverentia tuæ Sedis obligavit.

Poſt exequiæ Arembergio XV. Kal. Iul. Leovardiæ factæ magnoq́; funebri apparatu præmiſſo, Pontificiorum præſertim in defunctum ſuprema officia eluxerunt. Cæteri credebant quod iniquior fæderi, & tot exulum conſcientijs fuiſſet, divinâ ultione ſublatum digno factis luctu proſequendum eſſe. Recordabantur quippe Arembergium eodem die, quo expeditionem molitus erat, viginti & octo cives exilio multaſſe, horæq́; tantum ſpatium urbe exceſſuris ſingulari ſævitiâ indulſiſſe. E Minnemijs Andream Wibrandium, Abbeæum Udium, cum filio, Vibium Allartium, ex Oldehovijs Elconem Valerium, Philippum Ioannis, Franciſcum Capſarium, Douwonem Symonium, Witzonem Piſtorium, Ioannem Thomæum, Riemerum Fabrum, Joannem Sagittarium, Petrum Stroierum, Sibrandum Tetardum, Heronem Hottingha, Cornelium Scandularium, Gabbeum Vitriarium, Henricum Clyncbylium, Buwonem Ielmerium, ex Hoecanis Ioannem Ieppenium, Franciſcum Ioannis, Paulum Ægidium, Ioannem Æmylium, Thomam Thomæum, Siouckonem Fabrum, Elconem Leoninum, Ludolphum Nautam fuiſſe in horrendæ proſcriptionis tabulis XIV. Kal. Iun. ſignatis reperio. Quorum exilijs juſta propterea cæde ſatisfactum, illi interpretabantur, qui non ignorabant, ſævos Principes vitæ ſuæ ſpatia ut plurimum infælici exitu clauſiſſe. Poſt ſeneſcente Iunio menſe, inermibus, quæ Leovardiæ oberrabant, à clade Heiligerlæâ copijs arma Antverpiâ ſuppeditata, ac quatuor cohortes (etſi dubijs animis, ac vultu contumaciæ propiores eſſent) Groningam præmiſſæ, ſubſequente ocyus Grosbecio, ut ulteriorem Ludovici progreſſum, & ſecundos rerum curſus remoraretur, quæ proſperis tum fatis in continente non tantum, ſed in ipſo quoque mari, & æſtuario Amaſi fluminis agebantur. Didericus namque Sonnoius acceptâ famâ Franciſcum Boshuſium Claſsi regiæ præfectum eadem claſſe Amaſum flumen ingreſſum (ne commeatus in caſtra Ludovici Embdâ, aut è vicinis Friſijs perferretur) ſociorum ope multas naves adornaverat, marique Friſico immiſſus onerariam quandam in anchoris ſtantem ſuam fecerat, fugatoque Boshuſio ac direptâ hoſtium claſſe victor fæderatæ per Oceanum expeditionis primus gloriam reportaverat. Quibus rebus, etſi maxumè Arembergicæ cladis dolore, commotus Albanus captivæ Nobilitatis ſupplicia maturavit, animumque ultrò immanem, ſed Ludovici Naſſovij fortunâ efferum, Nobilitatis Belgicæ, Principumque virorum ſanguine placare adnixus eſt. Quare ad Kal. Iun. pegmata Bruxellis extructa proclamatiſq́; in Curiâ feralibus ſententijs, Batenburgici, reliquiq́; Nobiles (inter quos è Friſijs Hartmannus Galama,

Exequiæ Arembergij

Nobiles capite plexi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXVIII. Suffridus Beiemus, & Gulielmus Buma erant) capite plexi optumos in patriam affectus triſti eventu expreſſere. Capita, truncaq; corpora pinnis paſſim ſuffixa, & nobili patritioq́, ſanguine ſtillantia ſepulchri quoque honore caruere.

Ita Ferdinandus Albanus, qui vitæ beneficium nobiliſſimis viris ademerat, communem quoque mortalibus terram eorum corporibus invidit, fædusque naturæ hoſtis, ſupereſſe odium, etiam amoto furoris ſui pabulo profeſſus eſt. Tum in Amoralium Egmondanum, & Philippum Montmorentium Principes viros, & Equites Aurei Velleris converſus ultimam ijs neceſſitatem denuntiari fecit, ſententiamque mortis, quam clam ex Hiſpaniâ attuliſſe credebatur, ſua manu perſcripſit. *Egmondanus, & Montmorentius gladio percuſſi.* Egmondanus terror fulmenque Galliæ (prædicante id Mondulceto Caroli IX. Gallorum Regis Legato) primus cervicem gladio præbens, omne etiam moribundus fati ſolatium in gratiâ Philippi reponebat. Itaque orare eum, miſereatur mæſtiſſimæ viduæque conjugis, & undecim liberorum, numeroſæque prolis fortunam, denique principis, ſed miſerrimæ domus ſortem regia clementiâ levet. Se jam morti proxumum, neque ferendis extremis imparatum, hoc ſolo voto preces, & deſideria finire. Ea codicillis ſignata, ac in Hiſpaniam tranſmiſſa, ultimæ ſollicitudinis fidem implevere. Cornelius Gemma ſcribit, illum, qui dextrum ſæpe Philippi latus clauſerat, regij nominis imperio raptum laudabilique patientiâ in extremis uſum, regiæ voluntati tanquam fato ac providentiæ ſe ſubjeciſſe. Tum Philippum Montmorentium Comitem Hornanum idem exitus abſtulit. Capita fortiſſimorum Heroüm truncis reciſa, ferreiſque pilis impoſita triſte ſpectaculum, odiaque populi, & cricumſtantium militum in Albanum auxere. Erant, qui meminiſſent poſt victorias Gallicis alijſque bellis partas eo in loco triumphales arcus inter applauſus populi, ſonantiumque cuneorum victoribus erectos fuiſſe. Nunc trophæa ipſa cæſorum debellatorumque hoſtium monumenta in uſum fædiſſimi ſpectaculi converſa. *Præſagia cædis.* Is exitus Egmondani Hornijque Comitum fuit, quos ſummis olim honoribus decoratos, Carolique ac Philippi militiam à triginta annis per Africam & mediterraneum mare ſecutos autores tradidere. Addunt ijdem Gulielmum Naſſovium Aurantium Principem, Willebrocano conventu eum eventum rerum Egmondano prædixiſſe; ac Gemmam Friſium Mathematicum eâ ætate celeberrimum, in Hornani Genetliaco fatalem illum caſum è cæli conſtitutione, ac concurrentium ſyderum poſituris obſervaſſe. Itaque eundem Montmorentium præmonuiſſe, præſentiam Albani, & forum declinaret, ſubductuſque periculis pari cum ſocijs exilio privatæ ſecuritati, & ſimul publicæ cauſæ conſuleret. Cæterum mihi memoriam temporum revolventi obſervatum ut plurimum fuit, Tyrannorum ſævitiem, & optumis quibuſque imperatas mortes ab æternâ & immutabili providentiâ eſſe, fereque gentium libertatem, velut fato præfinitam, crebra ſupplicia, virorumque Principum neces tanquam tempeſtates venturæ ſerenitatis anteceſſiſſe. *Albanus contrahit militem.* Quamobrem vindictâ ulteriore Arembergicæ cædis exardeſcens Albanus, ſparſum per omnem oram militem colligi imperavit, Carolumque Brimæum Meganum ab exceſſu Ioannis Lignæi Arembergij

gij Præfecturâ Friſiæ omniumque intra Flevum Amaſumq; ditionum ꟾↃ. Iↄ.
donatum, Groningam mox cum copijs ablegavit. Erico quoque LXVIII.
Brunſuigio duo millia equitum levis armaturæ conſcribendi poteſtatem fecit, naveſque plurimas commeatu onuſtas propè Delphzilam ſtare juſſit. Ludovicus verò caſtra ad Groningam metatus, copiarum partem in cænobio Selverdico locaverat, victoriâque velut uti neſcius, otio, & inſumendis ſtipendijs militem alebat. Unde factum eſt, ut gerendarum rerum magnæ occaſiones elaberentur, ipſeque Ludovicus, etſi Hoogſtratani auxilijs adjutus, levibus tantum velitationibus cum Carolo Megano certaret. Adeò verum eſt adverſa tolerari, proſperis vero corrumpi ingenia Principum, & fælicitate inſoleſcere.

Albanus verò ſerio rerum apparatu occupabatur. Quippe præmiſſo in Friſiam Chiappino Vitellio cum decem cohortibus peditum, mille & quingentos Germanos, & Caſparum Robleſium cum ſex ſignis ſubſequi juſſerat, præter eas pedeſtres copias quas Ægydius Barlamontius Hyergius ducebat. *Albanus bellum meditatur in Friſia.* Quibus de rebus certior factus Ludovicus metuenſque ne cum majoribus auxilijs Albanus ſuccederet, miſſo præcone Chiappinum Vitellium ad conflictum provocavit, qui diem pugnæ necdum effluxiſſe mordacibus verbis reſpondebat. Innuebat quippe Vitellius Ferdinandum Albanum, mox cum valido excercitu adfore, & Arembergij manibus adhuc inultis opportunas inferias decerni. Quare Ludovicus qui circumdare urbem Groningam præ paucitate copiarum non poterat, Reiderio tantum & Dammonenſi rivis obſeptis, miſſo longæ obſidionis conſilio, ut urbe potiretur, ad dolum converſus eſt. Itaque decem & ſex milites, apud quos vitæ ac mortis nullum diſcrimen, & facile paratu omne etiam facinus videbatur, è toto exercitu delegit, qui armata corpora lineis camiſijs contegentes, ac ſi è lectis dormitorijſque à milite Ludovici proturbati eſſent, ad portam urbis ſe contulere. Conſtituerant enim trucidatis vigilibus per vim portam occupare, & Ludovicum proxumè ſecuturum ſuis cum copijs intromittere. Sed ſive fato, ſive quod Ludovicus tardius cum auxilijs progrederetur, detecta res, Ludovicum ſucceſſu conſilij, fortiſſimum militem & animæ prodigum vita privavit. Pauci capti, Ludovicuſque incertos rerum eventus animo volutans exercitum reduxit, quem Juſti poſt Scouwenburgij, (qui mille ſchlopetarios, & quadringentos equites ductabat) diu ſperata auxilia non parum roboravere.

Tum Ferdinandus Albanus collecto ex Italis, Hiſpanis, & Burgundionibus exercitu, XVII. tormentis inſtructus, è Brabantiâ, poſt Geldriam Tranſiſulaniamq; peragratas, Covardiam, deïn Groningam advenit, multoſque pontes traijciendo amni factos ſecum duxit. Quarum rerum famâ excitus Ludovicus caſtra Slochterum movit, multoque conflictu, cum Epirotis, qui eum ocyus inſequebantur, equitibus, habito, etſi ſuffoſſo equo alterius beneficio ſervatus eſt. *Ludovici res geſtæ.* Itaque pugnæ inſtantis diſcrimen expendens relicto Slochtero Iemmingam in Reiderios duxit, caſtraque in Amaſi ripâ metatus, opperiri hoſtem conſtituit. Deïn catarractas fluminis laxandis per agrum aquis aperiri juſſit, ijſque intra alveum compreſſis (propterea quod flumen non niſi tempeſtate, aut æſtu motum exundaret) à ſpeculatorijs cohor-

cIↄ. Iↄ. tibus, quas Albanus præmiſerat, ſed maxumè ignaviâ militum cir-
L XVIII. cumventus eſt.

Illi namque in ipſo diſcrimine, aleam jacere, canere, potare, bellum luſu, periculum ſecuritate miſcere, lacerare ſigna, aut pro libitu deſerere, eaque facere, quæ maturando exitio erant. Econtra celerare prælium Albanus, inſtigare Præfectos, hortari milites periculum in morâ eſſe, ne firmiore opere Ludovicus ſe circumdet, aut patente poſt tergum Amaſo majora auxilia accipiat. Ita velitatione præmiſſâ graviore mox prælio partes concurrerunt, in quo ſchlopetarij ferè omnes (quos ad prohibendum ponte hoſtem à Ludovico miſſos Cl. Franckena tradit) fraude ac perfidiâ ruſtici cecidere. Is namque ſexcentos tantum Hiſpanorum, cum jam tota acies inſtaret, ponti imminere, ac expeditâ paucorum manu repelli poſſe falsò nuntiaverat. Quare ad mandatum Ludovici progreſſi ſchlopetarij fæde decepti, & ſuſtinendis exercitus univerſi viribus impares, accedente nitroſi pulveris defectu fædâ internecione deleti ſunt. Nihilominus Ludovicus ordines inſtruere, monere militem ſacramenti, iret in hoſtem jam in acie ſtantem, efferum ſociorum ſanguine, mox, niſi pugnarent, ſuo ſe paſturum.

Ludovicus verba facit ad milites.

Cogitaret illum, patriæ vaſtitiem, genti excidium, uxoribus liberiſque (quos impotentia ſexus ætatiſque domi reliquerat) pejorem morte ſervitutem minari. Pugnarent itaq; quo ſolo præſens periculum vitari poſſet; aut glorioſâ morte, adverſiſq; vulneribus confoſſi inſtar fortium virorum cruentam hoſtibus victoriam relinquerent. Sed ſpretâ ſacramenti religione contumax miles, (quem ex Oldenburgicis conſcriptum fuiſſe, fidus autor notat) prælij puncto Ludovicum ſtipendia poſcens pugnam detrectavit, cæſuſq; aut Amaſo flumini immerſus interijt. Ludovicus poſt præſtitum optumi fortiſſimiq; Ducis exemplum fæde à commilitonibus tandem derelictus, ſcaphaque Amaſum tranſvectus in Tranſamaſanos ſeceſsit. C. Gemma tradit, Germanos ipſo inſtantis pugnæ tempore, ſtipendia importune poſtulantes, ferè ipſum Ludovicum prodidiſſe, eundemq; nudum vicinum flumen, iſtius artis peritiâ enataſſe. Tradunt annales tantam in caſtris Ludovici inſolentiam fuiſſe, ut miles majore flagitio dubium arma projecerit, an vexilla legionum diſcerpſerit. Nonnulli beneficio foſſarum incilium que ſervati triduo poſt Embdam devenere. Juſtus quoque Scouwenburgius cum ducentis equitibus pugnæ ſubductus Bondam evaſit.

Reperio in hiſtoricis narrationibus A. Franckenæ, D. Galama Friſicæ gentis virum nobilem, cum paucis fugientem plurimos hoſtium, qui acrius Ludovicum inſequebantur, à ſuis disjunctos interemiſſe, refertumq; ſpolijs vitæ ſervatum. Ludovicus collectis ſparſi exercitus reliquijs ad fratrem Gulielmum Naſſovium Aurantium Principem ſe contulit. Duo millia illo prælio cæſa, prædaq; ingens victoribus conceſſa. Tum in victore exercitu ſtupra matronarum ac virginum omniſque inſolentiæ exempla viguere, abactis è Reiderio agro XVIII. pecorum millibus. Annotatum quoque invenio x. Kal. Aug. (qui dies Jemminganæ pugnæ poſtriduanus fuit) Leovardios comparatis ad hoc curribus commeatum atque annonam Ferdinando Albano procu-

raſſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

raſſe, eundemque Albanum victoriâ potitum VII. Kal. in Heileger-læum cænobium, poſt Delphzilam atque Dammonam redijſſe, quarum priorem deumbratâ novæ urbis formâ commutare velle impoſito Marſpurgi nomine credebatur. Iſti namque rei Chiappinum Vitellium, & Paciottum Antverpianæ nuper arcis architectum, tum Iohannem Knijffium Groningenſium Præſulem, conſecrando templi loco delegaverat. Sed Groningenſium precibus, ac Caroli Brimæi Friſiæ Præfecti interceſſione condendæ urbis negotium omiſſum eſt. Quo tempore Margareta Marchica ab Arembergij mariti morte Bruxellis agens, ut defuncti memoriam innovaret, litteras in Friſiam dedit, proceresq; eius populi hoc modo ſalutavit. cIɔ. Iɔ. LXVIII.

L*VCTVOSISSIMVM caſum, qui mihi domuique meæ evenit, non ignorare vos puto, erepto terris Arembergio marito meo & vitæ fortunarumq; conſorte. Qui cum pro PHILIPPO rege, pro tuendis agris finibuſq; veſtris, ut egregij exercituum Duces ſolent, mortem oppetierit, ita recordari vos credo quâ laude Præfecti imperium Carolo Philippoq; rerum potiuntibus gentem apud veſtram obiverit. Quâ ex causâ ſibi æternum decus peperit, fecitque, ut vos magno affectu vivum amaretis, quem mortuum deſideratis. Itaq; & ego, dum in provinciâ veſtrâ ſubſtiti, communem cum marito fortunam, & ſortem experta, propenſos in me animos veſtros ſenſi, quos ut ſervetis etiam erga me abſentem, & orbitate miſeram obnixe peto. Ego certe, quæ maximam ætatis meæ partem veſtro in ſolo, veſtris in terris cum deſideratiſſimo marito exegi, vos jure meritoque amavi, & ita quidem ut à ſororis conditione non abfuerim. Quin omne officium à primogenito filio, à reliquis liberis pignoribusque meis, paternæ, ut auguror, virtutis veſtigia preſſuris, expectate, ac pro certo habete Arembergicam domum, etſi triſtiſſimo hoc caſu infælicem, vobis addictam fore. Idem ut faciatis mihi liberiſque meis, impenſe oro.* Litteræ prid. Kal. Aug. Bruxellis datæ.

Similes litteræ à Johanne Roorda juris perito, qui in Comitatu ac aulâ Margaretæ Marchicæ fuerat, & tum cauſarum patronum in ſupremo Senatu Mechlinienſi agebat, ad Deputatos Ordinum miſſæ, quæ Arembergij laudes prolixe enarrabant, & quantum doloris ex ipſius inſperatâ morte Rex ſimul & provinciæ hauſiſſent. Hoc etiam petebat, ut ſi forte ab Albano Philippi prorege, populus Friſicus ad comitium vocaretur, Friſij de defuncti juſto temperatoq; regimine apud Albanum teſtarentur, eundemque Arembergium turbatiſsimis temporum, Philippi hoſtibus armatâ manu, atq; fortiſsimo exemplo reſtitiſſe. Tum de ſucceſsione filij mentio injecta, petitumq; ut proximo comitio, quod Friſij habituri forent, eius ratio haberetur. Hoc verò dolebat Margareta, omiſſam eſſe à Friſijs doloris publici, quem ex morte præfecti ſui facere debuiſſent, teſtificationem, Friſioſq; neglecto more, regis Gallorum, Bavari ac Lotharingi, tum Tranſiſulaniæ, Tranſlavicanorumq; officia in complorando funere neglexiſſe. Non miſiſſe legatos, nec expediviſſe litteras ſolemnium teſtes, quod in illorum exequijs fieri ſoleret, qui præclaras bello paceque res geſſiſſent, & qui laudabi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ.IↃ. L X VIII. dabilis imperij finem egregiâ morte, & imitando poſteris exitu cohoneſtaſſent. Ad quas Iohanni Roordæ reſponſum.

Litteræ tuæ nobis bene traditæ ſunt, ex quibus deſideria Margaretæ Marchicæ Arembergij viduæ cognovimus. Cuius memoriam ex gloriâ geſtarum apud nos rerum ſub Carolo Philippoq; quia amoveri non ſinemus, ita teſtamur gravem nobis luctum acerbiſſimumque mœrorem ex illius exceſſu obveniſſe. Cui quoque condolere in animo habuimus, niſi incertis rumoribus evulgata mors fuiſſet, & niſi formidaſſemus Margaretæ luctum lugubri officio geminare. Cæterum, ut teſtemur de affectu noſtro, quo orbam Marito Margaretam proſequimur, dabimus operam, ut apud Albanum, ſi conventum populi Friſici indixerit, & Præfecti noſtri memoriam, actamq; cum laude ætatem, & juxta liberos ſuperſtites commendemus, ac ut filium paternæ laudis & imperij hæredem habeamus. De reliquis petimus, ut mœſtæ deſolatæque viduæ, liberiſq; noſtro nomine omne officium promittas, fidemq; facias, nos Arembergij etiam à morte cultores filium liberoſq; in ſpem futuræ ſucceſſionis ſalutare. Neq; omittemus Ferdinando Albano noſtrum deſiderium exponere, quo favoris noſtri ampliſſimum documentum extet. Litteræ Leovard. x v. Kal. Septemb. datæ.

Quibus confirmandis miſſi ſub exitum Auguſti ad eandem Margaretam Marchicam Ruardus Roorda, & Hero Ockingha, quo ægritudinem Margaretæ ex mariti morte conceptam, honeſto alloquio levarent, opeq; Viglij Præſidis idoneum, ſi res adhuc integra foret, ſucceſſorem Arembergio peterent. Quod in gratiam Margaretæ ab Ordinibus Friſiæ factum facile crediderim, quò filius, quem primo partu enixa erat, per Viglium & Legatos, paternam in dignitatem ſuccederet. Quibus & hoc in mandatis datum, ut apud eundem Præſidem, de immoderatis fiſci regij actionibus quererentur, nobilitatemque & ſimul locupletiores fiſcali actione non in judicio regio, cæterum coram Albano conveniri.

Albani iter in Brabantiam. Tum Albanus Groningæ (quam v. Kal. Auguſt. pro more victoris à clero univerſoque Senatu magnâ pompâ exceptus intraverat) ſuſpectâ civium fide validam arcem munimentum durioris imperij decrevit, locatoque ibidem valido præſidio, ordinatiſque per Provinciam rebus Ultrajectum, & deïn in Brabantiam properavit, cui imminere magno cum exercitu quem in Treviris luſtraverat, Gulielmus Naſſovius, Princeps Aurantius dicebatur. Qui Trajecto poſt Rheno, deïn Moſa flumine, ut fraternæ ad Iemmingham cladis infælicitatem vindicaret, Ferdinandum Albanum apud Trajectum Moſæ loricâ caſtrorum clauſum ad pugnam nequicquam evocavit, conſumptus morâ, & annonæ penuriâ, *Exercitus in præſidio.* poſt ſeditione militum, (qui præfecti cæde nefarias manus imbuerant) fractus, in Germaniam ſe recepit, ſuamque & Ludovici fratris fortunam principis animi conſtantiâ toleravit. Deïn peracto Iemmingano prælio copiæ iterum in præſidia reductæ, ac decem cohortes peditum, quibus Ægydius Barlamontius Hyergius cum imperio præerat, per Leovardiam urbem, & ſuburbana loca iter fecere. Tres quoque cohortes è Valonum gente Leovardiæ noctem egere, poſteroque die in Tranſiſulaniam ablegatæ propriam illis temporibus ſollicitudinem dubiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

biæ urbi excuſſere. Tum Prid. Non. Auguſti, ob Iemminganam Albani victoriam ſupplicationum dies, per omnem Friſiam inſtitutus, eorumque nomina, qui Ludovici Naſſovij partes illo bello ſecuti erant, ad Senatum regium perlata. Ita ſurſum ac deorſum proſperis juxta & adverſis immiſtæ res per Friſiam fluebant, robuſtioribuſque ſenſim nervis mutabile, & incertum eventibus bellum trahebatur. Pro cuius mole animum quoque Philippi jam diu exaſperatum majora odia induiſſe, per ipſam quoque Hiſpaniam triſtiſſima exempla & imperatæ Legatorum mortes docuere. Ioannem quippe Bergæ Marchionem, carcere, & ægritudine mentis ferme abſumptum, poſt veneno extinctum, omnis fama aſſeruit; Florentiumque Montmorentium tentato nequicquam effugio apud Segoviam gladio percuſſum, infælicem Legati ſortem expleviſſe. Quod factum peſſimæ per omnem Europam aulaſque regum famæ fuit. Hoc ſcilicet unum Philippo ſuperfuiſſe, ut tot millium per Provincias ſanguini fuſo, & Principum cædibus, omni jure, mox etiam gentium violato, ipſorum quoque Legatorum neces adjiceret. Mox percrebeſcens per Friſiam rumor tot triſtium rerum famæ ſuperaditus Caroli Hiſpaniæ Principis mortem nuntiavit. Creditum fuit, eum ſecretis novercæ conloquijs, deïn conſuetudine Belgicorum Legatorum Marchionis Bergæ, & Montinij uſum familiarius, ſuſpicionem proni in Belgicam affectus dediſſe, & ab illo duriore Philippi patris imperio alienum, tutius mitiuſq; remedium componendis civilibus turbis deſtinaſſe.

cIↃ. IↃ. LXVIII.

Legati in Hiſpaniâ pereunt.

Caroli Hiſpan. Principis mors.

Borræus addit eum ab inimicis & paternæ aulæ aſſentatoribus fugæ aut ſimilis conſilij inſimulatum, ac ſi per ſecreta cum Aurantio Principe literarum officiorumque commercia arripiendi per Belgicam, Principatus cogitationem cæpiſſet. Certè veriſimile eſt, Carolum Principem in vigore ævi conſtitutum, nuperæque quo minus in Belgicam cum imperio iret, repulſæ haud oblitum, dignas filio regio curas agitaſſe, quibus inlatæ contumeliæ labem, æmulationeſque inimicorum principe irâ, & opportunis vindicijs ulciſceretur. Cæterum Caroli arcanum per excuſſa, juſſu patris, ſcrinia detectum infælici eum exitu, & juxta regiam domum magno infortunio multavit. Quippe ſevero patris imperio in carcerem datus, duriuſq;, quam Principem filiumq; decebat, habitus incerto fine vitam clauſit. Multi credidere eum fractâ per nervum gulâ, aut, quod verius duxerim, lento veneno, ac mærore animi (nam utrumque tradunt) extenuatum, inlatumque præfervido balneo ruptis exolutiſque venis exſpiraſſe. Eliſabetha Valleſia Philippi uxor, Caroli noverca, intellectâ (quo cum conſuetudinem ſtupri habuiſſe Philippus ſuſpicabatur) privigni cade, dubium, ſuo an alieno juſſu extincta. Ita regia Philippi domus duplicis parricidij non obſcura ſuſpicione fædata.

Reperio in libris Edictorum Friſiæ, Philippum Albanum, qui ad Trajectum Moſæ caſtra tum tenebat, VI. Kal. Iul. de morte Caroli perſcripſiſſe, Carolumque pœnitudine ſuæ imbecillitatis ductum, poſt applicata ei morientium ſolemnia, glorioſo & pio exitu deceſſiſſe. Philippi quoque juſſu principi umbræ per omnem Friſiam ad V. Non. Octob. diem ſupplicationes decretas, Caroliqué exequias VIII.

Caroli honorarium funus.

cIↃ. IↃ. LXVIII. Eid. ejuſdem menſis Mariæ Anglicæ exequijs aſſimilitas, funeſtis ſolemnibus, & lugubri pompâ celebratas.

Neq; Ferdinandus Albanus Iemminghanâ victoriâ ac proſperitate fortunæ elatior à ſtatuendis quoq; immanibus exemplis ceſſabat. Quippe poſt præclaros per Brabantiam necatos viros, Culenborgiorum Comitum palatium quod Bruxellis viſebatur, ob pactum in eo (de quo dixi) Fædus, ac conventus Principum habitos, dirui juſſit, & ut ipſe in conſcientijs non tantum temporum, ſed & monumentis quoque perennaret, poni curavit hoc ipſum cum inſcriptione:

Monumentum diruti Palatij.

REGNANTE PHILIPPO II.
CATHOLICO HISPANIARUM
REGE, IN HÆREDITARRIIS
BELGII PROVINCIIS GUBER-
NATORE FERDINANDO ALVA-
RES TOLETANO, DUCE AL-
VÆ, MARCHIONE CORIAE, &C.
DECRETUM FLORENTII PAL-
LANTIS, COMITIS CULEN-
BURGII PALATIUM, PROPTER
DETESTANDAM IN EO CONIU-
RATIONEM HABITAM, ADVER-
SUS ROM. CATHOL. RELIG. RE-
GEM HISPANIARUM, STATUM-
QUE BELGII, SOLO ÆQUANDUM.

Deïn ne veſtigia fæderis ullibi cernerentur, eiuſque memoriam deleret necatis autoribus, omnes fæderi adſcriptos qui in Friſiâ permanſerant, VIII. Kal. Sept. edicto Antverpiam evocavit, intraq; trigeſimum diem ad dicendam cauſam adeſſe juſſit. In eorum numero, qui citati erant, Deitzius Wingia, Watzo Aylva, Wigerus Eelſma, Titus Hettingha, Tiepco Goſſingha, Tetardus Iellerſma, Taco Galama, Sixtus Emingha, Schelto Tiarda, Sixtus Donia, Scipio Meckama, Serapius Galama, Ritſco Eyſingha, Otto Herama, Oeno Grovenſteinius, Laſius Heringa, Iorritius Hania, Upco Burmania, Edo Abbema, Idzardus Douma, Gellius Ridderſma, Ioannes Bonga, Heſſelus Emingha, Oeno Heringha, Horatius Unia, Ielto Eelſma, Gemma Burmania, Ægydius Iacobæus, Fredericus Offenhuſanus, Franciſcus Gerritius, Foppius Douma, Focco Eyſingha, Eraſmus Douma, Edo Gerbranda, Douwo Douma, Botto Emingha, Atteius Fernia, Alephus Iaerſma, Aggæus Oſingha, & Auco Unia fuere. Quos omnes aſperitate fori, & magnitudine periculi deterritos, Fecconem Rhalam, & Georgium Godefridum in ſupremâ Curiâ cauſarum patronos Antverpiam miſiſſe, qui ſuo nomine reſponderent, patriæ Hiſtoriæ jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXVIII.

Fæderatorum nomina proclamata.

jam ante ſcriptor Bernardus Furmerius annotavit. Mox Friſicæ Nobilitatis clarorumque virorum nomina pro roſtris recitata, damnataq; à Senatu Regio, & quo in populum exirent, templorum valuis, lociſque publicis affixa, per omne Provinciæ Tribunal ſtrepuere. Ita Epæo Doumæ, Franciſco Eyſinghæ, Wilconi Holdingæ, Piboni Haerdæ, Hommio Hettinghæ, Heſſelo Oosthemio, Wigero Eelſmæ, Siuckio Eminghæ, Foppio Camſtræ, Deitzio Wingiæ, Epæo Bootſmæ, Douwoni Glinzio, Renico Gerlacio, Franciſco Hugenio, Menenio Sceltamæ, Heſſelo Feitzmæ Huſumano, & Heſſelo Feytzmæ Peinſio, Edoni Heringhæ, Tarquinio Valleſio, Allæo Teieſio, Henrico Albartio, Petro Petræo, Gerardo Florentio, Focconi Ayſmæ, Gabinio Selſmæ, Gualtero Coquillano, Ioanni Symonio, Sibrando Sibrandio, Cornelio Cornelij, Siboldo Ayſmæ, Iepponi & Suffrido Vrielſmæ, Theodoro Gulielmio, Leoni Symonio, & Tiberio Oenamæ Iureconſultis, Ebeo Tinckenio, Carolo Roordæ, Siricio Fungero Iureconſ. & Cornelio Fonckio ærarij Tribuno ſarcina fædi in Regem criminis impoſita, homineſque innocentiæ perſugium, & ſecretum tutioris vitæ extra patriam captantes, ne quid illorum miſeriæ deeſſet, in ipsâ patriâ per Philippi Senatum damnati ſunt. Alij codices Iulium Heringam, Ioannem Bongam, Oenonem Heringam, Ielſonem Eelſmam, Ægidium Iacobi virum conſularem, Aleſum Aggemam, Gulielmum Bongam, Tiallengum Eyſingam LL. Doctorem, Franciſcum Hemmium, & Doconem Tetlæum Iureconſultos, Everardum Arckenium, Herconem Ruardum, Ludolphum Nautam, Theodorum Emskerckium, Ludolphum Sartorium, Petrum Textorium, Leonem Haniam ICtum, Popconem Roordam, Popponem Aggæum, Aggæum Henricium, Thomam Chirurgum cæteroſque addidere, eoſdemque feralibus proſcriptionum tabulis per Friſiam circumlatos ſui in patriam ſtudij iniquum præmium reportaſſe. Nobiles quoque, Conſulares, & patritiæ fæminæ, ut maritorum fortunæ, ita exilij conſortes eâdem lege damnatæ, conjugalis lecti ſocietate communem cum maritis injuriam ſuſtinuere. Ita per arma, & ſimul judiciorum metus oppreſſo fædere, plenam inter ſecuritatem Ferdinandus Albanus agebat. Qui propterea, excuſsâ omnis adverſæ fortunæ curâ, more mortalium, fælicium præliorum, & ſimul enormis ſævitiæ gloriam duraturis monumentis conſecrare aggreſſus, de erigendo ſibi Trophæo cogitavit, quod ex merito bellorum, & pacatæ Belgicæ ſe conſequutum opinabatur. Quare per omnes Provincias, ut & Friſios, publicas ſupplicationes indixit, ut extruendo quiſq; monumento fœdæ Tyranni famæ votum nuncuparet. Theatrales quoq; ludi alibi locorum inſtituti, gymnaſticæq; concertationes concurrentium velut in pugnâ, militum triumphis atque ovationibus immiſtæ. Quare fortunæ ſuæ ac proſperitatis vix capax, trophæum ex ſolido captivoque ære (id enim addi placuit, arte ſculptoris conflatum, cum ſuperbâ inſcriptione poni ſibi juſſit:

cIↄ. Iↄ. LXVIII.

Monumen. cum Albani

FERDINANDO ALVARES à TOLEDO, ALBÆ DUCI, PHILIPPI II. HISPANIARUM REGIS APUD BELGAS PRÆFECTO, QUOD EXTINCTA SEDITIONE, REBELLIBUS PULSIS, RELIG. PROCUR. IUSTIT. CULTA. PACEM FIRMARIT, REGIS OPTUMI MINISTRO FIDELISSIMO POS.

Quod monumentum ex æneis, ut multi putant, Ludovici Naſſovij, quæ ad Iemmingham in Friſijs reliquerat, tormentis formatum, magnam eï invidiam paravit. Erant namq; qui arrogantis, & ſupra fortunam ſe habentis ingenii id factum interpretarentur, Ferdinandumq; Albanum, velut humanæ ſortis oblitum, ſtatuam æneam fallaci, & non ſtabili gloriæ, temerario & ſuperbo conſilio non prævisâ futuri adverſitate conſecraſſe. Fluxas quippe & caducas rerum humanarum vices eſſe, nec eodem ſemper loco ſtare hominis fortunam, proſperis, ut plurimum, adverſa miſcentem. Idcirco XIII. Kal. Ian. grates, per omnem Friſiam Albani ſucceſſibus in templis actæ, Trophæumq; Duci velut debellatis partibus erectum, minuendæ invidiæ publicâ ſupplicatione cohoneſtatum eſt. Etiam ne per Friſiam novæ partes ſurgerent, (quæ haud procul Monachozilâ in Tranſlavicanis à fugâ Ludovici Naſſovij parabantur) litteræ Senatus Regii ad Prætores Grietmannoſvè per omnem Ooſtergoam datæ, quibus ſuorum finium curam gerere ſubmovendis trans Lavicam Fæderatorum copijs jubebantur. Itaque campanum æs per confines Lavicæ amni Præturas pultatum, adactaq; ad ſacramentum ruſticâ plebe, diſpoſitæ excubiæ ad claudendos viarum aditus ſtetêre. Ferdinandus quoque Albanus Nobiles Fæderatoſq; Friſios ad VIII. Kal. Sept. jam ante Antverpiam evocatos, denuò citari per Edictum fecit, judiciumq; ſubterfugientibus extrema pænarum denuntiavit. Creditores quoque, & hypothecarios actiones in res bonaque exulum habentes, intra decimum quartumque diem Ioanni Carolo Fiſci advocato exhibere obligationum ſuarum tabulas juſſit, repetitiſque per menſium intervalla confiſcationum edictis ſolitudinem provinciæ paravit. Quare ejectis Friſia fæderis ſocijs ut animos cæterorum quoque domaret, primarias civitates trans ac cis Lavicam, Leovardiam atque Groningam, cæteraque per Friſiam oppida validis præſidijs obſepſit, quæ conterrendis ijſdem provincialibus in omnem laſciviam, atque inſolentiam nullo coërcente effundebantur. Ablegatis namque in Tranſiſulaniam quatuor Germanorum cohortibus, quas Groningæ poſt Iemminganam pugnam reliquerat, Gaſparum Robleſium hominem Luſitanum, legionis Valonicæ Præfectum, cum VI. ſignis præſidio urbi eſſe juſſit, eandemque gravi mille & ducentorum aureorum in ſingulas ſeptimanas tributo aſſignandis militi

Ferdinandus Albanus citat fæderatos Antverpiam.

militi ſtipendijs exhauſit. Poſt Magiſtratum omnem annuum ante edicto perpetuum fecit, corrigendiſque per univerſam Friſiam (quæ Flevo Amaſoq; clauditur) fœderatis, Carolum Quarræum virum equeſtris ordinis, & Brabantinæ Curiæ Senatorem, in Friſios amandavit. Qui confecto Leovardiæ, ob quod venerat, negotio, factaque Ioanni Carolo cognitori regio inquirendi poteſtate, Groningam properavit, ſumendiſque ſupplicijs ſe dedit. Quod duri judicis officium perdomandæ gentis Friſicæ, ac Tranſlavicani populi contumaciæ repertum nulli dubitabant. Tum de Eliſabethæ Valleſiæ Philippi conjugis morte fama in Friſiam perlata, confirmataque litteris Concilij Status Belgici continua triſtium exemplorum nuntia ex Hiſpaniæ aulá & Philippi domo vulgavit. Quamobrem ad VII. Eid. Ian. dies Eliſabethæ exequijs per Friſiam præfinitus, imperatumque à Philippo, ut ſolemnia funeris, & apparatus pompæ anteactis Caroli Principis exequijs convenirent. Ut ſcilicet privignum & novercam à ſuſpicione perpetrati inceſtûs non immunes, ut violentæ mortis, ita exequiarum communio eſſet, tragiciq; regiæ ſtirpis exitus ijſdem officijs, & haud diſpari fine ſignarentur. Tradit Everardus Reidanus ſcriptor eximius nimiam illam novercæ cum privigno familiaritatem fædæ & ſecretæ conſuetudinis non leve indicium fuiſſe, Eliſabethamque Valleſiam virilis ſexus fætum immaturo, & quinquemeſtri partu ope medicantium, velut diſcutiendis uteri obſtructionibus, clàm enixam, materiem ſiniſtræ ſuſpicioni præbuiſſe. Inſolens namque & à lege artis alienum videbatur, fæminam utero gerentem, provectâ & jam vitali embrionis mole, ſectionibus venarum, & purgantium pharmacorum exponi, motiſque aut vacuatis corporis infirmi contentis, & fluxili humorum materie per violentas revulſiones vim viſceribus inferri. Mox Ioannes Knyffius vir patritij apud Ultrajectinos ſanguinis, profundæ eruditionis ac eximiæ autoritatis vir, Groningam miſſus, habitaque longâ cum Wittewerumano, mox Adoardico Præſule contentione, quod opulenta cænobia & jam temporum vitijs ſoluta luxu, ſuæ doti adjiceret in poſſeſſionem Groninganæ Sedis immiſſus eſt. Tradunt autores Knijffium antiſtitem modeſte imperio ſuo uſum, ducendiſque populi animis validum flagrante apud Tranſlavicanos gratiâ viguiſſe, factaque cum Abbate Morimontio (quem Ciſtercienſes Adoardici ſumptibus quoq; Clarecampenſium Præſulis Burgundiâ evocaverant) tranſactione annuam ſex millium penſionem impetraſſe. Apud Friſios verò, ut nuper Margareta Gubernatrice, ita illud negotium hoc quoque tempore de voluntate eorum protractum, qui Anno CIↃ. IↃ. LXIV. patrio juri ac libertati adverſum, publico decreto pronuntiaverant. Quare Ferdinandus Albanus erectæ apud Groningam Sedis exemplo, tum præfractis populi moribus impulſus litteras in Friſiam dedit, in quibus, ut locum facerent Epiſcopo, ſeverè hortabatur. Prolatam diu quippe rem pietati gentis & juxta ſaluti dicatam aiebat, homineſque publicè inquietos, velut in licentiæ regno, immodeſtis moribus & ſolutiore vitâ uſos reverentiam excuſſiſſe Romanæ Sedi, & juxta Carolo Cæſari à majoribus tributam. Quod malum quia divinum omne atque humanum temeraſſet, clero etiam ipſo per uberrima otia in luxum atq; ſuper-

CIↃ. IↃ. LXVIII.

Eliſabethæ Philippi Vxoris mors.

Knijffius Epiſcopus.

ANNO CIↃ. IↃ. LXIX.

cIɔ. Iɔ. LXIX. ſuperbiam prolapſo, diſciplinâ opus eſſe, quâ animorum illi morbi coërceantur, & in viam redeant humanæ mentes in devia errorum nimiâ licentia effuſæ. Et quoniam antiquæ Eccleſiæ morbis non alio remedio quam ordinationibus Epiſcoporum, Cenſorumque ſubventum fuiſſet, ita rectè & prudenter Paulum, & Pios Pontifices Romanos caviſſe, ut Provinciæ Belgicæ, quas frequentia populi ac commerciorum fortunâ ad magnitudinem rerum & ſimul vitiorum extuliſſet, creſcente per proſpera pravitate plures quoque Epiſcopi ordinarentur, Friſicæque genti multâ cænobiorum opulentia, & cleri otio in lubidinem ac luxum effuſo, Cunerus Præſul decerneretur. Quare ne Philippi regis autoritati, ac ſanctionibus Romanorum Pontificum quid decedat, hortari ſe, ac munitum mandato regio jubere, ut eundem Antiſtitem Friſij recipiant, & quidem ocyus, pareantque ei è formulâ ac præſcripto Epiſcopalium tabularum, quas ipſo Sedis natali in conventu Ordinum Frſiæ exhibiturus eſſet.

Quod Ferdinandi Albani mandatum, Margaretæ nuper Gubernatricis, validius tum fuit propterea, quod Albanus quæ decreviſſet exequi etiam per vim, & arma certus confuſionem omnium rerum, & triſtes vindicias ſpreti imperij minaretur. Quare fundamentum ab eo tempore Sedi per Friſiam ſubſtructum, ipſeq; clerus, etſi quam maxumè animis adverſaretur, Ferdinandi Albani decreto poſt obſecutus eſt. Qui ut exercitum Philippi, cui cum imperio præerat, per Provincias ſparſum, arctius ſibi per ſtipendia pignoraret, de novo per Belgicam tributo cogitavit, populumque opibus validum, ac commercijs florentem, ſuis quoque viribus atterere conatus eſt. Igitur conventu omnium procerum Ordinumque Belgicæ (quo & Friſij advenerant) vergente Martio menſe, indicto, multa de inopiâ regij ærarij & egentiâ ſubſidiorum prætatus, centeſimam immobilium mobiliumque bonorum, & eorum quidem divenditorum vigeſimam, mobilium verò commerciorumque decimam poſtulavit. Poſt de modis corrogandi per Provincias tributi latè diſſeruit, animoſque præſentium Ordinum (quod in Hiſpaniâ ſuiſq; ditionibus, magno principatus ſui ſtabilimento haberi aſſereret) ad rei novæ famam perculſos pavore ac metu complevit. Itaque eorum nomine Viglius Zuichemus ex Aytanâ apud Friſios familiâ, vir regij Senatus præſes, verba facere juſſus eſt. Is erudita oratione; Non eſſe eam Belgicarum Provinciarum, quæ Hiſpaniæ ſit, conditionem oſtendebat, variandaſque leges pro varietate locorum, aut naturâ gentium eſſe. Hiſpaniam namque vaſto Oceano, & altiſſimis montibus clauſam, ſuis è terrâ proventibus, latifundijſque fælicem eſſe, Belgicæ econtra provincijs per vicina ſibi invicem emporia circumſeptis, quorum fortuna non aliunde quam à commercijs & facili annonâ eſſet. Ideo Philippum Burgundum, laudatæ memoriæ Principem, commercijs ac annonæ omnibus modis proſpexiſſe, quod amoto vectigalium onere parvo ſumptu florens populus victitaret, & ubere cummercio ſubditorum ſuorum opes, atq; divitiæ increſcerent. Inde namq; factum eſſe, ut in infrequentes primum habitatoribus Provincias, novæ velut omnium gentium coloniæ confluerent, omneſque nationes Gadibus & ipſo Boſphoro, vel-

Albanus centeſ. &c. urget.

Viglius reſpondet Albano.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ut terminis Europæ, concluſæ, in hoc terrarum centro, tanquam or- cIɔ. Iɔ. bis latiſſimi emporio coïrent. Ita ſciret Albanus Philippi Burgundi & LXIX. poſterorum curâ, ac populi immunitate res Belgicæ evectas, non aliter robur ſuum atque potentiam amiſſuras, quam ſi advectæ ex omni orâ merces decimâ parte onerum augeantur. Inde fore ut plurimæ familiæ in Angliam aut Germaniam migraturæ ſint, deſertâ Belgicâ, & ditiſſimis mercatorum novâ lucri cupidine novas ſedes quærentibus. Idcircò, remedium ſupplendi ærarij regij non eo modo, ſed à precario populi tributo (antiqui rogas appellabant) haberi poſſe, quod Principes ſumma ſemper neceſſitate accepiſſent, & quidem eorum aſſenſu quorum intereſſet, ſalvas Provincias eſſe. Neque enim hoc peregrinum, ut imperare pecuniam Rex non queat, niſi convocatis proceribus, & conſenſu populi interveniente, quod longa temporum ſerie in Angliæ regno etiam ab Eduardi IV. ætate obtinuiſſe Cominæus fidus autor annotaſſet. Quod verò ad arcium (de quibus etiam Albanus monuerat) ſtructuras attineret, eas modico ſumptu pro ratione ærarij. habendas, quin curandum potius ut refectis prioribus, quas tutandis finibus majores extruxiſſent, novarum cura evileſcat, roburque regij imperij à fide, & obſequio ſubditorum potius, quam damnoſâ exactione, & operoſo munitionum ſumptu habeatur. Hæc ferè Albano Viglium Præſidem repoſuiſſe autor Demetrius. Famâ ferunt reſponſo Viglij ita Ducem excanduiſſe, ut iſtiuſmodi Præſides Vilvordam cuſtodiam perduellium ablegandos diceret, Vigliuſque aſpectu ac horrore Tyranni, velut ultimam neceſſitatem denuntiantis, ſyderatione aut apoplexiâ feriretur. De Friſijs ſeorſim addi potuiſſet, Carolo Cæſari ceſſione Saxonicâ hæreditariâ Friſiæ Præfecturâ donato in ſubſidium, & dignitatem imperij aſſerendam, cenſum annuum, vectigales agros, portoria aſſignata, ut modus exactionibus, & avaritiæ Principum eſſet, & ne Provincialium facultates, ac ipſius quoq; ærarij opes, ſola tuendæ ſervandæque adverſus omnem vim libertatis remedia ſubverterentur. Interim fidem populi voluntario ſæpe tributo detectam, Friſioſque, etſi juris ſui retinentes, gratuitâ ſæpe liberalitate affectas Principum res, atque impendia rerum præjuviſſe. Hac tamen cautione interpoſita; Ne quid fraudis juri publico fieret, & ut omne validâ Principis autoritate, ſive adulatione aſſentantium conceſſum, per attributam donationem, & beneficium populi reſcinderetur.

Albani indignatio.

Itaque tum populus immodicæ exactionis faſtidio, per omnem Provinciam inquietus, majora conſilia agitavit, ſepultamque ante, velut torpidis animis, virtutem odio ſuperbi Ducis exerere conatus eſt. Sic quos nec ante, ut Reidanus notat, ſociorum fœdera, aut exilia, tum vel maxumè puræ veræque religionis oppreſſio ad implorandum armorum ſubſidium excitaverant, ſola fortunæ, & caducarum rerum cura ad defenſionem patriæ inſtigavit, libertaſque veteri mortalium ingeniorum morbo, infra opulentiam habita, conſervandarum rerum familiarium cupiditate, & ſimul ſævitiâ dominantium revaluit. Quamobrem Senatus per Friſiam regius perceptâ populi per omnem Belgicam nova inquietudine præpediendis clandeſtinis conventibus ſe dedit, omneque cum profugis reformatiſque commercium Edicto iterum ſuſtulit. Cavit

Criminatio Populi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. vit quoque, Ne peregrinis ullis aut advenis, niſi quibus teſtimonia
LXIX. Magiſtratuum Presbyterorumvè data eſſent, ulli per Friſiam agri aut prædia locarentur, adducereturque in diſcrimen Regis imperium deletis partibus ſecurum. Reperio in notis incerti autoris, Iulium Botniam virum nobilem ex hoc ipſo Edicto à fiſci regij patrono accuſatum damnatumq; mulctæ loco totum prædium dependiſſe.

Mox Albanus PHILIPPI decreto Madriti in Hiſpaniâ VI. Eid. Maij perſcripto, Edictum in cauſâ Religionis à CAROLO Cæſare Anno cIↄ. Iↄ. L. publicatum, ac à Philppo primis Principatus ſui annis confirmatum, renovari per Friſiam juſsit, omneque reſcriptum ſpem, aut ſaltem ſpeciem clementiæ præ ſe ferens, ob retardatum exactionis graviſsimæ conſilium reſcidit. Ut ſcilicet titillante gloriâ ferox, & inflatus regni ſui, aut futuri dominatus imaginem oſtenderet, fatalemque & præfractam feritatem deſperationi, & poſt virtuti gentium, Principumq; præſterneret.

Aurantij apparatus mari.

Quamobrem Aurantius notato populi per omnem Provinciam murmure, ad alia conſiliorum ſe convertit, damnaq; exautorati ad Moſam exercitus reparaturus, relictâ continente mari experiri conſtituit. Creditum fuit Caſparum Colignium Gallici maris Præfectum iſtud conſilium ſuggeſsiſſe, ac ſi de liberandæ Belgicæ remedio opportunitate maris portuumque benignior Natura proſpexiſſet. Itaque Aurantius miſſo in omne confinium ad exules fæderatos. qui Embdæ, ac Veſaliæ Cliviorum latitabant, Ioanne Baſio Iureconſulto homine Friſio ſubſidia gerendis rebus flagitavit, novique conſilij prudens ſecretum apud exules ſocioſque expoſuit. Quorum res etſi duorum annorum exilium, & erogata jam ante in Principem ſubſidia accidiſſent, tamen amor patriæ, & in eam reditus præconceptæ ſpes, ad officia pietatis exulum populum accendebant. Idcircò Aurantius pecuniâ turbæ exulantis, tum ſuo, ac propinquorum ære ſublevatus navalem expeditionem adornavit, validamque claſſem toto mari, quod Balthicum Caledoniumque tangit, adulto autumno ſparſit. Tum ne nautica pubes, aut claſſiarius quiſq; ſine diſciplinâ ageret, peiraticævè ſe daret, leges claſsi ſuæ præfixit, ſociorumq; rebus abſtinere juſsit. Eorum quippe nomine Romani Imperij, Galliæ, Angliæ, Sueciæ, Daniæ, & Vandalorum ſubditi cenſebantur, quod pro ijs aut religio fæderum, aut ſpes auxiliorum intercederent. Cæterum libero mari increſcens libertas mox licentiam factura alieni cupiditatibus nauticam, & efferam pubem implicuit. Quare haud procul Flevi oſtio, qua in mare delabitur, majores Friſios, & Flevolandiam interluens, Vandalicæ naves direptæ, fuſuſque latè per terras & maria terror, omne confinium implevit.

Quare non uno comitio inſtruendis præſidiarijs navibus inſtituto, magnæ exactiones factæ, & imprimis à populo civico quem Senatus Philippi, tutando à prædonibus mari, iſtâ tributi ſpecie prægravaverat. Qui idcirco libellum ſupplicem, evulgatâ per civitates ac oppida decreti oneris famâ Carolo Brimæo Præfecto, & Senatuj regio offerri juſsit, deq; rei iniquitate prolixe conqueſtus omne civilis concordiæ vinculum iſtâ onerum inæqualitate tolli criminatus eſt. Nimi-

os

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

os quippe in ſumptus illud adornandæ claſſis conſilium excreſcere, qui- cIↃ. IↃ.
bus ſuſtinendis oppidani pares non forent. Multa namq; per Friſiam LXIX.
oppida annuis reditibus deſtitui, mercaturam ab urbibus in agros transferri magno illorum incommodo, quos præter pecuniæ nauticæ ſubſidium, militare quoque tributum, & graſſantis peſtilentiæ lues exederet. Intereſſe tam agrariorum, quam civium, ut mare liberum ſit, ac commercijs floreat, & ut piratæ circa oſtia fluminum, & per æſtuaria graſſantes præſidiariâ claſſe, & per vim militum comprimantur. Ita per Hollandiam & Tranſlavicanos fieri, quo publica maris ſecuritas publico & communi ære præſtetur. Cæterum Senatus regius illud ſuſtinendæ claſſis impendium oppidanis aſsignavit, ſolamq; ſubſidij ab agrarijs præſtandi ſpem ac pollicitationem fecit. Invenio in actis eoſdem agrarios, ſalvo tamen jure ſuo, quinque aureorum millia, præter ordinarium tributum regiæ quoq; neceſsitati decreviſſe, magnaſq; contentiones in causâ tributi exercitas, modo regium Senatum, modo Deputatos Ordinum fatigaſſe. Sex quoq; Carolæorum millia menſe Octobri petente Carolo Brimæo, regijs uſibus decreta, eiuſdemq; Brimæi interventu in collatione tributorum urbicos Magiſtratus cum agrarijs conveniſſe. Eundem quoque Brimæum trium millium honorario donatum, ſive conciliando novi rectoris favori, ſive ut prima imperij initia liberalitate populi probarentur

Albanum verò ut exigendæ centeſimæ decimæq; pertinax ſtudium, ita conſtituendæ per Friſiam Sedis acre tum deſiderium incitabat. Quamobrem inverſis metu periculi, an potentiâ jubentis dubium, populi Friſici ingenijs, Cunerum Petrum, natione Zelandum, & Lovanij tum docentem Epiſcopum è Bullâ Pij IV. Pontificis (quam is Romæ VIII. Eid. Mart. Anno cIↃ. IↃ. XLI. Franciſco Sonnio Legato Regis communicaverat) ordinavit, eique diploma, & adminiſtrandæ Sedis rationem XVIII. Kal. Decemb. Bruxellis præſcripſit: Ea iſtiuſmodi erat:

Albanus Epiſcopum introduci vult.

EPiſcopo fiduciariæ à Philippo Rege, & Ferdinando Albano, ad Archiepiſcopum Vltrajectinum, & Monaſterienſem litteræ dabuntur, quibus de Sanctione Pontificis, & iuriſdictione novi Epiſcopi doceantur.

Epiſcopus mandatorum Tabulas exhibebit Præfecto, & Senatui Regio, qui eum coram religioſis D. Viti, & præſente Magiſtratu Oppidano in poſſeſſionem Sedis mittent, & ad quos iſto nomine litteræ dabuntur.

Epiſcopus introductioni ſuæ diem præfiniet, deductuſque, clero a Præfecto, Senatu Regio, Magiſtratu, ac vicinâ Nobilitate in Cathedrale D. Viti fanum juramentum dicet, è formulâ iſti actui præſcriptâ.

Religioſi ad D. Vitum obedientiam viciſſim Epiſcopo promittent; ſi gravati id fecerint, quod Vltrajectino obligatos ſe cenſeant, litteris approbatorijs Vltrajectini, & bullâ Pontificis ſe muniet.

In poſſeſſionem Sedis miſſus conciones habebit, populum in Catholica Religione erudiet, viſitabit Eccleſias, inque cleri oppidani mores, & doctrinam Presbyterorum inquiret, cum poteſtate morum religioniſvè ſuſpectos corrigendi, degradandique.

Ordinem quoq; mendicantium curabit, ut ritè doceat, ſcandalaq; ac errores Religionis emendabit.

cIↃ. IↃ. LXIX. *Locis vacantibus pios eruditoſque paſtores æditoſque dabit, ſcholarumque non tantum Leovardiæ, ſed per omnem Friſiam curam geret, ac quid doceatur, expendet.*

De conſilio Paſtorum, Magiſtratus oppidani Seminarium è præſcripto Concilij Tridentini conſtituet.

Librariorum officinas luſtrabit, dabitque operam ne quid habeatur toleretur vè, præterquam quod Edicto Regis congruat.

Concilij Tridentini decreta promulgabit, ſi non omnia, ſaltem ea quæ Doctrinam ſpectabunt, & ad captum populi erunt.

Et quoniam, quo minus id jam ante ab Archi-epiſcopo Vltrajectino factum eſſet, per Senatum regium ſtetiſſet, aliter hac de re edoctum, ita velle ut Concilium Tridentinum pro ſanctione Pontificis, & ex Decreto PHILIPPI *Regis vulgetur.*

Dabit operam Epiſcopus, ut Clerus Edictis PHILIPPI *regis de Religione pareat, contumaces in carcerem mittat.*

Magiſtratum alioſvè iiſdem Edictis non parentes, ad Senatum Regium, eo tardo aut connivente ad Præfectum Provinciarum deferet.

Epiſcopus Abbatias collegiaque monaſtica utriuſq; ſexus viſitabit, tam ordinario jure Epiſcopo ſubjecta, quam è poteſtate ſibi à Romano Pontifice datâ.

Vetuſtate, aut incuriâ collapſas ædes ſacras refici curabit.

Officium facienti Epiſcopo Præfectus Senatuſque Regius omne ſubſidium præſtabunt, & ſi res exigat, plures nomine Regis adjungentur.

Laurentius Decanus ad D. Godelam comitem Epiſcopo ſe dabit, eïque dum ſingula paret, à conſilijs erit.

Epiſcopus in omnes Fideï ac hæreſeos ſuſpectos inquiret, jureque cum iis aget.

Integros ab infectis diſcernet, regioque Senatui in Magiſtratuum creatione operam commodabit, delectumque præſcribet.

Et quia Sanctitas ſex beneficia Sedi aſſignavit Cathedrale D. Viti fanum, Abbatiam Horti-Mariæ, tum Canonicorum Regularium Cœnobium apud Bergumanos, & Præpoſituram Bolſuerdienſem, adnitetur Epiſcopus ut beneficia Sedi applicet, exigenteque neceſſitate, tueatur ſe procuratore fiſci, & diplomatis Pontificum, ac ipſius Regis mandato.

Eiſcopus omnia ſingulaque faciet, quæ ad conſervationem Catholicæ Religionis, quietem & pacem publicam ſpectare judicaverit.

Hæc Ferdinandi Albani manu ſignata, & è Bullâ Pij IV. Pontificis excepta, eïdem Cunero tradita. Itaque Cunerus mandatis Pontificum, Philippi regis, & Ferdinandi Albani inſtructus x. Kal. Febr. Lovanio Grudiorum civitate exceſſit, confectoque decem dierum itinere Leovardiam pervenit, quâ in urbe primus poſt tot ſæculorum ambitum Epiſcopatum inchoaturus erat, nullo populi favore, cæterum ſola dominantium potentiâ ſubnixum. Mox à Segero Grosbecio viro Nobili, (qui agente apud Tanſiſulanos Carolo Brimæo Comite Megano Friſiæ Præfecto vicarium per Provinciam imperium gerebat) in arcem regiam evocatus, noctem in eâ egit, dieque poſtero in urbem effuſus, ſtipatuſq; multâ procerum frequentiâ in Cathedrale D. Viti templum à Grosbecio deductus eſt. Deïn celebrato poſtridie ſacro, diem epulo clauſit, ad quod ex omni Provinciæ orâ primores gentis evocaverat.

Margin: ANNO cIↃ. IↃ. LXX. *Epiſcopus Leovardiam advenit.*

caverat. Ut ſcilicet novi & diu Friſiâ arciti muneris invidiem genia- cIↃ. IↃ.
li feſtivitate elevaret, ſpectarentque Friſij hominem ſacris operatum à LXX.
vino, aut convivalium dierum cultu non abhorrere.

Mox Bergumanum in Cænobium, quod doti Sedis applicatum, iſtius loci Præſul & vicina Nobilitas indignabatur, ſeceſſit, litteraſq; Ferdinandi Albani manu VII. Kal. Decembr. ſignatas, Præſuli exhibuit. Litteræ habebant.

Miſimus litteras noſtras ad regis Senatum, eiq; poteſtatem fecimus, quædam exponendi, quæ ad utilitatem publicam & ſimul Regis ſpectare videntur. Quapropter peto, & nomine regis mando, ut ijs, quæ denuntiabuntur, pareas, faciaſq; fidelis ſubditi erga regem officium, qui id è re ſuâ eſſe cenſuit.

Quas litteras & ſimul Senatus regij declarationem, etſi ut iniquam reſpueret, Præſul ita reſcripſit.

CÆnobium noſtrum Epiſcopo tradere noſtræ poteſtatis non eſt. Subjecti Capitulo Windeſimano cuius membra ſumus, multa à Pontificibus privilegia, multas immunitates obtinuimus à ſacris Concilijs & ipſo Carolo Cæſare, poſt ab ipſo Concilio Tridentino approbatas. Quod ad ſacramentum attinet, id Præſidj noſtri ordinis diximus, quod ſeparari nos ab eo ſocijſq; non ſinit. Adhæc Ordinibus Friſiæ innexi antiquâ & veteri ſocietate, & ita quidem, ut noſtro arbitrio hoc negotium agi non queat, & quoniam Regi eiuſq; Præfectis & adminiſtris ſemper ab officijs fuimus, ita periniquum eſt, Cænobium hoc everti, plurium familiarum nutricatui, quæ in ſolo hoc ſterili numerantur, iterq; Groningam verſus facientibus inſerviens. Taceo reditus noſtros largitionibus pauperum acciſos, & ita quidem ut vix duo aureorum millia quotannis faciant. Itaq; frugalitatem profeſſi, & inculpatum vitæ otium obeundis ſacris dedimus egimuſq; ut ad exemplum exorbitantis alibi cleri decens diſciplina hoc in loco vigeret. Nullius criminis factiq; conſcij ſumus. Quare jus noſtrum Epiſcopo cedere, neq; Ordinis noſtri regula, nec Pontificum Conciliorumq; diplomata admittunt.

Libellus quoq; ſupplex pro Præſule regio Senatui ab Ulpio Heemſtra, Frederico Arnoldio, Bruchtio Altæo & Adriano Cronenburgio oblatus, invalidis in totum rationibus, quæ irati regis imperio & ſuperbi dominantis aſperrimo juſſu ſubvertebantur. Ex quo etiam factum eſt, ut in ipſo quoq; Philippi Senatu juris quaſi dicundi officia ceſſarent, partiumq; odio, aut gratiâ corruptum judicium culpabili mora, ſicuti per Iuſtitium, extraheretur. Quod cum in Pelgromio Indikio prætore nuper regio, multorum criminum facinorumq; inſimulato, fieret, litteræ ab Ordinibus ad Philippum & illius Proregem datæ, quæ Senatum regium puniendis improbis tardum non vanâ neglecti juris ſuſpicione gravabant. Itaq; Albanus Philippi nomine Senatum increpavit, datiſq; Antverpiâ XIII. Kal. Febr. litteris eundem aſpere ſui officij commonuit. Tum ne ipſe frequentioribus judicum ſuorum accuſationibus fatigaretur, ipſi quoq; Pelgromio, quamvis ſeverius Philippi imperium odio libertatis probaret, jus dici à Senatu mandavit, integritatemq; regio, judicio, etſi, ut multa iſtorum temporum acta arguunt, partium affectibus obnoxio, adſtruere conatus eſt. Reperio

cIↄ. Iↄ. LXX. in actis Epiſcopalibus nobilem quendam, & in dignitate prætoriâ conſtitutum, nobiliſsimæ virginis amore captum, eam contracti ſecum matrimonij inſimulaviſſe, Quæſitoremq; rerum fiſcalium utriq; reo in foro Epiſcopi actionem intentaſſe. Epiſcopum quoq; ipſum in Divæ Annæ Cænobio, quod urbi Leovardiæ in ortum Solis æſtivum eſt, pro Tribunali ſediſſe, invocatoq; Chriſti nomine, utrumq; reum, demandato in futurum ſilentio, abſolviſſe. Quæ res, quia amplitudinem regij ſupremiq; judicij, quod Carolo Philippoq; regnantibus, matrimoniales controverſias cognoverat, minuere, & ſimul licentiam juvenilium ac ſæpè inanium amorum videbatur, primo quoq; dominatus Epiſcopalis tempore odium eï conciliavit.

Poſt V. Kal. Mart. promulgatis, ut juſſus erat, Concilij Tridentini Sanctionibus Cathedralem Sedem ad D. Vitum poſuit, locumque velut nupero motu populi profanatum luſtro adſperſit. Senatus quoq; regius Antonium Lavailium, Petrum Frittemam Senatores, & Ioannem Carolum Fiſci Advocatum è ſuo cætu delegavit, qui de dignitate & perſonâ Epiſcopi apud populum agerent. Scribit Suffridus Lavailium ſpecioſâ & gravi oratione verba feciſſe, ac ad obedientiam Sedis quoſq; hortatum, præſidium Regij Senatus eïdem Epiſcopo addixiſſe. Idem Ioannes Carolus vir eruditus nomine Philippi fecit, modo ne Principis juriſdictio, aut jura Majeſtatis regiæ arctarentur. Ita in poſſeſſionem Sedis immiſſus Cunerus, beneficia doti ſuæ adjecit, capitulumque, ut vocant, decem & ſex Canonicorum, quos Laurentius Metrius Sylvæ-Ducenſis introduxerat, ſuſpectis populo ſolemnibus, erexit. Poſt III. Non. Martij Statuta quoque & ordinationes *Synodus per Friſiam.* erecti Capituli vulgavit, faciendiſque ſacris, tum fundendis ad Deum precibus, hymniſque tempora conſtituit. Tum VII. Kal. Maij Synodus per Provinciam omni clero indicta, ac tridui ſpatio Leovardiæ celebrata, deſignatis è regio Senatu Senatoribus, Petro Frittema, & Foccone Rommartio, qui ſanctiones Concilij Tridentini ſartas tectas curarent, Præſulique Cunero una cum Archi-Diacono Dominico Benedixio per univerſam Friſiam in viſitandis Eccleſijs operam, atque autoritatem præſtarent. Ita Epiſcopus, menſe Iulio, adſcitis in comitatum Senatoribus regijs, Ooſtergoos, Weſtergoos, Sylveſtres, ac Oppidanos adijt, intactamq; tam diu invidiâ Sedem habuit, donec in luxum, ludicraque, ut memorabo, prolapſus, ſuam juxta & novæ Sedis exiſtimationem fædiore vitâ indigniſq; Epiſcopo moribus attaminaret. Ivo Ioannis, de quo ante dixi, quod Anno cIↄ. Iↄ. LXVI. in Romanâ religione perſtitiſſet, Cathedralis Eccleſiæ Decanatu ornatus eſt, quam Poſtrid. Non. Iul. ſubſecutâ nocte audaci ſacrilegio expilatam è Tiaræ notis Borræus meminit. Refert quippe argenteas capſulas duas, cum quatuor vaſculis olearijs argenteïs ſacrario extractas, perpetratumque crimen, tentatâ nequicquam inquiſitione, velut eâ, quâ acciderat, nocte contectum manſiſſe. Quod facinus confirmando edi- *Edictum in ſacrilegos.* cto cauſam poſt dedit, Carolumque Brimæum Friſiæ tum Præfectum, ut & ante Grosbecium, in ſacrilegos ſtatuere compulit. Circa quod temporis exules Friſios (ut & è cæteris Belgicæ Provincijs) Spiram Nemetum ad comitia Imperij, quæ Maximilianus II. eo in loco ordinave-

naverat, profectos Borræus tradit, Cæſariq; Maximiliano & Germaniæ Electoribus hun in modum ſupplicaſſe: cIↃ. IↃ. LXX.

Supplicatio exulum.

VEnimus ad te Maximiliane Cæſar, & Electores Principes, ut, quoniam horrendâ Ferdinandi Albani tyrannide compulſi, exuti bonis ac patriâ extorres agimus, tuum ſubſidium & juxta clementiſſimorum Principum imploraremus, defenderemuſque cauſam noſtram adverſum eos, qui ſpeciem religionis, & ſanctimoniæ præferentes, ambitioſis Romanorum Pontificum ingenijs ſubnixi Regum Principumque conſilijs ſe intorſerunt. Ab ijs namq; profectum eſt, ut INQUISITIO *corrigendis Iudæis paganiſque reperta, in Chriſtianos, & hodie in nos Friſios detorqueatur, eademque ipſa Carolo V. Cæſare, poſt Philippo filio regnante, introducta, omnem nobis miſeriam atque calamitatem advexerit. Ita qui ſpem acceperamus avitæ libertatis, & ut ad exemplum Germanorum veſtrorum, aut Gallici populi nullo diſcrimine ſacra ac religiones noſtras profiteremur, ita maxumè in ſervitutem incidimus, noſtris conſcientijs intentatam, proclamatiq; ſumus hæretici, rebelles, & ſeditioſi, ut noſtræ innocentiæ non unum crimen affingeretur. Tum in bona noſtra, ac fortunas ſævitum, & ne ijs terminis inexplebilis ſævitiæ furor ſtaret, poſtquam expilatas res noſtras, fuſum innocentium concivium ſanguinem, denique temerata divina atque humana jura conſpeximus, noſtras cervices cruento adhuc tyranni gladio ſubtraximus, dulciſſimæque patriæ, hoc, quod videtis, Cæſar, Principeſque, exilium antepoſuimus. Quod ipſum quoque, ſingulari patientiâ huc uſque toleravimus, & quidem non aliâ fide, quam quod à Deo æternâ Providentiæ ordinatione obvenire nobis crederemus, Deumque daturum aliquando rebus noſtris eventum, & in hoc ipſo exilio ſolatia toleratæ adverſitatis. Vt ea impetraremus, Cæſar Principeſq;, ſupplices hoc in loco apud vos devolvimur, oramuſque exules, ut quoniam divini nominis, & ſolâ Euangelicæ veritatis profeſſione munimur, omnem ſiniſtram de nobis ſuſpicionem amoveatis, deque conſilio Principum, procerumque veſtrorum eâ de re cognoſcatis, ſuccurratiſque interim nobis, omnibus & ſingulis, qui innocentiæ noſtræ perfugium veſtram Germaniam delegimus. Quod ſi faciatis, Cæſar, Principeſque, pollicemur digna noſtro nomine, & veſtro ſimul imperio, precabimurque Deum Opt. Max. ut rebus conſilijſque veſtris interſit.*

Cæterum tota exulum Legatio, etſi prono, ut creditum fuit, Maximiliano Cæſare, ac quibuſdam Electorum, per Legatos Ferdinandi Albani inrita ac infructuoſa fuit. Qui vergente menſe Iulio de mandato Philippi, quod Madriti in Hiſpaniâ Anno cIↃ IↃ. XXIX. XVI. Kal. Decemb. factum erat, edictum Veniæ regio apparatu ac magnificentiâ publicavit, exuleſq; per Germaniæ Imperium, & confinia Friſiæ ſparſos, ſpecioſo clementiæ prætextu revocare conatus eſt. Sed diffidentiæ vitio, & quod miniſtros reformatarum Eccleſiarum, fæderatam Nobilitatem, tum Magiſtratus quoſdam & collegia civium excluderet, nullius fermè efficaciæ fuit. Hoc tantum memoriæ traditum eſt, exules paucos & quidem è plebe, nullo vitæ, aut ſuarum rerum metu, relictâ Embdâ, Leovardiam remigraſſe, nullumque fidei datæ diſcrimen, atque periculum pertuliſſe.

Per Albanum eluſa.

Illo quoq; tempore Stellinguerſios occidentales, quorum agri juxta Lin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXX. Lindam flumen ad Cuneræ fines procurrunt, de magnis impendijs queſtos libellum ſupplicem Senatui regio obtuliſſe; rejectoſque ad Præfectum ſub hac formulâ (fiat ſermo Gubernatori) inrita vota ac deſideria reparandis damnis iteraſſe. Volebant namq; Stellinguerfij, ut ab Haſkeranis & Auguerdijs, quorum fines contigui ſunt, parte onerum levarentur, aut detrimenta ex commeatibus militum copiarumque illata ærarium provinciæ reſarciret. Quod ipſum utroſque Dongrios cis ac trans Paſenum rivum ſitos, Dantumanos, Collumanos, Octopagicos, Raverdios, Tietzerkios, Wonſeranos, Baerderanos, Barranos, Utingeranos, Haskerios feciſſe in actis illorum temporum invenio. Hoc namque periniquum dicebant, præter annonam commeatumq; militarem currus, equos, navigia, dein ipſa quoque cohortium ſtipendia ex florenis aureis præſtari, vaſtatiſq; aut direptis per militem agris, pauperum quoq; egeſtati & tenuiori fortunæ ſumpto in uſuras ære ſubveniri. Adeò verum belli initia incrementis ſæpe graviora eſſe, populumq; militaribus inſolentijs tributiſque ſtipendiorum aſſuetum conſuetudine, ſicuti mos eſt, facilem patientiam induere. Itaque Albanus, ut ærario Philippi, qnod jam mole belli impellebatur, proſpiceret, an ut enervem populum immani exactione redderet dubium, omnium Friſiæ Ordinum conventum (quos centenarium numerum exceſſiſſe ex archivis conſtat) indici ad IV. Eid. Ian. per Præſidem Senatumque regium fecit, eundemque hoc modo verba facere juſſit.

MIſſum in Belgicam Albanum, Friſij, à Philippo rege noſtis ſedandis componendiſq; turbis, quæ tempeſtiva remedia, amovendis gravioribus flagitabant. Is vero negotium à judicio orſus in autores tumultuum animadvertit, ut regio quanto ocyus ſatisfaceret mandato, & ut veniam pro ijs à Rege impetraret, qui à turbarum autoribus concitati, & ſeducti propoſitum Ducis ſubverterunt. Tantum namque moleſtiæ ipſi Duci ab illis creatum eſt, ut maximam anni partem in caſtris agere coactus ſit, donec hoſtes regis, partiumque Duces magnâ illorum infamiâ agris finibuſq; Belgicæ victricibus armis expulerit. Et quoniam motuum turbarumque incentores ab innovatâ religione conſilia ſua cæpere, quæ ſemel polluta omnem licentiam inducere ſolet, prima Duci cura fuit, ut Catholica religio reſtitueretur, & ut legibus Philippiq; edictis robur accederet. Quæ res cum regis valde ærarium infirmaverit, metuendumq; ſit, ne à ſeditioſâ & perduelli multitudine nova pericula, atq; arma patiamur, omnino neceſſum eſt, ut gerendarum rerum ſubſidia à fidelibus Philippi ſubditis petamus. Quos ad conferendum regijs armis tributum Caroli Cæſaris, Philippiq; in vos merita impellent, ſi memoriâ repetatis, quantis impendijs externa bella, pro aris fociſque veſtris geſſerint. Ex eo namque evenit, ut domania, ſicuti vocant, regia creditorum ære gravata, & ſimul pignori data ſint, rogæ quoque & honoraria ſubſidia Regi præſtita ceſſaverint, nihilq; ad manum ſit, quo turmarum equeſtrium, præſidiorumque ſtipendia habeantur. Mitto tormenta, & omnem belli commeatum requiri, ſolvenda militi ſtipendia, & crediti per mercatores æris magnitudinem, quam Philippus à poſtremò in Hiſpaniam diſceſſu ſaluti veſtræ impendi fecit. Conſiderate præterea, quantis itinerum moleſtijs ſumptibuſque Albanus in Belgicam venerit, quantos exercitus aluerit, impediendis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

rebellium conatibus, & ne amotâ religione, quæ in diſcrimen trahebatur, ex-torres patriâ viveretis. Ea propter cum ex domaniјs regijs, ex transmari-nis regnis ac provincijs Philippi ſubſidia haberi non poſſint, excogitanda ſunt nova, quibus vos ipſi juvemini. Idcircò placuit ut æs creditum tempeſtivâ pecuniæ corrogatione minuatur, perque ſpeciem rogarum, aut honorariæ oblationis, quo minus populum lædamus, deſiderata militi ſtipendia ſolvantur. In uſum verò belli ordinarium tributum habendum erit, ne æterna debiti æris obligatio ſit. Præterea hoc etiam neceſſarium eſt, ut ſacrum ærarium habeatis ſepoſitum ultimæ neceſſitati, quæ, quemadmodum in omni re mortalium, ita maxume in bello ſe interponit. Quod ut obtineamus, nullum conſilium aptius, nullum ſalubrius Duci viſum eſt, quam, quod Philippo regi primo in Belgicam ingreſſu placuit, ut decimæ omnium bonorum præſtarentur, & ut ex æqualitate opum tributi quoq; æqualitas naſceretur. Et Rex quidem iſti conſilio modum præſcripſerat, quem quia aut aliqui averſabantur, aut imperiti non capiebant, egentiæ publicæ ſalubre remedium omiſſum eſt. Nunc autem quoniam Albanus ſingulari curâ iſti rei proſpexit, ne quæ confuſio oriatur, concepto hunc in finem edicto, quod videtis, inveniri impulſis Philippi rebus præſentius remedium non potuit, quam ſi ex mobilium venditione decima, ex immobilium vigeſima præſtetur. Conſenſum huic rei reliquæ provinciæ adhibuere, idem rogo ut Regi præſtætis; voſq; oppidani concivibus veſtris perſuadeatis, nullum retinendis in ordine rebus præſtantius decentiusq; vinculum fore. Ad hæc ſi pareatis, veniam Philippi & gratiam impretrabitis, facietiſque quod veſtra in Regem fides, veſtrum ſacramentum exigit. cIↃ. IↃ. LXX

Quâ Oratione habitâ, Senatus per Friſiam regius, more conſueto, Deputatis Ordinum ſe adjunxit, ipſiq; Ordines nomina ſua, ne quid ſolemnibus deeſſet, profeſſi ſunt. Tum ne multitudo ex ſe diſcors regis edicto impedimentum afferret, pauciores delecti èq; oppidanis Nicolaus Hanſonius, Matthias Rommartius Jure-conſulti, Gerardus Vibius, Haringus Andringha, & Ruardus Vibius L. Doctores, qui cum agrarijs conferrent, locoq; tantæ multitudini anguſto, diviſis ſeceſſibus ſecretiſq; uterentur. Invenio in actis promovendis comitij rebus Senatores quoq; adhibitos, ne in tam gravi deliberatione, aut Regis autoritas, aut patriæ ſalus periclitaretur. Itaq; poſtero (qui fuit v. Iun.) cum Iacobo Rouſſellio Ooſtergoo, Iulio Dekama Weſtergoo, Idzardo Sickinga è Sylveſtri tractu delegato, communicatione habitâ, hunc in modum reſponſum.

Petitioni regiæ & Ferdinandi Albani, neq; agrarij, neque oppidani pares ſumus. Provincia noſtra ut ambitu parva, ſeptem tantum miliarium longitudinem latitudinemq; complectens, ita ad egeſtatem redacta eſt. Quamvis enim fertiles in eâ agros habeamus, & aut paſcendo pecori, aut habendæ meſſi commodos, ita bonis quoq; arenoſi ac paluſtres immiſti ſunt. Et quidem ita, ut omni apud nos ſolo non idem ingenium, non eadem natura ſit, cuius fœcundiſſima pars magnis marinorum aliorumq; aggerum impendijs retinenda eſt. Præter ipſum, quoq; mare littori noſtro infectum, à piratis prædonibusq; damna ſenſimus à quibus immunes tutosq; nos præſtare rex Philippus ex Carolinâ conventione, tum etiam ſuâ, debuiſſet. Neque enim rogas (hono-

cIↃ. IↃ. *(honorarium Principis tributum) alium in finem elargiti ſumus , quam ut omnis*
LXX. *externa vis atq; armatorum incurſus averteretur , noſtroq; ære , aut donativo pax terris noſtris atq; ſecuritas foret. Fidem tam ſubdito , quam Principi datam ſervandam eſſe.*

His addebant, magna Cæſarem beneficia à Friſijs accepiſſe, ſubactâ domitaq; Groningâ, ac Omlandiâ, dein Drentiâ Coverdiâq; in fidem receptis, quadraginta aureorum millia Cæſari conceſſa, aſſignatos agros Biltanos , cæteraq; Cæſaris ærario attributa , laudabili liberalitate , quò conventiones antiquæ inviolabiles forent , quas Philippus Anno L. per Arembergium & poſt quinquennium coram ipſâ inaugurationis feſtivitate principali voce firmaſſet. Quæ cum ita ſe habeant, mirari Friſios novis & non ferendis exactionibus ſe gravari. Nam agros inundationibus ſæpe oppreſſos, arva ac paſcua ſalſedine aquarum corrupta, annonæ penuriam , mortes animalium, & omnem miſeriam induxiſſe. Adhoc vagari per agros mendicantium greges, vim atq; injuriam colonis facere , habendas eſſe noctu marinum per aggerem excubias, quo prædonum piratarumq; incurſionibus occurratur; Quæ quanquam populum premant , eiuſq; opes facultateſq; exhauriant, tamen teſtari ſe amore & fide in Regem ductos, quo provinciam ab omni armorum vi immunem præſtet, daturos ſeptuaginta quinq; aureorum millia, certis æquiſq; ſex annorum penſionibus exſolvenda , ſub hac tamen cautione, ut conventionibus pactiſq; antiquis ſtetur. Ea propter rogabant, regem, ut veteris clementiæ retinens à centeſimæ, vigeſimæ, decimæq; exactione abſtineat, populumq; jure ſuo & immunitate non privet. His, de inquilinis, quod in Brabantiâ ac Flandriâ fieri dicebant, extraneo præferendis, beneficijſque Eccleſiaſticis addita. Quæ XV. Iun. actis concepta comitium populi extraxere. Itaque Kal. Iul. inſtigante & urgente Carolo Brimæo conventus Ordinum repetitus , oblatiſque per Friſios centum aureorum millibus tandem conventio facta, ut quaternis penſionibus ad Odulphi diem centum & viginti octo millia præſtarentur, & centeſimæ, vigeſimæ, decimæque exactio ceſſaret. Quod ab oppidanis , (nam agrarij id ſtipulati erant) poſt approbatum, Weſtergoos ante diſcordes Sylveſtribus conciliavit. Hoc verò contractui ſuberat, ut Albanus Philippi nomine approbaret, publicâque ac ſolemni ratihibitione vim ac robur confecto inſtrumento adjiceret. Quod ipſum quoque tardius factum, ob infectam peſtilentiâ Bertij, qui Albano à ſecretis erat, domum, in litteris Caroli Brimæi Id. Iul. Zuollâ datis reperio.

Mox perlatis in Friſios Ferdinandi Albani litteris Antverpiâ XIII. Kal. Aug. datis, de Annæ Auſtriacæ Maximiliani II. Imperatoris filiæ, quæ in Philippi domum indulto Romani Pontificis, extinctâ Eliſabethâ Valleſiâ denupſerat , in Belgicam adventu , Carolus Brimæus Præfectus delegari petijt, qui deſignatam ex novo matrimonio Principem, Neomagi ad Vahalim ſalutarent, oblatiſq; ut in novâ regnatrice fieri ſolet, donarijs, infenſiorem Belgis Philippi animum emollirent. Quæ cum in ſignato ære præſtari Albanus nollet , quaſi infra reginæ dignitatem foret, tanti Regis, qui non unius orbis gazâ ſuperbiret ,

ſpon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXX.

ſponſam vili & non facturo ad memoriam temporum donario adiri, pretioſos tapetes inſignibus provinciarum notatos offerri voluit; Caroliqúe, ut innuebat, maximi Cæſarum neptem, more gentibus recepto, ſalutari. Modum quoq; conferendi æris provincijs præſcripſit, Friſioſq; ſexcentos florenos, ut & Tranſiſulanos, coëmendis donarijs, corrogare juſſit. Reliquis Groningenſium, Drentinorum ac Lingenſium provincijs Caroli Brimæi præfecturæ ſubjectis, pro cujuſque ſtatu ac opulentiâ contributionem imperavit, omniumq; gentium, quæ inferiorem Germaniam Belgicæ appellatione conſtituunt Neomagi ad Rhenum ad v. aut ſextum Iduum Auguſti adeſſe voluit. Quare per eundem Brimæum conventu in Æde prædicatorum ad IV. Non. Iul. indicto obeundæ legationi delecti ex Ooſtergois Hero Burmania, è Weſtergois Iulius Dekama, è Sylveſtribus Idzardus Sickingha, ex Oppidanis Petrus Boimerus Iure-conſultus, & Oldermannus Franequerenſium, qui juxta Carolum Brimæum, legationis principem, Annæ Auſtriacæ congratularentur, deque Friſici in Regem Reginamque populi affectu nomine Ordinum hoc modo edocerent:

Mittimus ad te Regina Legatos noſtros, qui in exoptato tuo in Belgicam ingreſſu, te adirent, teq; pro dignitate futuræ Belgarum Principis exciperent. Regi noſtro quædam à te proponi petimus, ac ut clementem bonumque Principem nobis præſtes, legatiſque noſtris plenam fidem adhibeas. Nos in fideli majeſtatis tuæ ac Philippi reverentiâ perſtabimus, liberiſque ac nepotibus veſtris ad quos tantarum rerum ſucceſſio perveniet, omne officium, omne obſequium deferemus.

Hæc IV. Non. Iulij per Valerium Cammingha, Bennertum Roorda, Heronem Ockingha, Barthium Idzarda, Ruardum Roorda, Gellium Roorſma, Matthiam Rommertium ſignata. Invenio in litteris Caroli Brimæi Antverpiæ datis ſexcentos, quos Albanus ordinaverat, florenos, ſex aureorum millibus in gratiam reginæ, ſive ad provincialis opulentiæ oſtentationem, auctos, Friſiorumque legatos curante Brimæo binos aureos crateres ſex millium aureorum pretio à Conrado Scettio Antverpiano emptos, Annæ Auſtriacæ una cum litteris ſecretioribus obtuliſſe. Legatos quoque medio Septembri cum litteris reginæ reverſos, plenam rerum Neomagi geſtarum relationem enarraſſe.

Claſſi quoque Aurantiæ, quæ Germanico Caledonioque mari volitabat, mandatum reperio, ne moleſtiam eï crearet, ſi forte novi matrimonij dulcedine, aut interceſsione ſponſæ Principis Philippi animus leniretur.

Itaq; validâ fœderatarum partium claſſe, quâ mare ipſum & æſtuaria florebant, de re navali quoque in Friſiâ cogitatum, factâ Segero Grosbecio poteſtate, ut apud Carolum Brimæum cui vicarius erat, pro reparandis Præſidiarijs navigijs ageret, curamque maris & commerciorum eidem Brimæo commendaret. Cæterum tenue regis ærarium, & præfecti ſollicitudo alijs rebus incumbens purgandi tutandiq; maris conſilia tardavit. Quæ ipſa quoque etſi à tanto rege profecta, tamen contumacis populi, quæ per omnes provincias viſebatur, ſubſidijs deſtituebantur, quæ armandis utrinque partibus deſtinata, publicas provincia-

cIↄ. Iↄ. LXX. rum opes & affecta ex ſe æraria enervabant.

Mox Kalend. Novemb. enormis calamitas, quam graviſſime, Friſios adflixit. Præterquam enim quod odia partium, ut dixi, & graſſantia arma ſpectarent, ita ſtupendi elementorum furores civilem quoq; diſcordiam caſtigavere. Surgens enim ab extremo Occaſu, deïn in Corum ſe deflectens tempeſtas adeò deſævijt, ut intumeſcens Oceanus ruptis perforatiſque aggeribus, ſui alvei quaſi ac legis oblitus, univerſam provinciam, quâ oſtia fluminum, aut depreſſa littorum ſpectat, invalidis fluctuum obijcibus inundaverit. Neque defuere, qui ingruentibus atrociſſimis, & ſupra hominum memoriam procellis, ſeſeque Oceano ſupra ordinarios æſtus, & legem moti ſyderis efferente gentis excidium formidarent. Flans enim Corus tum tumidum ultrò mare, non maritima tantum & littoralem tractum, ſed meditullia quoque Provinciæ obtexerat. Dongrij quoque, & præturæ per Ooſtergoam, quæ in Boream excurrunt, profundiſſimis aquis innatavere, undarum mole in undecim pedum altitudinem provectâ. Quare, ſi monumento, quod in templi limine apud Metſelviranos viſitur, fides, in Dongriæ Prætura, quæ orientem ſpectat, mille & octingenti ſubmerſi, ijs etiam exceptis, qui recedente undâ in Oceanum devecti, propulſique ſunt. Neque abſimilis in Auſtrum fluctuum furor fuit, qui per univerſam Weſtergoam, partemque poſt Sylveſtris oræ ſparſi villas, domos, aggeres disjecere, abreptis etiam per vim aquæ integris familijs, quas concubia, & illunis nox, tum altus ſopor, & prima quies in lectis dormitorijſqe oppreſſerat. Itaque conjuges, liberi, tum in cunis poſiti infantes, cum ſupellectile domorum, ruſticiſque inſtrumentis acti, non ſine damno annonæ, & perditione frugum, quas effractis horreis aſſiliens mare eluebat. Notat Andræas Gryphius Prætor Utingeranus, ſolos Utingeranos reliquoſque Sylveſtres, umbilico velut Friſiæ clauſos, minoribus undis expoſitos fuiſſe, omnemq; dulcis aquæ molem confertim aggeſtam, & ſalſedine ſenſim tinctam centenos fabarum faſciculos penetralibus editioribuſque domorum locis apud Bornenſes adjeciſſe. Signa quoque huius inundationis, à Feicone Siboldio Neſſano, jam ante per aërem notata, domumque Focconis Leppij apud Haskerios altiſſimis aquis innatare viſam, Kal. Nov. ſolam in iſto diſtrictu ijſdem obrutam fuiſſe. Menſe quoque Septembri qui malum hoc præceſſit, multos glires, mureſque aquatiles, metu, ut creditum fuit, futuræ tempeſtatis exanimatos, in corde braſſicæ deſediſſe, ac non vanum iſti rei prodigium feciſſe. Hoc ſaltem Bornenſium ſeniores longâ temporum memoriâ obſervatum annotaverant, mures in arundinetis calamorum ſummitatem petentes, ibique nidulos ſuos ſtruentes, graves ut plurimum terrarum inundationes ſignificaſſe. Relatum in fidem annalium eſt, navem onerariam cum mercibus Hamburgo venientem, ſupra altiſſimos aggeres ſublatam in mediterraneis conſediſſe, multaſque octo aut circiter pedum altitudine, totum quod Cuneram Snecamq; interjacet, terrarum ſpatium, oceano opertum enavigaſſe. Victoriam quoq; aliam, quæ Amſtelodamo ſolverat, medio in Flevo cum centum hominibus demerſam. Itaq; tum ejulatus, ac lamenta vagientium flentiumq; liberorum ac

Gravis inundatio per Friſiam.

conju-

conjugum per univerſam Provinciam audiebantur, dubijs adhuc ſæpe ꝏ. Iↄ.
ſuſpenſiſque animis vera an incerta funerum flerent. Sed recedens ſen- LXX.
ſim mare vera rerum nuntia, & Provincialium calamitates detexit. Tum quiſque orbitates ſuas ac deſideria exponere, queri turbatas domos, ac patrimonia, neque propinquorum allocutiones morientibus fuiſſe, aut voluntatis ultimæ teſtationem ſupremâ voce obſignatam. Vaſtatam & obrutam velut uno fluctu Provinciam, novâq; ſolitudine non aliam rerum imaginem, quam pereuntis generis humani ſpectari. Nonnullorum cadavera circa oſtia fluminum, aut in limo, quem æſtus, reliquerat, reperta, agnitaque propinquis ſolemni funerum decorata ſunt. Cætera per Oceanum ſparſa (quia ſepulturæ honos ijs non conceſſus) cælo contecta fluctuavere. Tradunt autores in utrâque Dongria tum Doccomio urbe quinque millia hominum, & ducentos, cæterum in universâ Friſiâ, (quæ Flevo Lavicaque continetur) ultra viginti millia perijſſe.

Quæ quanquam apud illos ex magnitudine tantæ cladis aucta, tamen ex actis poſtmodum repertis conſtat, multa, & ex tantâ confuſione incerta hominum millia inruentibus cum impetu aquis abrepta. Hoc tantum addam, Senatum regium in inquirendo ſubmerſorum numero, ex notitiâ mali ſagacem, commentarios quorundam per Provinciam prætorum exegiſſe, infraque vulgarium autorum, qui plus famæ dederunt, fidem, inundationis iſtius, ſive diluvij ferociam ſtetiſſe.

Repertorum quoque miram in facie deformitatem fuiſſe, cæterum pulcherrimos habitus more majorum noſtrorum, aureis argenteiſque lamellis interſtinctos in mortuorum cumulis notatos. Invenio Geeſterlandos, quod illorum agri clementibus jugis adſurgant, periculi immunes fuiſſe, ac infantem una cum fele cunis impoſitum, Snecam appuliſſe, prodigioſèque ſervatum. Friſiam quoque toto decemdio profundiſsimis aquis obtectam ſtetiſſe, ac reſtagnantem velut undam, & continuis exhalationibus frigeratum aërem, aſperum gelu, prima etiam brumâ peperiſſe.

Quod incommodum prioris anni, qui Novembri menſe apparuerat Cometæ, velut evoluto jam motus annui circulo à Cornelio Gemma inſigni iſtorum temporum Mathematico imputatum reperio, tantumq; virum cæli peritum, non terrarum tantum mala, ſed maris quoque injurias & feroces æſtus efficaciæ crinitorum ſiderum, etiam inclinantium, aſcripſiſſe. Cui provincialium infælicitati & hoc acceſſit, quod quæſtores ærarijq; tribuni illorum, quos Philippus ab edicto Veniæ excluſerat, reditus ſtrangularent, objectoq; majeſtatis crimine, quod illis temporibus nullâ judicij ſed Edicti formula intentabatur, vitæ ſubſidijs non profugos tantum & exules, ſed promiſcuam multitudinem exuerent. Qua ex re, cum obligationum, quibus domania, ut vocant, regia premebantur, vis ceſſaret, creditoribuſq; jus ſuum in foro perſequendi adimeretur, cavit edicto Albanus, ut creditores intra trimeſtre, tabulas æris crediti exhiberent, illiſq; modo Præfectus Senatuſq; approbaſſet, annuorum redituum penſiones præſtarentur. Quod ſive pungente Albanum conſcientia, ſive miſeratione cladis factum, in dubium relinquo. Hoc ſaltem veriſimile eſt tantam calamitatem, etiam obdura-

cIↄ. Iↄ. LXX. tum ad quælibet Albani pectus moviſſe, communemque mortalium ingenijs affectum, etiam in ipsâ Ducis exulceratâ inexpiatâque cædibus mente excitaſſe. Mox Anna Auſtriaca fælici navigatione, in Hiſpaniam provecta, exhibitiſque Philippo Friſiorum litteris de iſtius gentis eximiâ humanitate apud ſponſum Regem commemoravit. Donaria quoque mitigando Philippi ingenio exhiberi fecit, ipſeq; Philippus amore ſponſæ orantis deflagrans Albano, Friſiorum genti, ut grates ageret, binis litteris imperavit. Tum ne quid officij regij erga Friſios omitteretur, & ut honorario æri, quod Philippo præterito menſe Iulio conceſſum erat, regiæ gratitudinis ſignum reponeret, litteras ſuâ manu Madriti XI. Kal. Febr. ſcriptas, in Friſiam miſit, populumque in fide regis adhuc perſtantem, ſingulari benevolentiæ regiæ argumento complexus eſt. Hoc verò imprimis Philippum indoluiſſe reperio, quod mare inſolito æſtu tumefactum fertilem provinciam inundaſſet, præterque pecora, domos, villas, hominum quoque millia abſtuliſſet. Quapropter litteras ad Archiepiſcopos, Epiſcopoſque dari præcepit, expiandiſq; provincialium noxis, placandæq; cæleſti iræ per oppida ac in cænobijs amburbiorum, ſupplicationumq; ritus inſtitui juſſit. Cæterum omnem regiæ mentis affectum ingruens rumor diſcuſsit, quo Gaſparus Robleſius, coactâ Groningæ militum manu, per Tranſlavicanos, & ipſam quoque Friſiam, vim colonis agrorum intuliſſe dicebatur. Quæ etſi Igramus Achlemius Friſici Senatus Præſes datis Groningâ XI. Kal. Feb. litteris elevaret, ita fidem faciebat Robleſium occupandæ, (ne fœderata claſsis mari oberrans, in inſulam inrueret) Amelandiæ conſilio capto, ſeveris mandatis militem inſtruxiſſe. Eundem quoque Robleſium frænandæ militum licentiæ ſtipendia exſolviſſe, quæ opportuno tempore penſitata omnem etiam laxiorem diſciplinam caſtrenſi moderatione compoſuiſſent. Cæterum regius miles, etſi ære accepto, ultro inſolens omne delicatum immodeſto ori exigebat, vinoque ac epulis indulgens, pecuniam quoque colentibus agros extorquebat. Quare Senatus Regius, petentibus agrariorum Delegatis ad Achlenium Vaſtartiumq; Senatores, qui Groningæ agebant, litteras dedit, utque remedium inſolentiæ militari orarent, commonuit. Cæterum rudis armorum, & diſciplinæ ingnara multitudo primis militiæ rudimentis, velut laxatis prioris vitæ frænis agebatur, licentiamq; belli legem interpretata raro centurionum imperio per vicos agroſque diſcurrebat. Ita factum eſt, ut habitis per provincias & confinia delectibus, Carolus quoq; Brimæus tertium quemque è ruſticâ plebe ad militiam evocaret, ſtipendiaq; tyronibus privato ex ære deficiente regis ærario poſceret. Quæ res ut cum ſeveritate & imperio agebatur, ita nobilitatem populumque agrarium magis magiſq; à Carolo Brimæo, dein ipſo quoq; Philippo alienavit. Quare omnia acerbius ad bellum ſpectabant, cujus prodigium, ſi Cornelio Gemmæ fides, in quodam Friſiæ tractu depluens ſanguis confirmavit.

Quo inundationis malo Saxonum olim & Burgundionum temporibus mota lis ac controverſia recruduit. Præterquam enim quod damna paſſis omnia gravia & per funera, ac orbitates triſtitia eſſent, ita tum reparationem aggerum non ſuſtinebant, exhauſti communi malo littorales, recenti

cIↃ. IↃ. L X X.

recenti inundatione fracti. Itaque illi Carolum Brimæum Comitem Meganum orare, miſereatur nuperæ calamitatis, & publico diſpendio publicum ſubſidium decernat. Suæ poteſtatis non eſſe privatis opibus averruncare commune Provinciæ diſcrimen, omniumque incolumitatem emere ſuarum rerum jacturâ & paratiſſimâ egeſtate. Subveniendum potiùs communibus iris, ac inclementijs naturæ, ne parte terræ Friſicæ incendio exuſtâ, aut aquarum vi abſorptâ, toti Provinciæ quid decedat, quæ ſtare abreptis partibus non poſſit. Idcircò olim aggerum neglectu maxuma terrarum, ac continentis ſpatia, aut Oceano contecta, aut ſeorſim avulſa per circumfluum mare formam inſularum induiſſe. Neque enim hoc in Friſiâ infrequens, cum urgentibus agrorum poſſeſſoribus (qui tum paluſtria, ac depreſſa locorum inhabitabant) invalido aggere ducti in Oceanum Germanicum rivi viam ſæviſſimo elemento aperuere, Flevo fluvio marinis aquis in latiſsima æſtuaria effuſo. Caveret ergo Brimæus quam maxumè, ne dum de aggerum lite Provinciales contenderent, altercantium controverſiam importunum & præceps mare dirimat.

Diſceptatio de aggere marino.

Tum componendæ liti è regio Senatu Igramus Achlemius Præſes, & Petrus Frittema Iureconſultus deſignati, qui diſcordibus agrariorum animis, etiam durante diario maris influxu, nihil profecere, quod parum miſerationis in animis hominum tanta vaſtatio, & calamitas reliquiſſet. Quare littorales Weſtergoï ad Ferdinandum Albanum mittere Legatos decrevere, publicâq; cæterorum ignaviâ maturare negotium opprimendæ Provinciæ validum. Res Cunero Epiſcopo, & Petro Medenblicano Præſuli Achlemio, Sceltoni Lyauckamæ, Dothiæ Bongæ, Ulpio Hiddamæ, & Cronenburgio ut maritimis Weſtergois commiſſa. Qui, ne quid in morâ majoris periculi, libellum mox ſupplicem ad Ferdinandum Albanum per delegatos è nobilitate Heronem Ockinga, & Valerium Camminga mitti fecerunt, in quo disjectos aggeres, & damna agris poſſeſsionibuſque ſuis illata exponebant. Non eſſe ſuarum virium id reparare, quod vis marinorum fluctuum abſtuliſſet, aut pendere ulterius tributum, quod huc uſque gerendo pro Rege bello impendiſſent. Agros quippe ſibi, non magnis latifundijs turbido & procelloſo mari adjectos, eoſdemque ſterilitate novæ ſalſedinis incultos ferendis aggerum, bellique oneribus pares non eſſe. Rogare igitur Ferdinandum Albanum, ut tot damna paſſos tributo levet, ſtatuatq; modum, & ſubſidia, quibus ſervari Friſia queat, marinis etiamnum aquis obtecta.

ANNO cIↃ. IↃ. L X X I.

Damna ex inundatione paſſi agrarij ſupplicant Albano incaſſum.

Cæterum Albani animus alijs negotijs & mole belli æſtuans, amotâ Friſicæ ſecuritatis curâ Legatum dimiſit, ac apud Carolum Brimæum Friſiæ Præfectum agere juſsit. Ita res moræ impatiens magno Provincialium damno protracta, disjectaque per vim aquæ piſcatorum tuguria, quæ marino aggeri rurſum adſtrui Senatus regius vetabat, vacua habitatoribus manſere. Incolæ ipſi aut undis ſublati, aut, qui ſuperſtites fuere, laris incerti per univerſam Provinciam fœdo ſpectaculo circumacti. Quorum miſeratione, & ſuo quoque periculo adducti Weſtergoï, qui maritima tenent, Carolum Brimæum Friſiæ Præfectum rogarunt, ut conventum omnium Friſiæ Ordinum cogeret, deque lite aggerum cognoſceret qua utò ocyus. Itaq;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ↀ Iↄ. Iↄ. LXXI. Carolus Brimæus ad XIV. Kal. Iun. diem Ordines tum Weſtergoos Friſiæ, ac Sylveſtres, quorum agri mari prætexuntur adeſſe Leovardiæ juſsit, Igramumque Achlemium Senatus Præſidem collegarum ſuffragijs novo more, à morte Caroli Nitzenij ad clariſsimam dignitatem evectum perorandæ cauſæ deſignavit. Ibi Achlenius.

Achlenij oratio. *CONVOCAVIMVS vos, Ordines & Delegati, ut litem veſtram, quam majores & vos ipſi tot annis magno Provinciæ detrimento exercetis, componamus celerius. Et quoniam metuendum eſt, ut recrudeſcens mare, Lunæ, quod in maria dominatur, ſydere, aut procellâ actum majus terris veſtris periculum creet, ita æquum cenſuimus ſuſpenſo ad tempus partium jure aggeres marinos communibus impendijs reficiendos. Hoc verò curavimus; Ne exemplo eſſet, noſtrâq; interpoſitione cujuſq; jus aut immunitas ſubverteretur. Securitate Provinciæ & veſtris agris, villis, atq; familijs partâ diſſeretis in foro noſtro commodius. Nunc manus, impendia, operæ exiguntur, & pro periculi magnitudine provida feſtinatio, ne veſtrâ cunctatione mare nos obruat, aut graviore ſaltem damno omnem Provinciam adfligat.*

Weſtergoi atq; ſilveſtres diſceptant. Quâ præſidis oratione auditâ, Wonſerani qui in mediterraneis ſeptem pagos conſtituunt, aſſerendo juri ſuo allegabant magna aggerum ſpatia & ſimul onera à Maccomio in Auſtrum ſuis pagis aſſignata, eaque vi aquæ rupta, aut profunditate gurgitum excavata modico ſumptu non reparari. Damnum quippe aggeri inlatum viginti quinque carolæorum millibus, ducentis, & nonagenta æſtumari, eliſaſque inſuper fluctibus tabulationes, & emiſſaria laxandis reprimendiſque aquarum molibus inventa, loco mota diſpendium geminaſſe. Quod ad Wonſeranos maritimos ſpectaret, diſcretos ſibi ab ijs aggeres eſſe, quos confundi non oporteret, & quorum oneribus ipſi maritimi pares eſſent, non minore ſoli fæcunditate, & paribus agrorum locarijs fælices. Rogare itaq; Carolum Brimæum iniquis maritimorum Wonſeranorum ſtudijs proſpiciat, beneficiumq; juris implorantibus ex æquo ſubveniat. Ita Petrus Aggema, Matthias Livius, & Theodorus Ioannis XII. Kal. Iun. ſignavere. Eadem ferè Wonſerani maritimi, niſi quod damni ex inundatione terrarum dati æſtumationem viginti & trium millium carolæorum facerent, ſuæque impotentiæ cauſam obtexentes, commune reparandis aggeribus, & æquale ſubſidium ex arbitrio Præfecti & Senatus regij flagitarent. Sylveſtres verò reſpondebant: Sterilius ſibi præ Weſtergoïs ſolum eſſe, multorumque annorum infæcunditate preſſos, reſarciendis aggerum damnis invalidos eſſe. Ita Donieverſtallæos, Geeſterlandos, Lemſteranos, Schoteranos, & Engwirdios aggerum ſumptus à Feenhuſâ ad Cliffam promontorium (quod intervallum quatuor milliaria comprehendit) ſuſtinere, ipſiſque Stellinguerfijs præter marinos aggeres alios quoque impendia creare, divertendis, quæ è Drentiæ, Friſiæq; bituminoſis agris per Stellinguerſiam labuntur, aquis extructos. Utingeranos verò quinque milliaribus à Staurico littore diſcretos, aggeres Stauriæ vicinos curare, cuius mali ea ratio ſit, quod Weſtergoï confuſis uſibus aggerum jure ſe muniant, ac vix tertiam ſumptuum partem, quam è tributo pagorum petunt, eorundem aggerum, & fulciendis fluctuum obicibus impendant. Postremò Weſtergoï, qui in me-

mediterraneis quinque præturas aut jus ſuffragiorum tenent ; quales ſunt Franequerani, Menaldumæi, Baerderani, Hennardij, & Minnertſgæi id reſponſi attulere. Ut, quamvis ab omni marinorum aggerum onere ipſo jure immunes eſſent, velut longius à mari diſſiti, & privatis agrorum munimentis conſepti, tamen, quia pronuntiatum à regio Senatu eſſet, Georgium Scencum Præfectum quondam, & Senatum Cæſaris ritè judicaſſe, ac ex æquo ad eos aggerum onera devoluta videri, obtemperaſſe judicio Senatus. Hoc verò ægrius ſe ferre, Weſtergoos maritimos non acquieſcentes rei judicatæ, velut gravatos, nova ſtatuta Senatum Regium oraſſe, ac in fraudem juris ſui obtinuiſſe. Ideò ſe ad Ferdinandum Albanum ſpe reſtitutionis in integrum perfugiſſe, rejectoſque ab eo ad Senatum per Friſiam regium præſidium juris rogare. Interim ne videantur omnem humani affectum exuiſſe, miſeratione infælicium temporum, ſubſidia maritimis Weſtergoïs offerre, ſed hac cautelâ, ne officium exemplo ſit, ac ne videatur jus ſuum ratione beneficij imminutum. cIↃ. IↃ. LXXI.

Quamobrem Carolus Brimæus tam mediterraneïs quam maritimis Weſtergoïs mandavit, ut ſcripto jus ſuum ad XXIV. Maï diem, exhiberent, quo deferri ad Ferdinandum Albanum, Senatum ſecretiorum, aut Curiam Mechlinienſem curet, ac lis definiatur, toti Provinciæ damnoſa. Ubi cum res tardius procederent, ſuſpectaq; maritimis Weſtergoïs, quos periculum premebat, comperendinatio litis eſſet, III. Eid Iun. Carolo Brimæo hanc ſupplicationem exhibuere:

Caroli Brimæi decretum.

Quandoquidem Carole Præfecte, præcedens annus ipſis Kal. Nov. enormi tempeſtate funeſtus rebus noſtris commune exitium, univerſis periculum attulit, jamdudum animo conſilia agitavimus, quibus (quantum humanâ ope fieri poteſt) Oceani injurijs, atque inundationibus noſtrorum agrorum ſubveniremus. Ita tibi jam ante querimonias noſtras aperuimus, poſt ad Ferdinandum Albanum ſupplices devoluti rogavimus ſubſidia noſtræ calamitati, & ut ipſe ſummum Philippi nomine his in Provincijs imperium gerens, ſpretis diſcordijs noſtris publicâ autoritate remedium præſcriberet coërcendo mari opportunum. Quem ipſum, quia aliæ tum curæ exercebant, juſſit, ut te arbitro noſtrarum rerum uteremur, ac tu demandatâ poteſtate inſtructus, litem dirimeres à noſtris quoque majoribus inſtitutam. Quæ res, quia multis magniſque difficultatibus implexa, huc uſque longi temporis determinatione egebit, rogamus demiſſe, ut nos ipſos privato ſumptu & conſilio, aggeres eos, qui noſtris poſſeſſionibus prætexuntur, reficere ſinas, præteritis eis, aut eorum conſenſu non adhibito, quorum officia ſine magno impendio, ac longiore morâ haberi non poſſunt. Per eos namq; ſæpe factum eſt, ut tributum muniendis aggeribus deſtinatum, in alios uſus vertatur, ac nos expoſiti ijſdem & quidem gravioribus periculis, agros & prædia maris æſtui nudemus. A quo ut tuti magis poſt hac ſimus, dabimus operam privato, ſi ita decernas, impendio, ut aggerem validum habeamus, & noſtræ calamitati, ac ſimul juri publico ſatisfiat. Quod niſi præſtemus parati erimus ſubire judicium, & ſentire mulctas iſtiuſmodi ante rebus irrogatas. Tuum erit, Carole Brimæe, viduarum, & orphanorum ſubſidia implorantium querimonijs, & incolumitati proſpicere, ac in univerſum conſulere Provinciæ, tuæ fidei commiſſæ.

Supplicatio Weſtergoorum.

Ita

cIɔ.Iɔ. LXXI. *Exactiones Albani.*

Ita manifeſtâ temporum calamitate, Friſia inclementijs naturæ, & ſimul exactionibus Albani lacerabatur. Is namque elapſo Octobri, quod decimæ centeſimæque ſuæ adverſari Friſios intelligeret, enormè Tributum imperaverat, obluctantemque conſilijs ſuis populum non diſparia à priore popoſcerat. Quare oppreſſo per arma jure, & legum autoritate, per metum ſublatâ factum eſt, ut Friſij talium rerum non ignari, Honorarium Duci decernerent, centumque & viginti octo aureorum millia, ut ante dixi, gerendis pro Philippo rebus aſſignarent. Hoc verò caverant Friſij, ut Honorarium ſtato die in ærarium Provinciæ inferretur, aſſervatumque ad ingruentia temporum ultimæ neceſſitati & uſui regis ſerviret. Quod etſi Albanum præter violentiam & minas nihil ſedatum, aut lenè ſpirantem peſſime haberet, ita decreto gentis obſecutus eſt, ſuâque manu confectas eâ de re tabulas IX. Kalend. Novemb. obſignavit. Reperio in actis originalibus, hoc ipſo (de quo menſibus Junio & Julio diſceptatum fuit) Friſicæ gentis tributo ulterioribus Philippi Albaniq; exactionibus occurſum, & centeſimam, vigeſimam, decimamque bonorum, quas Albanus exegerat ſummâ iſtius æris redemptam. Sic graſſante per omnem Provinciam Albano pro imperij atrocitate, exulum quoque civiliumque animorum virtus ſe aſperavit, validæque claſſes, infidâ per Ducem continente, Friſicis æſtuarijs immiſſæ toto mari volitavere. Tum Amelandiæ inſula, quæ in Boream Friſico littori objecta, ab ijſdem fæderatis occupata, ipſaque arx, quam Petrus Cammingha vir Nobiliſſimus cum imperio tum tenebat, à Bartoldo Entenio homine nobili & Tranſlavicano cæteriſque fæderatis direpta. Mox ab ijſdem in interius Flevi æſtuarium cum claſſe regreſſis Worcomium quoque urbs, quod nullo præſidio teneretur, fæde vaſtata, abductique magno numero cives ſuam & juxta patriæ fortunam doluere. Quæ res Edzardum Tranſamaſanæ Friſiæ Comitem, quod circâ Amaſum fluvium non minore vi agerent, haud parum affecit. Itaque intutos reddi portus, totumque quod ditioni ſuæ obtenditur littus ægrè ferens, Aurantij naves detinuit, in quibus Ioannes Mepſchius & Rembertus Ienſma è Tranſlavicanis, & Antiſtes Hemelumanus propè Staurios captivi aſſervabantur. Quod factum declinandæ apud Aurantium invidiæ mandatis Imperij Edzardus velabat, velut Cæſaris intereſſet Germaniæ limitem peregrinis armis non infeſtari. Econtra Aurantius naves repoſcere, excuſare ſuorum facta, ac teſtari propalam, dandum quid eſſe moribus belli, quod pro libertate oppreſſi populi ſuſcepiſſet. Conſtituiſſe ſe interea liberandæ oræ Friſicæ claſſem ſuam in Norvegiam, aut Britanniam expedire modo per anni tempus, & continuas aſperioris cæli inclementias liceret. Ita Edzardi offenſæ ad tempus occurſum, cujus animus ſuo ſive incommodo, quod ex Aurantij armis ſentiebat, ſive adverſâ Principis fortunâ, pro more hominum iniquior, retardandæ navalium expeditionum, rei Occone Friſio homine fæderi inimico utebatur. Per eum namque factum eſt, ut navis, quæ in Amaſo ſtabat, omni genere armorum per Pompeium Uſkenium Tranſlavicanum inſtructa diriperetur, tardiuſq; procederent negotia ſecretis conſilijs ſubnixa. Id namque moliebatur Aurantius, ut limitaneas, mariti-

Amelandiæ inſula direpta. — *Mare intutum.*

maritimaſque urbes in ſocietatem fœderis ſolertiâ Legatorum perduceret, ſuiſque rebus, & gerendo in Albanum bello, (Philippi enim nomen diſſimulabat) firmam ſedem pararet. Sed flans Subſolanus, continuique poſt Aquilones, dein aſperrimum gelu invia omnia atque impervia navigantibus faciebant, Legatorumque negotia, & ſimul publicæ proſperitatis curſum, velut conſpirantibus elementis, remorabantur. Borræus ſcribit ſtupendam tempeſtatem Kalend. Nov. ortam Aurantij quoque conſilijs non parum obſtitiſſe, Principemque magnarum rerum fortunam per minores Friſios, & confinem Tranſ-Iſulaniam animo verſantem importuno maris æſtu retardaſſe. cIↄ. Iↄ. LXXI.

Sic fœderis rebus dubio aut infælici fato actis, Præfectus Senatuſq; per Friſiam regius de perficiendâ Iuſtitiæ Æde velut partæ pacis monumento cogitavit, cuius fundamentum à Carolo Nitzenio Præſide de conſilio Præfecti, & collegarum magno ſumptu jactum, tot annorum impendia trahebat. Quamobrem ſumptuoſo & admirando opere, ad finem perducto, ne ſacrum loci votorum ſolemnibus vacaret, Senatus regius votivum Ædi præfixit, monumentumque ſignandæ temporum Æræ iſtiuſmodi ſtatuit.

Baſilicæ regiæ monumentum.

Redemptoris Incarnati
ANNO
CIↃ. IↃ. LXXI.
VII. EID. NOVEMB.

DIVO PHILIPPO HISPANIARUM REGE CATHOLICO, ET FRISIÆ DOMINO REGNANTE, CAROLO DE BRIMÆU COMITE DE MEGEN, EIUSDEM REGIS NOMINE FRISIAM GUBERNANTE, SS. HANC IUSTITIÆ ÆDEM OPERA ET SOLLICITUDINE CAROLI NITZENII QUONDAM PRÆSIDIS INCHOATAM, PIIS VOTIS, ET CONCORDIBUS ANIMIS IGRAMUS AB ACHELEN PRÆSES, IACOBUS ROUSSEL, VALERIUS AB OCKINGA, ADRIANUS VASTAERTS, ANTONIUS LOPES DEL VAILE, BOUDEVINUS À LOO EXQUÆSTOR, IDZARDUS À SICKINGA, PETRUS À FRITTEMA, FOCCO ROMMARTS,

cIↃ. IↃ. LXXI. IOANNES CAROLUS PROCURATOR REGIUS, IULIUS à DEKAMA, HYERONIMUS AB HANIA, ET HECTOR AB AYTA, CONSILIARII, SOLENNI PERACTO SACRO, PRIMUM IURIS DICENDI CAUSA, COLLEGIATIM CUM PETRO AB EMSKERCK GRAPHÆO INGRESSI, HOC MONUMENTUM PERPETUÆ MEMORIÆ ERGO POS.

Reperio in vitis Antiſtitum Lidlumanorum, Senatum regium, Præpoſituræ Bolſuerdienſis adminiſtratione Isbrando Herderviceno Præſuli Lidlumano ademptâ, ejuſdem Præpoſituræ reditus toto quinquennio extruendæ Ædi applicaſſe. Hoc verò regij Senatus ſecuritati adhuc deerat, quod exules proſcriptiq; per æſtuaria, & vicinum mare ſparſi Provinciæ incumberent, ſubvectiq; in portus, aut profunda littorum mediterraneis imminerent. Quare Senatus regius XIV. Kal. Maï ad Ferdinandum Albanum litteras dedit, eumq; periculi certiorem fecit, ac ſuppetias rogavit. Is verò, velut fortunæ, quam immodeſtè habuerat, ludibrium debens, ratus jam ante debellatas partes vires animoſq; non reſumpturas, ſuam tum demum intra ſe vecordiam, ſimul imbecillitatem expendit, litteraſque impotentiæ ſuæ teſtes VIII. Kal. ejuſdem Maï Leovardiam dedit. Eæ habebant:

Senatus regius ſcribit ad Albanum.

ANNO cIↃ. IↃ. LXXII. Omne littus peiratis infeſtum, cæterum Harlingios mari objectos, ac regi fidos operam ſuam parandæ claſſi addixiſſe, modo agrarij, cæterique Provinciales juſta ſubſidia, inſtruendis triremibus præſtent. Se verò renaſcentium bellorum moli expoſitum ſuppetias ferre non poſſe, aut ex Hollandia Zelandiâque ſubminiſtrare triremes regias, quod ijs in locis acrius bellum exardeſcat. Interim daturum ſe operam, ut Gaſparus Robleſius legionis Præfectus, ac præſidium Groningæ agens, claſſem milite inſtruat; modo Ordines Friſiæ regis, & ſimul ſuo commodo apparatum, ſimul & pecuniam iſti negotio decernant. Quæ litteræ à Senatu regio Deputatis Ordinum nullo fructu communicatæ, quod hi ex omni provinciâ convocandos Ordines cenſerent, ut cogendo tributo eorum conſenſus interponeretur. Itaque in omnem provinciæ oram miſſæ litteræ, quibus ſingulæ Præturæ Oppidaq; non binos pro more, cæterum unum tantum delegatum edere minuendis Provinciæ impendijs, jubebantur. Dies quoq; Prid. Non. Maï Comitio dictus. Quo conventu, etſi verba ſpecioſè faceret Achlenius Præſes, vir facundus, & ſolertis ingenij, tamen contumaciâ Ordinum evenit, ut nihil ſubſidij adornandis triremibus decerneretur. Ordines namque re Quatuor-viris demandatâ reſpondebant. Poteſtatis ſuæ non eſſe ulterius tributum pendere recenti inundatione obrutis agris, & ærario per continuas exactiones exhauſto. Ita centum & viginti octo aureorum millia ante annum regi depactos, non eâ mente ut tributum tributo cumularetur, ſed ut ſanctius ærarium ultimis neceſſitatibus, & publicæ imbecillitati ſubveniret. Eam verò interea tem-

Mare à fœderatis intutum.

Comitium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

temporum fortunam fuiſſe, ut promiſſa præſtari vix queant, omni frumento ſalſedine aquarum corrupto, & annonæ caritate per Provinciam obviâ. Adhæc nulla commercia, aggeres diſjectos, ac ſolo æquatos, quos bono regis refici maxumè expediat, Biltanis agris & vectigali regis orâ magnis periculis expoſitâ. Interim duo millia Carolæorum ſe offerre, ſed hac lege, ut in ſolutum proxumæ penſioni cedant. Ea ad Ferdinandum Albanum perſcripta Ordinum nomine, pro Ooſtergoïs Ulpius Aylva, pro Weſtergois Tarquinius Haytſma, pro Sylveſtribus Tinco Andringha, pro Oppidanis Matthias Rommartius VIII. Eid. Mai ſignavere. Hoc modo Albani exactiones Ordinum Friſiæ populiq́, frequentes querimonias trahebant, exulumq́; mentes fæditate regnantium in ſpem reviviſcentis patriæ erigebantur. Quare & eorum plurimi proſperitate quoq́; rerum impulſi, quas per Hollandiam Gulielmus Lumæus, per Geldriam & Tranſiſulaniam Bergenſis non longè Friſiorum finibus gerebant, arma ſumpſere, quorum apparatum per Germaniam rurſum agitare Princeps Aurantius ferebatur. His accedebat quod Carolus IX. Galliæ rex, Eliſabethæ Valleſiæ ſororis ſuſpectâ morte, ſive alijs de cauſis Hiſpano infenſus, ſtudia & affectum aſſerendæ Belgarum libertati præferret, Principique Aurantio auxilia clam depactus occultâ in Philippum æmulatione diceretur. Reidanus ſcribit, connivente tantum Carolo rege Gallicæ Nobilitatis auxilia Aurantio decreta, Carolumque regem, ſive Philippi potentiæ iniquum, ſive nefarij furoris (quo poſt Galliam reformatorum ſanguine implevit) conſilium agitantem, ſuſpecti ac verè infidi favoris argumentum Principi Aurantio, & reformatæ per Galliam Nobilitati feciſſe. Neq́; per Friſiam ingenia ſervilibus temporum conditionibus acquieſcebant, cum eſſent qui domeſticam pacem haberi non poſſe præterquam reſtitutâ Libertate, & reparatis exulum rebus cenſerent. Quamobrem Doco Martna vir primariæ Nobilitatis, (cujus majores Anno cIↃ.III.C.IX. memorabili adverſus Gulielmum III. victoriâ Hollandicum quoq́; jugum excuſſerant) diſſimulatâ Fæderis profeſſione, qua plurimæ nobiles familiæ exilium tum ſuſtinebant, & privatam vitam ſecretis in patriam officijs obtendens, cum Aurantio Principe, ut Borræus ſcribit, occupandæ Leovardiæ conſilium communicavit, nactuſque ejus rei diploma ope ſociæ Nobilitatis, in quâ Sixtum Botniam, Titum Hettingham, Serapium Galamam, Petrum Cammingham, Auguſtinum Oedſmam, Prætorem Dantumanum, Scipionem Sceltamam, Edonem Abbemam, Haringij Haerſmæ filios, Vibium Grovenſteinium, Prætorem Menaldumæum, & Sicconem Tyeſſenium cæteroſque fuiſſe Demetrius tradit, idipſum exequi conatus eſt. Quare ad Didericum Sonnoium (qui minoribus Flevum inter & Kennemarios Friſijs Aurantii nomine tum præerat) litteras dedit, pedeſtriumque copiarum auxilia rogavit. Sonnoius verò, ne lubricis adhuc & infidis per minorem Friſiam rebus, latera recentis imperij nudaret, & quod Gulielmo Bergenſi auxiliares copias non ita pridem ſuppeditaverat, Horatium Bumam Tribunum Friſicæ cohortis, virum militarem in Friſiam ire juſſit, in quam Gulielmus quoq́; Bergenſis, Didericum Bronchorſtium, hominem Batenburgicæ gentis, cum

cIↃ. IↃ. LXXII.

Aurantius exercitum colligit.

Martna cum Aurantio conſultat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ. LXXII. imperio amandaverat. Is namque velut propinquorum, quos Albani furor Anno cIɔ. Iɔ. LXVIII. hauſerat, cædem ulturus, acceptâ poteſtate militares copias conſcribendi, deſignatis cohortium tribunis militem mox collegit, expugnatâq; Cunera Comitum olim ſede (qui in Hermanno ultimo eius gentis, ſterilitate conjugalis lecti defecerant) ejecto munitione iſtâ Valonum præſidio, in Sylveſtres Friſios ſe effudit. Cuius rei famâ perculſus regius Senatus, & quod Ægydius Barlamontius, qui Carolo Brimæo VI. Eid. Ian. Swollis (ut nobiliſſimus Hemmingha in genituris ſuis tradit) ex apoplexiâ, cum liberalius feſtum magorum celebraſſet, extincto III. Eid. Maï ſucceſſor datus erat, apud Geldros tum ageret, Gaſparum Robleſium gente Luſitanum, Legionis Valonicæ Præfectum, Groningâ cum copijs evocavit. Qui mox de conſilio regij Senatus, (is namque abſente Barlamontio rerum potiebatur) vicarium per Provinciam imperium adeptus, ſedem ſibi in arce regiâ apud Leovardios deſtinavit, amotoque Germanorum præſidio, ne quid fæderati molirentur, legionis ſuæ copias arci pro præſidio impoſuit. Mox urbe novo opere firmatâ, ac ſtipendio, quas Adolphus Holſatus circâ Friſiorum fines ducebat, auxiliaribus copijs aſſignato, prohibendis, ulteriore in Provinciam ingreſſu, fæderatis incubuit. Iam enim intellexerat Bronchorſtium Cuneræ potitum copias parare, dubiâque quarundam civitatum fide, Snecenſem populum ſociorum exilijs, & aſpero dominantium imperio offenſum adipiſcendæ libertatis conſilium agitare. Igitur comparatis, quibus militem vehebat, undecim curribus, adſcitoq; in comitatum, & mox Snecam præmiſſo Petro Frittema Senatore regio, ut primarium civitatis Conſulem ſui adventus clàm certiorem faceret, tranſitum ſibi per urbem dari petijt, minuendæque ſuſpicioni ſiniſtræ, ſuburbanis intereà arundinetis militem occultavit. Sed contecta res non manſit. Avocato namque ad captandum ſecretum Conſule, (qui cum præfectis forte civicarum copiarum diem conloquio trahebat) ijdem tribuni ſubeſſe, ut erat, dolum rati, totam per urbem magnâ celeritate ſe ſparſerunt, compertoq; Gaſparum Robleſium ſub ipſa mænia ſuggreſſum, dato ſigno ad arma conclamarunt. Unde clerus periculi metuens, arma, quæ clam pro Robleſio paraverat, omnemque nitroſum pulverem in Curiam portavit, veniamque deprecatus eſt. Robleſius ipſe, ſchlopo, ut ferunt, petitus fremens nequicquam & indignabundus contectam animo iram vultu expreſſit. Petrus Frittema Senator, velut vitæ exſpes, magno animi angore diu preſſus, periculum tandem evaſit, occupandæque, quod dediſſe ferebatur, urbis conſilium, magno ſuarum rerum impendio mercatus eſt.

Robleſij acta.

Sneca tentatur à Robleſio.

Mox Gaſparus Robleſius Snecâ excluſus, cænobium Floridi Campi ſe contulit, datiſque ad Bolſwerdios confeſtim litteris locum præſidio regio modeſtè rogavit. Quibus acceptis Magiſtratus oppidanus cohortium urbicarum præfectos in ædiculam Mariæ Virginis convocavit, litteraſque Robleſij exhibuit. Cæterum tribuni copiarum, Paulus Symorius, Romko Vibenius, Vibius Mollius, & Bernardus Vietor quod ipſo noctis meridie capiendum conſilium non eſſe dicerent, poſtero die ſe reſponſuros ad poſtulata Robleſij fidem fecere, obſeptiſq; interim

terim per manipulos armatorum civium portis, pueros, fæminas, reliquamque imbellem turbam abſtinere publico juſſerunt. Quæ res quia ad Robleſij propoſitum non erat, qui patêre urbem ſibi ac juxta præſidio voluerat, Magiſtratus conſumptâ per curas nocte, ipſo lucis ortu ad Robleſium Legatos miſit, qui referrent: Prævalere intra urbem fæderatos, neque ſuis erga Philippum ſtudijs reprimi potuiſſe civilium animorum motus. Duplicatos quippe vigilum ordines, ac portas manipulis obſeptas, ne quis intrare cum milite queat, præterquam aſſenſu populi, cuius in infælici urbe per diſcordias imperium ſit. Tradunt alij, Magiſtratum oblatum à Robleſio præſidium tacitè reſpuiſſe, animiſq; in fædus propenſum, concordiam civium parem ſuæ defenſioni reſpondiſſe.

cIↃ. IↃ. LXXII.

Robleſio Magiſtratus reſpondet.

Ita Robleſius ſimul Bolſuerdiâ prohibitus irâ tumens, tamen ſecreto odio injuriam tegens, per plana agrorum ſe & militem ſparſit. Tum Leovardiam XVI. Kal. Sept. regreſſus, minax fæderi, & jam animo ultionem expendens in Senatu regio de mittendis Franequeram Legatis conſultavit, quâ in urbe, nihil cæptandum eſſe, præterquam prætentatis civium animis, Senatus regius cenſebat. Quare Robleſius Leovardiam, velut ſedem bello habiturus, commeatu atque annonâ inſtruxit, Prætoreſque per utroſque Stellinguerfios, curare fines ſuos, ac de adventu Fæderatorum, qui circa Cuneram denuò congregabantur, certiorem facere Senatum regium juſſit. Conſtitutis quoque exploratoribus, qui actiones conſiliaque fæderatorum ſpecularentur, ad cænobiorum antiſtites litteras dedit, quibus de ſubminiſtrandâ annonâ hortabatur. Populum etiam Leovardium, ut M. Heymannus notat, novo ſacramento obſtrictum, armari recenſerique fecit, conſcriptiſque quatuor Germanorum cohortibus tributum imperavit. Adeò adventantium fæderatorum fama omnem Provinciam impleverat. Quare Valones qui Stauriæ ac Maccomij præſidia agebant, adeſſe fæderatos rati, Stauriam ac Maccomium deſeruere, abductoque ſecum Henrico vectigalium Conductore, homine opulento, Leovardiam fugerunt, quo & Floridi Campi Antiſtes ſacri ærarij gazam, aurum atque argentum omne, tum pretioſiſſimam ſupellectilem tranſmiſerat. Metuebat namque ne Snecenſes publicè infidi, & novarum partium profeſſione ferventes, excurſionem facerent, cænobiumq; cæteris ferè opulentius, ac magno rerum paratu famoſum, cupidine prædæ expilarent.

Robleſius Leovard. redit.

Robleſius ſcribit ad Antiſtites.

Fuga Antiſtitis.

Ubi verò cognitum Ioannem Bongam virum natalibus, & bello clarum, trajecto navigijs quibuſdam Auſtrini maris ſinu Snecam appuliſſe, intraque urbem magnâ civium concurſatione & applauſu admiſſum eſſe, altior adhuc metus omne confinium pervaſit. Igitur per agros fuga & deſertio palam cæpta, cænobiorumque antiſtites extremo pavore correpti, rebus ſuis aſylum quæſivere. Bonga verò ordinato Snecæ præſidio, ac oppido multo opere, effoſſis Frittemanis prædijs, munito, vaſtandis cænobijs militem admovit, ſtipatuſque trecentorum cohorte Bolſwerdiam progreſſus, deditionem urbis poſtulavit, in qua Hobbo Ottonius vir impenſè Pontificijs addictus, inter cæteros conſulatum, & cum eo imperium gerebat. Qui repulſum nuper Snecâ Robleſium vehementer criminatus, penſandæ velut injuriæ, Bongam quo-

Bonga Snecam venit.

cIↄ. Iↄ. LXXII. que militemque eius arcendum urbe cenſuit, diſpoſitiſque ad portas vigilijs defenſioni ſe paravit. Tum formula novi quoque juriſjurandi perſcripta, quâ mobilem dubiamque civitatem arctiore ſacramenti religione Philippo obligaret. Quare Bonga prolato oppugnandæ Bolſuerdiæ conſilio omni circum pecore abacto, ac Oegano, Ioannitarum & Groendiceno cænobijs exuſtis, Snecam regreſſus eſt, quod oppidum præfervidis in libertatem ſtudijs iſtius parandæ diu conſilium inierat.

Idcircò enim menſe Aprili auxilia Principem popoſcerat, miſſo Dillenburgum Tito Hettingha viro nobili, qui conſcribendi militem, ac occupandæ urbis poteſtatem acceperat. Diploma quod apud gentiles aſſervatur, XVI. Kal. Maï ſignatum. Dein Bolſuerdij animis jam diu à Magiſtratu alieni, & dolore repulſorum auxiliorum concitati, ut exemplum Snecenſium imitarentur, formulam regij juramenti publico igne combuſſere, Horatiumque Buma, & Goſuinum Allartium Staurium, tribunos pedeſtrium copiarum, ut caduceatores evocavere, ut de modo dedendi ageretur. Res in biduum protracta. Itaq; caduceatoribus Slotam regreſſis, qui locus præſidio erat, Ioannes Bonga, eorum, quæ evenerant, ignarus, eadem poſtulata fecit, Bolſuerdijque invito etiam, ut creditum fuit, Magiſtratu urbem Aurantio permiſere.

Titus Hettingha Dillemburgum miſſus.

Ita Bolſuerdia, cujus cives clàm cum Snecenſibus inijſſe ſocietatem dicebantur, in fædus adſcita, cadumque vini Diderico Bronchorſtio, qui Balckij apud Geeſterlandos agebat, miſſum eſt. Mox pulſato campano ære, & omni cive in fanum, quod Martino ſacrum eſt, evocato, populus Bolſuerdicus cum Magiſtratu portâ Snecanâ effuſus, Bronchorſtium recepit, verba faciente Regnero Annio viro Conſulari:

Bolſuerdia fæderi aſſerta.

Bolſuerdienſium Oratio.

EX quo, Diderice Bronchorſti, cum famâ Albanæ ſevitiæ, bellum ſimul, & periculum accepimus, eius etiam imperij faſtidium ad nos devolutum eſt, quod reverenter habere, quamdiu à tyrannide integrum fuit, noſtri majores conſueverant. Vbi verò ſervire, & pati immoderata, inglorium & turpè nobis viſum, conſilia inijmus, quomodo in libertatem reſtitueremur, & nos ipſi uxoribus, liberiſque ſecuritatem pararemus. Cujus ſpem quia in te nobis fecimus, tradimus tibi urbem, non inconſulto impetu, ſed ſacrâ æde, & communibus ſuffragijs connexi. Itaque, quæ noſtræ poteſtatis erunt, ſubſidia, munimenta urbis, muros, arma &, ſi pro libertate ſit, corpora ac ſanguinem habebis, modo ea integra pro virili cures, quæ Philippi Præfectorum vis, atque inſolentia adulteravit. Virtute ac conſtantiâ tuâ multum proficies, cætera à Deo ſperabis.

Ita Bronchorſtius multo nobilium comitatu urbem ingreſſus, lætiſſimi introïtus pompam exercuit. Bonga cum trecentorum militum manu pro præſidio admiſſus, & Horatius Buma Harichius actâ apud Scettanos nocte, poſtridie urbi quoque inductus eſt. Tum reformata religio invecta, depurgatoque ab imaginum ornatu Minoritarum fano Ioannes Ianſonius rem divinam fecit. Magiſtratus quoq; novus, vetere abrogato urbi datus, in quem à Bronchorſtio Geroldus Herama Oldermannus, Dominicus Hottingha, Iacobus Symonius, Petrus Vibenius, Regnerus Annius, Iacobus Iacobæus, Dominicus Tiallengius, Theodorus Occonius, & Paulus Symonius cooptati. Poſt collegij jurati

Bronchorſtius res Bolſuerdiæ mutat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

jurati mutatio ſecuta, omniſque ordo in verba Bronchorſtij juravit. Idem Snecæ factum. Tum Pontificij plerique deſertis conjugibus, liberiſque Leovardiam conceſſere. Quos ut revocarent fæderati, profugorum uxores liberosq́; in cuſtodiam dedêre, velut animo præconciperent redimendis cariſſimis pignorum, perfugas maritos honeſta per conjugum deſideria ſeceſſionem à Robleſio facturos. Ubi verò regium ſacramentum matrimonij fide ſanctius cariusq́; deprehenſum eſt, converſi ad exactiones fæderati, grande tributum captivas popoſcêre. Sed rigidum illud, & proclamatæ libertati minus congruum interveniente propinquorum fidejuſſione ſanatum eſt. Douwonis Heramæ, quod is urbe exceſſiſſet, bona commentario perſcripta. Sacrarum quoque ædium ſupellex longâ annorum ſerie intacta, in tabulas tum redacta, cenſuſque ſacer detectus, religioſi ordinis opes, & ſimul luxum aperuit. Floridi etiam Campi cænobium tum vaſtatum, in actis reperio, præterque abacti pecoris damna, omne utenſile Bolſuerdiam comportatum. Thomam Groningenſem loci antiſtitem in poſſeſſionem muneris menſe Iulio immiſſum, uno ſuorum fugæ comite adſcito Leovardiam ſe contuliſſe, queſtumq́; de vi illatâ, apud Senatum regium juris ſubſidium adverſus autores damni dati nequicquam imploraſſe. Ita graſſantibus Bolſuerdijs, multi familiarium rerum jacturâ impulſi, exitioſa clàm conſilia, & ſimul incendia miſeræ urbi parabant. Quod propoſitum cum ægrius diſſimularent homines, quibus animi ſecretum præceps ultionis cupiditas depromebat, Leovardiæ vulgatum, ad Franequeranos jam pervenerat. Qui propterea datis ad Bolſuerdios litteris de inſtantibus monebant, & eſſe intra oppidum, qui proditionem & incendia occultis artibus moliantur. Similes litteræ ad Bronchorſtium datæ. Quare is relictâ confeſtim Snecâ Bolſuerdiam advolavit, arctâque cuſtodiâ per excubias vigiliaſque militum amovendis malis urbem ſepſit. Reperio Leovardios Snecenſibus hoc tempore infeſtos, ſuburbanum pecus abegiſſe, ipſosq́; Worcomios diſſimulata partium fide, Bolſuerdiâ urbe tanquam aſylo uſos, ſua erga fæderatos odia falſis affectibus velaſſe. Arces quoque ac domos nobilium familiarum Pingumi, Ooſterendæ, Eloſti alijſque in locis disjectas, fæderatumque militem colonis cænobitarum vim & incendia comminatum agrorum locaria, & ſacri ærarij proventus intercepiſſe. Eundem quoque Slotam progreſſum, nominis ſui terrore Lemmariâ hoſtem ſubmoviſſe, ac Coudumum non procul Stauriâ regreſſum preſ byterum ſacra, de more, facientem æde exturbaſſe. Adeò bellum lege adhuc, & diſciplina vacuum, omnem ſecum inſolentiam trahebat.

CIↃ. IↃ. LXXII.

Circa Bolſuerdiam facta.

Leovardij abigunt Bolſuerd. pecora.

Quo animorum civilium æſtu per Friſiam durante, &, ut ſolet, ex ſecundis concitatiore Ferdinandus Albanus geſtarum rerum ſeriem Philippum ad Regem perſcripſit, regique fiduciâ ſuarum virium paulò ante elato, majorem ſollicitudinem incuſſit. Quare Philippus Madrito XIII. Kal. Iul. ad Friſios ſcripſit, ſubſidiaque ardenti jam bello & ſimul auxilia popoſcit.

INtellexi ex Albano prorege meo, quosdam ex rebellibus & imperio meo contumacibus multitudinem coëgiſſe, turbandæque paci oppida quædam per

Friſiam

ꟾↃ. Iↄ. LXXII. *Friſiam occupaſſe. Ea ipſa quoque oppida & municipia igne paſſim ac ferro vaſtaſſe, nihilque omiſiſſe, quod ad explendam ſceleris atrocitatem ſpectaret. Cui rei cum remedium in tantâ rerum perturbatione quærendum ſit, faciam boni Principis officium, daboque operam, ut, quantum res meæ ferent, tantum utilitati veſtræ impendam. Hoc tantum peto, ut impulſas res meas ſubſidijs viribusq; veſtris juvetis. Quod ſi faciatis, clementiæ exemplum, more anteceſſorum apud vos edam.*

Tum Bronchorſtius more mortalium, proſpero fortunæ curſu huc uſque uſus, de adijciendâ victorijs ſuis Franequerâ cogitavit, quam etiam urbem illorum temporum fato, vehementia partium odia adfligebant. Vulgus ut ferè novis rebus facillimum, & quod vento velut ferente cum impetu agebatur, à Philippo animis diſcretum, Magiſtratum verò & primos ferè civitatis veteris ſacramenti memoria, & parti ſub Philippo honores occupaverant. Ita diſcordi civitate capeſcendam conſilij ſui occaſionem ratus Bronchorſtius, trecentorum militum cohortem iſthuc ire, & mox Campanellam Spaniumque copiarum ductores ſubſequi juſſit, caſtraque medio Tzumam inter & oppidum loco metatus, Delegatos in urbem miſit, quibus Magiſtratum ſui adventus, & juxta conſilij certiorem faciebat. Qui metuens ne honoribus dignitatibuſque primum, poſt bonis, ac facultatibus exueretur, recipiendi Bronchorſtij conſilium meditatâ cunctatione trahebat. Itaque plebs moræ impatiens, & ſuſpectam Magiſtratus tarditatem ducens, totam per urbem ſe ſparſit, effractiſque per vim portarum ſeris Didericum Bronchorſtium cum copijs intromiſit. Bronchorſtius Franequeræ locato modico præſidio, & frumentatione per vicinos agros imperatâ annonam procuravit latiſque quibuſdam ſtatutis, quæ ad continendum in fide & modeſtiâ, populum facere videbantur, Bolſuerdiam revertit, ac de mittendis, quam fæderati IX. Kalend. Sept. occupaverant, Stauriam, auxilijs deliberavit. Enchuſâ quippe fæderi adjectâ, ſubmotiſque jam ante proxumo Flevi æſtuario per Titum Hettingham, Vibium Siurtenium ceteroſque claſſium præfectos regijs triremibus, hoc maxumè, neque imprudenter curabat Bronchorſtius, ut tuti in utroſq; Friſios trajectus eſſent, maritimiſque ac limitaneis locis in poteſtatem redactis, omni ex orâ commodè auxilia haberentur. Quare Stauriam vetus oppidum, Ducum olim Regumque Friſiæ ſede, noſtrâ memoriâ Anſeatico fædere, & veteris fortunæ famâ clarum, fugâ regij præſidij deſertum, ſuam fecerat, ac in oppugnando caſtello, quod in Boream portui imminebat, & Valonum præſidio tenebatur, omnem operam collocabat. Unde præter tres cohortes, quas è Tranſlavicanis militares viri ducebant, plures copias expedijt, tormentaque muralia è fæderatis oppidis, Snecâ, Bolſuerdiâ, & Franequerâ advehi juſsit. Quæ cum nullo fere uſui eſſent, quod cicumducti operis murorumque magna craſsities, & firmitudo obſtaret, obſeptis vijs lociſque, quibus commeatus ac annona ſubminiſtrabatur, morâ ac juxta fame conſumere præſidium conſtituit. Quare Robleſius etſi lecto apud Leovardios affixus, regium in arce Senatum habuit, multaq; de ſolvenda obſidione ac mittendis ocyus auxilijs

Bronchorſtius Franeq capit.

lijs propoſuit. Intereſſe namque regis Philippi quam maxumè, ne eâ fœderati munitione potiantur, quam Carolus Cæſar magno ſumptu extrui curaſſet, & quæ magnum Philippi imperio ſtabilimentum adferre poſſet. Reputaret Senatus minores Friſios gentem adverſo littori objectam Aurantio ſe permiſiſſe, majuſque in hac ipſâ Provincia poſt diſcrimen fore, ſi clauſtrum illud æſtuario Flevi, & ſimul continenti impoſitum fœderati occupent, tranſitum in minorem Friſiam ad evocandâ Aurantij auxilia hac occaſione habituri. Ut ea intercipiantur, & ne præſidium fideï tenax, illuſtre exemplum virtutis profeſſum, inediâ aut fame fractum in manus hoſtium veniat, mittenda auxilia eſſe, vel ſe ipſo Duce, apud quem publici commodi potior cura, quam privatæ valetudinis ſit. Cæterum regius Senatus, qui imbecillitatis rationem, ac hoc ipſo rerum incendio Præfectum morbo attritum extrà diſcrimen haberi volebat, alium copijs ductorem ordinavit, comparatiſq; quinquaginta onerarijs navigijs, quibus ceſpitum vectura fieri ſolet, militem impoſuit. Quibus de rebus certior factus Bronchorſtius, qui Bolſuerdiæ otium inter & ſegnitiem agebat, leve quoque Schlopetariorum auxilium Stauriam confeſtim ablegavit, ut hoſtem anteveniret, & ad oppugnandum caſtellum cæteris cum copijs ſe pararet, quod præſidiarij Valones nullo adhuc dedendi conſilio tuebantur. Illi namque perceptâ auxiliorum adventantium famâ, ſocioſq; ac commilitones proxumos lacus navibus emenſos ac in terram jam expoſitos, caſtello ſe effudere, actoque per ſubjectam urbem agmine, cum fœderatis congreſſi ſunt. Quorum terga cum auxiliares hoſtium copiæ ferirent, quas Robleſius Leovardiâ miſerat, & plures numero eſſe fœderati autumabant, errore decepti, & ſimul imbelles in fugam ſe dedere. Tum ſtrages edita, totaque ferme urbs referens rudera, & imaginem adhuc oſtendens antiqui ſplendoris miſerabili incendio conflagravit. Fugientium pars Lemmariam ac Vollenhoam, pars Coudumum ſe recepit, quod à Valonibus una cum Stauriâ urbe opulentâ direptum prædam victoribus opimam attulit. Tormenta fœderatarum urbium in caſtellum devecta. Reperio in notis illorum temporum, omne illud incommodum Nicolao cuidam Bremenſi, quod Ordines ſuorum fœditer deſeruiſſet, imputatum, eundemque vinculis datum, nullâ ferè aut rudi illorum temporum diſciplinâ, impunè dimiſſum. Alij verò in Diderici Bronchorſtij ſocordiam, & quod omne fœderatarum copiarum robur ſimul caſtello non admoviſſet, rejecere. Cives plurimi è ligneis pontibus penduli fœdâ morte ſtrangulati ſunt. Notat M. Heymannus, quadringentos quoque fœderatos etiam deſertâ Stauriâ predæ hoſtium imminentes ad Galedamum cæſos, Valoneſq; paucis deſideratis, & inter eos ſignifero Wibij Gerritij, cuius pectus glande tranſverberatum erat, Leovardiam ovantes redijſſe.

cIɔ. Iɔ. LXXII.

Stauriæ Commoditas.

Stauriæ caſtellum à Fœder. obſeſſum.

Regij obſidionem ſolvunt.

Bronchorſtius interea durante Stauricæ arcis obſidione, ut mari dominaretur, claſſem adornari fecit, eâq; latiſſimis, quæ Friſiam lambunt æſtuarijs immiſſus, regias naves commeatu atq; annonâ inſtructas expugnavit, claſſiarioq; milite in proxumum littus expoſito obſidere Doccomium conſtituit, quod Philippi nomine Renicus Dekama & Cruningius nobiles viri, duabus cum cohortibus præſidio tenebant. Quod

Bronchorſtius claſſem adornat.

 etiam

cIↃ. IↃ. LXXII. etiam oppidum ad Eam flumen in Ooſtergoâ ſitum, variâ & mutabili fortunâ jactatum caſtelli formam ſub Ubbone II. accepiſſe patrij annales memorant, auctiſq; per Lavicam, Eamq; flumina commercijs opibuſq; ſub Adgillo I. in urbem converſum regalium jus ac præſertim cudendæ monetæ uſurpaſſe. Tum à quadringentis & ultra annis, factionum tempore majore curâ munitum, ac poſt à Geldris, dein Burgundis recuperatum, ab Anno cIↃ. IↃ. XXXI. juſtâ pace floruiſſe, donec orto Philippum inter, & Provinciales formidabili bello, de eo oppugando, etſi, inrito conatu, Didericus Bronchorſtius agitaret. Per Gaſparum namque Robleſium Groningâ, ut dixi, evocatum, qui ſigna per Dongrios tractumque littoralem circumducebat, acceſſu littorum prohibitus, ventis veliſq; fortunam recommiſit, ac mutare conſilium coactus eſt. Ex quo factum eſt, ut depulſo Bronchorſtio, Gaſparus Robleſius (abſente ut dixi Barlamontio vicarium per Friſiam imperium gerens) omnem illum agrum vaſtaverit, opprimendæque per oram illam Nobilitatis clandeſtinum conſilium cæperit. Cæterum detecto conſilio parum profectum, niſi quod arces per Dongriam direptæ, omniſque fere ornatus nobilium familiarum, tum aurum & argentum à prædonibus devectum. Scipio Sceltama & Sicco Tyeſſenius, qui in iſtius oræ Nobilitate tum cenſebantur, periculis ſubducti, primo eorum in Amelandiæ inſulam, altero Franequeram amoto, quæ urbs, ut ante memoravi, ſpreto Albani imperio, quod pro Philippo gerebat, partes libertatis ſequebatur.

Robleſius vaſtat Dongriæ tractum.

Stabat tum in anchoris apud Amelandos præſidiaria navis, cui Giſbertus vir Hollandicæ gentis cum imperio præerat, & qui ſexaginta armatos, nomine Gulielmi Aurantij ducebat. Is rejectum Dongrico littore Bronchorſtium ægrè ferens, Scipionem Sceltamam, qui, ut dixi, apud Amelandos perfugerat, ad reparandum Doccomij obſidium ſpecioſis rationibus hortatus eſt. Amotum namq; in mediterranea Robleſium, littuſque patêre aſcenſui obvium, neque quidquam deeſſe, præter animum gerendis feſtinanter rebus paratum. Reputaret Sceltama vaſtatam arcem ſuam, expilatum omne avitæ domus ornamentum, cuius injuriæ ultionem à pulcherrimi facinoris cæpto habere poſſet. Modicum namq; intra urbem præſidium, quod infenſos etiam cives haberet, fæderi pronos, & novis rebus (ut fluxum vulgus eſt) ſe facile daturos, ſi ducem partium viderint, & qui ſuâ ac majorum claritudine imperium cum autoritate gerat. Intus civium, foris Provincialium auxilia fore, quæ ſi paria negotio non ſint, ſibi militem, & claſſiarium eſſe, quorum operâ uti queat. Non ſubminiſtraturum ſe inermium gregem, ſed viros fortes, ac periculis ſuetos, & qui ardua quæque ac moleſta pro patriâ, & fædere non recuſent. Ita Sceltamæ animus evictus, de occupando Doccomio cogitavit. Quare levatis confeſtim anchoris, ſecundante Coro, præſidiaria navis Ooſtmahornam advecta. Ubi triginta claſſiarijs militibus in terram expoſitis, plebs ruſtica per Dongrios & è vicinis locis, ad eius rei famam excita turmatim confluxit., ſacramentumque dixit. Dein coactore agminis ordinato miſtum Provincialibus militem non lento itinere Doccomium duxit, habitoque ad portam cum præſidiarijs conflictu, quo ſuperior Scel-

Doccomium Fæderati invadunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Sceltama fuit, propiùs cum copijs ſuggreſſus urbem occupavit. Præſidia- cIɔ. Iɔ.
rij è quibus novem deſideratos Heymannus Graph. ſcribit, partim celer- LXXII.
rimâ fugâ Leovardiam, ubi Robleſius tum erat, partim in turrim Bo-
nifacij martyris cænobio proxumam ſpe novorum auxiliorum ſe con-
tulere. Tum in ſignum victoriæ machinæ laxatæ, potiorque civitatis *Miles regius in turri obſeſſus.*
pars, quod ante non licebat, amotis obſtaculis ſecretum ſuum profeſ-
ſa in verba victoris juravit. Sacra quoque ac profana loca, quibus mul-
ti ſe occultaverant, curioſè perluſtrata, mileſque hoſtilis ſuo latibu-
lo extractus, arbitrio æqui victoris ſe permiſit. Tradunt alij, qui tam
iniquis turbatiſque temporibus commentarios confecere, eam victo-
rum inſolentiam fuiſſe, ut nec donarijs templorum abſtinuerint. Cæ-
terum mihi alia vivorum teſtimonia ſuppeditata, fœderatoſque omni
moderatione uſos, magnam etiam hoſtium partem clementiâ in victos
pellexiſſe. Itaque in turrim receptis, monachus (is ſolus ex illo ordi-
ne in oppido permanſerat) caduceator miſſus, qui veniam præferret.
Poſtquam ea ipſa, ac juxta periculum contemptui, præter admotas
turri machinas, materies omnis concremandæ altiſſimæ craſſiſſimæque
moli aggeſta, ut metu inſtantium extremorum, ad faciendam loci de-
ditionem, obſeſſi compellerentur. Cæterum infracta militum virtus,
& cedere periculis neſcia, in ferventiſſimis etiam caloribus perſti-
tit. Turris quoq;, etſi à Solis ortu in medium diei arderet, defen-
ſioni ſervata, è quâ obſeſsi miſsis deſuper in fœderatos dicterijs ſaxa
quoque immania, ſchlopoſque jaculabantur. Eo rerum ſtatu metuens
Sceltama, ne quod poſt evenit, tumultuaria agrariorum manus fugæ
ſe daret, recitato per Præconem edicto cavit; Ne quis, niſi de vo- *Edictum.*
luntate Tribunorum Centurionumque urbe egrederetur. Litteras quo-
que ad Didericum Bronchorſtium Franequeram dedit ocyus, in qui-
bus de auxilijs monebat: Subeſſe quippe periculum negotio, & præ-
ter infidas multorum civium mentes, non magnum & fere inerme præ-
ſidium. Triginta quippe tantum claſſiarios, & dein è Dongrijs tu-
multuariam manum accitam, neſciam diſciplinæ, & armorum rudem.

Econtra Robleſium in propinquo, ſparſos per Provinciam & in i-
psâ urbe ſuperbos hoſtes editiſſimâ turre defendi, non periculis, non
terroribus fractos. Perſeveraſſe quippe in ipſis flammis, ac ardore igni-
um, animas citius, quam arma poſituros naturali pectorum robore, &
quod abeſſe non procul auxilia præſumant. Quare nectendas moras non
eſſe, cogitaret Bronchorſtius, omnemque prolationem paratis ſemper
rebus inimicam, vel hoc ipſo diſcrimine maxumè nocituram fore.
Quæ litteræ dum ad Bronchorſtium mittuntur, qui intra oppidum, mu-
nire loca, vallum roborare, crates præſtruere, tantâ laborantium ala-
critate, ut imbeliis etiam ſexus, neceſſario operi induſtriam commo-
daret. Neque enim pueris fæmelliſque largius otium, quin invalidâ
etiam manu, ſudes, ligna, comportarent, canorâque voce velut claſ-
ſico, virorum mentes accenderent. Interim Robleſius eorum, quæ
evenerant certior factus, expedire Doccomium copias, totâque le-
gione quam ex Valonibus conſcripſerat, urbem circumvenire conſti-
tuit, de cuius quoque excidio cogitare nec inveris rumoribus fereba-
tur. Qui ubi Doccomium perlati, tanta conſternatio oppidanos, ac

cIↄ. Iↄ. LXXII. juxta plebem ruſticam occupavit, ut de deſerendâ urbe cogitaturi fuiſſent, niſi ſolatia quædam inanium litterarum eorum fugæ Bronchorſtius interpoſuiſſet. Iſtæ habebant Ioannem Bongam, & Sicconem Tyesſenium cum ſuis cohortibus iter ingreſſos, citum agmen ducere, adturos propediem.

Quare tum pavor in fiduciam, mæror in gaudium converſus, quo ignaræ futurorum mentes nullo diſcriminis metu ſe compleverant. Cæterum poſtriduanus dies ſecuritatem fæderati populi, & ſimul fortunam urbis invertit. Poſtquam enim tardius, quæ Bronchorſtius promiſerat, auxilia adfuere, quingenti pedites ipſo noctis obſcuro Leovardiâ emiſſi, Doccomium perrexere, poſitiſque ad emiſſarium vetus, per quod Ea flumen aquas laxat, caſtris, tormenta mox in urbem laxavere. Tum timor ingens oppidanis incuſſus, fletuſque ac ejulatus muliebres compreſſo gaudio auditi. Quare ne planctus fæminarum puerorumque viris obeſſet, calorq; in pugnam ardeſcentium, miſeratione proſtrati in terram ſexûs langueſceret, fæminæ omnes domum abſcedere juſſæ, amotâque imbelli turbâ, civis mileſq; defenſioni urbis ſe paravit. Ita ad manus ventum, cominuſque acri pugnâ certatum, tam egregio virtutis per oppidanos experimento dato, ut hoſtes pedem referrent, eſſeque in tuto fæderatorum res viderentur. Poſtquam verò urbis ac portarum cuſtodia laxior, tum agrarij quique per temulentiam ſocordes, & ad pericula pavidi duarum partium, & tacitis odijs gravem urbem reliquere, proſpera omnia fædiſſimus ſignorum deſertor invertit. Occupatâ namque, quâ plebes ruſtica profugerat, per hoſtem portâ, civium quoque acies inclinavit. Quæ tepidiore ſenſim ſanguine ubi in fugam abreptos ſocios intellexit, ſpem ſervandæ urbis excuſſit, ordineſq; deſeruit.

Docomium Robleſius invadit.

Ferocia hoſtium.

Tradit Henricus Bra milites illos, qui in turrim, ut ante memoravi, ſe receperant, commilitonibus ſuis indicium fugæ ruſticæ feciſſe, viſoque civium languore deſertâ turre victoribus ſe ſociaſſe. Tum ſtraminea faſcia pileo adfixa, teſſera cædi data, quam ſexaginta equites, qui cito agmine Groningâ advenerant, enormi ſævitiâ auxere. Trucidatis namque plurimis, qui arma ferebant, ætati quoque nec ſexui ferè parcitum, ſaucio truncatoq; corpore per vicos ſparſo, & multo ſanguine in præfluentem Eam effuſo. Tum cæde ipſâ pejus incendium eluxit, multique, qui fugiendo ferri periculo, in domorum culmina ſe contulerant, nidoribus fumiſque ſubtus ardeſcentium ignium depulſi in manus crudeliſſimorum hoſtium venerunt. Ferunt ſeminudos adhuc & valetudine languidos, tum puerperas cum infantibus in publicum productas, communis periculi ſortem expleviſſe, ipſumque Robleſium, iræ immodicum de delendâ ferro, ac flammis urbe cogitaſſe. Sed cruentis eius conſilijs, ſola, qui Leovardiæ erant, exulum interceſſio tum obſtitit. Quare juſſum imperatumque militi, ferro parceret. Poſtquam illud vario ſanguine pollutum in vaginas reconditum, tum licentia rapinis data, poſteriora quoque ſcelera patefecit. Itaque fœdæ cædi, & flebili incendio miſerrimæ etiam urbis ſectio acceſſiſſet, niſi adventantium copiarum advolans rumor, quas fæderati ducebant, ab ulteriore nocendi decreto ſanguinarium Valonum gregem revocaſſet.

Doccomium capitur.

ſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ſet. Urbs in medijs flammis deſerta, relicto tantum in præſidio, cum centum & quinquaginta armatis Montjoio. cIↄ. Iↄ. LXXII.

Interea fæderati, ductoribus pedeſtrium copiarum Ioanne Bonga, & Siccone Tyeſſenio, ad tertium ab urbe lapidem noctem agebant, criminatiq; tarditatem ſuam, & ſociorum ſimul fortunam Valones operiebantur. Qui propterea refocillatis ſomno ac alimoniâ militum corporibus, victores & incendiarios aſſecuti, in ripâ Eæ fluminis non parvâ ſtrage fuderunt, prædâque ſpoliarunt. Cæteris non auſis reſiſtere præceps fuga profuit, quâ palantes, & ſparſi Leovardiam rediere, ubi Robleſius magnarum rerum conſilia animo verſans, ad IV. Kal. Sept. conventum Ordinum indixerat. Ea lanienæ iſtius vera facies fuit, quam jam ante prævisam in illius temporis commentarijs fidiſſimus teſtis Henricus Bra annotavit. Quare nocturnos rumores, & ungularum pulſationes, hinnituſq; equorum auditos, viſaque jam ante incendia commemorat. Fama fuit, Giſbertum, de quo dixi, Hollandum iſtius expeditionis auſpicem, recedente æſtu in vado Lavicæ amnis poſt circumventum, naſo auribuſq; mutilatum, dein confoſſum fuiſſe, quod Gerardum Doccomienſem hominem impensè regiæ parti deditum à Douwone Glinzio viro nobili captum, maloque navis adligatum glande plumbeâ confeciſſet. Glinzium ipſum mari res infæliciter gerentem, ac hoſtibus traditum porrectâ percuſſori cervice glorioſam mortem Groningæ oppetijſſe. Tum Robleſius coacto Ordinum conventu, ad quem ex Ooſtergoïs Gerardum Iacobi, Antiſtitem Clarecampenſem, Sceltonem Sceltama, Gerbrandum Aytam, Heronem Burmaniam, è Weſtergoïs Ioannem Geelmuydanum, Preſulem Lidlumanum, Edzardum Grovenſteinium Sceltonem Lyauckamam, Martinum Nitzenium, Sceltonem Tiardam, è Sylveſtribus Fredericum Occonium Paſtorem Oelanum, Annam Tarquinium, & Tinconem Andringham, ad VIII. Kal. Sept. evocaverat, multa præfatus, tributa per Provinciam popoſcit.

Robleſius Conventum habet Leovardiæ

Jam diu quippe perſpectam fuiſſe erga Philippum Regem fidem atq; induſtriam ſuam, cum in comprimendis rebellibus, tum in conferendis de ſuo in publicum pecunijs. Cæterum nunc belli mole per Friſiam ardeſcentis exhauſtum, ſine majoris tributi ſubſidio opitulari rebus labantibus non poſſe. Ingreſſum quippe Provinciam Bronchorſtium tria mox oppida, ſedem bello, fæderi ſociaſſe. Exin ne ſolâ Weſtergoâ ſe concluderet, Doccomium urbem portu commodam ſuam feciſſe, jactoq; ibidem magnarum rerum fundamine, duo prælia non ſine utriuſq; partis clade ſuſtinuiſſe. Fæderatos intra ipſa urbis mænia, ſuos ad Eam flumen deletos, neque dubitandum eſſe, quin atrocius poſt bellum cæſorum manes pro inferijs exacturi ſint. Quod ut veris robuſtiſque in poſterum nervis trahi queat, non ſupplementis tantum imbecillium copiarum, ſed novo milite, & adhoc pecuniâ opus eſſe, ſine quâ nulla temporum ætas magnum aliquod & memorabile geſſiſſet. Eius penuriâ licentiam militum, contemptum diſciplinæ ſuboriri, bellumq; ipſum languore quodam & ſegniter tractum velut marcore, aut tabe ſuâ deficere. Quod ne deſerere magno Philippi damno, ac infamiâ regij imperij cogatur, impulſas ærarij res grandi tributo levandas, ſine

Oratio Robleſij.

CIↃ. IↃ. LXXII. quo nec bellum geri, nec quies populo Friſico eſſe poſsit. Hæc fere Robleſius. Cæterum Ordinum nomine, qui comparuerant, auditis Robleſij poſtulatis, tempus deliberandi petiere, eoque, ut præceps Robleſius erat, negato, in hunc modum reſponderunt.

Reſponſio Ordinum. Nec Statum exhauſtæ Provinciæ nova onera, nec mobiles per Provinciam hominum animos nova tributi imperata ferre poſſe. Vaſtatam enim armis jam diu partium miſerrimam patriam, tum fluctibus maris immerſam, gravem annonam, & vix alendis familijs parem accepiſſe. Itaque curandum quam maxumè, ne omnium rerum inopiæ, recens malum exactio Tributi accedat, exacerbandis illorum ingenijs, quibus omne immoderatum moleſtum eſſet, & qui per exempla edocti, expendere Præfecti imperia, & juxta conſilia conſtituent. Eſſe enim in populo non tantum, ſed & in Ordinum conſeſſu, qui exigendas potius veteres accepti expenſique tabulas, quam gravandam Provinciam novis exactionibus, cenſeant. Ærarium etiam ipſum tot annorum tributis auctum ſecreta diſpendia pati, converſis in alios uſus populi pecunijs, & promptiſsimâ largitione. Ita centum & viginti octo aureorum millia, non aliâ lege dependiſſe, quam ut amotâ ulteriori exactione, ingruente bello, aut aliâ gravi neceſsitate, infælici patriæ ſanctius ærarium ſubveniret. Quapropter durum eſſe obliteratâ recentis liberalitatis memoriâ, novis adhuc tributis Provinciam gravare, regiumque militem adæſis per luxum ſtipendijs, per agros vagari privatorum poſſeſsionibus & domeſticæ quieti gravem. Quæ incommoda cogitaret Robleſius Caroli Cæſaris actis, ac libertati adverſa, quâ ſi redonare Friſiam poſsit, inteſtinis armis commotam, non defuturos Ordines adhibendis novæ temporum fælicitati fomentis. Paratos interim, in ſpem publicæ pacis tranquilitatiſq; 24000. aureorum, quinq; cohortium ſtipendijs, intra trimeſtre aſsignare, cæteraq; facere quæ ſuæ poteſtatis, & debiti in Regem officij eſſent. Ita Ordinum nomine Scelto Scheltama, Valerius Cammingha, Scelto Liauckama, Edzardus Grovenſteinius, Hero Burmania, Hector Abinga, Martinus Nitzenius, Gerbrandus Ayta, & Scelto Tiarda reſponderunt.

Tum Robleſius dolore repulſæ, ac reſponſo Ordinum turbatus, ad ſueta bellorum converſus eſt, hoſtiliumque animorum faces, inſtar erratici ignis, per omnem Provinciam luxere. Quare & per Dongrios, direpto incenſoq; Doccomio, non ruſticæ tantum plebis civiumque, cæterum & religioſi ordinis notata, qui inter arma ne ſacris quidem ſeceſsibus lociſq; ſe tuebatur. Invenio in actis Henricum Keſſelium, Doccomienſium Præſulem, cum cænobij, quod, D. Bonifacio erectum erat, primoribus Leovardiam ſe contuliſſe, uſumque multorum præſulum, qui iſthuc confugerant, converſatione in ſpem melioris tutioriſque fortunæ, ſub armis Robleſij latuiſſe. Eundem quoque Keſſelium ob intuta temporum, cuidam Taconi Haringio, qui Prioris titulo cænobio inter-erat, conferendi ſe in Omlandiam veniam feciſſe, mutandæq; habitus poteſtatem conceſsiſſe. Adeo publicæ privatæque res, in tanto diſcriminum metu, neceſsitatis imperio ſubjacebant.

Advenerat jam in Friſiam, cum ſeptem Germanicarum cohortium auxilijs, IV. Eid. Sept. Iuſtus Scouwenburgius. Qui Snecæ magno ci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

civium applauſu exceptus, obvias populi gratulationes in omen proſperi, ac fælicis imperij vertebat. Neq; abſimile ſtudium alijs in locis, ſed præſertim apud Franequeranos ſibi augurabatur, quo contendere, ut aulæ ſuæ ac juxta bello per Friſiam ſedem figeret, omni cum aulico comitatu & præſidio militari parabat. Sed itineri accinctum novæ Præfecturæ negotia Snecæ attinuerunt. Itaq; datis confeſtim litteris fæderatarum civitatum Legatos Snecam evocavit, ut de poteſtate ſibi ab Aurantio aſsignatâ è diplomate cognoſcerent, quod regium Philippi nomen declinandis illorum temporum odijs adhuc præferebat. In eo namque prædicabat Aurantius, non aliâ de cauſa ſuſceptum à ſe bellum eſſe, quam ut à Ferdinandi Albani, & Hiſpanorum immani dominatu populum Belgicum liberaret, omniaq; gentis jura, & immunitates à majoribus integras, incorruptaſque aſſereret. Ita tot annorum curas, & impendia principem animum ſuſtinuiſſe, eoq; tandem propitiâ divini numinis ordinatione rem perductam, ut plurimæ per Brabantiam, Hannoniam, Hollandiam & Zelandiam urbes, excluſis, aut ejectis præſidijs, libertatem amplexæ ſanctiſima, & cariſſima quæq; pignora ſuæ fideï commiſerint. Et quoniam comperiſſet gentem Friſicam peregrinæ dominationis inſolentiæq; pertæſam, cupidine quoque potiundæ libertatis ferri, ac auxilia rogare, idcircò Iuſtum Scouwenburgium affinem ſuum virum militiæ egregium, & multo rerum uſu exercitatum in Friſiam miſiſſe. Qui quoque ut effectum dare idipſum commodius queat, poteſtatem eï feciſſe contrahendi copias, ut ijs adjutus commodare auxilium poſſit libertatis deſideria profeſſis. Tum ne miles ſtipendia per Friſiam faciens, aut poſt autorandus licentiæ proximus, & ſine diſciplinæ ſit metu, eidem Scouwenburgio jus atque autoritatem dediſſe, tam autorandi, quam recenſendi, & corrigendi milites, cæteraque curandi, quæ è commodo ac uſu publico videbuntur. Rogare ſe propterea Conſules, Scabinos, Rectores urbium, cives, ſinguloſque Provincialium, tribunis verò militique mandare ut morem eï gerant, præſtentque ſubſidia deſideratæ diu libertati opportuna. Diploma in caſtris ad Aldkerckam Geldrorum Prid. Eid. Iul. perſcriptum. Quo perlecto Snecenſes cæterique fæderatorum legati voce acclamarunt, Iuſtuſque Scouwenburgius Propræfectus majoris inter Flevum Lavicamque Friſiæ renunciatus eſt. Aurantius ipſe, ſive quod proxumas majoribus Friſijs ditiones Philippi nomine trans Flevum teneret, ſeu quod ex pacto cum Carolo IX. Gallorum rege Lutetiæ inito Friſiam ſortitus eſſet, potius ſibi per Provinciam imperium reſervavit. Tum Scouwenburgius, juramento, quod ipſe dixerat, à fæderatis civitatum Legatis accepto, relicta Sneca Bolſuerdiam contendit, magnoq; rerum apparatu una cum Diderico Bronchorſtio per Arenariam portam urbem ingreſſus, in Heramæa arce conſedit. Bronchorſtius ſubdelegato poſt Scouwenburgium imperio uſurus Iongamæa ſe clauſit. Ubi dum bellum ſegnius trahunt, Gaſparus Robleſius, cuius ſpem jam ante præconceperat, occupandæ Franequeræ conſilium admovit. Quare præſidiario milite Harlingâ clam evocato, medio ferè Septembri, naves quaſdam cohortibus peditum complevit, ac Franequeram ablegavit, quam

CIↃ. IↃ. LXXII.

Scouwenburgius Præfectus.

cIↃ. IↃ. LXXII. quam non numeroſo præſidio, quod Bronchorſtius ibi poſuerat, fæderati tuebantur. Robleſius præſidiarios Harlinganos dato ſigno ad occidentem, cæteros, quos Leovardia miſerat, ab ortu oppugnare urbem juſſerat. Cæterum obſeptis undiq; aut oppilatis rivis, per quos aditus ad urbem non patebat, inritum omne negotium fuit, copiæq; Valonum Aengiumano ac Lidlumano cænobijs, tum Berlicomio vico tumultuario opere circumducto, ijs in locis præſidia egere.

Igitur Robleſius ſpe ſuâ fruſtratus, ut Bolſuerdiorum naves, quæ ſtationem in portu Maccumano habebant, diriperet, ac annonæ, quâ maxumè premebatur, conſuleret, adornatis Harlingæ liburnicis militem impoſuit, Maccomiumque devexit, quo & Iuſtus Scouwenburgius, perceptâ iſtarum rerum famâ, ſexcentos quoque pedites Bolſuerdiâ amandaverat. Quorum adventu territi Valones in altum ſe receperunt, regreſſiſque Bolſuerdiam Scouwenburgicis, mox littus prælegentes naves deprædati ſunt. Emiſſarium ipſum depreſſis per onera navigijs obturatum eſt.

Legatio ad Aurantium Dein Scouwenburgius Bolſuerdiam novâ munitionum formâ circumſcribi fecit, habitoque Senatus oppidani conventu Dominicum Hottingham, & Iacobum Iacobæum ad Gulielmum Aurantium Hornam in minores Friſios miſit, qui de ſtatu urbis rerumq; per Friſiam referrent, auxiliaque orarent. Quæ cum ad manum Aurantius non haberet, Gallici furoris interventu, & univerſi exercitus miſſione debilitatus, ſolam ſpem præſtandi ſubſidij fecit, Legatoſque dimiſit.

Fama traditum eſt Tiallengum Eyſingham virum Nobilem, & juris ſcientiâ eximium Ludovici Naſſovij expeditionis, & fortunæ conſortem Veſaliæ Clivorum in exilio tum agentem, auditâ Galliæ lanienâ perturbatione mentis concuſſum, nefarijque ſceleris indignatione apoplexiâ, quod de Philippo Burgundo Meierus ſcribit, correptum, repentinâ morte exſpiraſſe. Tum Iuſtus Scouwenburgius reſponſo Legatorum accepto, & ordinatis Bolſuerdiæ rebus Franequeram properavit, ingreſſuſque urbem, victoris magis, quam recentis præfecturæ fortunâ uſus eſt. Miles quippe modeſtiæ, aut diſciplinæ nullius retinens, ac in omnem inſolentiam effuſus, rapinis urbem & juxta imperium Præfecti fœdavit, ſuburbanis locis fædo incendio vaſtatis. Unde multorum odijs expoſitus, metuenſque conſpirationis, regiæ partis pleroſque edicto urbe expulit, bonis eorum, niſi ſaniora conſilia induerent, fiſco adjudicatis. Cæteris Pontificijs, arma detracta ſunt, ipſeque Scouwenburgius perdomatâ urbe, & validiore præſidio impoſito Siardamea arce ſe tutatus eſt, in quâ Sedem imperio, & ſimul Præfecturæ deſtinabat. Mox miſſo in Geeſterlandiam, ac Stellinguerfios milite crates gerraſque muniendis locis comparari juſſit, Bolſuerdijſque præcingendorum firmo opere mænium curam impoſuit.

Senatus Scouwenburgij. Senatum quoq; Provincialem tam dicundi juris causâ, quam ne rude imperium peregrinis arbitris ſtaret, Franequeræ conſtituit, Haringumque Glinzium Ripenſem virum Nobilem & eruditum, Præſidem iſtius Ordinis autoravit. Præclaros quoque viros & peritiâ legum eximios Barthium Idzardam, Econem Isbrandum, Fecconem Rhalam collegas eï adjunxit, Fredericumque Inthimam Iureconſultum procura-

ra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ratorem fiſci deſignavit. Mox Bolſuerdiæ, quæ tum octo pedeſtrium cIↄ. Iↄ. cohortium præſidio tenebatur, edictum recitari fecit, tribunoſque LXXII. copiarum, ut & militem ſarcinas colligere, ac extemplo ad ſigna convenire juſſit. Cæterum miles, ſecreto, ut creditum fuit, centurionum inſtinctu ſtipendia, & reſiduum æs contumaciæ obtendens, ſeditioſis conſilijs occupabatur, metumq; direptionis omnium animis inferebat. Quare Magiſtratus litteras Franequeram ad Scouwenburgium ocyus dedit, quibus remedium orabat ſedandis militum animis conveniens.

Itaque Scouwenburgius quatuor cohortes Bolſuerdiâ Ripam, ubi *Conflictus partium.* ſtativa caſtrorum poſuerat, evocavit, ſeditioſamque multitudinem ex inſtituto veteri locorum ſpatijs diſcrevit. Caſtra verò quæ Ripæ tantum ſex cohortium habebat Scouwenburgius, ut luxu diffluebant, ita nullis ferè excubijs vigilijſq; aſſervabantur. Quippe miles potare, aleam ludere, & ſomnum ducere, Præfecti procul ſignis pavidi & incertes ſuffugia periculis facere. Itaq; Valones, cito agmine Berlicomio, ubi præſidium tenebant, egreſſi, in ſomno ac luxu graves Scouwenburgicos impetum fecere, pugnâque tumultuariè commiſſâ, caſtris exutos in fugam dedere. Cæſorum par ferè numerus, gloria diſpar fuit, Valoneſque prædam, quam nacti erant, & ſimul cadavera ſociorum Berlicomium devecta, ſepulchrali honore terræ mandavere.

Heymannus notat Tiallengum Andringam virum nobilem iſto conflictu cecidiſſe, ſparſaſque ignobili fugâ in diverſa cohortes ſub ipſos Bolſuerdiæ muros ſuggreſſos, fædi pavoris ignominiâ, & per nuperæ ſeditionis memoriam urbe prohibitas cænobium Oeganum expilaſſe.

Mox ſacrâ ſupellectile ſtipendijs applicatâ eoſdem Scouwenburgicos non petita miſſione, exleges & ſacramenti oblitos omni vi ac inſolentiâ perpetratâ Cuneram perfugiſſe. Ita defectione imbellium copiarum Scouwenburgici exercitus robur enervatum. Quâ re perceptâ Iuſtus Scouwenburgius inter luxum, & epulas tempus apud Franequeranos trahens, metuenſque ne Valones victoriâ elati Snecam aut Bolſuerdiam occuparent, ad Didericum Bronchorſtium & Titum Hettingham, qui Snecæ præſidium tenebat, ocyus litteras dedit, quibus fidelem locorum cuſtodiam imperabat. Quamobrem Bolſuerdiæ militaribus vigilijs excubiæ civium commiſtæ, copiarumque reliquiæ, jam ante Ripâ fugatæ, tutandis ſuburbanis locatæ.

Bronchorſtius quoque ne Valones circumjacentia loca munirent, commeatumque aut annonam urbi præcluderent, cænobium Floridi Campi, quod in ortum Solis æſtivum ſitum eſt, diripi fecit, ſeditioſamque & infidam multitudinem factâ prædandi veniâ placavit. Tum Scouwenburgius, etſi torpido otio, & diurno luxu attineretur, more eorum, qui commeſſationibus conſilia belli immiſcent, tribunos militarium cohortium in Siardamæam arcem VIII. Kal. Nov. convocavit, eoſque hoc modo allocutus eſt.

Res noſtras, Commilitones, non parum acciſas Ripenſis clades, & flagitioſæ, quæ Cuneram petijt, multitudinis deſertio fecit. Reparare collapſa, quam tueri parta majoris ſemper gloriæ apud fortes viros fuit, quibus animus ex periculo increvit. Nec detrimenta cladis iſtius *Scouwenburgius convocat tribunos.*

V tius

CIↃ. IↃ. LXXII. *tius tantum recenſeo. Spectate ſocios veſtros eadem ſacramenta vobiſcum profeſſos, campis diſparſos jacere, & inhumata cadavera tabo ſquallentia; vulnerumque notis deformia longiorem vobis ignaviam exprobrare. Virtute ac animis, Commilitones, opus eſt, ut mearum rerum fortunam reparetis; ſociorum verò manes cæde hoſtium ultum eatis, quos non magno numero Aengiumano Cænobio conſeptos vobis oſtendo. Expedito itinere opprimetis imparatos, ac nuperâ proſperitate ſecuros.*

Itaq; tum præſidiarij juſto agmine in cænobium Aengiumanum non ſegni itinere effuſi ſunt, congreſſiq; cum Valonum cohorte, ducentos ad internecionem delevere.

Scribit fidus autor vix ſuperfuiſſe, qui editæ ſtragis nuntium ad ſocios perferrent, cæteroſque Valones præſidium Berlicomij habentes, metu ferè exanimatos Leovardiam confugiſſe. Victores Scouwenburgici Franequeram regreſſi, quod oppidum ut gravi tum præſidio, ita annonæ quoq; penuriâ premebatur. Quapropter Scouwenburgius comparatis ad id navigijs, amotoſq; Leovardiam Valones ratus, in Biltanum agrum progredi copias juſſit, frumentationemque militi imperavit. Ubi verò obſeptos per hoſtem viarum aditus idem miles intellexit, omiſſo frumentandi conſilio, pavore correptus pedem retulit, ac in urbem ſe recepit, nuperæque victoriæ decus in eodem loco, quo quæſitum erat, turpi fugâ fædavit.

Heymannus notat, partium manus eo quoque tempore commiſſas, ac ducentos ſchlopetos à fugientibus Scouwenburgicis projectos Valonibus obveniſſe. Tum Franequerani omiſſis in remotiora expeditionibus domeſticæ ſecuritati conſuluere. Itaque miles per Provinciam ſparſus in hyberna paſſim reductus eſt; ac Franequera Præfecti & juxta belli primaria ſedes amplo præſidio firmata. Cui rei aſperum vel maxumè gelu v. Eid. Octob. flante Cæcia, dein Euro ſurgens cauſam dedit. Tanto quippe & tam immani frigore adultum autumni tempus deſævijt, ut tentoria militem non ferrent, ulliſq; operimentis ab ambientis injuria corpora præſervarentur. Quare continui frigoris intemperie fluens aër moleſtiam militi, civi verò periculum attulit, quod poſt ſolidiſsimam glaciem cælo deciduæ altiſſimæ nives auxerunt. Opertis namque foſſarum inciliumque cavitatibus Euri vehementiâ muris urbium adjecta nix, adſurgentes clementer colles, & ſimul metum adferebat, qui ſparſis de adventu Robleſij rumoribus Franequeram per urbem magno tum terrore graſſabatur. Igitur Senatus Oppidani Edicto, quod Scouwenburgius ſuaſiſſe credebatur, omnis foſſæ urbicæ glacies tranſverſim ſecta, collectæq; hauſtris aquæ, dein prærupto valli adjectæ inibique concretæ, glabritiem ſimul & ſecuritatem ab hoſtibus dedêre.

Scouwenburgius mittit ad Aurantium. Tum Scouwenburgius longioris moræ incapacem rerum ſuarum anguſtiam reputans, mittendos denuò, etſi mediâ brumâ, ad Aurantium Legatos cenſuit, qui auxilia rogarent. Quare è fæderatâ nobilitate populoque Franequerano Serapius Galama, Iulius Bottnia, Siuckius Emingha, & Sibrandus Richæus Iureconſultus deſignati. Qui acceptis Iuſti Scouwenburgij ſociorumque fiduciarijs litteris Bolſuerdiam profecti

tabulas

tabulas mandatorum ſignari per Bolſuerdios fecere, adſcitiſq; in comi- cIↃ. IↃ.
tatum eius urbis, ut & Snecenſium, primarijs viris, conducto Mac- LXXII.
comij navigio Enchuſam adpulere, littora majoris Friſiæ contra ſitam. Deïn facto per glaciem (adulta namque hyems erat) pedeſtri itinere Harlemum perrexere, quo in loco Gulielmus Aurantius momenta rerum verſabat. Quo pro more ſalutato fiduciarias litteras legati exhibuere, ac Sibrandus Richæus vir inſignis & juxta facundus, hunc in modum diſſeruit.

De conditione ſuorum temporum queſti ſæpe plurimi, Princeps, ſed privatis querelis, ac muliebribus lamentis ægritudinem publicam non ſanavere. Namque quod alij direptas domos, exuſtas villas plorent, privatis damnis dedere, non verſis animis in publici diſcriminis contemplationem. Prudentiores verò quique poſtpoſitâ rerum familiarium jacturâ patriæ juxta ſuæ, & avitæ, in quâ nati eſſent, libertatis curam habuere, ne quid ea mali per civiles diſcordias, aut vim externam pateretur. Hac ratione ab exceſſu etiam Philippi regis in Hiſpaniam ſub Arembergio Præfecto cæteriſque extiterunt, qui Epiſcopi ac Inquiſitorum ordinationibus obloquerentur, nobilique virtute arma armis opponerent. Ab eo tempore variâ fortunâ habiti Friſij ſumus, quos in quantum Scouwenburgij ac Bronchorſtij adventus erexerat, tantum Doccumanæ Stauricæque clades nos depreſſere. Quas reparare noſtræ poteſtatis non eſt, Princeps, nedum retinere quod noſtrum per arma fecimus ſine auxilijs, quorum cauſa hæc Legatio inſtituta. Nam plures copias per Provinciam colligere, ut nec tutum, ita ærarium, & impulſæ res non ferunt, quas rapinæ hoſtium, & infeſtum fluctibus mare exhauſit. Iſtis malis defectio cohortium acceſſit, quæ ſacramentum, & ſimul Friſiæ terminum tranſgreſſæ animos perfidos alio terrarum, atque ſigna verterunt. Quæ niſi ſuppleantur ocyus, Princeps, de patriâ noſtrâ actum erit. Eius rei teſtes noſtras & ſimul Iuſti Scouwenburgij affinis tui litteras exhibemus, ne videamur famâ auxiſſe periculum, & noſtræ imbecillitatis iniqui æſtumatores eſſe. Cæteri mortales adverſa ſæpe ſilentio texere, nobis proſpera tacentur, quoniam omnium rerum, maxumè autem auxiliorum egentes ſumus. Quæ ſi procures Princeps, ſpe melioris fati nos donabis, mori paratos non ſervire.

Cæterum Aurantium ut ante Gallici fæderis triſtiſsima concuſsio, ita *Infructuoſa Legatio.*
tum hoſtium res proſperæ, fuga quoque & deſertio Gulielmi Bergenſis incapacem mittendis auxilijs faciebant. Quare Scouwenburgius habere intra Provinciam delectus conſtituit, datiſque ad Bolſuerdios litteris, de conſcribendis ocyſsime equitum peditumque copijs velut extremi periculi remedio hortatus eſt. Modum quoque cogendi auxilia non ineptè perſcripſit, quo è gente aut familiâ ſuâ fæderata nobilitas, & potentiſsimi agrariorum cogere, ac armare ruſticæ plebis delectos jubebantur. Tum de tributis addidit, quæ nobili viro Edoni Heringæ & Iacobo Iacobæo ærarij tribunis pendi ocyus jubebat, quod ſine ijs magnarum rerum, quas animo agitaret, inritos conatus duceret. Quibus omnibus Vibrandus Aylva vir clarorum natalium, & Snecenſium Oldermannus, fidem in Senatu faciebat, ac duas equitum turmas apud Scotanos in Sylveſtribus fæderatæ militiæ, adſcriptas menſtruo ſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXII. pendio autorandas eſſe. Rationes quoque eius rei in ærarium perferendas, ne quis defectioni ſeditionique locus eſſe poſsit, & ne bellum ſine diſciplinâ habeatur, perennitatis & boni ordinis cuſtode.

Quod poſtulatum Scouwenburgij approbaſſe Bolſuerdios reperio, pactumque eâ de re inter agrarios fæderatoſq; oppidanos initum, ſubſcriptione publicâ roboratum fuiſſe. Sed ut nihil conſtans ac ſtabile in rebus humanis, ita concordiam fæderis, & ſpem ſurgentis Reipub. Iuſti Scouwenburgij perfidia concuſſit. Qui cumulato grandi per Friſiam tributo, ſex cohortibus peditum ſtipatus, deſertâ velut in incendio Franequerâ Maccomium duxit, novoque ibi & tumultuario opere inchoato per Worcomios tendens ſigna Sylveſtribus intulit, ac ſi equitum, de quibus dixi, turmis adjutus, de obſidendâ Leovardia Provinciæ metropoli, aut magnarum rerum cæptandis conſilijs cogitaret. Neque aliud plenæ fiduciâ hominum mentes ſuſpicabantur, cum is relicto Bolſuerdiæ in præſidijs Diderico Bronchorſtio Nedermormterio, Franequeræ Docone Martna, Snecæ Tito Hettingha, Præfecturæ ſuæ & muneris deſertor, poſt graviſsimas exactiones inſtar fugitivi, deceſsit. Direpta cohortium vexilla, & militum in diverſa ſe ſpargentium furor parvo ære redemptus eſt. Ipſe inglorius, & diffiſus etiam ſuis, celerrimo equo per Tencteros vectus, nocte illuni in interiorem Weſtphaliam ſe abdidit, paſſurus alias diſcrimen, ac enormis perfidiæ illuſtres pænas daturus. Cuius fædum è Provincia diſceſſum magna rerum per Friſiam mutatio ſecuta. Gaſparus namque Robleſius de fuga Iuſti Scouwenburgij certior factus, relictis mediterraneis ac Leovardia urbe, copias Harlingam confeſtim duxit, poſitoque ibidem pro ratione loci præſidio cohortes aliquot Valonum Maccomium præmiſit. Erat apud Gaſparum Robleſium Harlingæ tum vir magnæ autoritatis Hector Dekama, qui minus fæderi æquus Philippi, & Præfectorum partes procacibus ſtudijs ſectabatur. Is datis Harlinga ad Dominicum Hottingham Oldermannum Bolſuerdiam litteris urbi excidium denuntiavit. Eſſe pleriſque cum copijs in armis Robleſium, cuius arbitrio niſi ſe permittant, eum pro lubidine more victoris acturum. Ita cogitarent Mechliniam, Zutphaniam, ſocias fæderi urbes, regijs nuper armis expugnatas, direptioni, cædi & infælicibus flammis patuiſſe. Neque aliud Bolſuerdiæ urbi inſtare, quam ut eadem lege habeatur, tum demum miſerationem victricis dexteræ imploratura, cum revocare animos manuſque à cæde præceps furor non permittat. Suadere itaque deditionem faciant, quam maturrimè, quod eâ ſolâ declinare periculum queant, miſeræ urbi decretum. Quibus litteris recitatis, ac in vulgus ſparſis affectibus immodicum, magna conſternatio totam urbem frequentavit. Fuere, qui per puerorum fæminarumque lamenta & ejulatus lachrymas profunderent, conſulenteſque publicæ ſecuritati Robleſium honeſta legatione exorandum, & tempeſtivis blandicijs cenſerent. Igitur decreto publico Botto Gellius, Hobbius Douwonius, Legiſperitus, Gulielmus Cornelius, & Abbæus Petræus etiam inclinante die ad Robleſium miſsi, qui expeditis per marinum littus copijs caſtra jam ad Maccomium poſuerat. Horatius verò Buma, & Haringus Haerſma tribuni cohortium præſidiario milite tuebantur.

Scouwenburgij perfidia.

Litteræ H. Dekama.

Quo-

Quorum primus non vanus hoſtilis potentiæ æſtumator, metuens ne cIↃ. IↃ.
obſeſſos morâ aut inedia Robleſius conſumeret, litteras clàm Bolſuer- LXXII.
diam ac Franequeram miſit, ut commeatum præſtarent, ſocioſq; ac fæderatos ad mittenda mature auxilia hortarentur. Cæterum iſta Maccomium nullo fructu tranſmiſſa. Quippe nuntiati excidij metus tantum Bolſuerdijs pavorem incuſſerat, ut miſtus civibus miles, tum Dux atq; Imperator partium Bronchorſtius vacuam ferme urbem relinqueret. Qui ubi Snecam, quo ſe receperat, advenit, captus à Pontificijs per fiſci regij procuratorem Leovardiam abductus eſt. Tum conſternatum captivitate Bronchorſtij præſidium Maccomio exceſsit. Bolſuerdia ipſa ad turpiſsimas conditiones adacta, veniam tandem impetravit, ducentique Valonum facto per Schettanum aggerem itinere, & emiſſario Marnio ſuperato, erectis ſignis Bolſuerdiam intravere. Qua tempeſtate plurimas familias inſolentiæ Valonum pertæſas Embdam ſe recepiſſe comperio, in quâ urbe vicarium Edzardi imperium Occo adhuc Friſius Satrapa, vir crudelis animi & oſor fæderis Belgici adminiſtrabat. Memoriæ traditum eſt, Haringium Glinzium Scouwenburgici Senatus Præſidem, cum cæteris exulum Embdam petentem ſtrato glacie Amaſo flantis adverſum Euri vehementiâ correptum, ambuſtiſque frigore artubus Embdam progreſſum triduano morbo deceſſiſſe. Sed adverſitate fatorum ut ante cIↃ. IↃ. LXVIII. acta rurſum libertas tutius exilium patriæ fortunâ reputabat. Itaque per oppida Friſiæ prælucentibus cæreis amburbia rurſum, & ſupplicationes decretæ, luſtratiſque fanis Romanæ Sedis cultus per omnem Provinciam ſtabilitus. Civium quoq; fæderatorum arma in publicum comportata uſui partium ſerviere, fæderatique à Præſidiarijs Valonibus in omnem vim, & licentiam effuſis contumelia affecti. Bolſuerdiæ quoq; conſularium, civiumque ædes dirutæ, areæque luſtro conſperſæ redintegrandis fanis ſacriſque locis applicatæ ſunt. Omnis quoque ordinis ſexuſvè homines ad Pontificiam religionem redire juſſi, vetito omni cum fæderatis profugiſq; commercio, quibus captivitates, carceres & ſupplicia aſperrimis edictis decernebantur. Mox Franequera ſociarum urbium fortunâ ſuam æſtumans minore fæderis ſtudio contepuit, civeſque Pontificij, liberâ à fæderato præſidio civitate, ad ſua ingenia converſi ſunt. Magiſtratum namque regium nupera exautoratio, cæteros, urbe eiectos propinquos, & recens exilij memoria ſtimulabat. Quare clandeſtinos per cœtus primum inermes, poſt armati convenere, non ignaro Senatu fæderato res novas molientibus ſecreta domorum compleri. Inde pavor per Curiam, mox ubi ex metu ejuſdem defectio ſubſecuta, habiti intra urbem conflictus Pontificijs victoriam attulere. Fæderati per vim portis ejecti in proxuma loca ſuffugium fecere. Tum ſupplicatoriæ litteræ ad Gaſparum Robleſium Leovardiam miſſæ, & ne quid in morâ periculi, Delegati Magiſtratus civiumq; nomine Hero Ockingha, Æmylius Adama, Bernardus Rodmerſius, Ioachimus Symonius Iureconſulti, cum Iacobo Abbæo, qui veniam anteactorum peterent. Illi innuebant poſt occupatam à fæderatis civitatem fidem ſe ſemper in occulto profeſſos ſævis victorum imperijs paruiſſe. Detentos namque per vim partis adverſæ,

Rerum mutatio.

 neque

CIƆ. IƆ. LXXII. neque loricam urbis, aut ſpatia portarum facturis tranſfugia patuiſſe. Quare alio modo cæptatam rem, verſaque in virtutem patientiâ armis fæderatos ejeciſſe, manifeſto erga Philippum Regem conſtantis animi fideïque indicio. De cuius integritate ſi quid delibatum foret per neceſsitatem, rogare ſe ſupplices indignationis regiæ temperamentum, & clementiam victoribus non negandam. Quorum precibus evenit, ut nihil abnuentibus veniam daret Robleſius, ipſeque acceſsione tot urbium auctus magnarum rerum ſpes, & victorias agitaret. Quare Valonum Germanorumque copijs, quas per Friſiam autoraverat, ſtipendia popoſcit, conferrique ab agrarijs in ſingulos redituum aureos, qui è ſolo proveniunt, quatuor per Provinciam ſeſtertios imperavit. Dies quoque pendendo confeſtim tributo dictus, ne perdomatâ Provinciâ gerendarum rerum, & occaſio atterendi populi elaberetur. Tum Germanus miles maturandæ ſolutioni planos per agros ſparſus, fæderatarumque nuper urbium tutela, (quarum muros dirui ac ſolo æquari Ferdinandus Albanus imperaverat) Valonum fideï commiſſa.

Feiconis Nicolai acta. Reperio in Notis Feiconis Nicolaï, viri apud Staurios eâ ætate Conſularis, totum illud biennium, quod à ſeptuageſimi anni per Friſiam diluvio effluxit, ut prægnans novorum motuum, ita variâ fortunâ exactum fuiſſe. Direptum à fæderatis Worcomium oppidum, Ioannemque Lindanum, Cænobij Hemelumani Præſulem, domo Presbyteri Worcumani extractum Nordam in Tranſamaſanos abductum, lytro ſex mille dalerorum ſub comminatione ſuſpendij eï impoſito. Antiſtitem eundem ab Haïone Manningha viro Nobili, nullo impendio liberatum, habitumque pro dignitate, honeſto poſt comitatu ſuo cænobio reſtitutum. Eoſdem quoque fæderatos Texelam inſulam, & haud procul eâ viginti onerarias naves deprædatos, regiaſque poſt naves Amſtelodami inſtructas, in Amaſo fluvio cum fæderatis congreſſas poſt longum, & dubij exitus conflictum victoriâ potitas. Plurimos fæderatorum, quod in fluvium præcipites dati, nando evaderent, vitæ ſervatos, cæteroſque & in ijs ultra quinquagenta ſuſpendio necatos, aut Amſtelodamum abductos. Regiam claſſem Flevum ingreſſam divisâ apud Enchuſa prædâ Angliam petijſſe. Ibi circa Tameſis fluvij oſtium, & poſt haud procul Doverâ caſtello, quod littori imminet, XVII. fæderatas naves fugaſſe, ac in Zelandiam ſe recepiſſe. Fæderatam verò claſſem quatuor Hamburgenſium naves diripuiſſe, prædâque divite onuſtam, & ſtrangulato juſſu Archithalaſsi primario Hamburgenſium navarcho, Amaſum ingreſſas. Regis naves ingruente brumâ Enchuſæ in portum ſubductas, eandemq; hyemem nullo frigore, aut gelu aſperam rarâ cæli clementiâ notabilem fuiſſe.

Anno ſequente XIII. fæderatas naves relicto Flevo partim Wiringiam, partim in ſinum Auſtrinum provectas Hornenſium navibus damna dediſſe. Decimæ exactionem ab Albano tum inſtitutam pacatas fermè partes ad bellum reſuſcitaſſe. Fæderatos quoque cum claſſe circa Flevi oſtium ſtantes Enchuſam revocatos, & poſt captum Enchuſæ Franciſcum Boshuſium Archithalaſſum regium, domoſque plurimas incendio datas, cum regijs triremibus navali pugnâ, & nullo ſucceſſu decertaſſe. Principem Aurantium Enchuſam, deïn Medenblicum ingreſſum,

ſum, fœderatoſque premendis Amſtelodamenſibus de obturandâ Tya fluvio conſilium inijſſe. Gaſparum Robleſium cum quadringentis Valonum Stauriam profectum caſtello præſidium impoſuiſſe, gerendarum rerum imperio in Fredericum Hornium, Hornani Comitis nothum, Prætorem Hemelolpherdium, & Satrapam arcis, tum Martinum Baiartum cohortis Valonicæ tribunum devoluto. Pedeſtres quoque fœderatorum cohortes Aſingha Ripperda, Ennone Poppenio, & Nicolao Bremenſe ductoribus occupatâ urbe caſtellum circumveniſſe, tormentiſque Snecâ & Bolſuerdia adductis protractâ in x. Sept. obſidione locum naturâ & opere munitum nequicquam oppugnaſſe. Sex ſigna Germanorum Valonumque Leovardia Stauriam à Robleſio miſſa, medio noctis, cæſis qui obſtarent, urbem occupaſſe. Fœderatos urbe ejectos, decemque & quatuor civibus per pontes ſtrangulatis reliquam multitudinem nulla conjugum, aut liberorum cura fugæ datam vitæ conſuluiſſe. Multos quoque fugientium ſcaphis Enchuſam devectos, alios occultis ædium locis obtectos periculis ſubductos. Prædam LX. navibus impoſitam, ac Leovardiam tranſportatam una cum damno urbi dato centum M. dalerorum ſuperaſſe. Fœderatos quoque recuperandæ prædæ avidos ad Galedamum vires collegiſſe, cæterum diſſipatos ſparſoſque in avia Valonum proſperis non obſtitiſſe. Ducentos quoque Valones in Flevi inſulam enavigaſſe, expugnatiſque quibus Gerardus Gorcomius & Ielmerus Flevolandius præerant, navibus, capita cæſorum truncis avulſa pinnis impoſuiſſe. Cæteros captivorum Groningam abductos, & capitis damnatos. Gaſparum quoque Robleſium tergo fugientis Scouwenburgij inhærentem VIII. Kal. Dec. Stauriam perveniſſe. Ita pericula audaciam ſæpe atque virtutem dabant, partiumque conſilia varios eventus pro arbitrio fortunæ ſortiebantur. CIↃ. CIↃ LXXII.

Mox Nova Stella per Friſiam conſpecta. Quæ in Caſſiopæa ſurgens & præter legem ſuperni corporis immota, varie, ut ſolet rebus afflictis, mortalium ingenia affecit. Itaq; diverſa ratione rerum cæleſtium periti de rariore naturæ oſtento diſſerebant, exiſtimantibus nonnullis, Stellam Novam, quod vagis ſparſiſque per aërem Ignibus non arderet, lucidiſſimo fulgore novæ fœlicitatis ventura tempora indicare. Alij verò, quod everſâ Philoſophorum ſententiâ in ipſo cælo, & æternorum corporum compage quid natum deprehenderetur, triſtiorem rerum ſtatum ex inverſa Naturæ lege ominabantur. Ita ſua quiſque, non aliena pericula horrore ac aſpectu inuſitati ſyderis æſtumabat. Poſt ſuſpectam prodigij fidem intumeſcens mare auxit, ruptiſque iterum aggeribus in proxumam continentem effuſum, omnem ferme Friſiam infœlicibus undis operuit. Plurimi credidere recrudeſcens elementum, & inſoluto æſtu tumefactum, æmulæ gentis diſcordiam caſtigaſſe, lacerique ac jam ante diſiecti littoris derupta, obſtantiaque locorum opprobrio diſcordis populi demolitum. *Novæ ſtellæ ortus.*

Finis Libri Secundi.

P. WIN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

P. WINSEMI Hiſtoriarum

LIBER TERTIUS.

EXORTUM novæ Stellæ magna rerum per Friſiam mutatio præceſſerat, major ſequebatur. Quippe laceratam Principis, populiq; concordiam fortuna adhuc trahebat, velut dubia & fluctuans, an ex voto Regi dominatum, an libertatem populo deſtinaret. Itaque anxiæ & ſuſpenſæ ad incerta mentes, cum nec vulgus tantum futuri avidum, ſed peritos quoque cœleſtium prodigij ſecretum, & ſollicitudo imminentium fatigaret. Neq; enim defuere, qui motiones ſyderum edocti, ipſo verno Æquinoctio, quo converſio & flexus ſtellarum fieri ſolet, finem rebus humanis aſſignarent, ipſoque Belgicæ libertatis deliquio noviſſimum terris diem adeſſe ſuperſtitioſius magis, quam verius occinerent. Alij credebant novum gentibus regnum hoc ipſo ſydere portendi, aut, quod in Caſſiopeæ ſigno, turbidis, ut plurimum, ſtellis circumfuſo, luceret, popularium furorum incrementa conſentientibus aſtrorum judicijs præſagiret. Magnum certe quid obnuntiare Cornelius Gemma gravis autor cenſuit; idemque oſtentum nullâ naturæ lege genitum ſupra ordinariam prodigiorum ſortem, atque indicationem timendo ſpectaculo exſurrexiſſe. ANNO CIϽ. IϽ. LXXIII. *Novæ Stellæ exortus.*

Idem ſcriptor tradit, haud multum ab exortu novæ Stellæ, chaſma lucidæ exhalationis circa VI. Kal. Febr. in cœlo obſervatum, certioribus malorum obnuntiationibus initia anni inſigniviſſe. Itaque eundem gentium irruptionibus, per excidia urbium, & civilium cladium funera feralem fore, ſagaciſſimus cœleſtium contemplator judicabat, omenque provincialium oculis, & ad horrorem oſtentui in illo ſuperiore convexo expoſitum, non niſi funeſta & adverſa paci, ac rerum ordini decernere. *Summa operis.*

Mihi conſilium, exponere ſecuti temporis memoriam, procul affectibus, nec abſimili fide, quâ majores noſtri impollutos adulationibus, aut odijs annales clariſsimis poſteris legavere.

FVgas, & proſcriptiones civium, ac redactam fermè in formam regni Provinciam. Anniverſaria inundationum damna communibus impendijs ſarcita, & maris æſtuaria tempeſtate aut diurno æſtu littus reſorbentia, molibus aggerum clauſa. Morte proregis admotos regundis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIII. *Provincijs patres, & Reip. ſtatum lenioribus conſilijs inverſum. Sequeſtras pacis conditiones ſiſtendis armis perſcriptas, & paucorum inquietudine bellum fædere involutum. Stipendiorum inopiâ, & cohortium ſeditione regios Præfectos cuſtodiæ datos, ac novorum ſucceſſione validas urbes durioris imperij tædio regijs partibus ſubductas. Funeſtum ſydus cælo ardeſcens mali prænuntium. Inde ſollicitata regum, nationumque auxilia, quæſitumque libertati exteras apud gentes patrocinium, & difficulter repertum. Accitos aliunde provinciarum rectores, aſperum propinqui regis imperium novâ lenitate attemperantes. Mox libertatem conſcientijs in ſpem civilis concordiæ indultam, & conſilium ſanandis malis repertum, ſeceſſionibus accommodatum. Divulſis provincijs icta ſeorſim fædera, & utrinque partibus robur bello quæſitum. Caſtigatam reciprocis cladibus concordiam, & provinciarum Præſides ſubdolis artibus ſacramenta variantes. Repentinas violentaſque mortes fato deſciſcentibus immiſſas, & perfidiam eorundem cæleſtibus iris expiatam.*

Igitur attritâ per Friſiam, fugâ Juſti Scouwenburgij, fœderatarum partium fide, Gaſparus Robleſius, commorante apud Geldros Ægidio Barlamontio Hyergio, vicariam provinciæ Præfecturam gerens, ardua magis, ac infenſa fœderi meditabatur. Quippe portentoſæ aſperrimæque hyemis commoditate (quam conjunctionibus quorundam Planetarum, inerrantiumque ſtellarum Mathematici adſcripſerant) quaquaverſum ſigna per Provinciam ſparſit, adjutuſque Senatus regij conſilijs, formandis, more victorum, ex arbitrio rebus incubuit.

Robleſius à Fred. Albano in Holland. evocatur.

Cæterum in Hollandiam à Frederico Albani filio, qui caſtra ad Harlemum poſuerat, evocatus, cum parte Legionis provinciâ exceſsit, reliquaſque cohortes per præſidia civitatum diſpoſuit. Jam enim fœderis ſocios, ut ante ſub Albani adventum, alijs terris fortuna abſconderat, ultraque Amaſum, ac Viſurgim, tum cis ac trans Rhenum longinqua, & infida ſuffugia fœderato & exuli populo delegerat. Itaque mœſta per pleraſque Friſiæ urbes paſsim ſolitudo, & triſte ſilentium, niſi quod regiarum partium multitudinem alienæ infœlicitatis domeſticum ſpectaculum, aut externa fama oblectaret. Quippe oppreſſum Fœdus, Gallias, & Germaniam dubias, Philippo aſſertum imperium lætabatur, Fredericumque Albanum, etſi ingenio immanem, & paternæ ferociæ æmulum, clariſsimarum per Hollandiam, Geldriamque urbium excidia, & ſimul ſpolia ſecum trahentem Harlemum Hollandiæ oppidum regio exercitu circumveniſſe. Robleſium quoque illius urbis oppugnatione ampla decora commeritum, amiſſo Doppio, & vulnerato Gantonio cohortium tribunis, retinendæ in fide regis provinciæ benignitate fati ſervatum.

Res ad Harlemum geſtæ.

Tradit V. Cl. Joannes Arcerius Theodoretus gentis noſtræ ſcriptor, qui inter obſeſſos tum fuit, in Ephemeride ſuâ Fredericum Albanum deſtinatâ oppugnandæ urbi nocte circa Prid. Kal. Febr. diem ſtratâ glacie foſsâ & diruto fermè muro velut potiundi oppidi certum fuiſſe, dignoſcendiſque partibus ſuos lineis indumentis coopertos & quidem ex opinione virtutis delectos Joannitarum portam rariore aſſervantium cuſtodiâ ſub ortum lucis occupaſſe. Cæterum oppidanos perſpecto diſcrimine eo loci conflixiſſe, hoſtemque tanto progreſſu rerum, & ſe-

cun-

cundis ſuis elatum multa cœde, & reportatis in urbem vexillis reppu-liſſe. Eadem vexilla animandis obſeſsis per ubem circumlata, gene-roſo ultrò ſanguini incitamentnm ad præclara addidiſſe. Hoſtes quoq; repetito inſultu murorum editis imminentes ſubſidente humo, quam obſeſsi excavaverant, & ſubjecto pulvere ſuccenſo, igne ac voragine diductæ telluris abſumptos, reliquoſque ſubſequentes velut reparandis detrimentis ſuffectos ſociæ cladis ſpectaculo de præcipiti fuga cogitaſſe. Eorum etiam plurimos ferentariorum virtute oppreſſos, præterq; ſau-cios, quos crudo vulnere adhuc calens ſanguis ſubducebat, poſt re-pulſum cum ſuis Robleſium, fortiſsimos quoſq; & è legionum tribu-nis cecidiſſe. Addit Cl. Arcerius ex interceptis Stephani Dynaræ (is Frederico Albano ab Epiſtolis) ad Albernoum Ferdinandi patris Actua-rium litteris, ſolos Hiſpanos iſtâ oppugnatione ſuis partibus defuiſſe, cæterarumq; nationum legiones plurimum gloriæ ex illo conflictu, Hi-ſpanorum gentem æternum dedecus reportaſſe. De ſe Dynara ſcribit, ob rem malè ab Hiſpanis ſuis geſtam, præ mærore attabeſcere, indi-gnantemque, nec falsò, ſuæ gentis infamiam ægritudine animi, & læſæ mentis vertiſſe. Addunt noſtrates ſcriptores, Sole Aquarij ſignum in-greſſo, primoque Harlemenſis obſidij tempore, incruſtatâ velut con-tinuis Eteſijs terrâ, & altiſſimis nivibus contectâ, tam immite acer-bumque gelu extitiſſe, ut multorum artus frigore ambuſſerit, militum-que plurimos, diurnis caſtrorum operis intentos, extincto vitali ca-lore exanimaverit. Plurimum quoque ſanguinis illâ obſidione utrinq; fuſum, obſeſſoſq; ultimâ neceſſitate ad deditionem compulſos, hoſtia-rumque ritu mactatos, ſuo ſanguine infauſtam urbem, & proxumos lacus imbuiſſe. Cætera ab ijs ſcriptoribus non enarrata pertexere no-ſtri inſtituti non eſt. cIↄ. Iↄ. LXXIII.

Fœderatorum Exulum navalis victoria.

Hoc tantum ſubjungunt, fœderatos exules, & Scouwenburgicæ ſocietatis, ſubvertendis Amſtelodamenſium, & regij ad Harlemum ex-ercitus commeatibus, quibuſdam triremibus, liburniciſque Dimenum lacum occupaſſe, pugnâque navali, cum regia claſſe, (cui Focco Si-brandius Staurius vir fortis cum imperio præerat) commiſsâ, illuſtrem ſibi prædam ac victoriam peperiſse. Triremes quoq; & naves regias, aut undis hauſtas, aut in poteſtatem Fœderatorum redactas. Ipſum Si-brandium claſsis regiæ Præfectum veſtibus exutum, & non uno vul-nere confoſsum, è triremi ſua præcipitem datum, cadaverque vadoſis poſt annum aquis erutum, ſolenni funeris apparatu apud Amſteloda-menſes humatum. Legatum quoque mille aureorum ejus teſtamento Staurijs ſcriptum.

Ex-actiones militares in Friſiâ.

Neque per Friſiam, etiam amoto trans Viſurgim in ditiones ſuas Juſto Scouwenburgio, & diſſipato fœdere, tuta adhuc per provinci-am quies erat. Senatus namque regius, agente in caſtris Frederici Robleſio, imperium gerens, præſidiorum adhuc inſolentiæ alimentum dabat, ſuſpectique adhuc partium non obſcuris odijs memoriâ fotæ tolerratæque ſocietatis atterebantur. Itaque conducendis huc illuc co-pijs æs imperatum, proviſumque edicto commeatui, ne aſperrimâ hyeme, ultro militi per inclementiam cœli infeſtâ, imbecillo inopiâ pabuli equite ſubjugandæ provinciæ præceps, & opportunum conſi-

CIↃ. IↃ. LXXIII. lium retardaretur. Traditum memoriæ eſt, Arnoldum Gemenium Prætorem Stellinguervium Tranſiſulanæ Curiæ decreto quadringentos daleros pendere juſſum, mandatoque contumacem, quod exhauſtam tributis præturam obtenderet, à Petro Acuna Hiſpano alæ equitum levis armaturæ ductore Stenvicum pertractum. Ibi cuſtodiæ datum inter minas, & territamenta mortis diu anxium non ante dimiſſum, quam extortam per cruciatus & tormenta pecuniam inſolentiſſimo militi aſsignaret. Montjoium quoque virum nobilem, & cohortis regiæ præfectum, occaſione belli (quod per Hollandiam, & in Kenhemarijs Fredericus Albanus gerebat) Stauriæ præſidium agentem, corruptum otio militem per domos civium diſpoſuiſſe, eundemq; adæſis per luxum ſtipendijs alieni avidum patrandis flagitijs habuiſſe. Itaque non domeſticæ tantum quieti gravis miles, cæterum ab inſolente & neſcio diſciplinæ diurnus civium victus, in luxuriem, laſciviemque quotidianis commeſſationibus vertebatur. Parietinæ quoq;, & exuſtarum ædium, quæ ante annum hoſtili igne conflagraverant, rudera Montjoï juſſu muniendo caſtello regio applicata, privatarumque rerum diſpendia publicam ſecum ſervitutem traxere. Florentiſsimus quoque Stauriæ urbis ſplendor, qui jam ante magnificentiâ ædificiorum, ſtructurarumque, ſuperbo fœcundis commercijs luxu, omne confinium provocaverat, fato ſuo, &, ut cuncta mortalium ſolent, vetuſtate temporum decreſcens, magis magiſque injuriâ civilis belli deformatus eſt. Joſephus vero Talimerius Hiſpanus triremi regiæ apud Staurios præfectus vicina æſtuaria, & Flevi alveum infeſtabat, fœderatoſque, intutâ continente, per infidum mare errantes horrendâ immanitate divexabat. Scribit F. Nicolaus, vir apud Staurios conſularis, tam barbarum, & crudele viro ingenium fuiſſe, ut Hardervicenum quendam navarchum fœderi addictum, ſpoliatâ & exuſtâ navi ſcaphæ injectum, vinctumque ac vimine & ſtramento circumfuſum in altum miſerit, injectoq; igne, dubium quo mortis genere, ſuſtulerit. Quod immane facinus, velut omnem temporum memoriam ſuperans, etiam regiæ factionis adminiſtris improbatum fuit, damnantibus ſcilicet, virum amiſſa navi ſpoliatum, non vulgari morte, ſed pugnantibus inter ſe naturæ odio elementis commiſſum, novæ crudelitatis fœdiſsimo commento exſpiraſſe.

Hiſpani cum Angliâ induciæ.

Neq; alia per Hiſpaniam conſilia in ſecreto regni, & Philippi aula habebantur. Quippe fovendæ Albanorum patris & filij per Belgicam ſævitiæ, & ne diviſam pluribus bellis potentiam luxaret Philippus, biennales cum Eliſabethâ Anglorum reginâ inducias depactus eſt, vulgatoque per omnem provinciam reſtitutorum commerciorum edicto, duorum regnorum diu infidam ſocietatem, & ſimul fortunam Belgici ſœderis repreſsit. Scribit Thuanus, conterrendis Harlemenſibus tabulas iſtius Hiſpanum inter & Anglam conventionis, per caſtra, & exercitum juſſu Albani publicatas, eandemque velut pacem certius per provincias bellum, & præcluſa ex Angliæ regno ſœderatis auxilia arrectis ad edictum legionibus promiſiſſe. Quare Ferdinandus Albanus, ut exteras, & præſertim Germaniæ gentes, quæ ad bellum merendis ſub Aurantio ſtipendijs confluxerant, à ſœderatæ militiæ ſacramento alienaret, om-

omnibus ſinguliſque in ſua redeundi poteſtatem edicto fecit, conceſſoque libero per provincias commeatu, deſertorum armis aſſignari pretium juſsit. Ne ſcilicet Germanus miles inops æris patrandis per agros flagitijs ſe daret, aut ſuſtentandæ animæ avidus ad ſacramentum Aurantij Principis rediret. Frumenta quoque, ac annonam ex omni Friſiâ, quæ Flevo, Lavicâ, & Amaſo alluitur, ſubminiſtrari fœderatis copijs vetuit, præpeditiſque ſociarum urbium commercijs, caſtra regia compleri commeatibus juſsit. Sic omne conſilium atterendo fœderi pronum, fovendæque regij militis licentiæ, omne per forum ac tribunalia Philippi edicta recitabantur. Itaque exulum reditus novis quoque decretis intercepti, patrimoniaque profugæ nobilitatis, ac proſcriptorum civium innovatis tabulis fiſco regio, ſanciente Senatu, adjudicata. Tum, ne facili vertendis rebus fortunâ, confecti per provinciam fœderis ſocietas reviviſceret, Gaſparus Robleſius copias ſuas, quæ in Albani caſtris ſemeſtre ſtipendium fecerant, ſex navium claſſe in Friſiam reduxit, diſpoſitiſque Harlingæ & Franequeræ, ad coërcendam multitudinem præſidijs, Leovardiam properavit. Ibi Cuneri Epiſcopi, & primariæ Nobilitatis, tum Magiſtratus oppidani, ac ſalutationibus occurrentium civium exceptus, navatæ in caſtris regijs ad Harlemum virtutis & fidei inſignem gloriam tulit. Mox potiſsimâ legionis parte Leovardiæ collocatâ, cæteras cohortes faciendis ſtipendijs per plana agrorum, atque municipia ſparſit, populumque conferendis tributis contumacem, & ſæpè invalidum, duriore imperio, & ſolutis dominantium moribus exercuit.

CIↃ. IↃ. LXXIII.

Robleſius cum exercitu in Friſiam redit.

Quippe crebræ terrarum inundationes opulentiam gentis non parum acciderant, mareque, diurni æſtus, & in continentem ſe effundentis ſalſedine, ferendis frugibus utilem glebam corruperat. Cui malo diuturnæ provincialium lites accedebant, quæ reparandis aggerum molibus, Carolo Cæſare ſub Georgio Scenco, quadraginta ante annos cœptæ, illum uſque in diem pertinaciâ litigantium trahebantur.

Lites de aggeribus marinis.

Quippe maritimi, gubernante Friſiam Carolo Cæſare, proximum mare, continuas inundationes, & natam ex ijs egeſtatem querebantur. Nudatos littore agros, eliſas, aut conſumptas vetuſtate tabulationes, quas refici afflictæ res non ferrent, niſi à mediterraneis præjuventur, in commune Weſtergoæ exitium, & mox provinciæ ituræ. Æquum eſſe communi ope iſti malo occurri, quod promiſcuam perniciem, aut ſaltem metum incolentibus Weſtergoam daret. Non diſceptandam eam litem in foro eſſe, quæ proferri non quiret, exhauſtâ agrorum fœcunditate, & mari continuis diluvijs infeſto. Nec Senatum Cæſaris maritimis ſatis æquum, & eſſe in eo, qui privatæ rei reſpectu publicam morentur. Inofficioſi ſuſpectos ſubmoveri per Cæſarem debere, curandumque, ut, partium actis ad ſupremum Cæſaris per Belgicam Senatum tranſmiſsis, diuturna lis ſopiatur.

Querela Maritimorum.

Reperio in actis iſtorum temporum, Carolum, velut miſeratione maritimæ per Weſtergoam gentis motum, reſcriptum ex voto iiſdem maritimis tum indulſiſſe, mandaſſeque, ut ſuſpecti partium Senatores judicio abſtinerent, actaque litigantium Mechliniam, aut ad ſe perferrentur. Eoſdem quoque Weſtergoos tam maritimos, quam mediterra-

cIↄ. Iↄ. LXXIII. neos, interceſsione Georgij Scenci Præfecti, & Senatus Cæſarei conveniſſe, ut aggerum refectio intra v. Kal. Mart. & octavum à feſto Paſchatos diem pro quantitate, & onere aureorum florenorum fieret, conſultarentque interea Weſtergoi, an componi ex ſe litem, an deferri arbitrio Præfecti, & Senatus vellent.

Mediterraneorum reſponſio. Cæterum mediterraneis Weſtergois inveteratum jus acerrimam in defenſionem vertebatur. Quippe majores ſuos nullis marinorum aggerum impendijs agros ſuos coluiſſe, hoc tantum adnixos, ne quid damni ex inundationibus terrarum, aut vicinis maritimis ſentirent. Ideo privatos aggeres poſſeſſionibus ſuis præduxiſſe, quibus aquæ in interiora Weſtergoæ ſe effuſuræ crebros per æſtus certis obicibus ſiſterentur. Ijs vero ſuſtinendis tributum quotannis conferri, nullo ſubſidio à maritimis Weſtergois petito, quibus fertiles agros, æque ac mediterraneis, colendos natura dediſſet. Non eſſe maritimos Weſtergoos pecuniæ, aut virorum inopes, quo minus reficiendo aggeri pares ſint, marinis diluvijs, relicto agris limo, nova fœcunditate injuriam penſantibus. Neque omnem Friſiæ populum mediterraneis locis agere poſſe, fuiſſeque ſemper littorum accolas, ſuâ ſorte & conditione naſcendi, ijs locis aſcriptos. Ita de ſedibus ſuis maritimæ gentis majores non conqueſtos, fælicibus temporum ætatibus, ſuis agris ac latifundijs tam diu uſos, donec intumeſcens Flevus, arroſis ſenſim ripis, & crepidine lacuum, lata per oſtia, influxum maris laceſſeret. Inde pro ratione æſtuum, & tempeſtatum modicum littus Oceano objeciſſe, ſi pejora incommoda ſentiat, majore opere muniendum. Iniquum ſcilicet eſſe, ex alieno diſcrimine, mediterraneos Weſtergoos nova onera ſentire, & cum ex conventione, aut jure non obligentur, reſcripto Cæſaris, aut per nova judicia gravari. Sed nec Carolum Cæſarem, etſi maritimis æquiorem, aliud eo reſcripto voluiſſè, quam ut partium acta conficerentur, confectaque ac conſignata ad ſupremum tribunal, aut ad ſe, finiendæ controverſiæ mitterentur. Paratos ſe mediterraneos eſſe, eventum litis opperiri, ſed hac cautione, ut pendente causâ, maritimorum opere ac ſumptu, agger ex conſuetudine reficiatur, dum certas agendi, præſtandique vices reis aut actoribus judicium aſſignaverit. Cæterum pertinaciâ & contatione partium, (quæ ut plurimum publica ſalubriaque conſilia privatis ex odijs retardavere) & poſt interveniente civili bello, omne negotium prolatum, donec ſtupendo anni 1570. diluvio, miſeratione ſupplicum maritimorum, quos illa præcipuè clades attriverat, communibus Weſtergoæ impendijs, ſalvo partium jure, reficiendum marinum aggerem Rex Philippus decerneret. Itaque diſcordiam populi trium quaſi annorum diluvijs caſtigante Oceano, factum eſt, ut divulſæ partes coïrent, dilationumq; forenſium pertæſæ, præceps forum, & expedita judicia creſcentibus inſtantibuſque malis flagitarent.

Cauſa litis certis arbitris commiſſa. Unde conventio à mediterraneis, maritimiſque Weſtergois x. Kal. Ianuar. ſcripta, omneque controverſum, quod maritimos mediterraneoſque Weſtergoos, etiam à Caroli Cæſaris ætate exercuerat, certis arbitris commiſſum. In eos Gaſparus Robleſius Friſiæ Propræfectus, Balduinus Ronius Tranſiſulaniæ Cancellarius, Gerardus Oſtendorpius Senator, Joannes Fonckius Præpoſitus Ultrajectinus, ac ſecretioris

Con-

Concilij Senator, & Igramus Achlenius Præſes, delecti. Hoc vero cIↃ. IↃ. cavebatur, ne à latâ ſententiâ ulla provocatio eſſet, & ut ea Philippi LXXIII. regis aſſenſu, & ratihabitione firmaretur. Ita pro mediterraneis Weſtergois Edzardus Sickingha, Senator regius, Hero Ockingha, Julius Dekema, H. Ebingha, Siricius Donia, Hector Dekama, Heſſelus Hania, S. Dekama, J. Watnia, A. Tieſſema, D. Fogelſangus, Fecco Rhala, Ruardus Hilconius Attiema, Roimerus Tiallengius pro Minnertſgais, Iſbrandus Slotius Præpoſitus Aengiumanus, Foppo Groveſteinius, Lollius Ockingha, Hotſo Ayſma, Mintſius Buma, Tiallengus Sydſius pro Berlicomijs, J. Tritſum, Valerius Ockingha, Ruardus Petri, Hero Aggæus pro Dronrypijs, Gellius Gellij paſtor Ooſterlittanus, D. Fogelſangus pro Ooſterviremijs, Livius Sibæus pro Ooſterlittanis, Otto Galama, Gerlacus Ulpius Riſpens, Oph. Imſvaldius, Julius Saclæus pro Ooſterendijs, Leo Vibenius, Sixtus Tiallengius paſtor, & Franciſcus Tallum pro Tiumanis, Franciſcus Wopconius Popta, Joannes Foppius paſtor Weidumanus, Petrus Valta, Dion Hania, Serapius Bonga pro Huinſijs, & Lionſijs, Oedſius Petri pro Baardijs, Simon Nicolaus pro Winſemijs, S. Theodorus paſtor Buranus, Petrus Widmarſius, Cornelius Joannis paſtor in Slappeterp, Abbæus Tetardius, Diorræus Sipconius pro Schingenſibus, Fomcko Wibenius pro Deinumanis, Poppo Burmania pro Edenſibus, Rodmerus Regneri pro Wommelijs, Otto Galama, Franciſcus Ulpius pro Wielſoripijs, Tiebbo Tabonius pro Boxumanis, Arnoldus Hardervicenus pro Regnero Anſkio legato Hitſumano, Julius Hoffius pro Itenijs, Jorritius Wiarda pro ijſdem, Ruardus Roorda, Foppo Wopconius, Sixtus Leo pro Cubardijs, Epo Taconius pro Waxumanis, Edgerus Ruardus, Petrus Cammingha, R. Hemmema, Vitus Cammingha, & Titus Cammingha ſignavere.

Pro maritimis vero Weſtergois, Cunerus Petri Epiſcopus Leovardienſis, Scelto Liauckama, Leo Syricius, V. Hiddama, L. Watnia, Haio Sibæus. Et nos pro tribus pagis, ſalvo jure noſtro, Iacobus Formadler, Jacobus Abbæus, L. Walckama, Edo Garbranda, A. Cronenburg, Wilhelmus Ioannis, Sintius Popma, Dothias Bonga, Sibrandus Pierius, Upco Hajonius, D. Albertus Heſſelus Reen paſtor in Midlum, Nicolaus Folckertius, Edo Nicolai, D. Imo Simonides vicarius Harlinganus, D. Heino Nicolaus vicarius ibidem, Elco Lollius, Hobbius Regneri, Wopco Taecleſius, Sicco Nicolai Bramſius, Gerardus Intenius, Vibius Andreæ, D. Nicolaus Sixti vicarius, Marcus Marci, D. Sibrandus vicarius in Peterſbierum, Wibrandus Suffridus Not. Pub. D. Wilhelmus Noviomagus, D. Wibrandus Harlinganus paſtor in Peterſbierum, D. Martinus Welm paſtor in Pingum, Bauco Rommarda pro Pingumanis, Pierius Aggæus paſtor Wonſius, Suffridus Franciſcus paſtor in Winaldum, Douwo Heſſelius pro Abbingaverijs, H. de Pau pro Maccomijs, Thomas Hiddius pro Sirichijs, Sibrandus Wibranda pro Peterſbyremijs, Abbæus Rotterus, Ioannes Duyſhenius, Petrus Medenblicanus Prior Luinckerckius & Achlemius, Petrus Douwonius & Siricius Leo ſubſcripſere.

Mox quo cæteri mediterranei Weſtergoi aſſenſum conventioni darent,

Iↄ. cIↄ. LXXIII. rent, Iulio Dekama, & Heroni Ockingha arbitrorum delegatis reliquam nobilitatem, & proprietarios agrorum convocandi poteſtas facta, recitatumque per templa, & poſt præconis voce edictum, quo ad IV. Ian. ſiſtere ſe contumaces, & à publico diſſentientes jubebantur. Igitur Petrus Boimerus Iureconſultus & Oldermannus Franequerenſium, Hero Ockingha pro Eduarda Hoxveriâ, Geroldus Cammingha, Carolus Sternzæus, Poppo Doiemus, Allardus Ottonius, & Gerardus Tetlæus in Curiâ oppidanâ comparuêre, auditisq; Julij Dekama Senatoris Regij poſtulatis conventionem ratam fecêre. Inde acta ei rei ſcripta, ac à Petro Boimero, Ameliâ Grombachiâ, Herone Ockingha, Eduardâ Hoxveriâ, Carolo Sternzeo, Geroldo Cammingha, Fokelâ Marteniâ, Catharinâ Gratingiâ, Allardo Ottonio, & Gerardo Tetlæo ſignata.

Pactionem quoque à maritimis, mediterraneiſque Weſtergois initam Ferdinandus Albanus nomine Philippi regis ratam habuit, eâque de re, petentibus patribus, reſcriptum indulſit. Hoc in acta relatum Noviomagi v. Kal. April. ac Albani manu ſignatum. Tum pactione reſcripto firmatâ Kal. April. diem cæptando apud Leovardios arbitrorum conventui præfinivit, animumque ferocem ſola urbium excidia, & ſanguinem fœderati populi ſpirantem, velut continuo furori intervallum largitus pacis negotio exercuit. Cæterum arbitris in diverſa diſtractis, & fatali velut partium morâ ſalubria conſilia, etiam aſperrimi Ducis, præpediebantur. Quare maritimi Weſtergoi metuentes malorum, ac ut mare prolatis aggerum curis tempeſtate, aut æſtu intumeſceret, ſupplicationem hunc in modum ad Ferdinandum Albanum miſère.

ILLUSTRISSIME PRAEFECTE.

Supplicatio Weſtergoôrum ad Albanum.

MVltis ab hinc annis reficiendo marino aggeri gravia onera ſuſtinuimus. Ideo ad Carolum Cæſarem olim ſupplices devoluti remedia noſtris malis, ac ſubſidia oravimus. Cæſar vero reſcriptum indulſit, mandavitque Hyppolito Perſinio Senatus tum Præſidi, cæteriſque per Friſiam Senatoribus, (ad quos aggerum res non ſpectaret) ne actorum judicialium quæ comperendinationes eſſent, cæterum acta partium à Friſiæ Senatu viſitata Bruxellas ad Senatum Secretiorum tranſmitterentur. Et quoniam, actis confectis, mare anno 1570. in Weſtergoam, aut ſaltem potiſſimam Weſtergoæ partem ſe effudit, ita aggeres, tabulationes, cæteraque littorum præſidia vi ac impetu fluctuum diſjecit. Damnis vero datis, quia ſuccurrere noſtrarum virium non erat, placuit tibi, Illuſtriſſime Dux, regio Philippi nomine decernere, ut communibus Weſtergoæ impendijs priſtinam in molem à Bildâ in Maecomanum emiſſarium agger erigeretur, conciliandiſque interea partibus à Senatu regio, aut à te jure Principis leges ſcriberentur. Cæterum quoniam aliud reſcriptum mediterraneis poſt conceſſiſti, quo differri anterius decretum jubebas, ita Robleſium, Romum & Oſtendorpium delegaſti, qui reſcriptorum tuorum interpretes eſſent, eoque facto omne inter maritimos mediterraneôſque Weſtergoos controverſum, evocatis ex Hollandiâ, Zelandiâque Senatoribus, & aggerum Præfectis definirent. Poſtquam vero turbæ per Hollandiam, Zelandiamque increvêre, interceptis commeantium itineribus,

mediterranei, maritimique Weſtergoi in conventionem condeſcenderunt, defi-niendæ litis poteſtate, Gaſparo Robleſio, Balduino Ronio, Gerardo Oſtendor-pio, Ioanni Fonckio, & Igramo Achlenio factâ. Nos vero maritimi non a-liam in ſpem conventioni nos ſubmiſimus, quam ut omnes Weſtergoi iiſdem pactis ſe obligarent, omneſque lites, ad rem aggerum ſpectantes, con-cordi Weſtergoæ populo finirentur. Cæterum pervicaciâ eorum, qui exercere odia & lites, quam ſuis, & reipub. commodis conſulere maluerunt, ſpes noſtræ eluſæ, interverſo amicæ compoſitionis fructu, qui haud dubie ad omnem Weſtergoam perventurus fuiſſet. Idem ſcias, Illuſtriſſime Dux, Robleſium, idem Fonckium, ac cæteros arbitros ſentire. Hoc interim reſtat, ut, illorum arbitriis lite commiſſâ, ſalaria habeant, ac ut ea ſpecie tributi colligi per Weſtergoam ſinas, dum, qui lite cadant, ſumptus & impendia refundant. Maritimos certe nos ulterioribus expenſis gravari, nec turbæ, quibus præcipuè infeſtamur, nec alluens mare permittunt. Neque enim pendendo levi tributo, quod ante annum reficiendo aggeri decrevimus, pares nos egeſtas facit, incre-mentum haud dubie factura, niſi omnium inter Weſtergoos litium finis ſit, aggerumque damna communibus ſubſidiis ſarciantur. Tuum erit, Illuſtriſ-ſime Præfecte, poteſtatem arbitris facere, lites etiam quaſcumque finiendi, ſtatuendique, ut vim ac robur illorum judicia ſortiantur, ac ſi Senatus Se-cretiorum determinandis controverſiis præſediſſet. Et quia ordinariæ juriſdi-ctionis incapaces arbitri ſunt, rogamus, ut jus illis ac poteſtatem facias è flo-renis aureis modicum tributum cogendi, ne damnoſa iiſdem arbitris ſua officia ſint, & ne defectu æris noſtræ lites moram ferant. Id ſi facias, Illuſtriſſi-me Dux, ſaluti tuæ vota nuncupabimus. cIↃ. IↃ. LXXIII.

Hæc à Cunero Epiſcopo, Ulpio Hiddama, Jacobo Herbajo, L. Watnia ſignata.

Reſcriptum ALBANI tale erat.

Albani reſcriptum.

QVandoquidem è ſupplicatione maritimorum Weſtergoorum certior factus ſum, eam, ut bono publico, conciliandæque inter Philippi regis ſubdi-tos concordiæ, ita conſervandis præmuniendiſque adverſum maris vio-lentiam agris ſpectare, Regiſque etiam, ut id fiat, quam maxume intereſſe. Ita Philippi nomine poteſtatem facio Billio, Fonckio, Cancellario Tranſiſulaniæ, Oſtendorpio & Præſidi Friſiæ, litem, proceſſumque judiciarium, viſitandi, definiendique. Itaq; eoſdem arbitros Senatui Secretiorum, quem huic rei cognoſcendæ delegeram, ſubſtituo, voloque ut eorum ſententia idem ponderis habeat, ac ſi Senatus Secretiorum pronuntiaſſet. Salariis vero corrogandis, jus facio iiſdem arbitris tributum per Weſtergoam colligendi, ne quid moræ in-terveniat, mandoque ut rei judicatæ partes ex æquo pareant. Datum No-viomagi VI. *Kal. Iul. Anno* cIↃ. IↃ. LXXIII.

F. DUC DE ALVA.

Ad Mandatum

BERTI.

Igitur, vergente Auguſto menſe, arbitrorum conventus Leovardiæ in arce regiâ indictus. Ibi Robleſius expoſitâ coram arbitris ſui con-ſilij ratione, hunc in modum diſſeruit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIII. *Roblesij Oratio.*

NOn unius anni calamitate exagitamur, cæterum inteſtino bello diu attriti, non minus periculum à circumfuſo fermè mari habuimus. Majores hujus gentis non unâ temporum ætate ijs malis obnoxij fuere, cum Flevus, Rhenum flumen latiſſimo alveo, & immenſis lacubus difficulter claudens, crepidine ripæ à continente ſenſim avulſâ, non agris tantum hiſce, cæterum pagis, viciſque diluvia attulit. Sed libertate olim ante Principum tempora uſis diuturnæ factiones curam provinciæ excuſſere, probatumque fuit, ſtudia pacis graſſantibus armis vileſcere. Vbi vero ſalutaris Principis dominatio civiles diſcordias ſedavit, experti fuere quanta publici boni apud Principem deſideria eſſent, & quantum intereſſet inter maris æſtus ac eluviones terram incolentibus donari. Hoc modo Biltanis agris munimentum curâ Principis obductum, qui ne alieni littoris contiguitate damnum ſentirent, cæteris quoque præductæ moles Oceanum reppulêre. Sic agros coluêre ab inundationibus tutos, intraque littora conſeptum mare fœcundam annonæ provinciam, & ſimul affluentiam opum dedit. Poſt vero luxuriâ fortunæ corruptæ gentes, ut oſtenderent, quam difficilis ac ardua fælicitatis poſſeſſio eſſet, ſumptis in Principem armis, & ſimul diſcordijs civilibus agitatæ pacis iterum conſilia, & fructus neglexêre. Itaque mare, velut civilis diſſidij ultrix, ante triennium, & poſt ruptis fluctuum repagulis omnem provinciam adflixit. Neque frumenta tantum, & pecora in profundum acta, cæterum multorum millium internecione ſurgens diluvium, cultiſſimis terris ſolitudinem, regio ærario inopiam, egeſtatem privato cenſui dedit. Protrahi longius reprimendi maris conſilia ſine ultimi exitij metu non poſſunt. Niſi forte Biltanos quoque agros novo cultu, & alluvione fælices infenſanti rurſum Oceano permittimus. Qui diurnis æſtubus vada & obices reſorbens, mox procellâ actus, plenilunijs novilunijſque tumidior, perpetuum velut naturæ bellum cum hac ipſâ continente adhuc exercet. Cujus ferociâ quoque factum eſt, ut populus ante litium & diſcordiarum ferax, ſuis ſedibus metuens, &, ſi mare latius terminos extendat, neceſſario coloniam facturus, noſtris arbitrijs ac judicijs ſe permiſerit, extremiſque malis præceps remedium popoſcerit. Noſtrum erit, pacem ac ſecuritatem volenti populo dare, munitoſque Philippi regis reſcripto provincialium deſiderijs, & ſimul diſcrimini publico ſubvenire. Hoc agendo æqui in Principem, in commiſſum nobis populum erimus, tutiores terras poſt compoſitam litem habiturum. Vt eam finiamus non actis, reſcriptiſque Principum, ſed ſolâ conſcientiâ egebimus. Hac conſultâ æquitatem ſpectabimus. Sin vero querimonijs ſupplicum, aut eorum importunitati auſcultemus, trahemus conventum, & ſimul offenſiones partium, quæ judicaturo poſthabendæ ſunt. De me teſtor, nihil affectibus daturum, cæterum favoris, aut odij immunem publica commoda privatis utilitatibus antepoſiturum.

Hæc ROBLESIUS.

Lis decisa. Mox evolvendis partium actis conſumpto triduo, bono exitu litem clauſit, dimiſſoq; conventu Joannem Fonckium unum ex arbitris ad Ferdinandum Albanum amandavit, qui adornandæ claſſi, & maturandis in minores Friſios expeditionibus Amſtelodami tum agebat. Ibi Fonckius geſti negotij, & definitæ inter Weſtergoos litis certiorem Albanum fecit, populumque Weſtergoum ante diſcordem, & judicia novis diſſenſionibus morantem, laudabilem in concordiam coaluiſſe.

Nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Nihil verò aliud deſiderari, quam ut Weſtergoi fructum judicij ſentiant, publicenturque acta, quorum deſiderio avidæ partes teneantur. Quare Albanus vir imperioſæ ſeveritatis, litteras Amſtelodamo VII. Eid. Sept. in Friſiam ad Robleſium dedit, quo, curante adhuc Philippi res per Geldriam Ægidio Barlamontio Hyergio, per arbitros decreta omnem in populum vulgarentur: CIↃ. IↃ. LXXIII.

Albani reſcriptum de promulgandâ deciſione.

PRæpoſitus Vltrajectinus Ioannes Fonckius mihi apud Amſtelodamenſes hoc tempore agenti fidem fecit, definitam vos per arbitros aggerum litem eſſe. Ego vero Regi Philippo, & vobis gratulor, ejuſque nomine acta veſtra rata habeo, teſteſque regiæ & meæ fideï litteras ſubjungo. Tibi mando, Robleſi, ut extemplo Cancellarium, Ronium, Oſtendorpium, (neque enim Fonckium hoc tempore dimittere queo) Leovardiam voces, obſignataque per vos arbitros publicari cures ocyus.

Hæc ALBANI manu ſignata.

Partes ad audiendam ſententiam citatæ.

Itaque ad v. Eid. Novemb. diem partes Leovardiam, audiendam ad ſententiam, citatæ, litteræque iſti rei ſcriptæ Gaſparis Robleſij, ac Præſidis manu ſignatæ. Cæterum omiſsâ in ijs omnium litium, quæ univerſis Weſtergois communes eſſent, mentione, Weſtergoorum delegati, qui tum aderant, in arcem regiam vocati.

Ibi ACHLENIUS.

CItari (inquit) *vos fecimus, ut audiretis quæ à nobis arbitris decreta ſint, & quæ dirimendis maritimis, mediterraneiſque Weſtergois tantum ſpectabant. Nos vero, quoniam omne controverſum, inter vos Weſtergoos, definivimus, id vobis indicandum duximus, quo de noſtris in vos officijs vobis conſtaret. Et quoniam Cancellarium Ronium, Fonckium, & Oſtendorpium abeſſe non ignoratis, deliberabitis inter vos, an pronuntiari à nobis decretum velitis, an differri, dum reliqui arbitri præſto ſint. Veſtrum erit id nobis ſignificare, ac per acta nos docere, quo diem præſiniamus promulgandis decretis opportunum.*

Mox pro maritimis Weſtergois reſcriptum.

Placere compendium temporis, ne quid mali prolatis decretis interveniat. Neque eſſe neceßariam reliquorum arbitrorum præſentiam, quos aliorſum turbidi temporis tædium, aut ſollicitudo vocaverit. Robleſij Pro-præfecti, & Achlenij Præſidis fidem ſolemnibus interponi. Ea rata ſe habere.

Sic pro maritimis Cunerus Petri Epiſcopus, Scelto Liauckama, Ulpius Hiddama, Dothias Bonga, L. Watnia, Leo Syricius, Tzommo Mantgumanus procurator cœnobij Achlomani reſcripsêre. Idem à mediterraneorum delegatis Sixto Tiallengio Presbytero Tiumano, Franciſco Tallumio, Petro Boimero, & Æmylio Adama pro Franequeranis, Serapio Bonga, & Simone Nicolao pro Baerderanis, Jovio Lycleſio, & Gerlaco Riſpenio pro Hinnardijs, Siccone Gerritio, & Jetſone Gerconio pro Menaldumanis, Livio Jacobi pro Minnertſgais, Jacobo Formadler pro Tiumarumanis & Firdgumanis, Jacobo Hobbio pro Oſterbiremijs factum. Tum aſſenſus nobilium quorundam ſubſecutus, actaq; à Julio Dekama, H. Ebinga, Herone Ockingha, He-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXIII. ctore Dekama, & Ruardo Roorda ſignata. Cæteri quoque Auſtrales Weſtergoi una cum Sylveſtrium Legatis, qui nec maritimis, nec mediterraneis quinque præturarum Weſtergois accenſebantur, octiduo effluxo, velut tempore ad deliberandum capto, omne quod ab arbitris geſtum, ſcriptum, judicandum, publicandumque eſſet, approbravere, poteſtate vulgandi Robleſio, & Achlenio Præſidi factâ. Ita per Petrum Frittema Senatorem Regium pro Wimbritſerijs, Paulum Coſterium priorem in Thabor, Joannem Wittenium priorem in Haska, Douwonem Roordam pro Snecanis, Bernardum Romckenium pro Bolſuerdijs, Vibium Douwonium pro Hindelopijs, Ulpium Nicolaum pro Worcumanis, Gerardum Olphartium pro Hemelum-olpherdijs, Nordvoldijs & Staurijs, Hoitonem Tenium, Gellium Tarquinium pro Geeſterlandis, Geroldum Herama, Douwonem Herama, Folpardum Titum Baard pro Wonſeranis, Titum Suffridæum pro Ilſtanis, Annam Tarquinium, Hoitonem Hinneſium pro Donieverſtallijs, Gerbrandum Mintium pro Lemſteranis quinque pagicis ſignatum. Hæc in Jacobæorum æde Leovardiæ geſta. v. Eid. Nov.

Quare cum litteris citatorijs in omnem non ſolum Weſtergoam, ſed Sylveſtrium tractum tabelliones miſſi, parteſque ad XIV. Kal. Dec. adeſſe Leovardiæ juſſæ. In ijs Menaldumæi, Antiſtes Aengiumanus, Baerderani, Monachobajumenſes Cœnobitæ, Hennardij, Franequerani, Minnertſgai, Barrani, Bolſuerdij, Cœnobitæ Wonſerani, Antiſtes Floridi Campi, Oegani Cœnobij, Snecenſes, Cœnobitæ Winbritſerij, Cœnobitæ Thaboritani, Hoſpitalij, Nazareni, Groendiceni, Neocloſterij, Woldſeindij, Ilſtani, Carmelitæ, Worcomani, Cœnobitæ, Hindelopij, Staurij, Hemelumolphardij, Nordvoldij, Antiſtes Hemelumanus, Geeſterlandi, Donieverſtallij, Slotenſes, Lemſterani, Haſkerij quinque pagici, Prior Haſkerius, Scoterlandi, Commendator Cœnobij Opſterlandi, Anguirdij, Cœnobitæ Steenkerkani, & Utingerani fuere. Itaque in Baſilicâ conſidente Robleſio Pro-præfecto, & Senatu regio ſententia recitata.

Sententia recitata. *EA cautum fuit, ut actiones utrinque ceſſarent, nulloque actoris, aut rei reſpectu diuturna litis impendia reciprocâ compenſatione ſanarentur. Reſcripta quoque Principis, Præfectorumque, quæ jam ante miſeratio recurrentium inundationum, aut preces ſuplicum extorſerant, poſt terminatam litem reſcinderentur, valeretque pronuntiatum à Georgio Scenco Gubernatore Cæſaris Anno 1533. cæteriſque arbitris definitum. Itaque aggerum ſpatia, quæ à Biltâ Harlingam verſus mari objacent, mediterraneis Weſtergois, reliqua ab Harlingâ in Auſtrum ad emiſſarium Maccumanum excurrentia, maritimis aſſignata. Decretum quoque, ut tabulationes poſt inundationem Anni 1570. factæ, aut faciendæ, pro ſitu agrorum partibus cederent, Lidlumanique Cænobitæ cum Tjumarumanis, Firdgumanis, & Ooſterbiremijs ex edicto Scenci ſubſidia partibus præſtarent.*

Reperio in actis Hemelumolpherdios & Nordvoldios, maritimis Weſtergois ſociatos, eandem Sylveſtribus litem tum intentaſſe, eoſdemque maritimos, velut lite temere inſtitutâ fiduciâ cauſæ, & ſimul

ſpe

ſpe boni eventus, ex decreto eorundem arbitrorum, excidiſſe. Quæ à Philippo ſolemni edicto confirmata in uſu manſere. Hæc in arce regiâ Leovardiæ perſcripta, ac Gaſpari Robleſij, Igrami Achlenij, Balduini Ronij, Gerardi Oſtendorpij, & Joannis Fonckij manu ſignata. Hoc modo lite aggerum, quam conjunximus, confectâ, diploma quoq; regium, quod erigendo, reficiendoque marino aggeri à Philippo ſcriptum erat, Gaſparus Robleſius ratum efficaxque eſſe juſſit, contumacemque adhuc populum, ſua & ſimul publica exitia neglectu aggerum trahentem, ſeverioribus imperijs agreſſus eſt. cIↃ. IↃ. LXXIII.

Tum ut regiæ, & ſimul ſuæ dominationi conſuleret, conventum quoque denuo Leovardiæ habuit, inſtruendiſq; quatuor pro rege triremibus ſubſidia popoſcit. Quippe pleroſque maris ſinus hoſtium claſſibus obſeptos, & præpedita commercia querebatur, fœderatoſque per proſcriptiones, aut arma ſubmotos, terreſtre bellum exitiali peiraticâ commutaſſe. Sic iſtis amphibijs aliud ſuffugium malitiæ quæſitum, non alio conſilio, quam ne commeatum regijs copijs tranſmarinæ provinciæ præſtarent, & ut proxuma littorum fœdis incurſionibus infeſtarentur. Sic fœderatos ſagaces, & nocendi peritos omnem maritimam oram ſcaphis, lintribuſq; legere, diurnique æſtus obſervatione, quem ex Lunæ ſydere metiantur, ſuperatis brevibus levia navigia, claſſiario milite completa, extimum ad littus adigere. *Exactiones Robleſij.*

Mox aſcenſu in continentem facto, ſilente Lunâ, aut opaco noctis per eos villas vaſtari, exuri fana, liberos & ingenuos homines, inſtar pecorum, contrucidari, aut abduci, eſſeque metuendum, ſi progreſſus fecerint, ut pejora furoris ſui exempla edituri ſint. Itaque quærendum ocyus malis remedium, & æſtuaria maris validâ claſſe, aut multo remige purganda. Ut ij habeantur, inſtruanturque triremes, pecuniâ opus eſſe, quam hoc ipſo tempore ex publico haberi Regis ſimul, & provinciæ interſit. Hæc à Robleſio in conſeſſu regij Senatus, coram Ruardo Roorda, Valerio Cammingha, & Herone Ockingha Deputatis Ordinum, præfervidis in Regem ſtudijs dicebantur. Quamobrem Deputati, corrogandi æris difficultate moti, convocandorum ocyus Ordinum ſpem fecere, quo aſſenſu populi, aut eorum, ad quos jus & ſimul ſumma reip. pertineret, gerendis pro Philippo juſtum rebus tributum decerneretur. Interim obteſtabantur ſe Regis & provinciæ commodis non defuturos, daturoſque operam, ut neceſſarij, & prudentis conſilij fructum ferat Robleſius, publicâque liberalitate, etiam extenuato ærario, & diſtractis provincialium fortunis, tam utile negotium juvetur. Poſſe penſiones vectigalium agrorum, & ſemeſtres ærarij reditus anticipari, aut ſupplendæ æris inopiæ aliud ſubſidium decerni, cujus copiam propediem Præfectus Senatuſque regius habituri eſſent.

Quare Senatus regius miſſis extemplo in omnem provinciæ oram litteris, diem comitio ad XVIII. Aug. dixit, delectoſque Ordinum præſtituto die adeſſe juſſit. Ibi ex Ooſtergois Cunerus Epiſcopus, Gerardus Jacobus Antiſtes Clarecampenſis, Scelto Sceltama, Hero Burmania, & Hector Vibenius Wirdumanus. E Weſtergois Præſul Lidlumanus, Petrus Frittema Jureconſ. & Senator regius, Goſlicus Herama *Comitium Leovardiæ habitum.*

cIↃ. IↃ· LXXIII. rama Jure-Conſ. Petrus Widmarſius Buranus. E Sylveſtribus Commendator Neſſanus, Idzardus Sickingha, & Julius Dekama Senatores, Tarquinius Annius, & Meinius Lycleſius Nyholtius comparuere. Quo conventu, etſi eſſent, qui diſcordem provinciam, & inops ærarium obtenderent, tamen plerique publico diſcrimini ſubveniendum privatis impendijs cenſuêre. Itaque ſeſtertius ſingulos in florenos aureos, adornandis triremibus, ex eorum bonis decretus, mandatumque prætoribus, ut per territoria ac diſtrictus tributum cogant ocyus, pendantque Heroni Burmaniæ erogandis pecunijs delegato.

Acta in Comitio.

Mox Robleſius, quo triremes regias, quas Groningæ clam fieri curaverat, commeatu ac annonâ inſtrueret, Harlingam profectus eſt, maritimæque expeditioni neceſſaria paravit. Igitur adornatæ triremes Reiderium in ſinum immiſſæ, qui in Lavicæ æſtuarium influens Groningam urbem modico & navigabili alveo adlabitur. Cæterum enormi tempeſtate mox disjectæ, aggereſque marini, ultro quoque infirmi, & ſuſtinendis fluctibus invalidi, intumeſcentibus aquis patuere. Itaq; omnis Friſia, qua Flevum, Lavicam, Amaſum flumina latiſsimis oſtijs exonerat, aquis obruta, mareque, velut novis cladibus conſilia mortalium provocaret, aut eluderet, per lata continentis ſpatia ſe effudit. Unde jumenta & homines undis hauſti, frequentiam incolarum, & fortunam ſimul provinciæ minuerunt. Tum præter navem præſidiariam, cui Joannes Andræas vir fortis, nomine fœderatæ ſocietatis præfectus erat, cum decem & quatuor claſsiarijs undis datam, triremis quoque regia continuis Cori, qui Friſico litori infeſtiſſimus eſt, procellis, & vehementiâ brevium ſubverſa. Ibi Siricius Donia vir nobilis, & juxta eum octoginta claſsiarij deſiderati. Reliquæ triremes non meliore fortunâ per intumeſcentia æſtuaria circumductæ, diverſis littorum vadis illiſæ. Unam tradit M. Heymannus, ſuperatis æſtuarijs ſinu Amelandico in mare magnum, & quod veteres noviſſimum credidere, actam, reciprocante æſtu, poſt introrſum vi fluctuum pulſam, in Trans-Lavicanis haud procul Groningano littore deſediſſe. Reliquæ duæ diu alto jactatæ Holverdicum in littus ejectæ, conſilia Robleſij non parum retardavere.

Inundatio per Friſiam

Quorum conatus ne irritus eſſet, idem Robleſius triremem regiam, cui Siricius Donia cum imperio præfuerat, à Biltanis in continentem ſubductam refici ocyus curavit, novoque claſſiario milite complevit. Tum novem ex fœderatis claſſiarijs, qui nando in littus evaſerant, naufragi & fati inclementiâ infælices Leovardiam abducti, vinculiſq; dati ſunt. Itaque tum ſerio provincialium, procerumque animos deſperatio pervaſit, credentium iraſcentem fortunam, non ſolâ civilium bellorum calamitate ſatiatam, anniverſarias inundationes, perdendæ genti, inteſtinis armis adjicere. Efferari cœlum & ſydera, ac non tantis æſtubus concitata maria fortunatos majores afflixiſſe. Omne adverſum infœlicibus poſteris reſervari, locum aliquando non habituris in quo ſpiritum trahant, niſi confuſione quadam gentium priſcis ætatibus aſsimilatâ, infeſtent occupentque aliena.

Robleſius quoque, Harlingæ tum agens, ſævientis Oceani ſpectaculo, velut provinciæ imperium amiſſurus, non levi ſollicitudine attineba-

nebatur. Quamobrem miſsis Leovardiam litteris Igramum Achlenium Præſidem, Balduinum Loæum, Idzardum Sickingam, & Petrum Frittemam Senatores Harlingam vocavit. Ibi Senatui regio Præfectos aggerum Leovardiam ex omni provinciâ evocandi poteſtatem fecit, tertiumque Sept. diem habendo conventui præfinivit. Igitur Senatus regius Leovardiam, ſalutato Robleſio, regreſſus Dodonem Syrxmam & Paulum Breckerum aggerum Dongriæ cis ac trans Paſenum fluvium, Prætorem Ferverdium, Rolandum Achlenium Dantumanorum, Andræam Haringium Collumanorum, Fredericum Hornium Hemelolpherdæ & Nortvoldæ, Douwonem Heramam Wonſeranorum, Sicconem Albadam Winbritſeranorum, Idzardum Stientjemam à Feenhusâ ad Cliſſum promontorium, marinorum aggerum Præfectos ad III. Septemb. adeſſe Leovardiæ juſsit. Quæ urbs, etſi meditullio provinciæ, & non uno aggere clauſa, novæ tum tempeſtatis acerbiſsimâ calamitate jactabatur. Itaq; æris campani per urbem ac municipia pultatio imperata, colonique agrorum ſuburbanorum cum inſtrumentis ruſticis Suettanum in aggerem evocati, quo novo & foſsili opere impetum aquæ morarentur. Flante Africo illam tempeſtatem eveniſſe autores tradidere. Quamobrem Robleſius, ne quid temporis & conſilij elaberetur, & ne diurnis tempeſtatibus per omnem provinciam aggeres eluerentur, curatis Harlingæ rebus, Prid. Kal. Sept. Leovardiam ſe recepit. Mox condicto die haberi Senatum juſsit, Præfectoſque aggerum in Curiam regiam citatos per Achlenium Præſidem hunc in modum allocutus eſt.

cIↃ. IↃ. LXXIII.

Aggerum Præfecti Leovardiam vocati.

Non alio conſilio convocavimus vos Præfecti, quam ut de remedio iſtius mali conſultaremus, quod tot annorum inclementiâ ferociens continuis furoribus non publico tantum littori, ſed agris, ac ipſis etiam incolentibus injurium eſt. Ita tot funerum ſtrage nuper editâ, velut noviſſimum diem his terris decerneret, paucos ante dies periculoſe deſævijt, ac ſi noſtris, de quibus deliberavimus, remedijs auctam per intervalla malitiem opponeret. Quare ne ruptâ naturæ lege terram, quam incolimus, mare hauriat, & ne vivi tranſire in ſe invicem elementa ſpectemus, cenſeo rumpendas moras eſſe, ac naturæ iras noſtrâ ope ac ſolertiâ reprimendas. Spectate corruptam annonam, diſjectas villas, abacta pecora, & tantam cariſſimorum pignorum multitudinem iratis fluctibus abſorptam. Adeo quidem ut nos vivere, aut mori, non naturæ, aut fati, ſed beneficio fere ambientis Oceani videamur. Quare volo ut de ſtatu aggerum, qui agris finibuſque veſtris prætexuntur, ad Senatum hunc referatis, perſcribatiſque ocyus, quid erigendo reficiendoque aggeri factu utile, ultimâ rerum deſperatione cenſeatis. Nos veſtris conſilijs ac arbitrijs regis nomine autoritatem commodabimus, ne videamur conſcientiæ fidem, & publicum bonum neglexiſſe, cui ſolenni ſacramento nos obligavimus.

Sic Præfecti aggerum imperata facturi à Præfecto Senatuque regio dimiſſi. Mox ne, pervio per inundationes littore, provincialibus periculum ex annonâ eſſet, omne frumentum, quod ex injuria atrociſſimæ tempeſtatis reliquum erat, exportari edicto, præterquam in caſtra regia vetuit, fænumque pecori pabulum, quod agrarij, penuriâ graminis,

Remedia inundationibus quæſita.

ante

cIↃ. IↃ. LXXIII. ante æquinoctium autumnale ſtabulis clauſerant, cogi aſſervarique per provinciam juſſit. Aquæ quoque eroſis ſalſedine agris ſuperfuſæ ſolitis vijs ductibuſq; laxatæ, cataractæq; & emiſſaria pro ratione diurni æſtus, & ſpirantium ventorum clauſa, ac recluſa inundationibus incrementum ademere. Reperio in actis illorum temporum, ſubverſis Dongriæ circa Paſenum fluvium aggeribus, omnique pecore ac ſupellectile undis hauſtâ, multos beneficium ceſſionis bonorum Senatum regium orâſſe, exutoſque fortunis ac poſſeſſionibus incerta ſedium miſerando ſpectaculo quæſiviſſe. Rex Philippus quoq; ut, attenuato per provinciam victu, negotiantium fraudibus mederetur, frumentarias leges, reprimendis coëmptionibus, tulit, contractuſque & actiones, ex ijs natas, naſcendaſve reſcindi, abolerique fecit. Poſt nullo veteris diſcordiæ reſpectu, quæ de exportandis provinciâ frumentis, Carolo Cæſare ſub Mariâ Gubernatrice, dein ſe Principe ſub Margaretâ, exarſerat, ſtructores annonæ, coëmptionum reos, pœnâ ſuſpendij puniri juſsit, publicamq; populi inopiam novâ legis ſeveritate ulciſci conatus eſt. Quare Prætoribus quoq; per provinciam, quovis modo, annonæ conſulendi poteſtatem fecit, quo, ut olim ſub Burgundicâ domo, procul anguſtiâ rerum, & damnatis coëmptionibus ubere alimoniâ fœlices ſubditi victitarent.

Fœderatæ urbes ſollicitatæ.

Dein dubiâ armorum fortunâ, per Ferdinandum Albanum, & civitates ejus imperio parentes, ſociæ fœderi urbes ad defectionem ſollicitatæ, velumque clementiæ, & fidei regiæ, ſpecioſis ultro pacis conſilijs, obductum eſt. Itaque, mite regis ingenium, & paterni affectus documenta exponebantur, velut non aliâ ſollicitudine Philippi animus attineretur, quam, ut populus perſuaſionibns pravorum, aut ſuâ imbecillitate ſeductus, ac à majoribus degener, ad imperium clementiſſimi Principis rediret. Inde veniæ ſpes, & omnium rerum oblivia redeuntibus ad regem, perſeverantibus in fœdere effrænis ſævitiæ comminatio, & excidia gentium denuntiabantur. Adhæc magni armorum apparatus oſtentatio regiæ potentiæ magnitudinem circumferebat, fiduciamque fortunæ, velut tot regnorum regem non deſerturæ certo bellorum ſucceſſui augurabatur.

Albano ingens tributum poſcenti Fœderati obſtant.

Econtra Albanus faſtidio fœderis non duraturæ ſocietati, & infauſtis coïtionibus breves terminos, & funeſtum exitum, velut ilicia ad deſertionem, ominabatur, doloſiſque actionibus ſubnixam perfidiem aulicis artibus, & peritiâ ſimulandi venditabat. Itaque inritâ fœderatarum urbium defectione, poſtquam doloſæ artes non procederent, bello domitandum populum ratus, ad exactiones converſus eſt, impulſoque regis ærario Ordines provinciarum vicies centena æris millia annuum tributum popoſcit. Ita enim, datis ex Hiſpaniâ litteris, juſſerat Philippus, ut affectis regni rebus, & acciſis Hiſpaniæ opibus ordinaria ſubſidia gerendo bello peterentur, populuſque ſuo exitio alimenta præſtaret. Quare fœderati ad ſocios Belgicæ Ordines, ne per aſſentationem, aut metum quid ſtatueretur, litteras dedere: Ijs monebant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

INtellexiſſe ſe Ferdinandum Albanum ſuppetias gerendis rebus poſtulare, & jam conventum indixiſſe. Etſi vero ad ſe id poſtulatum non ſpectet, quos à cæteris provincijs ſua infælicitas ſecreviſſet, tamen amore patriæ compulſos, quam ortu legibuſque communes haberent, celare conſilia ſua non poſſe. Placitum ſcilicet à majoribus fuiſſe, tuendæ adverſum externam vim mutuæ ſocietati, non arma tantum, ſed conſilia commodare, quo ſociæ gentis conſenſu & concordiâ, publicæ provinciarum res pace ac bello, domi & foris conſtarent. Tantum abfuiſſe, libertatem unquam peregrini dominatus capacem fuiſſe, non ſemel aſſertam majorum ſanguine, quibus infra ſervitutem mors fuiſſet. Nunc vero peregrinos, ex obſcuris initijs ad eminens aulæ faſtigium per malas artes, & fæda conſilia evectos, nihil aliud moliri, quam ut, procuratis gentium ſeceſſionibus, mutuum in exitium provinciæ conſpirent, attritiſque provinciarum opibus, tyranni & exteræ fecis imperium ſtabiliatur. Inde annuum tributum ſubvertendis ſocijs peti, quos in arma, ac bellum, more majorum, non aliud incitamentum quam tutela patrij juris impuliſſet. Quorum nomine cum Belgicæ Principes majeſtatis jura uſurpaverint, inſolens eſſe ſe ſervos illius potentiæ facere, cujus vis ac dignitas à populo ſit. Neque enim Philippi majores, Burgundiæ Duces, belli aut pacis, ſignandi æris, aut ſanciendarum legum jus, præterquam aſſenſu Ordinum habuiſſe, quo oſtenderent Ordines Principatum eos tenere à rep. non difformem. Itaque communis concordia reprimendæ exterorum dominationi, & mutua ſubſidia flagitabantur, arguentibns inſuper fœderatis, divulſis provincijs firmari imperia hoſtium, domeſticam libertatem ſubverti. Eam ipſam quoque reſtitui terris patrijs poſſe, ſi in fœdus provinciæ coëant, regi principatum, populo jus, hoſtibus fugam & ludibria aſſerturæ. Proſpectum quippe ſatis eſſe internæ potentiæ, neque aliud deſiderari, quam ut magnarum virium documenta ſint, & generoſam poſteritatem majorum decora irritent. cIↄ. Iↄ. LXXIII.

Mox ſupplicationes per omnem Friſiam imperatæ, quod Anna Auſtriaca regi avunculo primogenitum filium Carolo Cæſari cognominem fœlici partu ediditſſet. Vota quoque omni clero ſeorſim injuncta, quo propitio numine in nepotem Cæſaris fortuna ſimul & virtus clariſſimi Imperatoris transfunderetur. Tum Robleſius, ut pellendis mari fœderatis claſſiarium militem ſuppleret, ſeſtertium, quem è ſingulis florenis aureis Delegati Ordinum colligendum decreverant, in conſeſſu Senatus cogi per provinciam poſtulavit. *Robleſius pecunias cogi nequidquam poſtulavit.*

CVnctando quippe ſalubria conſilia ſubverti criminabatur, & increſcere potentiam hoſtium, qui peiraticæ beneficio imperium ferme maris adepti eſſent. His addebat infidos contumacis populi affectus eſſe, & multos ore tenus ſacramenta regia profeſſos occulta fœderi fomenta commodare. Adornatis quoque triremibus nullum uſum fore, niſi commeatu & juſto milite inſtruantur, promiſſoque ære per provinciam corrogato, armis Philippi per Hollandiam Zelandiamque ſparſis, trans Rhenum & in majoribus Friſijs regi ſubſidium præſtetur. Navali expeditione imprimis opus eſſe, ut bellum nuper in continente geſtum, mari finiatur.

Ad quæ IDZARDUS SICKINGHA, Senator regius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ. LXXIII. *Obſtante Idzardo Sickinga, Regio Senatore.*

EVm à majoribus morem ſe accepiſſe, ut tributum cogi ſine aſſenſu populi per provinciam nequeat. Delegatos quidem Ordinum pendendum inſtruendis triremibus ſeſtertium in ſingulos florenos annuos decreviſſe, cæterum nullâ relatione ad populum factâ. Se ſuaque tantum obligaſſe privato affectu in Regem, cujus ærarium ſublevari communi liberalitate, & contribuentium conſenſu debuiſset. Non poſse Senatum regium cogendis pecunijs mandatum interponere, niſi ſolenni comitio reſcribatur decretum, nomine populi ab ipſis Ordinibus confirmatum.

Ejuſdem Senatoris morbus, & hinc mors.

Itaque in ſuſpenſo negotium manſit, Robleſiuſque, etſi animo diſſimularet, aliud ſubſidium inſtruendis triremibus quærere coactus eſt. Ferunt eundem Senatorem libertate fandi, & ſimul publicâ, uſum, à Præfecto & Senatu regio malè exceptum, damnatumque privatæ & domeſticæ vitæ, ac publico ſemotum, ex ægritudine animi, velut optumè ſibi conſcij, & ad injuriam impatientis, morbum, & ex eo cauſam mortis contraxiſſe. Eâ quoque intentatæ à Joanne Carolo, fiſci regij patrono, litis eventum præveniſſe, corporeque, ſupra modum obæſo ſenſim mærore, & mox tabe extenuato, regiæ indignationis, & ſimul legem peſſimi temporis effugiſſe. Adeo verum eſt, egregijs viris ut gloriam, ita odia & ſimul pericula creſcere, ne hoc quidem indulgente Principis imperio, ut inter oppreſſi juris ludibria patriæ defenſor libertate vocis, exuto, & quidem citra immodeſtiam, ſilentio frueretur. Hoc namque ægrius à provincialibus ferebatur, Robleſium, expulſis etiam provinciâ partibus, militem ſuum planos per agros exigendis ſtipendijs ſparſiſſe, Joſephumque Talimerium, triremi regiæ apud Staurios præfectum immani ſævitiâ famoſum, nullo delectu hoſtium an provincialium fortunis ferocem animum explere. Quare Robleſius datis III. Sept. in arce regiâ ad Paſtranam Hiſpanicæ cohortis tribunum, qui caſtellum Stauriæ cum præſidio tuebatur, litteris, Joſephum Talimerium cuſtodiæ dari, neque ante dimitti juſſit, quam dilutis accuſationibus, & evictâ ſcelerum fama, rationem turpium factorum, & exercitæ immanitatis reddidiſſet. Hoc vero cavebat Robleſius, ne quid ignominiæ moleſtiæque per irreverentiam Hiſpanici ſanguinis ſæviſſimo hominum fieret, proculque vinculis, & ſquallore carceris leni cuſtodiâ haberetur. Mox quo agrariorum querimonias ſanaret, militem per provinciam ſparſum in præſidia revocavit, ac adeſſe ad ſigna juſſit. Scilicet ne populus impendia maris, aggerum, & belli ferens, mox graviora laturus, exactionibus inſuper diſcurrentium militum attereretur, diſſolutuſque belli ordo inopiam æris, & ultimam egeſtatem adflictis terris induceret. Quare & à ſignis abeundi, præterquam veniâ à ſeipſo aut Buſtamantio Tribuno cohortis impetratâ, nulli poteſtatem fecit, vaganteſque & colonis agrorum moleſtos capi abducique Leovardiam, punirique ex inſtituto militaris diſciplinæ imperavit. Arctandæ quoque militum licentiæ, & cohibendis excurſionibus ſtipendia petijt, ordinarioque tributo in quemque florenum aureum quatuor per provinciam ſeſtertios exegit. Tum de penſione viginti octo millium ex pacto regi præſtanda commonuit, partemque copiarum ſuarum, ſub

Ioſephi Talimerij captivitas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

quinque ſignis, Alcmariam in caſtra Frederici Albani ablegavit, partem in præſidijs retinuit. Triremes quoque regiæ quas Robleſius milite & commeatu impleri fecerat, in æſtuaria miſſæ, quo Flevum fluvium, latiſsimo oſtio in mare ſe effundentem, claſſe occuparent, minoribuſque Friſijs auxilia ſimul, & commercia præcluderent. Cæterum Doconis Martnæ nobilis Friſij, cui ab Aurantio Principe Friſici maris imperium commiſſum erat, & qui oſtium fluminis anteceperat, rejectæ, dubio flexu per infida æſtuaria ſe ſparſere. Hoc vero maxume Robleſius ac Trierarchæ moliebantur, ut triremes claſſi regiæ, cui Maximilianum Heninium Boſſuvium Albanus præfecerat, ſe jungerent, fœderatorumque naves à minoribus Friſijs inſtructas, ſociatis viribus Auſtrino in ſinu diſsiparent.

cIↃ. IↃ. LXXIII.

Expeditio navalis triremium regiarum.

Cæterum Aurantius etſi de liberandâ obſidione Alcmariâ animo agitaret, Sonnoium minori Friſiæ Præfectum, ſpeculatorijs navigijs curare Robleſij conſilia juſſerat. Sic factum eſt, ut Sonnoius fretum, quod majores minoreſque Friſios interluit, obſeptum claſsibus redderet, hoſtiumque expeditiones & auxilia triremium, compedito velut mari, moraretur. Itaque navali pugnâ haud procul Muda oppido, Auſtrino in ſinu commiſsâ, regiâque claſſe per adverſitatem fatorum fœderatorum armis fugatâ, triremes quoq; & regiæ naves, infidis æſtuarijs, Harlinganum in portum ſubductæ, mœrorq;, & trepidatio, ut regium exercitum, qui Alcmariâ caſtra moverat, ita omnem majoris Friſiæ provinciam pervaſit. Adeo verum eſt mortalium mentes fortunæ imperijs regi, infauſtoſque magnarum rerum exitus, fiduciam animorum adverſitate caſuum confundere. Idcirco fuêre, qui perculſis navali clade, & captivitate Maximiliani Heninij Boſſuvij, hoſtibus, de oppugnandis, exurendiſq; in ipſo Harlingano portu triremibus cogitarent, cæcoque fortunæ impetu utendum rati arduis ac difficilibus conſilijs occuparentur. Cæteris placebat mediocritatem rebus quoque proſperis tutiſsimam eſſe, & inſtabile caducumque fortunæ providentiâ futuri diſcriminis metiendum. Non ſemper quippe eodem ordine res humanas ferri, cæterum reciproco æſtu ſe vertentem fortunam modo fluxâ benignitate, modo importunis odijs exorbitare. Ita grande conſilium oppugnandarum triremium, cujus Doconem Martnam maris Præfectum autorem fuiſſe annalibus proditum eſt, magnitudine periculi omiſſum, & quod claſsiarij militis juſta ſupplementa deſiderarentur.

Fœderatorum cum regijs navalis pugna, & victoria.

Capitur Maximilianus Boſſuvius.

Ferunt Philippum inaugurationis tempore luſtrandis provincijs, & urbium magnificentiæ intentum, Harlemumque provectum, de viſendâ quoque Alcmariâ cogitaſſe, invitatumque, quo id honoris civitati & populo daret, certam ſui adventus ſpem legatis Alcmarienſium feciſſe. Cæterum perſuaſum à purpurato, obſcuræ urbis famam infra majeſtatem ac fortunam tanti Principis eſſe, conſilium mutaſſe, eluſoq; populo, & omnium rerum apparatu in contumeliam, ludibriumq; verſo, neglectâ urbe, & minoris Friſiæ provinciâ Amſtelodamum perrexiſſe. Quâ in re mirari prudentiam & æquitatem fati lubet, fore aliquando, ut tantæ potentiæ, & ex hac legis ſui oblitus Princeps, idem, interruptâ obſidione, inglorij contemptus exemplum ab illâ urbe acciperet, totque regnorum coeuntium vis, in medio victoriarum

Hiſpanus movet exercitum Alcmariâ.

curſu,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIII.

curſu, ad ignobiles opinione Principis muros ſiſteretur. Boſſuvius quoque regiæ claſſi Præfectus, à minoris Friſiæ deſpectâ gente vinceretur, docereturque Philippus, magnitudinem regiam tot terras, & maria poſſeſſione, & plus animo ac ſpe complexam, ſumma deſtruentis fortunæ ludo includi.

Ferdin. Albanus magnâ rerum mutatione conſternatus.

Igitur Ferdinandum Albanum, qui jam ante proſpera fatorum in laſciviem ſuperbiamque converterat, adverſitate fortunæ dejectum mæror, & conſternatio occupavit. Quippe impurus Ducis animus, per tormenta pectorum, omne adverſum iraſcentem fortunam robur amiſerat, pœnitudineque anteactarum rerum, velut interno vulnere, debilitabatur. Ita reputabat in Hiſpaniâ & Philippi aulâ pacem, quietemque optuma ſedandæ Belgicæ remedia ſuadentibus ſe oppoſuiſſe, ſubmotâque principatu Margâretâ Gubernatrice, optumum ſolertis fæminæ imperium cum aſperrimo & inſolenti commutaſſe. Inde fomentum bello, cauſam tantis provincialium miſerijs ſe dediſſe, quo minus placare animum poſſit utriuſque fortunæ non capacem, & tantum proſperis aſſuetum. Refluentibus adverſis, ut ante fœlicibus rebus temperamentum, ita nunc remedia ſedandæ menti deeſſe. Sic rudimenta dominatus proſpere acta, velut non alia rerum lege, quam ut ſummam imperij maturitatem, & ſimul ſtatuæ beneficio monumentum famæ adeptus, inſtabili & res cunctas vertente fortunæ invidia exerceretur. Incerto loco res mortalium poſitas tunc maxumè deficere cum ad faſtigium pervenere. Librari namque dubijs eventibus per Zelandiam bellum, & Alcmariâ minoris Friſiæ urbe per Fredericum filium, velut conſtituto proſperis termino, deſertâ, claſſem regiam non uno loco improſperis naumachijs disjectam. Adhæc omnem fere Hollandiam in partibus, & per omnem provinciam infidas res, aperta arma aut defectiones agitare. Ita non miſſum in principijs ſanguinem, non depurgatas proſcriptionibus urbes ſecurum adhuc imperium polliceri, cæterum extare publicæ cladis aut iræ reliquias, nova conſilia in Philippum, & maxume ſe Proregem fabricantes.

Miſſionem à Rege oravit, & impetravit.

Quare inclinante fortunâ, & efferato magis per provincias populo, tutiſſimam miſionem eſſe, ne quæſita ſecundis gloria per adverſa obſcuretur. Poſſe adhuc, necdum collapſis Philippi rebus gratiam regiam, & inconſtantis aulæ promereri. Neque enim ſævitiem ſuam regi culpabilem fore, & profeſſuros ſilentium æmulos, ſi viderint Philippum, non verſo in odia affectu, miniſteria exerciti furoris, & ſimul patienter adverſitatem fortunæ ferre, ſuo more documenta caſuum, & fluxæ ſortis edentem. Sic expeditis in Hiſpaniam, præmiſſo jam ante, ut Thuanus tradit, Bernardino Mendoza, ad Philippum regem litteris, excuſatione diuturnæ valetudinis, & imbecillium annorum uſus, miſionem oravit, animoque immani, etſi otia ac vacationes ſuopte ingenio faſtidienti, receſſum paravit. Erant qui crederent, Philippum regem adverſâ Ducis fortunâ alium, ſuis etiam mandatis in perniciem miniſtri uſurum fore, Ferdinandumque Albanum à fortunâ deſtitutum, regis quoque, velut faſtidientis infœlicem indignationem & odia ſenſurum. Militarium quippe Ducum proſpera regum gloriæ ut plurimum cedere, adverſa privatis imputari. Eſſe

haud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

haud dubie, quæ Philippi ingenio, ultro crudeli, materiam offenſæ ClƆ. IƆ. afferre queant, & ut aliud incitamentum non ſit, ſolius ſuperbiæ eſſe. LXXIII. Ita Belgicæ ſolium, quod Principi reverentia majeſtatis reſervaverat, ab eo in conſpectu Ordinum, populique occupatum, & inſigni arrogantiâ, moderatis anteceſſoribus damnatâ, Trophæum, fallaci famæ erectum. Regiæ aut imperatoriæ fortunæ iſta decora eſſe, privatis, & Principum ſuorum æmulis ſemper incommodo ceſſiſſe.

Cambdenus Britannicarum rerum Hiſtoricus notat, aulæ regiæ magnates, & in ijs Cardinalem Granvellanum, ac Gomeſium de Sylva, ut in Hiſpaniam ocyus revocaretur, Philippum apud regem interceſſiſſe, ne crudele, & haud multum infra Principem imperium, deſperationem civilium animorum, & ſimul defectionem univerſæ gentis irritaret. Auguſtus ſcriptor Thuanus addit, Philippum ſiniſtris de Albano rumoribus jam ante inſtructum, id paci Belgicæ, & ſimul dignitati viri largitum, Joannemq; Cerdam Medinacœlium natalibus clarum, cæterum ſuâ virtute & geſtarum rerum fama obſcurum, in regenda ei Belgica ſuffeciſſe. Eundem Cerdam quoque, Albani æmulatione diu flagrantem, metu defectionis, oblatam à Philippo dignitatem aſpernatum, odioſi muneris molem, &, cum tacita velut exprobratione, fœdæ dominationis invidiem in eundem Albanum rejeciſſe. Itaque Fœderati, quo ituro in Hiſpaniam Albano invidiem crearent, &, ne Albanus falſò refricata contumacis populi rebellione, regium animum majore irâ accenderet, ſupplicationem hac forma ad PHILIPPUM Regem miſère.

Fœderatorum ad Philippum Regem ſupplicatio adverſus Albanum.

Quotieſcunque in clementiam tuam PHILIPPE *Rex, (poſtquam* CAROLO *patre imperio ſe abdicante principatum Belgicæ ſumpſiſti) cogitationes noſtræ defiguntur, toties in ſpem ac fiduciam erigimur, te miſeratione querimoniarum noſtrarum & ultimæ calamitatis, in quam* FERDINANDI ALBANI *proregis tui immanis ac ſuperba dominatio nos detruſit, remedia noſtris malis daturum. Ut, quoniam majoribus tuis fidem noſtram, obſequia & officia pignoravimus, quo Burgundicæ domus fortuna ad deſtinatum magnitudini ſuæ faſtigium exſurgeret, ita te laturum non ſperavimus, ut religionis prætextu patriæ jura, ac immunitates ab immaniſſimo hominum opprimerentur. Et ſpes quidem noſtræ tanto certiores fuere, quod ijſdem legibus & privilegijs noſtris ſacramento te obligaveris, ne quid ijs te Principe decederet, &, ut omne ſacrum, quod in his terris poſſidemus, tuâ protectione & potentiâ incolume eſſet. Cæterum quoniam in comperto eſt, noſtras querimonias, quas non ſemel Majeſtati tuæ obtruſimus, & ſimul fructus noſtrarum ſupplicationum, quibus interceſſionem Principum quærebamus, ſubverti, ita non dubitamus quin noſtræ calamitatis & miſeriæ documenta fraude & prævaricatione noſtrorum inimicorum intercipiantur. Ita fit, ut qui malis levamenta popoſceramus, contumaciam experiamur, præcludique ad clementiam tuam omne ſuffugium, quod à naturâ ſanctiſſimâ rerum parente patêre noſtræ innocentiæ debebat. Itaque irritis querimonijs noſtris illuſtrem patientiam profiteri deſtinavimus, ſi forte fatalis, & definitus clementiæ tuæ dies noſtris miſerijs illuceſceret. Sed magnitudo urgentis exitij, & ruinæ metus legem patientiæ abrupit, adeo ut moram ferre curatio noſtrorum.*

cIↃ. IↃ. rum vulnerum nequeat. Nec noſtra tantum bona, corpora, ac res in diſcri-
LXXIII. men adductæ, cæterum ditionibus quoque tuis, quas hæreditate in te volutas accepiſti, proxuma & vicina pernicies eſt. Vt ea amoveatur terris & principatui tuo, iterum obteſtamur, Clementiſſime Rex, noſtra obſequia, rogamuſque ut populi tui miſertus, juſti Principis officium expleas, tuteriſque leges noſtras, quas, diviſis olim provincijs ſancitas, majores tui tantarum rerum ditionumque hæredes aſſerendas ſuſcêpere. Ita recordare CAROLUM Cæſarem patrem tuum more majorum, tuâ etiam inauguratione, (quâ hæredem Cæſæris, poſt ſucceſſorem te declaravimus) ſolenni ſacramento provincijs ſe obſtrinxiſſe, quo inter Principem populumque nexus conſtaret, mutuâque ſocietate concordiam aleremus. Ea certe majoribus tuis, Clementiſſime Rex, potentiam, ſubditis opes, & affluentiam rerum peperit. Inde ſubſidia bellorum in CAROLUM patrem erogata, quorum, ne publice diſſimularet, te principatum inchoante, in conſeſſu Ordinum imperatoriâ voce fidem fecit. Itaq; voluit, ut, ratione fidi potentiſque populi habitâ, moderato imperio provincijs præeſſes, diſcereſque & tuæ potentiæ modum ponere, & illorum obſequia revereri. Per ea fuit, ut auxilia primis principatus tui annis acciperes, metumque hoſtibus, tibi potentiæ incrementum & gloriam, ſubditis tuis ſecuritatem dares. Et floruerunt ſtante Principis populique concordiâ res noſtræ, poſtquam intra aulam & ſecretum regni admiſſi homines noſtræ ſimul & tuæ fortunæ inſidioſi, in deterius ivere. Quorum cupiditatibus cum patriæ leges obſtarent, quibus integris nec illorum ambitio quid aſſequi, nec pati noſtra libertas poterat, alio commento te circumvenere, velut noſtra obſequia tuo imperio, noſtræ leges tuæ potentiæ obeſſent. Nefarijs conſilijs velum religionis obductum eſt, quo improbam ambitionem vis ac autoritas Pontificum muniret, & ſerendis diſcordijs diſſidia ſacrorum obtexerentur. Itaque ut in penetrale Reipub. pervaderent, ſuiſque arbitrijs regnandi licentiam afformarent, ſiniſtris accuſationibus nos apud te Principem aggreſſi civiles diſcordias ſevêre, quibus in ultimam confuſionem res irent, convulſiſque patrijs legibus dominationem apiſcerentur. Ita Inquiſitio & novi Epiſcopatus, noſtris legibus, ac immunitatibus infeſti, illorum importunitate introducti, ac ſi paganis, barbariſque gentibus aſſimilandi eſſemus, publicamque impietatem divino cultui obtenderemus. Inde tot millium ſanguine illorum conſilijs litatum, tantos progreſſus faciente ſævitiâ, ut exciſâ per ſolitudinem gente defuturi Principi cives viderentur. Quibus præpediendis ad te Principem læſi confugimus, ut oſtenderemus, quantum inter illorum conſilia, & noſtram ſalutem intereſſet. Itaque ſeveritatem edictorum, quæ ſtabiliendæ Romanæ religioni, per Belgicam, Friſioſque ſcripſeras, ſub Margaretâ Gubernatrice mitigaſti, fidemque Præfectorum tuorum, ac Principum Aurei Velleris interpoſuiſti, nihil novum, inſolenſque te moliri, reſciſſoque Inquiſitionis decreto, paci tranquillitatique publicæ, & deſiderijs populi conſulere. Cæterum tuâ cum lenitate, clementiſſime Rex, illorum furor increvit, poſtquam infra Majeſtatis tuæ magnitudinem habuerunt, ſemel placitis aliud decretum interponere. Itaque perſuaſus ab ijs FERDINANDUM ALBANUM ferocis ingenij virum, & veteri odio Belgicæ infenſum cum imperio in provincias miſiſti, ut populum ſuis erga te obſequijs certantem, bello & armis perderet. Quem ipſum, utpote nec tuo, nec Belgico ſanguini innexum, etſi prohibere finibus noſtræ vires quiviſſent, tamen tuæ venerationi id dedimus, & ne videremur cu-

juſpiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

juſpiam mali teſtem conſcientiam poſſidere. Ita portas recluſimus, præſidia CIↃ. IↃ.
accepimus, non alio conſilio, quam ut de fide noſtrâ conſtaret, & ne cultum LXXIII.
obſequij cum armorum neceſſitate mutaremus. Ab eo tempore pactis, & conventionibus omne robur demptum, tuoque, PHILIPPE *Rex, ſacramento, quod in cœtu Ordinum Belgicæ præſtiteras, à Ferdinando Albano non ſemel illuſum eſt. Sic ruptæ violatæque pactiones oppreſſionem ſecum legum traxere, clauſoque per juſtitium omni foro, non alio loco habiti fuimus, ac ſi armis, inſtar mancupiorum, ſubjugati, omne beneficium majorum probroſâ rebellione perdidiſſemus. Vnde* ALBANUS *in omnem immodeſtiam, & profeſſionem fœdiſſimi ſceleris effuſus ſacrum omne atque profanum attaminavit. Rapiendo, vaſtando, proſcribendo imperium exercuit. Villæ aut agri direpti, patrimonia divitum expilata, & innocentium ſanguis promiſcuâ cæde, aut per ſupplicia fuſus. Tum virginum ac matronarum pudicitia ſtupris corrupta, & infantes cum profugis parentibus in exilium acti. Fœtus quoque ipſi prægnantium uteris extracti, nihilque tam ſacrum ſanctumque, quod Sol & ſydera illuſtrant, quin immanitatem execrandi capitis pertulerit. Matrimonia ipſa, ſocietatis humanæ vincula, aut reſciſſa, aut divortijs fœdata. Cadavera in ſinum naturæ recepta, & quieti reddita ſepulchris educta, ne mors omnis miſeriæ levamentum ſævitiam Ducis, & horrorem ſupplicij finiret. Dein immodicis exactionibus imminuta provinciarum commercia, & centeſimæ, vigeſimæque decima bonorum adjecta. Inſolentiâ præſidiorum exhauſtæ urbes, nullâque diſciplinâ ſolutus miles extorquendo æri, & atterendis civium facultatibus diurna flagitia exercuit. Hæc* FERDINANDI ALBANI, *Clementiſſime Rex, conſilia, hæc imperia fuere. Qui ut animum ſupra quam ambitioſum oſtenderet, fœditati ſuorum ſcelerum indulgens, æreum monumentum ignobili famæ inſuper erexit, quo fortunâ ſuâ & tuo imperio male uſus, turpitudine exercitæ dominationis apud ſuas, exteraſque gentes ſeræ poſteritati redderetur. Solium quoque tuum pacis bellique arbiter inſedit, velut, ſolo nomine diſſimulato, à potentiâ parum Principis abeſſet. Hoc modo tibi contemptum, ſibi ipſi ludibrium, nobis imaginem ſervitutis locavit. Quarum rerum immanitas, quia clementiæ tuæ convenire non poteſt, moribus Tyranni imputatur. Qui etſi regio & ſumptuoſo paratu in Theatro ſe oſtentans veniam, pacemque proclamet, quaſi condonare innocentiæ noſtræ quid poſſit, ita teſtamur denuo erga te Regem, noſtræ fidei nihil deceſſiſſe, cæterum nos conſilia & arma noſtra ſolis Albani violentijs opponere. Cui non aliud quoque propoſitum eſt, quam ut regnum, aut dominationem regno proximam ſpirans, cum bello nequeat, umbrâ fallacis clementiæ nos expugnet, agnitique criminis confeſſione reos faciat majeſtatis, cujus venerationem nunquam exuimus. Vt faciamus fidem dictis noſtris, Clementiſſime Rex, teſtamur Deum conſcientijs noſtris præſidem, puros illius ſceleris nos eſſe, quod expiari alias à nocentibus ultimo exitio, ac cruciatu debebat. Quare divinum numen, & te,* PHILIPPE *Rex, reveriti, cœptæ pietatis incrementa noſtro ſanguine, opprobrio Ducis tutabimur. Qui quoniam, ſilentibus per juſtitia legibus, omne forum, ac tribunal noſtris querimonijs occluſit, arma capere coacti ſumus, quibus patriam continuis cladibus, & præſentaneæ ſervituti ſubduceremus. Parati potius honeſtâ morte velut victimas immolare corpora noſtra, quam ſpectare feram belluam ſacra noſtra continuis ſacrilegijs fœdantem. Effundemus tutelæ conjugum, liberorumque noviſſimum ſpiritum, quo libertatem à majoribus in nos*

trans-

cIↃ. IↃ. LXXIII. *transfuſam cum ignobili ſervitute non mutemus. Nam Ducis veniæ, aut fidei nos permittere ruptarum pactionum exempla, excidia urbium, & fæcundæ ſtrages non ſinunt. Itaque horror enormiter ſævientis diffidentes, & bonæ ad concordiam ſpei vacuos nos fecit, niſi clementiæ tuæ ſecretum*, REX, *aperias, utiliquè correctione frænes immodeſtiam regnantis. Interim rogamus, Clementiſſime* REX, *ut querimonijs noſtris auſcultes, præſteſque integra illæſaque majorum jura, quorum hæredes ſumus, & quæ* CAROLUS *Cæſar, & tu*, PHILIPPE *Rex, ſacramento firmaviſtis. Id ſi facias, non arma tantum, quæ ſumpſimus, ponemus, cæterum omnia, quæ poteſtatis noſtræ, aut juris fortuna eſſe voluit, cum obteſtatione ſanctiſſimi numinis, tuæ potentiæ, & Principatui ſacrabimus.*

Principum pro Fœderatis apud Regem interceſſiones

Interceſſiones quoque Regum Principumque imploratæ, ut, ſi forte populi ſui precibus emolliri regius animus nequiret, affinium propinquorumque procerum deſiderijs leniretur. Creditum fuit in Maximilianum Cæſarem, & Imperij Principes, fœderatos tum reſpexiſſe, recente adhuc Gallici furoris memoriâ, & veteri Anglici regni cum Hiſpaniâ ſocietate nuperis inducijs reſtitutâ. Igitur profuturam autoritatem, aut reverentiam Imperij, ſi non paci procurandæ, ſaltem ut exulum ſuffugijs Germania pateret, leniuſque proſcripti, aut extorres ijs in terris haberentur. Cæterum Philippi animus, ſive cupidine majoris duriorique per Belgicam imperij diſtortus, ſive fatali odio gentis pervicax, omne etiam Albani immoderatum, velut retinendo principatui utile, interpretabatur. Quare miſſionem petenti Ludovicum Requeſentium Inſubriæ Proregem, ſucceſſorem dedit, eidemque Albano, perſeverante fluxæ, & fallacis aulæ gratiâ, uſque in ſupremum vitæ diem continuos honores, velut præmia rite adminiſtratæ Belgicæ, indulſit. Adeo verum eſt æquam ut plurimum improbis aulæ fortunam eſſe, & aſperrimum regnandi modum, ab Albano per provincias inſtitutum, à ſecretis Philippi conſilijs non abhorruiſſe.

Fruſtra.

Albano ſucceſſor datus Requeſentius.

Prodigia.

Reperio in V. Clar. Cornelij Gemmæ Mathematicis commentarijs, menſe Octobri deformem partum alibi editum, Lunæque enormem defectum ad v. Eid. Decemb. obſervatum, magnitudine ſuâ, obſcurationem ſub initia Philippici principatus anno cIↃ. IↃ. LV. factam, neque abſimili prodigio, adæquaſſe. Mihi veriſimile eſt, naturam, in evolvendo cœleſtium corporum motu, id laborantibus provincijs tum dediſſe, tacito indicio, ſumptum diris auſpicijs imperium non melioribus procedere, redarguendiſque dominantium noxis, eadem luminum deliquia mutatis temporum ætatibus aſſimilari. Thaddæus Hagecius aulæ Cæſareæ Maximiliani II. medicus in ſua Apodixi tradit, Novam Stellam, quæ deſignatura mortem Regis circa hoc temporis obſervantibus cœleſtia credebatur, manifeſto luminis ſui decremento ſenſim tum attabuiſſe, menſemque, quem exceſſui regnantis, ac mutandis rebus curioſâ ſpeculatione Mathematici aſſignaverant, diſparitioni lucidiſſimi corporis inſervijſſe. Etſi ſciam, alios in annum ſequentem, conſpectum, & vim novi ſyderis protraxiſſe, ominatoſque, ut poſt memorabo, ſiniſtra, Cornelij Gemmæ prædictionibus pondus ac robur addidiſſe.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Tum omni æſtuario claſſibus obſepto, omne Friſiæ littus prædonibus ac peiratis infidum, quos aut exilij vindicta, aut appetitus alieni per periculoſa ſyrtium vada, & infidum mare circumferebat. Geeſterlandia vero, & quicquid terrarum minoribus Friſijs objacebat, regia & ſimul fœderata claſſe infeſtabantur. Itaque non Elahuſij tantum, aut Harichij, quorum agros latiſsimi lacus alluunt, cæterum Wikelij, & mediterranea incolentes prædonum incurſionibus patuere.

cIↃ. IↃ. LXXIII. Friſia prædonibus infida.

Notat M. Heymannus, Regneri Wibrandij, qui apud Wikelios prædium tenebat, domum ab iiſdem prædonibus incenſam, ipſumque Wibrandum glande trajectum lætali vulnere exſpiraſſe. Mox conjugem ejus Dodam unâ cum filiâ Bauciâ ferro percuſſoris necatas; alteramque ex filiabus Fokelam cum uno filiorum Enchuſam in captivitatem abductam. Tertiam quoque è feneſtrâ præcipitem datam, filiumque Hanſonem è lecto proſilientem, & nullâ veſte flammis ſubductum, ab ambienti fermè frigore exanimatum, fugæ beneficio, & per admota corpori fomenta vitæ ſervatum. Sic tabeſcente juſto per Friſiam bello latrocinia, ac cædes exercebantur, infœliciſq; provinciæ fortunam, aut egeſtas regij militis, aut vis peiratarum adfligebat, non ante reperto ſceleribus remedio, quam Ludovicus Requeſentius, à diſceſſu Albani imperium capeſcens, promerendis provincialium animis, lenem medicinam inveteratis militiæ flagitijs præſcriberet.

Tum Ferdinandus Albanus Philippi gratiæ, & ſucceſſoris Ludovici Requeſentij certus, profectionem adornavit, cumulataſque egeſtate provinciarum, aut infamiâ exactionum, opes, dubium ſuæ an regiæ gazæ adminiſter, in Hiſpaniam præmiſit. Mox Ludovico Requeſentio, magnifico rerum apparatu, Bruxellas ingreſſo, comitatus Frederico filio, Italiam verſus iter inſtituit, turbidamq; & cruentatam Belgicam, ſibi ipſi acerrimum conſcientiæ vulnus, & ex ignobili ſævitiæ famâ æternum in animis hominum dedecus reliquit. Relatum in fidem annalium eſt, ſupra octodecim hominum millia ſexcentos inſuper fœderatos ſuo juſſu manu carnificis ſublatos, ipſumque Ducem, exerciti furoris infamiâ ſuperbum, recordatione ſuorum ſcelerum infœlicem animum paviſſe. Tradit Reidanus florentiſſimus rerum Scriptor, per confinia Germaniæ iter capienti pernoctantique apud Ludovicum Cuniſteinum Comitem, imprudentem & ſuperbam vocem excidiſſe; eundemq; Albanum ſuo tum demum è Belgica diſceſſu, non tam provincialium odia, quam inſidias quoque & pericula effugiſſe. Scribit idem autor quadrageſimali jejunio, haud procul Bruxellis, in cœnobio quodam ſacra ſumpturo deſtinatos percuſſores fuiſſe, monitoque, ne publico ſe daret, vitæ beneficium conceſſum. Addit Reidanus Noviomagi agentem, & concamerato dormitorio, quod multo tormentario pulvere ſuffertum erat, uſum magnum in diſcrimen incurriſſe, deſiderato è conjuratis, qui miniſterium, tyranno decretum, admoto igne, aut ſtupâ exequeretur. Carolum quoque Brimæum Geldriæ, & poſt majoris Friſiæ Præfectum, indicendi apud Noviomagenſes comitij conſilium cœpiſſe, eidemqne Albano, quem iſthic evocare ordinandis provinciæ rebus conſtituerat, velut popularis gratiæ ex odio Ducis certum, injectionem manuum deſtinaſſe. Litteras

Albani in Hiſpaniam diſceſſus.

cIɔ. Iɔ. LXXIII. quoque, quibus facti rationem daret, Philippum ad regem, præveniendis Hiſpanorum criminationibus, paraviſſe, arduaſque res agitantem ſyderatione tactum, & mox morte præventum, Profutura libertati conſilia non expleviſſe. Innuente velut fato, Ducem ſævitiæ & effundendi ſanguinis immodicum, expiandis provincialium noxis, longiori vitæ, & ſimul pœnæ reſervari.

Varia de Requeſentio Albani ſucceſſore Iudicia.

Unde in Requeſentium certæ ſpes, velut dura anteceſſoris imperia attemperaturum, niſi Hiſpanicæ ſuſpectæque indolis metus fiduciam popularium animorum minuiſſet Credebatur quippe naturæ diverſitas Belgicis Hiſpanicíſque ingenijs ſubeſſe, immiteque ardoribus Hiſpaniæ cœlum, gentis ſuæ conſilia peculiari ſyderum influxu efferare. Itaque innuebant Philippi & provinciarum rebus melius proſpectum fore, ſi Belgici ſanguinis Principem moderamini rerum Philippus admoviſſet, datuſq; Ferdinando Albano alius ſucceſſor, flectendis, quæ iniquitas exterorum moviſſet, ingenijs, domeſticæ pacis deſideria applicâſſet. Hoc modo ortis diu turbis remedium adhibere, percurarique grave vulnus potuiſſe, velut quodam intermedio coiturum. Sic ruptam oſſium in humano corpore compagem reſtitui, ut, quoniam extrema jungi per naturam nequirent, ſolertia artis coaleſcerent. Satis exempli apud Regem eſſe, inviſum gentis ſuæ nomen civili concordiæ obſtare, requirique Belgicæ Præſidem æqua imperia libertati aſſimilantem. Sic in Margaretâ Gubernatrice dubios natales, & verſatile peregrinæ fœminæ ingenium, in Albano externum ſanguinem, & fœditatem imperij patribus diſplicuiſſe. Eſſe Requeſentium Hiſpanicæ originis, & apud Inſubres diu Italiæ artibus excultum, ijſdem moribus acturum. Quippe ab Albano præcepta adminiſtrandæ Belgicæ clam & in ſecreto accepiſſe, haud dubiè edoctum, Philippum regem ſua in Belgas odia externis dominationibus nutrire.

Philippi ad Friſios litteræ.

Igitur Philippus, quo Requeſentium Belgicæ Friſicæque genti commendaret, litteras Madriti perſcriptas ex Hiſpaniâ in Friſiam dedit, populumque ad novas ſpes, & imperia ſuſpenſum hoc modo edocuit:

REgredi ad vos, Ordines, jam diu animus ac conſilium mihi fuit. Cæterum quoniam regnorum meorum moles, ac difficile multa regendi onus mihi hoc tempore incumbunt, Hiſpaniâ meâ attinere me cogor. Vbi vero concurrentium negotiorum cura remiſerit, daturus ſum operam, ut, quod maxumè expeto, ad vos redeam. Et quoniam miſſione FERDINANDO ALBANO *certis de cauſis factâ Medinacœlium ei ſucceſſorem deſtinaveram, ita mutato conſilio hoc ipſo* LUDOVICUM REQUESENTIUM *eidem Albano ſubſtituo, virum fide & officijs de me optume meritum. Neque dubito quin eodem affectu res quoque, & incolumitatem veſtram meo nomine curaturus ſit. Rogo itaque & mando, ut eundem* REQUESENTIUM *Belgicæ Proregem recipiatis, præſtetiſque ei obſequia noſtra per provincias imperia geſturo. Hoc etiam addo, ut res conſiliaque veſtra ei commodetis, reputetiſque omne, quod ei præſtaturi eritis, officium nobis gratum fore.* Hæc PHILIPPUS.

Requeſentij litteræ.

Mox regijs à Requeſentio additæ litteræ: Iſtæ habebant.

Placuiſſe PHILIPPO *regi, revocato in Hiſpaniam* FERDINAN-

NANDO ALBANO, *moderamen Belgicarum provinciarum Friſiæq;* cIↃ. IↃ. *ditionum in ſe devolvere. Et quoniam Regis ſui imperio parere æquum eßet,* LXXIII. *ita orare ſanctum æternumque numen mentem ſibi det turbidis temporibus librandæ tantæ moli capacem. Non alium ſcilicet votorum ſuorum finem eſſe, quam ut, fato rerum Philippi arbiter ac moderator datus, reducendæ civili & inter Principem concordiæ deſtinetur. Vt ea habeatur conſiliorum communione opus eſſe, & ut ſua à patrum ſecretis indiviſa ſint.*

Hæc litteris ſignata.

Cætera quæ ducendis validius animis erant in conſeſſu Ordinum provinciarum ſpecioſis verbis à perito fandi diſſerebantur.

Se paci ab ingenio proclivem faſtidio civilium, infæliciumque bellorum deſideria quietis ac concordiæ diu intra animum aluiſſe. Neque aliud PHILIPPI REGIS *votum eſſe, quam ut provinciæ nuper* CAROLO *Cæſare fælices, tot annorum diſcordijs feſſæ, vetere fortuna refloreant. Satis ſcilicet ſanguinis fuſum, & exercitos abundè furores, quos æquum ſit remiſſione quadam, adinſtar febrium, leniri. Non ſemper quoque cælum infauſto ſydere ardeſcere, aut circumagi maria procelloſis æſtubus, cæterum definitas eſſe rerum omnium exacerbationes, quas ſiſti oporteat ad naturæ ordinem ſtatas per vices ſervandum.*

Quæ omnia tacite & ſecretis indicijs, demulcendis Ordinum ingenijs, non cautâ ſimulatione innuebantur. Quare evenit, ut vagæ, & velut fortunâ temporum lubricæ provincialium mentes, novas in Requeſentio ſpes collocarent, odioque ſuperbi ac damnati anteceſſoris novi dominantis imperium, tanquam benignius, amplecterentur.

His accedebat, quod Joachimus Hopperus vir perantiquæ apud Friſios gentis (quem ob peritiam rerum per lentos, & continuos honores arcanis conſilijs & ſigillo regni Philippus præfecerat) datis ad Cornelium Wellemannum Ordinum Brabantiæ Graphiarium litteris, ſingulare Philippi regis in provincias ſtudium, & Ludovicum Requeſentium, velut gerendis rebus parem, non mediocribus laudationibus extuliſſet. *Hopperi de Requeſentio judicium.*

Eſſe ſcilicet REQUESENTIUM *conſcientiâ probâ, circumſpectaque mente res cunctas metientem, trahentemque annos & præclaras dignitates procul malis artibus per virtutem actas. Sic Inſubriam pro Philippo, ſic Longobardos Subalpinas gentes rexiſſe, ut dignum judicaverit Philippus, cui provinciæ Belgicæ Friſiorumque, regiæ hæreditatis, & opulentiæ non minima portio, & difficile graſſantibus armis imperium, committeretur. Itaque ſperari poſſe, ut per eum læſæ aut oppreſſæ leges reviviſcant, reſtitutiſque in integrum judicijs, & Magiſtratuum autoritate, civile bellum concordi pace mutetur.*

Ita Requeſentius Præfecturam Belgicæ exorſus dubias provincias, exercitum ſeditionibus proxumum accepit. Quippe deficientibus tot menſium ſtipendijs ſacramenta militum nutabant, præterque inopiam æris, exercita ſub Albano licentia, & corrupti mores fidem diſſolverant. Ita verum eſt conceſſam ſcelerum impunitatem pro exemplo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIII. eſſe, & revocare ad veterem diſciplinam ægrius poſſe conniventiâ Ducum ſemel flagitia profeſſos.

Legati à Friſijs ad Requeſentium Bruxellas miſſi. Tum quod jam ante per Heronem Ockingha & Heronem Burmania legatos Bruxellis coram Albano actum erat ſub Requeſentio repetitum, miſſuſque provinciæ nomine ex Ordinum Deputatis Valerius Camminga, qui Requeſentio Friſiorum præfecturam una cum Belgicæ, auſpicanti Caroli Philippique cum Friſijs conventiones, & modum egreſſam dominationem aperiret.

Carolus, inquit, Cæſar Saxoniæ Ducum exemplo recturum ſe nos Friſios, omneq; jus noſtrum ratum firmumque fore fidem dedit. Clementiam Saxonicâ majorem & juris noſtri auctum huic genti promiſit, quæ verborum ſolennia à Principe prolata oraculo numinis adæquavimus.

Conventione non unâ data fides, velut obſignatione ſacræ vocis, firmata eſt. Nos vero Friſij, quæ Carolo conceſſimus rata ſervavimus, fecimusq; ut ordinarios ex Provinciâ noſtrâ reditus continua rogarum ſubſidia acciperet. Ante triennium viginti & octo aureorum millia Philippo depacti ſumus, quo pacem armorum loco haberemus, & ut ſacrum quoq; ærarium fortuitis caſibus inſerviret. Quo tempore quoq; cavimus ut ſi damna agri noſtri ac poſſeſſiones paterentur honorarium tributum levaretur, & ne parte provinciæ affectâ paucorum calamitatem publica tributa reſarcirent. Cæterum miles noſtros per agros ſparſus, tum terrarum noſtrarum inundationes & marinis aquis corruptæ fruges deſperationem nobis incuſſere. Præter hoc cottidianæ exactiones & æris extorſio invitis moleſta quæ adornandis inſtruendiſq; regijs triremibus navibusq; bellicis poſtulatur. Adhæc miles in diverſa præſidia deducendus, pabula equis, & commeatus militi præſtandus eſt. Mitto tertium quemq; è gente noſtrâ armandum, & ſtipendio juvandum eſſe. Adeo, ut regi quoq; ipſi in capiendis ordinarijs ſubſidijs detrimentum hæc calamitas allatura ſit. Et quoniam Albanus prædeceſſor tuus aliquid favoris ac gratiæ, propter prompta in Philippum officia, ſe daturum huic genti affirmavit, in hac ultimâ calamitate & egeſtate noſtrâ conſtituti, ut nos malis iſtis leves, donec melior fortuna terris noſtris illuxerit.

Hoc etiam addimus Friſij, ut ex condicto pacem nobis ac ſecuritatem præſtes, & ut jure noſtro ſancte ſervato, nobis iniquâ exactione gravandis abſtineas. Quæ ad Requeſentium per Legatum perlata, ſtatum illi provinciæ & civilium animorum aperuere.

Requeſentij reſponſum. Invenio in archivis, Requeſentium Friſiorum calamitati ex inundatione terrarum natæ ſerio condoluiſſe, litteriſq; XIII. Dec. Bruxellis datis, omnem benevolentiam, omnem opem, omne auxilium annuntiaſſe. Facturum ſe quoque, ut, quoniam militaribus cohortibus agri, oppida, arces ac caſtella tenerentur, miles diſciplinæ vacuus non ſit, & ut memoratis ab afflictâ gente terrâ marique malis, quantum quidem regiæ vires ferrent, remedia reperiantur. Quæ etſi ſpecioſe dicerentur, etiam Albano regnante, tamen illa temporum ætas vidit, quid primum in irâ & crudelitate dominantis, & poſtremum in impatientiâ ſervitij foret. Mox, ne quid moræ interveniret, ampliores ad Requeſentium litteræ datæ, additiſque Viglium ad Præſidem, tantâ gratiâ apud regem florentis viri intercesſionem oravere, ac ut difficillimis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

mis patriæ ſuæ temporibus, novum Gubernatorem Friſico populo conciliaret. cIↄ. Iↄ. LXXIII.

Quare Requeſentius ne, primo imperij ſui per Belgicam Friſioſque initio, animos provincialium & ſimul curam militaris diſciplinæ negligeret, edictum frænandæ militum licentiæ in Friſiam miſit, quam Gaſparus Robleſius, qui, pro Ægydio Barlamontio Hyergio in id temporis imperium geſſerat, oppreſſis Scouwenburgicis partibus, fatali iſtorum temporum ſeveritate moderabatur.

Itaq; Præfectura trium ditionum, quas Amaſus Flevuſque latiſſimis alveis claudunt, reſcripto Philippi, & mox Senatuſconſulto ei delata, ipſeque probatæ in regem fidei illuſtre præmium, & ſimul ſplendorem ignobili familiæ adeptus eſt. Matre quippe Philippi regis nutrice editum communis fama aſſeruit, credituſq; fuit obſcuros, & ſpretos magnatibus natales, non per aliena decora, ſed propriam virtutem promoviſſe. Thuanus addit eum à puero in aulâ Gulielmi Naſſovij Aurantij Principis educatum, eximiâq; morum venuſtate, & gratiâ præditum favore, ac commendatione Aurantij ductâ nobili & dotatâ virgine, rebuſque præclare ſub Joanne Lignæo Arembergio, & Carolo Brimæo geſtis, ad legionis Belgicæ Tribunatum, & poſt Præfecturam provinciæ perveniſſe. Eundem quoque Robleſium extructis per Friſiam munitionibus, & validâ arce juſſu Albani Groningæ, ut memoravi, aliquod ante annos extructâ, velut fortunæ inſolentem ſe geſſiſſe, Comitiſque titulum, interceſſione amicorum, obſcuræ domui oràſſe. Cæterum à Philippo Rege ſuperbiam ejus peroſo, ne ſui oblivifceretur, monitum, altam & deſtinatam magnis rebus indolem vix repreſſiſſe, provinciâque, qua mari objacet, aggeribus circumductâ, inviſam dominationem illo laudabili conſilio attemperaſſe. Sic quod Iſelſteinij, Egmondani, Lignæi, Brimæi ſpecioſis majoribus orti pro Carolo Philippoq; regibus per Friſiam tenuerant, in Robleſium devolutum eſt, cujus aſpero imperio, & ſolutis militum moribus provincialium hoc tempore res & fortunæ atterebantur.

cIↄ. Iↄ. LXIV. *Robleſio trium provinciarum præfectura delegata.*

Quippe regio militi per agros & municipia agenti omnis licentia dabatur, & quidem tacito illorum aſſenſu qui regundis legionibus & adminiſtrando Philippi judicio delecti, pacem non niſi ſtabilito regis & ſuo imperio, attritiſque provincialium opibus augurabantur. Itaq; Robleſius excuſſâ omni miſeratione, & cum Senatu Philippi in omnem immodeſtiam effuſus, præter ordinarium tributum quod cogendo honorario dictum erat, quatuor ſtuferos in florenum quemque aureum exigi juſſit, eque ſingulis præturis, mutato veteri more, Legatum evocavit. Ibi fremens & indignabundus, ut ſtipendia militi quanto ocyus pararent legatos Ordinum allocutus eſt, moræq; omnis impatiens executionem tributi militaris per armatos denuntiavit. Jam enim ſclopetariorum equitum turmam colligi fecerat, inſtructoſq; velut ad prælium, præcinentibus tubis per pagos, atque municipia oſtentabat. Igitur tardioribus ex rei, quam tractabant, magnitudine in decernendo legatis equites triginta Wirdumum ablegavit, minatuſque Valerio Camminghæ domus ſubverſionem ruſticæ plebi enorme tributum extorſit. Dein pedeſtri milite Arumum in Weſtergoam miſſo, quo loci

Robleſij militum per Friſiam licentia & exactiones.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

clɔ. Iɔ. LXXIV. Livius Beïemus provinciæ à rationibus, prædium tenebat, omnem inſolentiam exercuit, fædiſſimiſq; factorum exemplis, nullâ militiæ diſciplinâ, agrarium populum oppreſſit. Quæ ad Philippum, aut Proregem perſcripta, ut tum ferebant tempora, nullius efficaciæ fuere. Reperio in notis triginta iſtos equites ſclopetarios Wirdumi in otio ac luxu atterendæ ruſticæ plebi agentes, exceptis equorum, quæ trecentos faciebant aureos, mille octoginta novem aureos intra decendium inſumpſiſſe, præterq; ſtipendia, quæ nongentis triginta quatuor aureis cenſebantur, omnium rerum paratiſſimam egeſtatem iſti municipio induxiſſe. Itaq; Ordines per Epiſtolam apud Regem de enormi Robleſij imperio conqueſti, & quod linguæ Friſicæ Belgicæq; imperitus, rejectis ſupplicationibus, omnem querelam, velut non intelligendo, diſſimularet. Hoc ſcilicet contra privilegia, contra fidem conventionis Caroli Cæſaris eſſe, quâ cautum fuit, ut provinciæ Præfectus Belgici ſanguinis, & magnarum opum foret, & ne peregrini ſermonis interventu præfectorum indigenarumque colloquia & actiones impedirentur. Hoc etiam criminatos Ordines reperio, quod claſſiarius miles magna ex ærario ſtipendia præter commeatum traheret, prædæq; nonnunquam dives ſpolia maris in luxuriem privatoſq; uſus converteret. Tum de locarijs centurionum, ſervitia vocant, quæ per abſentiam maritorum in caſtris domi relictæ uxores exigebant additum, militeſque legionis Valonicæ per oppida diſtributos, civium opes atque facultates exhauſiſſe. Quæ omnia ſingulaq; cum perdundis provinciæ rebus forent, hoc etiam accedere, quod Epiſcopus Cunerus inordinatis exactionibus provinciales gravaret, neglectiſq; Sacris, aut ex receptis fæderatis, aut adulterijs vitæque incontinentiâ notatos, ſupellectile domeſticâ & gravi ære multaret. Hoc certe reperio, ex agrarijs, quod Martinalium feſto non interfuiſſent, per Fiſcum, qui domatim diſcurrebat, Epiſcopali multâ affectos, ipſumq; Epiſcopum, etſi ſacra, profanaq; diſtrahentem, odio Ordinum, regij Senatus gratiâ floruiſſe. Hæc in Prædicatorum Cænobio IX. Kalend. April. acta, ac ad regem expedita. Quo die conventum inter Ordines & Robleſium invenio, ut bini ſtuferi in florenos aureos retinendo, in Friſiâ præſidiario militi præſtarentur, ſed hac cautione, ut, ſi eos ex penſione proximâ regi danda deduci non pateretur Requeſentius, ex ipſo regis ære militibus munerando per Friſios repeterentur. Quorum omnium ignarus, etſi Hiſpaniâ attineretur, rex non foret, ita in Friſiam VIII. Eid. Madrito litteras dedit.

Querela Ordinum de enormi Robleſij imperio.

Et Epiſcopi Cuneri inordinatis exactionibus

Regis in Friſiam Litteræ.

Omnium rerum, quæ in provincijs meis geſtæ ſunt, cum notitia ad me pervenerit adhibito purpuratorum & Senatus mei conſilio, de modo cogitavi quo Catholicæ Romanæ religioni, & juxta provinciarum mearum commodis proſpicerem. Et quia ſubditorum meorum animos turbatos deprehendo, quo illis tranquillitatem redonem, pacis ac Veniæ communis edictum concepi. Quare vos moneo hortorque, ut iſti negotio fideliter incumbatis, ne conſilia mea ac decreta, quæ ex Protege meo plenius intelligetis, ſuo & quidem fœlici exitu deſtituantur.

Invenio in actis Salencinum cohortis, quæ Franequeræ agebat, vexilli-

xilliferum publicæ tum licentiæ fœdum exemplum edidiſſe, Æmyliumq; Adamam legum doctorem, & conſulatum tum gerentem, injurioſâ primum voce, poſt vi infeſtaſſe. Iſti quoque delicto, reprimendæ militum proterviæ, teſtimonia in ſenatu dicta, delectis qui ad Robleſium perferrent, violatæque militari diſciplinæ edicta, ac damnationem poſtularent. Ipſum quoq; Robleſium Harlingæ agentem, quo marino æſtui diſiecta adhuc littorum eruenti provideret, v. Id. April. Ruardum Roorda Harlingam evocaſſe, eiq; juſsiſſe, ut Delegatorum Ordinum conventum ad XVIII. Kal. Maï diem indiceret, & ut interea Martini Nitzenij legatio, quæ Bruxellas decreta erat, dum ſtipendijs ſuorum militum proſpectum foret, protraheretur. Hoc namque in votis habebat Robleſius, ut regiæ ſuæque ſecuritati conſuleret, æriſque militaris ſubſidio adjutus mixtam ſuperbiâ avaritiaque, dominationem intenderet. Itaq; in conventu Ordinum, ubi jus magis, quam arma expendi decentius erat, edixit.

cIↄ. Iↄ. LXXIV. *Fædum vexilliferi Franequeræ factum.*

Niſi Ordines parerent ſe equitem militemque plana agrorum ut vaſtaret, miſſurum pluſque damni, ſi ſtipendia non velint, uno ſeptiduo, quam alias penſitatis ſtipendijs toto menſe daturum.

Audax Robleſij in Conventu Ordinum Edictum.

Quæ arrogantiæ ac immodeſtiæ plena, etſi ad Proregem perſcriberentur, ita teſtabantur Friſij (in litteris ad Viglium VIII. Id. April. datis) Albani ac Requeſentij reſcripta nihil ponderis habuiſſe, eoſq; more aulæ ſpecioſa verba profeſſos integritatem fidemq; optumæ gentis eluſiſſe.

Nihil dicebant niſi luſtralem regalis Curiæ aquam, aut ſpecioſa poma, ac ciborum condimenta porrexiſſe in exitium populi deſitura, qui ſi ducenta aureorum milliâ præſtare largientibus futilia poſſet, majora vani favoris gratiæque documenta habiturum fore.

Igitur conventus Delegatorum Friſiæ ipſis Idib. April. Leovardiæ cœptus, decretumque ut ſublevandæ provincialium egeſtati inductiones ante triennium inſtitutæ, repeterentur, commercioque omni ac rebus, quas uſus conſumeret, onus tributumq; imponeretur. Cæterum hac cautelâ ut cogendo per provinciam æri inquilini præeſſent, rationibusq; reddendis quovis tempore obligarentur. Ita Hero Ockingha, Douwo Roorda, Hector Dekama, R. Dekama, Ruardus Roorda, Vitus Cammingha, Lollius Ockingha, Livius Beiemus, Iulius Dekama, Siricius Donia, Edo Gerbranda, Petrus Abbas in Foſwert, Titus Cammingha, Heſſelus Hania, Scelto Liaukama, Hero Burmania, Upco Burmania, Hubertus Schooff, Joannes Witte prior Haskeranus, cenſuere. Econtra pars nobilitatis, populique magnis acribusq; obteſtationibus ſe tuebantur, indictionesq; quod Caroli Brimæi ætate factum erat, velut libertati gentis adverſas aſperioribus decretis amovendas. Ita quippe fœlicius Friſios Carolo ſub Cæſare vixiſſe, aſſertis privilegijs immunitatibuſq; quarum umbram, aut ſpeciem ne minuere quidem paucorum aſſenſus queat. Itaq; corrigendos cenſorum ope, quos ideo provincia Caroli Cæſaris Philippique ætate delegiſſet, ne quid incommodi patriæ leges ferrent, & ne illorum malis conſilijs ſervitium introdu-

Conventus Delegatorum Leovardiæ habitus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

 troduceretur, quorum officij eſſet, intactam novis rogationibus libertatem populo præſtare. Hoc tamen additum, velle ſe rebus facultatibusq; ſuis regem juvare, inſigni æmulatione, ut, quod antiquis temporibus factum & Philippi imperium, & populi libertas per æris ſubſidia retineretur. Quare populi Friſij Ægydium Barlamontium Hyergium Geldriæ, Zutphaniæ & Friſiæ præfectum, magnis laudibus efferebant, quod alius à Robleſio, qui Præfecti nomen ſuperbo & quidem falſo, ut aiebant, titulo uſurpabat, egregiâ animi exactionumq; moderatione provinciam adminiſtraret. Econtra Robleſium repetitis criminationibus ſectabantur, quod animi ac imperij juxta immodicus Friſicum populum, à mari damna paſſum, armatorum inſolentiâ & exactionum gravitate exhauriret. Unde miſſus pro legato Bruxellas Martinus Nitzenius, Caroli Præſidis filius, qui Proregi Requeſentio hunc libellum Friſiorum nomine offerret.

Martinus Nitzenius cum libello ſupplice ad Proregem Bruxellas miſſus.

INtellexi Prorex, à Robleſio litteras ad te miſſas, quo novâ tributorum ope copijs ſuis, quas per Friſiam diſtributas in præſidijs habet, ſtipendia procuraret. Nos vero econtra ſupplices petijmus, ut ab honorario ære regi præſtando & ſimul militaribus præſidijs liberaremur. Is enim noſtrarum rerum ſtatus eſt, ut ijs ferendis pares non ſimus. Præter maris inundationes & anniverſarios velut fluctuum æſtus ſupra littus aggeresq; elatos, alias quoque cæli & naturæ injurias accipimus. Agros quippe noſtros, arvaque ſeminibus conſita ſalſedo aquæ, & eam ſecuta trimeſtris ſiccitas corrupit. Vnde annonæ apud nos metus, & ut Oceanus nullo aggere coërcitus noſtros in agros, & depreſſa terrarum ſe refundat. Atq; hoc malum à prædijs ac poſſeſſionibus noſtris amovere non poterimus, niſi aggere repellendis æſtubus erecto, qui ſenos pedes tantum habens ſedecim pedum altitudine firmandus eſt. At hoc præſtare noſtræ facultates non ſinunt, niſi condonatâ honorarij portione militem amoveas. Adhæc bona provincialium paſſim ceſſionibus gravata, aut per venditiones alienata, aut pro derelictis haberi vides. Denique præter tributum reficiendo aggeri decretum, novis operum molibus adſtruendis gravamur, quorum impendia centum & nonaginta ſex millibus aureorum æſtumantur. Niſi levemur ſubſidio, aut remiſſiore tributo habeamur, nec nos patriam, nec rex provinciam habiturus erit.

Nitzenij in Friſiam litteræ.

Quæ omnia, etſi in apertum producta, cunctatione tamen, aut ſuſpecto ſilentio trahebantur. Quare Nitzenius litteras I V. Id. Mai in Friſiam Bruxellis dedit, quibus de regij Senatus Ordinumque Belgicæ infidâ æmulatione commonebat, Viglioque præſide, Fonckio, Aſſonvilio, & Schetzio à promovendis Friſiorum rebus non alienis, Barlamontium Bertiumque Requeſentij actuarium actionibus Friſicis infeſtos habuiſſe. Cæterum ſe per adventum Margaretæ Marchicæ Arembergij viduæ, meliora ſperare quæ Friſicæ genti, quam maritus rexiſſet, imprimis æqua; plus quam, quâ polleret, muliebrem prudentiam interpoſitura pro Friſijs foret. Hoc etiam ſuggerebat Robleſium, de cujus imperio queri tutum non eſſet, eminentis apud aulicos gratiæ eſſe, eumq; actionem publicam jam inclinantem & feſſam, deniq; officia legati miſſis Bruxellas litteris præjuviſſe. Itaq; metuendum non eſſe ut, in tanto etiam regij ærarij defectu, quem ſuppleri rex, & ſenatus Belgicæ velit, Friſij majore in poſterum exactione premantur quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Quod captata temporum opportunitate calamitates ſuas terrâ marique enatas, non diſſimulatâ malorum magnitudine expoſuiſſent. cIↃ. IↃ. LXXIV.

Quare ego ſuadeo, inquiebat, ut, ſi Robleſius denuo res veſtras ex ſe impulſas gravet, viâ facti occurratis, extremiſque miſerijs extrema quoque remedia libertati uſitata decernatis.

Indictiones per Friſiam abolitæ, obſtantibus nequidquam regijs.

Ex quo etiam factum eſt, ut in ipſo, quod tum agebatur, comitio liberæ conſultantium voces audirentur, indictionumque vis atque efficacia obloquijs agrarij populi ſolveretur.

Invenio in actis Valerium Camminghà à Robleſio Harlingam ratihabendis indictionibus evocatum profectionem declinaſſe, miſſoque iſthuc loci Jacobo Bouricio Jureconſulto, infenſam novandis rebus obteſtationem ſuccenſenti Robleſio obtuliſſe. Quod à Leovardienſibus & Ooſtergois, Collumanis, Menaldumæis, Barderanis, alijſque Weſtergois tum Sylveſtribus factum in actis illorum temporum deprehendo. Igitur petente Nitzenio, qui Bruxellis adhuc agebat, decreta nobilitatis populique Friſici ad legatum tranſmiſſa animos regij Senatus alienavere, indignantibus pleriſque Friſios juris ſui fiduciâ ſubnixos, cum invidiâ cæterarum provinciarum, odio Robleſij, & Senatus regij inſtitutas indictiones, firmamenta regij imperij & militaris diſciplinæ ſubvertiſſe. Quæ etſi dicerentur ſcriberenturque, fidem quoq; Legati minuebant, donec illa Robleſij litteris ex ipſa Friſiorum provinciâ ſtabiliretur. Igitur tum odio Friſicæ immunitatis, quaſi communes Belgicæ res turbaret, multa in ſecretiore Senatu reſciſſa, retractataq;, prima quoque in tanta rerum perturbatione partium ſtudia & æmulationes aperuere, volentibus reliquarum Belgicæ gentium legatis, ut Friſia æquali jure ac ſimul ſervitio in cauſis Philippi haberetur.

Invenio in ſecretis Antiſtitis Clarecampij ad Viglium litteris, illud ſanciendarum indictionum negotium extraneos quoſdam Abbates urſiſſe, metuque regis perculſos, aut falſo perſuaſos indigenarum Præſulum & imprimis Clarecampij, qui in arcem Leovardiæ evocatus libertati patrocinabatur conſilia ſuſpectaſſe. Scribit Nitzenius rejectis per Friſiam indictionibus non leves procerum offenſas Bruxellis ſubortas fuiſſe, Belgicæque & regis Senatum de mittendis in Friſios, quo vaſtarent, equitum copijs deliberaviſſe. Itaque Nitzenius autoritate Legati munitus Ottonem Scouwenburgium, qui iturus cum equitatu Sylveſtrem in tractum dicebatur, compellavit, cognitiſque quæ ad hæc pertinebant, in provinciam reſcripſit comminationibus ſociorum expoſitam.

Decretum de ijs abolendis quoq; factum reſignatum.

Quare animorum audaciâ ex periculo auctâ, decretum de abolendis indictionibus ſcriptum, quas patrio juri adverſas & deſtruendis Caroli Philippique conventionibus repertas maſculâ virtute & majorum æmulâ D. Petrus Abbas Foſuerdicus, Thomas Groningenſis Antiſtes Floridi campi, Hector Abingha, Ruardus Roorda, Livius de Bejem, Hero Ockingha, Petrus Boimerus, Oedſma, Meinius Lycleſius Nyholtpadius, Bernardus Romkenius, Iacobus Idſius, Titus Hajonius, Vitus Heinama ſignavere. Quæ cum militum animos accenderent, quod ſtipendiorum incerta à fundamentis convellerentur, omni licentiæ fræenos laxavere, direptiſque privatorum bonis querimoniæ apud Requeſentium inſtituendæ occaſionem commodavere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIV.

Itaque eodem frenandæ militum per Friſiam licentiæ edicto, delegari Requeſentius è Senatu regio juſſit, quo militaris inſolentiæ publica flagitia detegerentur, certioreq; in poſterum diſciplinâ regius per Friſiam miles contineretur. Tum ſtipendia quoque per provinciam ordinata, publicâque lege privatis damnis occurſum, quæ in ſolutum contribuentibus, aut detrimenta paſsis, ſpecioſâ novi regnantis æquitate vertebantur. Econtra à Senatu regio proſcriptionum tabulæ reſtauratæ, abolitoque Veniæ Edicto, quod ante triennium Ferdinandus Albanus publicaverat, fœderati agere extra provinciam juſsi. Itaque vetitum, ne qui cauponum, avum, patrem, fratres, aut propinquos reciperent occultarentve, arbitrariâ pœnâ in tranſgreſſores legis conſtitutâ. Unde omnis provinciæ ora fœderato aut proſcripto intuta, captiviſque in coſtodias regias pertractis, ſecreta conſiliorum per quæſtiones & tormenta eliciebantur. Quare alij patres, fratres, aut propinquos recitavere, ſæpeque à deprehenſis in ſpem impunitatis innocentes detecti, alienâ impietate aut inſimulatione, tanquam ſuo flagitio puniti. Robleſius quoque binos ſeſtertios ſingulos in florenos aureos per provinciam decretos, pendi intra decimum quartum diem Heroni Burmaniæ juſsit, vetitoque omni cum fœderatis commercio, quod jam ante ſub Arembergio & Megano factum erat, mulctas fiſco regio nuper adjudicatas novâ lege ſolis accuſatoribus aſsignavit. Mox depreſsiore littorum æſtu, ſternendo circa Æquinoctium vernum marino aggeri ſe dedit, athletaſque dulcedine otij diurnum victum per agros quæritantes expedire alimenta per opera manuum juſsit. Rei quoq; maturandæ diem dixit, &, ne progreſſus neceſſarij operis retardaretur, denis quibuſque ruſticorum prædiorum florenis laborantium multitudinem adæquavit. Itaque non privati juris obtentum, non querimoniæ ſupplicum apud Robleſium valuere, privata damna publicis commodis excuſantem.

Fœderati omnes proſcripti damnatique.

Robleſius ſternendo aggeri marino ſeparat

CIrcumducendam ſcilicet, qua Oceano patet, valido aggere provinciam fuiſſe, ut, quoniam ſecuritati gentis adverſum æſtus maris natura non proſpexiſſet, repagula fluctuum arte ac manu fierent. Objectas quidem terris Friſicis inſulas, cæterum per interjectos ſinus ac oſtia fluminum divulſas. Ita fieri, ut conferti fluctus majore impetu ingruant, lunaribuſque radijs impulſi littus hauriant incolentium diſſenſione ac incuriâ planum. Non eſſe repetendam veterum controverſiarum memoriam, quibus quadraginta ante annos Caroli Cæſaris decretum & tribunalia incaluiſſent. Renovatam etiam Philippo Principe, & quidem Margaretâ ſub Gubernatrice, litem, injuncto Ioanni Lignæo Arembergio tum temporis negotio, ut in provinciam cum mandato Gubernatricis iret, eandemque litem ſuo arbitratu componeret. Cæterum ne tunc quidem refectionem aggerum inſtitutam, urgentibus Ruardo Roorda & Herone Orkingha mediterraneorum Weſtergoorum delegatis, ex uſu publico id eſſe maxumeque expedire, ne viſitatio aggerum per eorundem Præfectos & Deputatos, velut ad corrigenda conniventes, excluſo provinciæ Præfecto aut Senatu Regio, procedat. Mox acerbius ſub Carolo Brimæo Comite Megano diſputatum, pertinaciâ diſceptantium non ante compoſita actione, quam conſpirantium elementorum importunus & ſæpe recurrens

rens furor contumacem populum deligendos ad arbitros compuliſſet, à Philippo Rege, Ferdinando Albano, & Senatu regis poteſtate judicandi inſtructos. Itaque eludi majeſtatem regnantis & autoritatem judicij non poſſe. Quin admovendas confeſtim manus iſti operi, quod ſecuritatem & fortunam terris Friſicis, æternitatem famæ ſui autoribus daturum ſit. CIↃ. IↃ. LXXIV.

Mandatum quoque Ioanni Carolo fiſci regij Advocato, ut ad Weſtergoos ſcribat ocyus, regiſque ſui nomine agat, cujus interſit annuis eluvionibus Friſiorum agros non abſumi. Quod ſi fiat, magnum regi detrimentum creari, qui unice velit ſuo patrimonio ac fiſco nihil decedere. Quare nec crebras inundationes aut ultimam egeſtatem pertinacibus ad excuſationem apud regem profuturas, publica ac ſua, ſi poſthac ingruant, damna contumaci diſcordiæ, non divinis iris imputaturum. Tributa quoque extra ordinem maturando operi Robleſius popoſcit, diemque auſpicandæ moli præfinitum negligi vetuit. Mox conficiendis tabulis Gaſparus Robleſius Præfectus, Igramus Achlenius Præſes, Adrianus Vaſtartius, Petrus Frittema, & Ioannes Carolus Senatores delegati, modique dimenſionum Harlingæ in arce regiâ ſcripti. Operariorum quoque vacationibus proſpectum, quo duri operis moleſtiam interjuncto otio diſpungerent, viriumque fomentis laborantium corpora refocillarentur. Diſciplinæ quoque leges continendæ in officio multitudini ſcriptæ, cautumque ſevere, ne quis à diurnis operis ceſſaret, feſtinandique laboris aſſiduitatem inſolentiâ aut ignaviâ interverteret. Itaque die condicto per omne littus tot millium inconditus clamor & diſſonæ voces, velut in caſtris aut exercitu edebantur. Quippe diverſis miniſterijs occupata multitudo materiem operi aut conſilia poſcebat, ſtreperoque murmure ſilentia littoris & inſpicientium imperia morabatur. Quare diſtinguendis temporum intervallis, quæ longior ab Æquinoctio dies præſtabat, ſignum ex edito datum vacationum, aut operarum ſtatas vices deſignabat. Sic jacta magnæ & ſtupendæ molis fundamenta, populuſque agrarius ſævienti elemento compedem injecturus, importunum mare tumultuario primum opere coërcuit. Inde aquæ, fœcundis agris jam ante ſuperfuſæ, ſenſim repreſſæ, fluctuſque diurnis quondam æſtubus per lata terrarum littorumque ſpatia ſe laxantes ſolertiâ hominum deſedere. Tum ſequens annus perducendo ad finem operi dictus, cautumque Senatuſconſulto, ut eo anno in denos pedes agger marinus exſurgeret, impendiaque tabulationum arbitrio Præfecti & Senatus Regij ſtarent. Injunctum quoque mediterraneis Weſtergois Heroni Ockinghæ, & Heſſelo Haniæ, ut veteri marino aggeri neceſſarias reparationes præſtent dentque effectum, ne quid damni reſp. per ſocordiam & neglectum publici operis patiatur. Hæc Jani Gulielmij aggerum Scribæ manu ſignata. Sic aggeres quique, qui aut extimo littori, aut introrſum diſſitis à mari agris prætexuntur, novis molibus firmari, protractaque per tot annorum diſſenſiones & ſocordiam Præfectorum provinciæ incolumitas unius Robleſij ſevero & aſpero per Friſiam imperio ſtabilita. Creditum fuit Gaſparum Robleſium ex imo per egregia facinora ad ampliſſimam Præfecturam evectum, tam ſuo quam populi bono ſumptuoſi operis conſilium cum vehementiâ urſiſſe, quo ſoli ubertate fœliciſſimas ditiones

cIↃ. IↃ. LXXIV. nactus, prædučto terris aggere, ſuæ dominationi & ſimul bello certiora ſubſidia apiſceretur. Cæterum ſternendo aggere occupatum, & gloriæ ſuæ è pacis negotio indulgentem belli mox ardeſcentis rumor perculit. Quippe Ludovicus Naſſovius, qui jam ante utriuſque fortunæ documenta in Friſijs fecerat, adventare cum exercitu ferebatur, Gulielmoque Naſſovio Aurantio Principi, res per Hollandiam, Zelandiamque gerenti, auxilia parare. Jam enim Ludovicus poſt occupatos & mox deſertos Hannoniæ Montes, per Germaniam Galliaſque fœdera ac ſocietates agitaverat, credebaturque Carolum IX. Gallorum Regem, velut pœnitudine exercitæ per regnum cœdis ductum, tum ipſos quoque Romani Imperij Principes in ſocia arma ſecretis legationibus traxiſſe.

Ludovici Naſſovij expeditio

Tradit Thuanus à Carolo Rege, quo fœdiſſimi facinoris infamiam elevaret, Gaſparum Scombergium in Germaniam ad Principes imperij miſſum, eundemque Francofurti ad Mœnum, Galeacio Fulgoſio reginæ legato interceſſore, cum Ludovico Naſſovio nomine Aurantij fratris arcanam pactionem inijſſe. Eâdem cautum fuiſſe, ut ſi bellum Hiſpano, aut trecentorum millium carolæorum mutuum fœderatis in ſubſidium Rex Carolus præſtaret, Hollandiam ac Zelandiam, fidejuſſore Romani Imperij Principe, accipiat, oppidaque, ſi quæ adjici fœderatis bello eveniat, Regi cedant, ſecus Hollandiam Zelandiamque ex pacto teneat. Quæ in acta relata pro ingenijs partium fiduciam, aut metum dedere. Itaque Ludovicum Requeſentium Belgicæ Præſidem pavor invaſit, progreſſo jam in interiora provinciarum Ludovico, & exercitu regio per inopiam æris defectionibus proxumo. Unde Valonicæ Legionis copiæ Friſiâ mox evocatæ, præſidiaque urbium per provinciam extenuata. Econtra fœderatis amplæ ſpes & ſurgentium rerum lætiorum initia ex ſecundis per Zelandiam rebus, & adventu Ludovici naſcebantur. Quamobrem Gallicas Germanicaſque ſocietates efferre, bello, ſi perſeveret, firma auxilia, aut paci, ſi ſperari poſſit, interceſſionem daturas. Adeo fragilitatis humanæ documentum fiducia dubij exitus conſilia pro certis ac profuturis acceperat. Gulielmo vero Naſſovio omnia funeſti ominis in Ludovici fratris exercitu videbantur. Quippe imperitum armorum militem Ludovicus ducebat, temporiſque opportunitatem, quod negligenti celerrimum eſt, crebris itinerum ſtationibus morabatur. Unde Requeſentio occaſio nata copias cogendi, quæ per omnem oram ſparſæ, verſo in conſtantiam metu, magnâ feſtinatione colligebantur. Mox, quo juſto exercitu pugnaret, regios vaſallos in armis eſſe juſſit, motiſque Leidâ urbe, quam obſederat, caſtris, è minoribus Friſijs conduci copias præcepit.

Requeſenrij apparatus contra Ludovicum

Delectus quoque ſupplendis cohortibus per Germaniam habuit, Zanchiumque Avilanum, virum militiæ egregium, regio exercitui præfecit. Dein Trajectum majoribus præſidijs firmavit, quam urbem Moſa amnis modico alveo ſtringit, & in cujus ulteriore ripâ Ludovicus Naſſovius auxilia Principum cum exercitu opperiebatur. Jam enim invium flumen gelu fecerat, natantemque & crepidine avulſam glaciem rapaciſſimi vortices agebant. Quare Requeſentius, ne amnem ponte Ludovicus ſterneret, ſoluta circa Æquinoctium glacie, naves eodem in flu-

flumine ſtantes ſubduci fecit, omnemque exercitum, quem ſubvertendo Ludovico deſtinabat, conduci Trajectum ad Moſam imperavit. CIↃ. IↃ. LXXIV.
Ludovicus vero pedeſtrium copiarum, quæ ſex millia armatorum numerabant, ordines tuebatur, equitatumque trium millium, quem è Gallis ac Lotharingis collegerat, Chriſtophoro Bavaro Palatino commiſerat. In comitatu vero, præter Gallicæ Germanicæque nobilitatis florem, Henricum quoque fratrem circumducebat, rudimenta virtutis primis juventæ annis in illo exercitu facturum. Sic conſidentem haud procul Moſæ ripâ Avilanus immiſſo velite tentavit, levique equitum concurſu facto, ubi rudem armorum Ludovici equitem deprehendit, non obſcuram victoriæ ſpem præconcepit. Quare equitum turmas in inſidijs collocavit, Ludovicique copias elicere loricâ caſtrorum adnixus, præludia pugnæ non ſine oſtentatione, & fiduciâ proſperi exercuit. Jam enim diverſis auxilijs regius exercitus increverat. Ludovici verò caſtra, etſi Mocam vicum tumultuario opere præmuniri curaverat, magnis intervallis diſcreta ſpectabantur. Unde factum eſt, ut Avilanus novem Germanorum peditum cohortes, & alam ſchlopetariorum per Mendozam equitum ductorem tentaverit, dieque vix orto ad ſeptingentos ceciderit. Cujus cladis cauſam ut latis caſtrorum ſpatijs, ita neglectis equitum excubijs Scriptores annalium aſſignavere. Quare Ludovici caſtris ab illâ ſtrage melius proſpectum, diſpoſitique per opportuna locorum vigiles tenebroſæ noctis diſcrimini ſubvenere. Adeo magnis etiam ac præclaris belli Ducibus damnoſa ſemper infidis rebus ſecuritas fuit.

Requeſentium inter ac Ludovicum utrinque geſta.

Mox Requeſentius copias, quas Hollandiâ exciverat, ſubſequi ocyus, ac progredi Ruremundam juſsit, Zanchiumque Avilanum ad movenda caſtra Ludovicum compellere præcepit. Igitur commeatuum inopiam, & ex loco diſcrimen præſentiens Ludovicus mutandorum ſtativorum conſilium inijt, exercitumque cis Moſam mox trans flumen ducere, ac Rheno Moſâque amnibus circumſcribere conſtituit. Sed viæ opportunitas, copiæ, & navigia deſiderabantur. Itaque lintres traducendis copijs, Gulielmum Naſſovium popoſcit, fraterna fata non æquâ mente volutantem. Quippe ſiniſtri præſagium principem animum occupaverat, diraſque rerum triſtium imagines miſeratio fraterni diſcriminis repræſentabat. Unde Aurantius, quo impulſis Ludovici rebus ſuccurreret, copias ſuas in Bommeliam inſulam duxit, quam in longitudinem porrectam nobiliſsima flumina Moſa ac Vahalis lato gurgite ambiunt. Moſæ vero dextram ripam Ludovicus, ſiniſtram Avilanus prælegebat, celeritateque velut conficiendi itineris uterque exercitus certabat. Quare ampla viarum ſpatia permenſus miles laſſitudinem ſentiebat, pugnæque deſideria & calores fatigato corpore minuebantur. Avilanus quoque Noviomagum oppidum, quod Vahali adjacet (florente olim Friſicæ gentis potentiâ regni noſtri ſub Radbodo terminum) novis copijs munivit, emiſſiſque exploratoribus de Ludovico certior factus, haud procul Graviâ oppido Moſæ flumini pontem impoſuit, copiaſque traduxit, ne Naſſoviorum fratrum exercitus haud magnis terrarum ſpatijs diſcreti, ſuo incommodo jungerentur. Mox ſuperato amne Moſa ſpeculatorias equitum cohortes emiſit, quo pugnan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIV.

tem Ludovicum detinerent, & à continuâ ſuccedentium copiarum velitatione prælium inciperet. Cæterum iſtæ à Ludovici equite ad quadringentos cæſæ, aut in avia diſparſæ, ſine ullo ordine in Avilani caſtra rediere. Scribunt autores eâ clade tantam Hiſpanorum in caſtris conſternationem fuiſſe, ut, ſi ulteriorem impreſsionem Ludovici equites feciſſent, in fugam, aut confuſionem dare totum Avilani exercitum potuerint. Sed ſubeſſe dolum, aut collocatos in inſidijs Hiſpanos rati, ſignum receptui dedere. Itaque eorum umbris, qui jam ante in Ludovici partibus occubuerant, abundè parentatum, maneſque cæſorum reciproca per piamenta placati. Sic ſuffuſo terris opaco à pugnâ diſceſſum, dieque poſtero inſida caſtrorum quies interrupta, magno turbæ murmure, ſilentia noctis confudit. Tum Hiſpanorum acies ſub lucis ortum inſtructa. Avilanus vero dextrum exercitus latus, quo tutius eſſet, juxta fluvium locavit, haſtatorumque ordinibus ſchlopetarios pedites antepoſuit. Lævum vero latus gravis leviſque armaturæ equites ſtipabant, inſtarque ſemilunæ duo in cornua protendebantur. Peditatum vero Bernardinus Mendoza cum nonnullis equitum turmis ſequebatur, præmiſſo interim lanceario, ſchlopetarioque equite, quem ut anteceſſorem, inſtituendæ velitationi Avilanus ordinaverat.

Hiſpani conſultant, quid facto ſit opus.

Auxilia quoque, quæ Barlamontius Hyergius, nuper majoris Friſiæ, tum Geldriæ Præfectus, ducebat, in caſtra regia opportunè adducta, majorumque copiarum ſpes facta differendæ pugnæ dubia conſilia exercuit. Erant qui cenſerent ex præſcripto Medicorum crudis rebus nihil tentandum, & opperienda potius auxilia, quam regias res in grave diſcrimen adducendas. Neque enim momenta rerum expendi, cæterum illa in pugnâ, illo in fortunæ & virtutis experimento, regis, aut partium imperia conſiſtere. Trahi dubijs eventibus res mortalium, neque nimis fidendum præſenti fortunæ, ut plurimum ſuâ opinione fœlicem deſerenti. Fiduciâ ſui multos in præcipitia actos, neque aliâ occaſione Arembergium in Friſijs ſe ſimul & exercitum perdidiſſe, quam quod auxiliorum certus, ſpretis cum Ludovico auxilijs pugnaverit. Habendam eſſe in bello multitudinis rationem, neque tantas fortunæ dominationes eſſe, quin ab humanis quoque bellorum exitus dependeant. Quare indulgendum moræ eſſe, dum ad manum auxilia ſint, Ludovico metum, commilitonibus animum factura. Cæteri diſſerebant idoneum pugnæ locum, velut fato datum, neque numero diſpares, virtute vero ſuperiores regias copias eſſe. Trahere Ludovicum inexpertam militiæ & tyronum manum, cæterum pro Philippo veteranos & exercitatos bellis ſtare. Adhæc metuendum eſſe, ſi prælium protrahatur, ut Ludovicus patentibus campis nunc agens, tumultuario opere ſe muniat, altitudinemque aut vada fluminis ope lintrium explorans auxilia accipiat, aut in confinia ſe transferat fraternis copijs inſeſſa. Itaque auſpicandum potius pugnæ initium, documenta virtutis & haud dubiè fortunæ daturum.

Vtrinq; acies ordinatæ, pugnaq; cœpta

Mox Ludovicus aciem ordinavit, peditumque viginti quinque cohortes, robur exercitus, dextrum per latus diſpoſuit. Equite vero tutandis peditum ordinibus ſubjunxit, turmaſque nonnullas, incapace univerſi equitatus per anguſtiam loco, lævum ad cornu haud procul convalle locavit, quæ clementi colle ver-

ſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ſus Septentrionem, in ortum Mocâ claudebatur. Decem vero Gallorum peditum ſigna Ludovicus munitioni præfecit. Tum ſignum pugnæ datum, primaque acierum velitatio cœpta, in quam gloriæ aut partium ſtudijs præfervidæ mentes incendebantur. Quippe alij pro Philippo rege pro retinendâ dominatione, alij pro patriæ libertate, pro aris ac focis dimicabant. Itaque quærendo pugnæ compendio, Avilanus tres cohortes Hiſpanorum, & mox Valonum oppugnare munitionem juſſit, quæ modico conflictu virtute Valonum occupata, fatale rerum inclinantium præſagium fuit. Unde Ludovico res anguſtæ, pro copiâ aut acceſſu novorum ordinum, tamdiu impetum adverſarum partium ſuſtinuere, donec Avilanus peditum agmen, florem exercitus, laſſis vulneratiſque ſurrogaret, Ludovicique copijs confertim immitteret. Quare per ordines Ludovici ſenſim confuſio, & ex ea conſilium fugæ invaluit, à quâ etiam Ducum Tribunorumque pugnantium adhortamentis, aut equeſtris nobilitatis illuſtri fortitudine, imbellis multitudo non revocabatur. Tradunt autores Naſſovianos pedites, etiam inſtantis periculi præmonitos, compelli prece aut juſſu ad officia non potuiſſe, præfractoſque & Ducum imperijs contumaces degenerem & inglorium ſanguinem propriæ perfidiæ & ultricibus iris litaſſe. Sic ipſo prælij momento ſtipendia poſcenti turbæ, juſta defectionis merces, parata mors aſſignata. Quare Ludovicus ſexcentis cum equitibus, quos in fronte exercitus collocaverat, colle deſcendens, in confertiſſimam hoſtium aciem ſe immiſit, adjutuſque Gallorum peditum copijs, quas ſacramentum adhuc obligabat, dubiam & velut hærentem fortunam ſuâ diu virtute ſuſtinuit. Poſt vero ubi equitatus ordines luxati, & pars edita collium peteret, pars in prærupta ac declivia ferretur, robur aciei diſſolutum ingruentium lanceariorum equitum inſultibus ceſſit. cIↄ. Iↄ. LXXIV.

Hiſpanorum Victoria.

Itaq; in fugam verſi Ludovici equites Hiſpanis victoriam reliquere. Alij tradunt, à lanceario Avilani equite Ludovici quoque pedites ita obrutos fuiſſe, ut reſpirandi tempus defuerit, armorumque ſuorum incapaces loco ceſſerint. Itaque multi fugâ in avia & ſylveſtria ſparſi, à ſubſequentibus Hiſpanis cæſi, aut ſævitiâ victorum flammis dati, communi velut rogo, tanquam ſepulchrali igne arſere. Ludovicus ipſe clariſſimus belli Dux, quem fortuna & militum fides, non virtus deſeruit, cum fratre Henrico, & Chriſtophoro Bavaro Palatino ignoto mortis genere occubuit. Creditum fuit, quod inter cadavera cœſorum reperti non ſint, aut profundæ paludum uligini immerſos, aut incendio ædium, in quas ſe receperant, exuſtos perijſſe. Alij addunt, Ludovicum accepto brachij vulnere, tum fratrem ac Bavarum fortiter pugnantes & mox equis proturbatos, multitudine vulnerum concidiſſe. Cæterum dubios viri exitus & diſceptatam ſcriptoribus mortem neſcia premi obſcuro virtus illuſtrabit, Ludovicumque, ut patriæ & exercitui illis in campis, inſtar victimæ, ſe devoventem, fama humanæ vocis aut perennis annalium labor in omnem temporum memoriam feret. Nonnulli è perfidis & pugnam detrectantibus, ignobili latebrâ ſe occulentes, non multata & intacta vulneribus corpora pugnæ ſubduxerunt. Gallicæ vero copiæ, quæ Ludovici fidem ſecutæ, præclarè ſe geſſerant, ſociorum funera, cœſis poſt ad Moſam Rhenum-

Mors Ludovici, & de eo judicia.

num-

cIↃ. IↃ. LXXIV. numque hoſtibus ultæ, nullâ inſigni clade acceptâ in Galliam rediere. Prædæ parum victoribus obvenit, niſi quod triginta vexilla & tres machinæ claritudinem victorum auxere. Auguſtus Thuanus ex commentarijs Bernardini Mendozæ, cataphractorum illâ pugnâ ductoris, ſcribit, Ludovicum cum ſuis non ſtrennui tantum Ducis, ſed militis officium expleviſſe, equoque dejectum, & palude abſorptum perijſſe. Creditum fuit, Ludovicum conſilio ſuo, quo ſimulatâ peditum ſuorum fugâ inſequentes, & ſolutos Hiſpanorum ordines excepturus cum integris videbatur, excidiſſe, alteriuſque, qui paluſtri Moſam inter & Vahalim loco ac incilibus diviſo, noctem exercitui agendam ſuaſerat, male obſecutum, periculis & ſubſecutæ cladi ſe expoſuiſſe. Alijs quod ad Mocam deſederit, feſſis ex longo itinere ac per adultum ver ferventiſsimo die copijs Ludovicus dediſſe creditur, & quod prælij fortunam infidis exploratoribus commiſiſſet. Reidanus optumus ſcriptor addit, eum ex ſuarum virium fiduciâ imbecillitatem hoſtium æſtumaſſe, fatumque, quo Ludovici fortunam convelleret, magni Ducis & ſuâ opinione prævalidi conſilia corrupiſſe. Pugnantem occubuiſſe idem Reidanus autor eſt, eumque, ſi fato licuiſſet, maxumorum belli ſuâ ætate Imperatorum longe gloriam ſuperaturum fuiſſe. Quippe militare ingenium, etſi gerendis rebus præceps crederetur, nec vacuum prudentiæ erat, mandatiſque & imperijs exequendis grave obſequium exercitus ſingulari autoritate moderabatur. Adhæc civilem oriſque facundiâ trahendis animis peritum Ducem clariſsimi ſcriptores adumbravere, vigiliæque & laboris patientiſsimum parum temporis ſomno, minimum odio dediſſe. Ita dum multi vinum inter & epulas luxu fracti de bello conſultant, laude quoque abſtinentiæ & præcipue in Deum pietatis commendabatur, hoc ſolo cum infœlicitate fati luctatus, quod continentiæ & diſciplinæ ſeverus affectator, validiore remedijs malo, in corruptiſsimos militum mores, unicum gloriæ & fortunæ ſuæ impedimentum, inciderit. Quare à clade Ludovici omnem per Friſiam ſupplicationum dies Regij Senatus decreto inſtitutus, amburbiaque illuſtri victoriæ Pontificio ritu decreta. Cæterum prima Requeſentij proſpera rebellione mox cohortium, tum navalium pugnarum Hiſpanorumque per minores Friſios cladibus verſatilis fortuna penſavit. Quippe foris victorem regium exercitum & ſui fidentem inteſtina vitia corruperant, maliſque indies invaleſcentibus regiæ fœlicitatis & potentiæ curſum remorabantur. Adeo ut, quantum publici luctus Ludovici & exercitus funera mœſtiſſimo fœderi darent, tantum fere indignabundi mœroris è militarium cohortium ſeditione Requeſentio naſceretur. Itaque à Ludovici clade per ſecreta patrum mœſtum ſilentium erat, Hiſpanorum in caſtris & per præſidia urbium murmura & tumultus legionum audiebantur. Aurantium vero, ut ante futuræ adverſitatis triſte præſagium, ita præteritæ cladis atrociſsimum vulnus tum iniquietabat.

Sic ſcilicet infeſtam diu patriæ per civilia bella fortunam iraſci potuiſſe, ut publicis cladibus fraternas & propinquorum neces ſubjungeret. Nec cariſſima pignora fato tantum ablata, cæterum oculis ſubducta, incertum quo exitu, vitam finiiſſe. Iacere aut voragine paludum hauſtos fratres, aut concrema-

matis nullo ſolenni & hoſtili manu corporibus, ſacrum ferali urnâ deſtitutum per deſerta & ſqualentia ſpargi. Id fatum ſuæ domus eſſe, ut iratum regem, cum fide & officijs non poſſit, placare continuis furoribus debeat? Sic deſæviri etiam in victos potuiſſe, ut non duorum fratrum cæde, non internecione aut fugâ exercitus, placatos victores crudelius conſilium & interceptæ defunctorum reliquiæ ſatiarent? Ita non alia ſibi ab Hiſpano ſolatia relicta, quam quæ eripi nequiverint. Tranſcriptas haud dubiè cælo fraternas mentes noviſſimum ſpiritum infælici patriæ mancipaſſe, ſed quæ aliquando vindicum illorum memoriam cultura ſit. Quare grande ad novos luctus remedium ſupereſſe, actum ſcilicet fratribus præclarè ævum tam laudato exitu ſignari. Ita moriendo immortalitatem adeptos.

cIↄ. Iↄ. LXXIV.

Tradunt noſtrates concurrentium in aëre acierum ſpectacula tum incidiſſe, cœlumque, ſanguineis radijs velut rubeſcens, circa hæc fere tempora inſolito fulgure obſcurum noctis illuſtraſſe. Quæ ſive cruentæ ad Mocam cladis, ſeu ardeſcentium bellorum ſigna fuere, incertum. Unum obſervo Cornelium Gemmam ſagaciſſimum cœleſtium & arcanorum naturæ indagatorem cum ex oppoſitione Saturni ac Jovis circa Pleiadum ſydus, tum ex inerrantium ſtellarum concurſu, menſe Aprili funeſta atque exitioſa prædixiſſe, tempuſque calamitatibus publicis, aut mutationibus rerum definitum Ludovici Naſſovij clade, & mox Caroli IX. Gallorum Regis morte fœdatum.

Prodigia.

Mors Caroli IX gallorum Regis.

Scribit Cambdenus in Annalibus Anglicis Theodorum Bezam ingenioſiſſimo carmine Novam Stellam Carolo IX. tanquam Herodi infanticidæ applicaſſe, monitoq; ut ad inſoliti ſyderis & haud dubiè imminentia extrema ei portendentis occaſum expaveſceret, haud longo ab eo tempore per lentos & quidem acerbiſſimos cruciatus profluviaque, quem ad horrorem & ſimul ſatietatem effuderat, ſanguinis, fatalem regno & ſimul vitæ diem obveniſſe. Gaſparus interim Robleſius res per Friſiæ provinciam curabat, aggeriqne marino intentus pelliciendis in partes regias minoribus Friſijs occupabatur. Quippe iſthuc loci, ſuperato, quod majores inter minoreſque Friſios breviſſimum eſt, freto, multitudo proſcriptorum exulumque confluebat liberandæque patriæ conſilia fabricabantur. Itaque portus & littora majoris Friſiæ à proſcriptis exulibuſque claſſe pulſata diſcrimen Robleſio dabant, ſecuritatemque Præfecti, velut in pace regnantis, diurnis in continentem excurſionibus obturbabant.

Quare Robleſius, ut ſedem bello in minoribus Friſijs recuperaret, ad Riſvicium Medenblicanæ urbis, quæ Friſiæ majoris littori objacet, arciſque Satrapam litteras ſubornari fecit, quibus Riſvicium, ut ad regem rediret, ſpecioſis blandicijs hortabatur.

Robleſius tentat inſidioſe Riſvicium Medenblicæ præfectum.

Intellexiſſe ſe Riſvicium nuper regi fidum, poſt in ſocietatem fœderis pertractum, pœnitentiam defectioni tædio bellorum non ſemel obtendiſſe. Itaque ſacramentum regium non dedignanter profeſſurum, modo veniam anteactis impetrare queat. Et quoniam regiæ mentis non aliud conſilium ſit, quam ut urbes ac oppida citra diſpendium humani ſanguinis recuperet, ita velle, ut Riſvicius pro ſe & conjuge veniæ certus Medenblicanam arcem regi tradat, extrema alias perſeverantibus in rebellione decernenti. Iſti quippe fini magnos & formidabiles terrâ marique rerum apparatus Philippum agitare, quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↃ. IↃ. LXXIV. *Hollandiam Zelandiamque & minores præſertim Friſios domet. Redeuntibus vero ad obſequia Medenblicanis & ipſi Riſvicio parciturum regem fore, ab ingenio clementem, & ſui populi miſertum. Ne quid dubij ſit, ſe ac ſua obligare, quin ſpondere filium ſuæ ſimul & regiæ fidei obſidem, cujus illuſtre documentum deſiderio cariſſimi pignoris facturus ſit. Adhæc ſciret Riſvicius non diuturnam fœderis fortunam fore, ſi potentia tot regnorum in unum coaleſcat, gerendoque bello Philippus rex præficiatur, de cujus adventu certus eſſe queat. Adverſa rebellantibus fata fore, & jam pridem haud procul Moſa ac Trajecto urbe deletas partes venturum exitium portendiſſe. Itaque petendum defectioni veniam aut exſpectandum bellum eſſe.*

Hæc Leovardiæ ſcripta ac ad Riſvicium miſſa nullius efficaciæ fuere.

Ericus quoque Brunſvigius nequidquam alias civitates tentat.

Similes quoque litteras Ericus Brunſuigius ad Enchuſam Hornamque civitates dedit. Is namque conſcripto Philippi regis nomine per Saxoniam exercitu, conterrendis, qui trans Flevum agebant, minoribus Friſijs duo equitum millia, decem peditum ſigna, haud procul Groningâ ac Lavica amne per Drentiæ fines circumferebat, validiſſimiſque cum copijs caſtra ad Beilam metatus minori Friſiæ & iſtarum urbium præſidijs minabatur.

Interim miſereri ſe divulſæ à Rege gentis fidem faciebat, neque aliâ ſollicitudine attineri, quam ut ceſſante bello cædium ac rapinarum tandem finis ſit. Adhuc ſcilicet pœnitentiæ locum eſſe, miteque regis optumi ingenium clementiam polliceri. Eſſe quidem ad manum Philippo arma, in quorum apparatu eßet, cæterum ſervati civis gloriam, quam ex oppreſſo decus mavelle. Se vero miniſtrum Regis & Romani Imperij Principem daturum operam, quo Hornenſes ac Enchuſani, ſi ad regem redeant, urbeſque Philippo permittant, publicæ pacis benificium ſentiant. Contumacibus vero & præfractis extrema patari. Nec ijs tantum, cæterum uxoribus liberiſque ultimum diſcrimen imminere, quorum miſereri naturæ affectus ac inſtinctus æternæ legis præciperet. Itaque velle, ut de ijs, quæ ad deditionem ſuarum urbium ſpectent, ſtatuant ocyus decretumque Senatus perferendum præconi curent.

Quæ ab Erico in caſtris Beilæ ſignata perlataque in minores Friſios contumaci ſilentio & non modica indignatione excepta. Ab alijs vero in ludibrium contumeliamque Erici, velut in poteſtate fortunam & res provinciæ habentis, imperioſa autoritas converſa. Quare Ericus, nullâ urbium deditione ſperatâ, æſtiva per Drentiam in menſem Julium traxit, deſtinatâque in tranſmarinam provinciam expeditione abſtinuit. Itaq; damna paſſim agris data, Drentiæq; finibus ſe non claudens exercitus ac in Stellingverſios ſe effundens omnem inſolentiam patravit. Unde metus majori Friſiæ datus, quæ palam in partibus tum Philippi, clam fœderi addictior in Ludovici Naſſovij clade Reip. vulnera diſsimulabat. Quamobrem privato & domeſtico luctu pleræque domus occupabantur mœſtæque civitates, quæ jam ante fœderi ſe adſcripſerant, publicis ovationibus ſecreta vulnera miſcebant. Immodicæ namque per provinciam exactiones tum fiebant, præterque aggerum & belli impendia gravi annonâ miſeri provinciales divexabantur.

Annona caritas ex inundatione;

Notat Nicolaus conſul Staurius in commentarijs ſuis, laſtam ſecalis centum florenis juſti ponderis tum væniſſe, populumque velut con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

fluentibus adverſis obrutum extremâ rerum anguſtiâ tum egiſſe. Quippe mare veteres alveos emenſum, haud vano naturæ miraculo, ipsâ æſtate, Sole Tropicum Cancri ingreſſo, rariore æſtu intumuit novique aggeris molem horrendâ eluvione disjecit. Unde ſegetes paſſim arvis vi fluctuum erutæ difficilem ultro annonam fecere. Notat ſcriptor Nobiliſſimus Sixtus Hemmingha in Genituræ ſuæ deſcriptione maxumam Friſiæ partem marinis aquis obtectam tum fuiſſe iſtamque calamitatem, quo incertitudinem Aſtrologicæ artis demonſtraret, non influentijs aut conjunctionibus ſyderum, cæterum avaritiâ & ſocordiâ Præfectorum aggeris eveniſſe. Itaque diſcordi ultro nobilitate ac populo agrario validæ adverſum eoſdem Præfectos criminationes ortæ, velut deſtinata muniendo littori ſubſidia apud nonnullos cupidine opum & fœdiſsimo peculatu interciperentur. Quare cenſebant anniverſarijs inundationibus non aliud remedium, quam reſcriptum regis decerni poſſe, quo autoritate regnantis tot capitum diſſenſionibus & publicæ neceſsitati ſubveniretur. cIↄ. Iↄ. LXXIV.

Nitzenij & Senatoris Aytæ pro Friſijs interceſsiones adjuvante Viglio Præſide.

Quæ cum Philippum per equitum peditumque delectus paſſim gravaret ne obtinebat quidem Bruxellis Nitzenius, ut penſio honorarij æris quæ ad Martini feſtum præſtanda erat, Friſijs condonaretur, aut ut Friſij militis regij ſtipendio applicarent. Quamvis proferret Legatus geminatas unâ æſtate Friſicarum terrarum inundationes mareque Iunio menſe iratum ipſo quoque Bartholomæi die novas aquarum eruptiones arvis paſcuiſque ſuperfudiſſe. Neque ajebat Legatus, alia Friſiorum rogas ex ſolâ liberalitate præbentium mens fuit, quam ut pecunia iſta regis populique uſibus inſerviret, & ut bellorum, quæ multis caſibus ſubjacerent, impendia, conſtituto velut ſacro ærario, in extremis provinciæ periculis proſpiceretur. Quæ quidem eo magis metuebantur, quod Robleſius Tranſlavicanorum aggeribus luſtrandis intentus inter cætera evulgaſſet, Ottonem Scouwenburgium cum equitum turmis in Friſiam contendere, iſtamque expeditionem firmandis apud contumacem populum indictionibus decerni. Quapropter re adhuc integrâ hærente etiam tunc apud Belgicæ Senatum Nitzenio Bruxellas amandatus Hector Ayta Iure-conſultus & in Philippi Curia Senator, qui ijſdem mandatis inſiſteret, & ut Otto Scouwenburgius Friſiorum agris intentus & minax cum equeſtribus turmis minuendis, quæ ſupra modum increverant, Friſiorum damnis in alia locorum revocaretur. Scribit Ayta ſuum quoque ante adventum quoſdam magnates Friſijs æquiores, & imprimis Viglium patruum id à Requeſentio impetraſſe, juſſoque Scouwenburgio, etſi indignabundo, alio copias transferre, Friſiam iſto tempore intactam direptionibus manſiſſe, litteras quoque à Robleſio & Senatu per Friſiam regio obtinendis Scouwenburgicis ſcriptas curante Viglio diu occultatas fuiſſe, Requeſentijque decretum de mittendo in Friſiam Scouwenburgio interceſſione patrui, velut legationi nepotis aliquid dantis, bono Friſicæ gentis reſciſſum. Quæ res Robleſium, valde offendit & quod conſilia ſua minus dextre, non ſperatis in Friſios aulæ favoribus, proſperarentur. Quare & Ulpium Aylva virum nobilem quod nupero comitio, VI. Kal. Iul. habito, amore patriæ libertatis &, ut poſt excuſatum reperio, calore vini impulſus indictionibus

Vlpius Aylva, in carcerem à Robleſio conjectus.

 nibus

cIɔ. Iɔ. nibus contradixiſſet, in arce regiâ & quidem teterrimo carcere, quem
LXXIV. muliebrem vocabant vinculis dari juſſit, rejectiſque propinquorum ſupplicationibus, tanquam majeſtatis reo, extrema intentavit. Adverſum quæ ut manifeſtam vim ſpirantia etſi Ulpius publicâ voce in comitio obteſtatus eſſet, ita maxuma nobilitatis pars recte factum pronuntiavit, oblataque ſponſione teterrima primo & illuvie fœdâ mox mitiore cuſtodiâ liberavit. In interceſſorum numero, ut illorum memoriæ hoc detur D. Iacobus Leovardienſis Abbas Clarecampius, Goffo Abinga, Juſtus Herema, Renicus Cammingha, Sibrandus Cammingha, R. Andringha, Wattnia, Epius Douma, E. Herema, Scelto Tiarda, Siboldus Aylva, Petrus Cammingha, Wibrandus Roorda, Edſardns Douma, Bauco Rommarda, Worpius Tiarda Iure-conſultus, Tiepco Goſlingha, & Dion Hania fuere.

Sed interceſſione nobilium in comitio liberatus.

Philippus Edictum Veniæ publicari curavit Leovardiæ.

Mox Philippus Rex, quo, invalidis Præfectorum ſuorum artibus, provincialium mentes pacis imagine demulceret, de reſcribendo Veniæ Edicto cogitavit, idemque Edictum Madriti ſcriptum conſignatumque promulgari per omnem provinciam juſſit. Quare & Requeſentius quo mitiora Philippi conſilia evulgaret, litteras in Friſiam expedivit, populumque dubium & quantum regiæ clementiæ daturus foret incertum ac animi hærentem ſpecioſâ ſecuritatis fideique oſtentatione pellicere conatus eſt.

Itaque recitando diplomati & procurandis ſolemnibus pegma in foro ſumptuoſo paratu Leovardiæ exſtructum, quod diverſis gradibus acclive modicâ altitudine exſurgebat. Circum aureum peripetaſma Philippi inſigne dependebat, Burgundicæque & Auſtriorum imagines in horrorem populi aut reverentiam Principis ſpecioſo & textili opere repræſentabantur. Pavimentum vero concolore panno conſtratum, ſellæque ſericis pulvinis contectæ regio ornatu viſebantur. Solium quoque, quod Principi erectum erat, aureo velo obductum, reverentiamque ac majeſtatem abſentis Philippi referebat. Ponè Præfectus provinciæ Robleſius ſpectabatur ramum olivæ, velut pacis inſigne, dexterâ tenens, circa quem Præſes Senatuſque regius auguſto conſeſſu conſpiciebantur. Tum Petrus Emskerckius Graphiarius Curiæ ſilentio manu facto, circumſtante populi, qui ex omni provinciæ orâ confluxerat, coronâ diploma Philippi recitavit, regemq; hoc modo diſſerentem introduxit.

Mala quibuſcum in provincijs Belgicæ meæ luctor, adeo publica ſunt, ut celare neminem queam. Sexageſimus ſextus annus fœdiſſimis turbis initium dedit, fomenta vero ſubditi dedêre, quos Dei, religionis Romanæ, & veteris ſacramenti contemptus nefariæ adverſum me conjurationis conſilium ſuſcipere fecit. Sic pelliciendæ in partes multitudini fœdus ictum, mox arma in me ſumpta divinis ac humanis non pepercere. Ego vero miſeratione rerum in deterius ruentium malis remedia præſcripſi, ne in florentiſſimarum ditionum mearum & ipſorum quoque autorum perniciem tam cruda conſilia verterentur. Cæterum ubi leni remedio nihil profeci exulceratis ſenſim animis, quo Deo, religioni, & dignitati meæ ſatisfacerem, arma capere ſiſtendis motibus & rebellibus frænandis coactus ſum. Conſilijs meis ac armis ſuc-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIV.

ceſſus non defuere. Itaque compreſſis victiſque partibus, etſi nocentibus largiri clementiam potuiſſem, ita ratio mei principatus & tuendi juris ardor ad auxilia legum me pertraxit. Moderatâ tamen ſeveritate uſus ſum, voluique ut paucos ad flagitioſos pœna, ad multitudinem metus perveniret. Poſt vero ubi ordinandis provincijs me dedi, quas componi mea intererat, eorum arma ſenſi, quorum obſequia ſperaveram. Repreſſa ea uno impetu & velut turbine, extinctiſque aut fugatis partium reliquijs, quo pacem meis terris redderem, Veniam dedi, quâ carere tantum eos volui, quos immanius crimen meæ clementiæ eximebat. Sic anno LXXII. *ſacramenta exuentes cuncta armis replevere, occupatiſque per vim aut ſecreta conſiliâ urbibus breve imperium peſſimis moribus factiſque polluerunt. Et quoniam per vim erepta non niſi per armorum ſubſidia recuperabantur, ſparſas per omnem oram legiones recollegi, delectus habui. Inde tot peditum agmina, tot equitum turmæ ereptis locis circumfuſæ, ut ſpes me habeat, propediem ne partium quidem reliquias fore. Sed miſereri potius, quam deſævire animus eſt, poſtquam imbecillum Reipubl. corpus & tot ſectionibus depletum aſperis remedijs curare non perſevero. Vt id faciam triſtis rerum per provincias meas facies & ſpectacula me movent. Illic urbes habitatoribus vacuæ, agri cultoribus deſerti, funerata commercia, attritæ provinciarum opes cernuntur. Frequentiam populi ulteriore ſeveritate converti in ſolitudinem nolo. Quin revocare exules, reſtituere proſcriptos, bonos & manendi fidos profugis ſociare meum potius conſilium eſt, quo beneficia à me ſubditi accipiant, ego obſequia mihi conciliem meis majoribus præſtita. Idem Sanatibus quod Forctibus apud me eveniet, cui regium & ab ingenio eſt iram ſimul cum injuriâ evincere. Magna humanæ imbecillitatis apud me ratio eſt. Illum ſcilicet alieni conſilij vehemens perſuaſio aut ſui inopia, alium metus periculi, aut ſocordia circumvenit. Innocentibus nec meliora edoctis fati infælicitas proderit, omnes vos benigni nominis error aut temeritas excuſabit. Itaque de conſilio Ludovici Requeſentij Proregis & Senatus, populo meo omne anteactum & enorme condono, ſtatuſque oppida, ſocietates, & collegia in gratiam recipio. Idcirco mando Proregi, & per provincias Senatui, ne in præteriti temporis res inquirant, quarum memoriam ſilentio aut oblivione obduxi. Neque volo ut ex anteacto crimine cujuſpiam famæ quid decedat, præterquam eorum, quos indignos beneficio regio & meâ clementiâ juſtæ damnationi reſervo. Hoc vero jubeo ut à communione Romanæ Eccleſiæ ſeparati pænitudinem agant ſui erroris, abſolvanturque pro ritu in Eccleſiâ recepto. Civitatibus vero, quæ ſpretâ fide in partibus fuere, præcipio, ut intra bimeſtre ſe dedant meiſque præſidijs permittant. Si ſecus fecerint exleges habebo in quas conferri ubertas meæ clementiæ non debeat. Cæteris vero cujuſcunque ordinis, ſexus, aut ætatis ſint, veniam anteactorum hoc ipſo facio, omnibuſque & ſingulis reſtitutionem eorum decerno, quæ meæ legis tranſgreſſione, durante civili bello, amiſere. Daturus ſum interim operam, ut quoniam ad tutelam populi fato vocatus ſum, jus atque æquum adminiſtrem, terriſque & ditionibus meis pacem ac concordiam procurem. Populi ſalus ſuprema apud me lex erit.*

His additum, ut profugi & nuper fœderis conſortes in ſua regreſſuri intra biduum apud Magiſtratus proxumorum oppidorum aut Senatum provinciæ nomina ſua, errores vero in religione apud Epiſcopum aut Delegatos Pontificis Romani profiteantur è formulâ in ip-

CIↄ. Iↄ. LXXIV. ſo Veniæ Edicto expreſsâ. Bonorum vero & præſertim immobilium poſſeſſioni recuperandæ agere apud Requeſentium juſſit, proxumumq; trimeſtre redituris in provincias præfinivit. Quæ Madriti in tabulas redacta ac bullâ Gregorij XIII. Pontificis Romani confirmata, fidem tamen in animis hominum non invenere.

Edictum fidem non adeò magnam invenit.

Creditum fuit populum fœderatum per exempla tot annorum euntem & regiæ fidei diffiſum, ſpem ſtabilis clementiæ ob excluſos à Veniâ concives ſocioſque poſuiſſe, ſuumque diſcrimen ex alieno periculo æſtumaſſe.

Edicto Veniæ exempti.

Jam enim Philippus è primariâ nobilitate, ac agrariorum civiumque ordine præclaris viris beneficium edicti ademerat, Doconiſque Martnæ, Oenonis & Vibij Grovenſteiniorum, Suffridi Romkenij, Titi Hettinghæ, Cypriani Anskenij Ooſterzæi, Herconis Gulielmij Leovardienſis, & Ioachimi Fermerij Eccleſiaſtæ Franequerani nomina, velut perduellium, recitabantur. Ita patria ipſumque mare gentibus commercijſque patens, errantibus fœderatis infidum manſit. Annotatum in Notis Tarquinij Valleſij V. Conſularis reperio, eum quoque Veniæ exemptum fuiſſe, Tzomerumque Vibenium Oldermannum Snecenſium, qui Philippi inaugurationi Bruxellis interfuerat, iſtud præmium adacti ad ſacramentum Principis & collati in Philippum honoris tuliſſe. Tradunt autores Fredericum Perenottum publicando Veniæ Edicto Ultrajectum à Requeſentio miſſum cum Philippo Marnixio Aldegondio tentandæ pacis ſecretum conſilium tum inijſſe, negotiumque ad Ordines & Aurantium Principem perlatum ſucceſſu caruiſſe. Volebant namque Ordines, ut externi militis miſſionem rex inſtitueret, juſque Ordinibus faceret conventus ex arbitrio & pro neceſſitate rerum agendi. Quæ ut iniqua Regi aut ejus Delegato videbantur, ita cum indignatione rejecta ineundæ pacis actionem protraxere.

Creditum fuit Requeſentium Mocanæ victoriæ interventu animum ac conſilium mutâſſe, quaſi indignum majeſtate regnantis eſſet adblandiente belli fortunâ inter arma victricia & recentes triumphos in curas ſanciendæ cum populo ſuo pacis deſcendere. Philippum quoque Regem tanto continuandi per provincias ſuas belli deſiderio flagraſſe ut, rejectis rerum ſuarum & potiſsimum per Africam & mediterraneum mare curis, Tunetanum tum regnum, invadente Selymo Turcarum Imperatore, & cum eo paternæ laudis æquandæ opinionem amiſerit. Addit Reidanus Franciſcum quoque Valdeſium, qui obſidione Leidam tenebat, ineundæ pacis conſilia tum retardaſſe, quo egenas & per luxum turbidas Hiſpanorum legiones urbis opulentæ & quod præconceperat, mox per vim expugnandæ direptione ac ſpolijs ſedaret. Huic rei validæ claſſis & per Hiſpaniam armorum apparatus fama robur addebant, anxijſque ultro fœderatorum mentibus, velut innovante vetera ſollicitudine, metum ſiniſtri injiciebant.

Legati Ordinum Bruxellas, evocati à Requeſentio.

Quem ut Requeſentius provincialibus eximeret Ordinum Friſiæ, ut & cæterarum provinciarum legatos, quæ in partibus Philippi tum erant, Bruxellas evocavit. Ibi multa de Edicto Veniæ præfatus regium & paternum Philippi animum ſuſpectis apud quoſdam clementiæ præconijs commendavit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↃ. IↃ. LXXIV.

Ita abrogatas decimæ vigeſimæque exactiones & à Senatu capitalium rerum, quem Albanus inſtituerat, in ordinarios conſeſsus tranſlata judicia promerendis provincialium animis, fuiſſe. Regiæ vero clementiæ non aliud beneficium reponi poſse, quam ſi vicies centena æris millia annuum tributum, neceſſarium bello ſubſidium, habeat, oblatæque jam ante per Ordines liberalitatis ſponſio adimpleatur. Semper quippe è publico ſubventum neceſſitati & ærario Principis fuiſſe, quem, pacis & Veniæ largum, contumacia populi continuandum ad bellum & ſumptuoſos armorum apparatus cogeret. Itaque in conventum omnium Belgicæ Ordinum differri negotium non poſſe, deficientibus militum ſtipendijs & exercitu regio æris ac alimoniæ indigo in turbas & ſeditiones, uſitata egentibus vitia, propendente. Seditioſas vero legiones cogi per ſtipendia in ordinem & reſtitui diſciplinam poſſe, ſine quâ bellum, ut ſine animâ corpus, regi non queat.

Legatorum ad Requeſentium reſponſio.

Econtra Legati fidem erga Philippum regem obteſtari, queri de patriæ fortunâ & diuturnis civilium bellorum miſerijs, quibus in præcipitium ſanctiſſima cariſsimaque pignora traherentur.

Quippe avitæ religionis grande deliquium ſpectari, quam ſtabiliri ſuo ſanguine legati mavelint, quam animum ſacris majorum & regijs obſequijs vacantem novis opinionibus attaminare. Hoc vero aſſerendæ tranquillitati rerum maxume requiri, ut indigenæ regundis pro Philippo provincijs præſint, periti caſuum, & in bello non unâ expeditione fidem ac virtutem profeſſi. Sic equeſtres turmas à Mariâ Cæſaris ſorore ex ipſis provincialibus conſcriptas præcipuum regij exercitus robur & fortunæ inſtrumentum fuiſſe. Pugnaſſe pro ſacris, pro incolumitate patriæ & ſalute ſuorum pignorum, non abreptas in alias curas, quam ut ſua adverſum externa regum gentiumque arma tuerentur. Peregrinos vero non pro dominijs rerum, pro uxoribus, aut liberis certâre, cæterum ære conductos venales manus peſſimis facinoribus explendæ avaritiæ admovere. Vaſtare, rapere pro ſacramento eſſe. Inde fieri ut opum ſaturi non petitis ſæpe miſſionibus ſuas in terras remigrent, dignitateſque facile partas facilius deſerant. Sic ex mercenarijs fugitivos fieri, veterique licentiâ, quâ per nefas pecuniam corraſere, exuere ſacramenta. Itaque Belgicæ Ordines, principeſque Aurei Velleris ſub diſceſsum Philippi regis è Belgicâ, de injurijs peregrinorum non incaſſum conqueſto miſſionem Hiſpanicæ legionis oraſſe, ac ut Gallici belli reliquiæ aſſertâ pace provinciarum finibus exterminarentur. Pernicioſam eam ſemper, & gravem ſarcinam fuiſse, publica provinciarum tributa privatos in uſus damnato peculatu vertentem. Quare redeundum eſſe antiquam ad frugalitatem, erogandique æris publici, ut olim Italico bello, poteſtatem indigenis faciendam. Adhæc enormem inſolentiam militari lege à tribunis coërcendam, quos adeſse ad exercitum oportebat, ne quid diſpendij privatæ res & publica libertas trahant, cujus rationem provinciarum Præfecti priſcis ſemper temporibus habuiſsent. Sic patrium jus, Præfecturam tenente Mariâ Hungariæ Reginâ Caroli Cæſaris germanâ, rite aſſertum manſiſſe, eſſeque è repub. modernos dominantium mores optumæ & principis fæminæ imperio aſſimilari. Leni rectore, & quem clementia ac majeſtas, non arma & copiæ muniant, ducendum populum, qui maxumè velit regem ipſum intra Pyrenæos ſuos ac mare Oceanum velut conſepto clauſum, in curas Belgicæ ſuæ cæterarumque ditionum deſcendere. Sic præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↃ.IↃ.LXXIV. *præſentiâ haud dubiè ac majeſtate regnantis, ut olim Carolo Cæſare, obſequia offenſis animis reditura, revicturamque concordiam florentiſsimis nuper terris proſcriptam. Sin vero regni Hiſpaniæ negotia abſentiam regis non ferant, Senatum Belgicæ gentis in Hiſpaniâ habendum eſſe, quo de ſtatu ditionum ſuarum Rex cognoſcat, animuſque regius fide veri inſtruatur.*

Quorum omnium ut vanam ſpem Requeſentius faciebat, ita de arduis ſcripturum ſe ocyus ad Philippum regem pollicebatur. Quare legati non æquis animis in Friſiam cæteraſque provincias regreſsi Ordinum Brabantiæ & alienis patrocinijs tuendi patrij juris conſilia commendavere. Sic infidæ ſub Requeſentio res fluebant, doloſiſque cineribus contecta incendia ſupponebantur. Erant quippe qui recordarentur Requeſentium Granatenſe per regnum Proregis perſonâ & dignitate ante quadriennium functum, fraudulentis artibus credulam Mauritaniæ gentem circumveniſſe, fideque & mandato fœdiſsimè abuſum, ſimplicem populum ſpecie amicitiæ, & quidem per ſupplicia & ſanguinem, ſuorum, peſsimo ſervitio implicaſſe.

Albani ſtatua loco mota dirutaq;

Econtra firmandis in melius provincialium animis hoc repertum credebatur, quod Albani ſtatuam populi oculis, velut rem invidiæ plenam, ſubmoviſſet, credereturque, amoto infami monumento, prædeceſſoris imperium & hoc fallacis gloriæ ſpectaculum tacitâ ſuperbiæ inſimulatione damnaſſe. Thuanus tradit, Regi quoque Philippo erectæ ſtatuæ conſilium diſplicuiſſe miſſoque in Provincias Requeſentio ſpeciale mandatum diruendæ inviſæ moli dediſſe. Itaque Trophæum, quod Albani clariſsimi ſuâ ætate Imperatoris gloriæ erectum erat, dehoneſtamento, velut confundente ſuperbiam adverſâ fortunâ, tantò poſtmodum Duci ceſsiſſe. Ego exiſtumo Philippum Regem non tam odio Albani, cui privato etiam poſt depoſitum imperium multa deferebat, quam ſedandis læſi & jam eluctantis populi armis id donaſſe, quo diruto ſuperbæ vanitatis & regiæ fortunæ æmulo opere, magis odia gentis in ſe & Albanum, quam dignitatem revocati Proregis minueret.

Odia in Robleſium aucta.

Notat F. Nicolaus V. Conſularis Fredericum Hornium, Jacobi Comitis Hornani nothum, regio nomine Stavoranæ arcis triginta, & amplius annorum Satrapam & Prætorem Hemelolpherdium vitâ tum exceſsiſſe, Martinumque Bajartum cohortis Valonicæ Tribunum ei à Præfecto Senatuque regio ſuffectum. Unde odia magis in Robleſium aucta, quod amotâ & velut ſpretâ gentis nobilitate, præclaram dignitatem etiam recenti apud Requeſentium querimoniâ, in cohortis Tribunum hominem peregrinum contuliſſet. His aſperata in fœderatos per Friſiam edicta, damnatoque cum proſcriptis exulibuſque commercio fama novarum exactionum fomenta largiebatur. Jam enim Requeſentius inopiam ærarij, & ſimul adverſitatem fortunæ non diſsimulabat, quæ terrâ marique lacertos moventem in diverſa ſollicitudinum trahebat. Itaque inefficaci Veniæ edicto litteras in Hiſpaniam dedit, quibus Philippum Regem inſtruendam ad claſſem hortabatur.

Requeſentius Regem ad Claſsem inſtruendam hortatur.

Fruſtra ſcilicet bellum geri adverſus iſtum populum, qui maris ac portuum beneficio potens non niſi compedito eodem mari, aut compreſis fluminum oſtijs vinci

vinci queat. Itaque elementum terris circumfuſum validiſsimâ prius claſſe domandum. Eſſe quidem tot flumina Scaldim, Moſam, Rhenum, Flevum latiſsimis alveis in Oceanum ſe effundentia, ſed quorum uſus intuto fœderatis mari eſſe non poſsit. Vbi illud domitum aut depurgatum fuerit, tum demum ſenſuros anguſtiam fœderatos ſola in continente ſine mutuis auxilijs pugnaturos. Nunc diſcretam amnibus portubuſque gentem mutuâ ope invaleſcere & facili trajectu naves copiaſque ad incurſum externæ potentiæ conjungere. Ibi præſto eſſe ubi periculum ſit, invictos haud dubiè, niſi confertim regiâ mole & multitudine claſsium obruantur. Hoc ut fiat, navalia in promptu, aut ſi portubus Belgicæ regiæ naves prohibeantur, tutas in confinio ſtationes eſſe. Patere Amaſum, ampliſsimum Germaniæ flumen, lato ſinu utroſque Friſios lambentem. Adhæc Embdam urbem commercijs validam, ut Philippo regi infidam ita fomenta & ſuffugia fœderi præbentem. Satis cauſæ eſſe gentium jure locum occupare Edzardi imperio parentem & Philippo inimicum. Neque enim violari Germaniæ jura propendentis in partes, & reſtitui poſt repetenti Edzardo ſua poſſe, ſi apud Cæſarem agat Imperio fines aſſerturum.

cIↃ. IↃ. LXXIV.

Quare Rex Philippus naves adornari per omnem maritimam Hiſpaniam fecit, aliaſque exoticarum gentium commercia, per idem regnum exercentes detineri compleri que milite juſſit. Cæterum ſtupendâ claſſe fatalibus iris conſumptâ magnarum rerum præconcepti conatus in-riti fuere. Igitur, navali expeditione infructuoſâ, arma per continentem acrius mota Philippi regis animum aperuere. Mox tributa bello per Senatum regium ſpecie militarium ſtipendiorum flagitata, quæ jam ante, intactâ principis armis libertate, ipſo populi comitio, aſſenſu Ordinum, imperata ex æquo poſcentibus decernebantur. Sic, quod populi longo ſæculorum ambitu poſt extinctos gentis noſtræ reges durante libertate fuerat, in Principis regiſve dominationem tranſmigrabat, fundamentaque ſi fato licuiſſet ſurrecturæ tyrannidi non obſcuris indicijs ſubſternebantur. Quâ in re mihi mortalium rerum ludibria contemplanti notare libet, ſummæ potentiæ raro modum fuiſſe, libidinemque ac ſuperbiam dominantium vergentem ut plurimum & inclinantem potentiam anteceſſiſſe. Itaque nullâ comitiorum lege, quibus majores pace ac bello de rebus arduis conſultabant, menſtruæ exactiones per vim repetitæ, tributumque duorum ſtufferorum & dimidij ſingulos in Florenos aureos à Senatu regis ordinatum fovendis etiam malis ſuis infœlicem populum adigebat. Provinciales quoque idem tributum, vacante id temporis quæſtorio munere, Gulielmo Brouckio apparitori Senatus decimum intra & quartum diem pendere juſsi, regreſſique in provinciam à publicato Veniæ Edicto profiteri nomina ſub pœnâ carceris & animadverſionis coacti. Ita conculcato Ordinum jure & collecto per edictum ære Robleſius minores in Friſios expeditionem paravit, naveſque XIV. onerarias adornari Snecæ fecit, quarum alveos ultra communem modum excavatos armato milite compleverat. Summa vero navium levi ceſpite conſtrata, quem, deficiente ſenſim cæduâ, bituminoſis terris effoſſum agrarij magnâ copiâ in confinem oram modicis navigijs emittebant. Quarum rerum famâ in minores Friſios perlatâ (quos regij per Hiſpaniam apparatus fama ad in-

Philippus claſſem nequidquam adornat.

Tributa bello flagitata

Robleſius parat expeditionem in minores Friſios.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIV.

Robleſij claſsis in fugam data

inſtruendam claſſem compulerat) inſtructæ ocyus naves in altum miſſæ, aſſecutæque Robleſij onerarias quæ incerto curſu per æſtuaria jactabantur, in præcipitem fugam datas, Stauricum ad littus eliſas adegere. Claſsiarius mileſque regius clam ſe ſubducens vitæ ſervatus eſt. Traditum annalibus civem quendam Snecenſem, qui nuper in partibus Scouwenburgicis fuerat, noctu clam ſuperato vallo urbe emiſſum, Enchuſanos iſtius rei monuiſſe. Alij credebant minores Friſios, Aurantij principis litteris inſtructos, omnem majoris Friſiæ oram ſpeculatorijs tum navigijs prælegiſſe, diſpoſitiſque per portus & marinum aggerem, qua majorem Friſiam reſpicit, excubijs in Robleſij ſecreta inquiſiviſſe. Sic foris adverſo fato res Robleſij intra provinciam magnâ provincialium invidiâ fœdiſsimas ob exactiones agitabantur. Quippe Robleſius exercendæ poteſtatis immodicus, quo etiam vigentibus populi odijs obſequentem ſibi fortunam, & ſubſidia bello pararet, novis inauditiſque vectigalibus provinciæ tum minabatur, regiumque & Requeſentij mandatum continuis exactionibus obtendebat. Quare Leovardiæ Comitium Ordinum provinciæ indixit, ædemque Jacobæorum habendo conventui deſignavit. Ibi Achlenius Præſes Senatus verba fecit Ordineſque hunc in modum adlocutus eſt.

Robleſius indicto comitio novas exactiones tentat.

Achlenij Præſidis ad Ordines Oratio.

NOn modico gaudio, Ordines, Robleſij Præfecti animum veſtra præſentia & hic cætus perfundit. Præterquam enim, quod occaſionem nactus ſit diluendi calumnias, quibus maledicentium invidiâ impetitur, ita obteſtari fidem ſuam meâ voce voluit, nihil ſe unquam ab inchoato per provinciam Regis imperio egiſſe, quin publicè conduceret. Hoc vero præcipuè curaſſe, ne quid damni per externam vim provincia pateretur, cæterum, turbatiſſimâ etiam temporum ætate, quæ convellendis rebus videbatur, quies ei aut ſecuritas eſſet. Recenti factorum memoriâ non opus eſt exemplis. Nec Vectigalium novorum, ob quæ vos convocari fecit, alia apud illum ratio, aliud ſecretum eſt, quam ut aſſignatis, collato à vobis ære, militi ſtipendijs, & reſtitutâ belli diſciplinâ pacem publicam habeatis, armorumq; tutelæ vos, liberi veſtri, atque conjuges ſubſitis. Iſti rei litteræ Præfecti ac Senatus omnem in provinciam miſſæ teſtimonium dabunt, novamque Vectigalium legem, non à Præfecti ingenio, cæterum Requeſentij mandato, aut reſcripto regis procedere. Qui etſi patrijs legibus & incolumitati veſtræ, Ordines, nihil detractum velit, tamen quoniam affectas ærarij opes diuturna arma & ſumptuoſius bellum fecerunt, ſtipendia cohortium aliunde petenda ſunt. Nam florenis aureis, quod genus tributi majores veſtri ex uſu reperere, plus oneris imponere, res ſoli & impendia aggerum non ferunt, quos Robleſius adverſus tempeſtuoſum mare & certis vicibus in terras veſtras ſe effundens, majore curâ dubium an induſtriâ præmunivit. Penſioni quoque centum & viginti octo millium aureorum, (quam honorarium vos Regi, Rex creditoribus aſſignavit) ut decedere quid nequit, ita alendis ſuſtentandiſque copijs certum & diuturnum ſubſidium requiritur. Neque enim menſium, aut unius anni furor nos exercet, cæterum noſtrâ infælicitate cum tempeſtate luctamur multos in annos exiturâ. Quamobrem diuturnis malis quærenda remedia procurandaque cohortibus ſtipendia ſunt, diſciplinæ vincula, & veſtræ quoque incolumitati ſervitura. Sin vero inviſa collationum Vectigaliumque vocabula vos de-

ter-

terrent, alia quærite veſtris moribus congrua & cogendis pecunijs idonea. Quod CIↃ. IↃ.
ſi feceritis, Ordines, ſatisfactum Præfecto erit, quem aliàs ad promulgan- LXXIV.
dam novorum Vectigalium legem veſtræ contumaciæ crimen & ultima rerum neceſſitas incitabunt.

Quâ Achlenij oratione auditâ Ordinum mentes novitate rei, quam jam ante ſolo rumore acceperant, perculſæ ſerò in convulſam robuſto Principis imperio libertatem tum reſpexere. Itaque Ordines ex Ooſtergois Scipionem Meckamam, è Weſtergois Martinum Nitzenium delegavere, qui copiam diplomatis regij ac mandatorum à Graphiario Senatus poſcerent. Ordinumque voluntatem Robleſio exponerent. Is vero, remiſſo ad Ordines eodem Graphiario, recitari tantum diploma juſſit, copiamque edicti & ſimul mandatorum delegatis recuſavit. Hoc etiam volebat, ut poſtero ſine ullâ dilatione quid ſtatueretur, Ordineſque novam Vectigalium legem acciperent damnarentve, eâque de re SCtum perſcriberent. Quare ſequenti die ad Robleſium, qui in arce regiâ Senatum habebat, Bocatius vicarius Ripenſis & Adrianus Cronenburgius miſſi copiam iterum diplomatis popoſcere, ſine quâ Ordines, præterquam ſpectatâ Regis mente, reſcribere ſe non poſſe conſtantibus formatiſque in confidentiam verbis reponebant. Igitur Robleſius, perrogatis Senatus ſuffragijs, Graphiarium in conventum Ordinum ablegavit, copiamque Edicti ſe in poſterum exhibiturum fidem fecit. Hac tamen cautione interpoſitâ, ne quid moræ deliberationi Ordinum interveniret, novæque Vectigalium legis publicatio ſocordiâ aut contatione Ordinum ceſſaret. His addebat de erogandis pecunijs & creando quæſtore ſe non multum laborare, quin facere Ordinibus diſtribuendi æris poteſtatem, cujus quoque jam ante accepti rationes offerret. Igitur ſe ſuaque pignori obtulit, Ordinumque benevolentiam poſt emercari ſpecioſis blandicijs conatus eſt. Cæterum Ordines ad Achlenij poſtulata hunc in modum reſponderunt.

Contentio Ordinum cum Robleſio.

Ordines ad poſtulata Achlenij reſpondent.

Convocati ſumus, Præfecte, tuo conſilio & Igramum Achlenium Præſidem verba facientem in comitio audivimus, quibus nova Vectigalia aut tributa penſitandis militum ſtipendijs poſtulabat. Nos vero etſi Saxonicæ conventiones, quas cum eo tanquam provinciæ Gubernatore inijmus, præſtare immunes ulteriorum onerum queant, Ita Florentium Iſelſteinium Hiſpaniæ Princeps Carolus non aliâ lege regundæ provinciæ præfecit, quam ut Saxonum imperijs ſuum aſſimilaret. Sacramentum quoque ſolenne patrijs legibus adjuratum & majorum immunitatum ſpem clementia novi Principis tum fecit. Nec ore tenus hæc dicta factave, cæterum conſignata monumentis ad nos poſteros pervenere. Neque infra majeſtatem Caroli Cæſaris fuit fidem anteactis conventionibus paciſci. Hoc vero aſſignato Cæſari patrimonio & annuo cenſu impetravimus, ne quod tributum extra condictum penderemus, ſed ut omnium ſervitutum exactionumque immunes nos ac poſteri ſeram in propaginem quiete ac publicâ pace frueremur. Religione jurisjurandi Cæſar Carolus & Philippus Rex ſe obſtrinxere, cum imperium deferri non niſi adacto ad ſacramentum Principi voluimus. Reſcriptis proregum Albani & Requeſentij idem obtinuimus accepimuſque per Legatos regiæ fidei & noſtræ liberati nihil defore. Itaque ordinario Principis cenſui centum & viginti octo millia aureorum adjecimus,

cIↃ. IↃ. *jecimus, quo de affectu in Philippum Regem teſtaremur & ut æs ærario pro-*
LXXIV. *vinciæ inlatum, adverſus ingruentia caſuum, regis & noſtris uſibus inſerviret. Reliqua quæ bello inviti aut non rogati contulimus, magna etiam fuerunt, ſed quorum rationes opportuno tempore exacturi ſumus. Et quoniam ex honorarij ſponſione penſiones adhuc 53000. & ducenti Carolæi poſt annum Regi præſtandæ ſunt, ita parati ſumus perſpectâ pecuniæ inopiâ paratum æs in ſtipendia militum conferre, modo in ſolutum cedat ordinarijque regis proventus gerendo etiam bello decernantur. Adhæc volumus, ut quatuordecim millia & ſexcenti carolæi Groningenſibus jure mutui conceſſi ocyus repetantur reſcindanturque præterea contractus & actiones, quibus publicum æs privatis Philippi creditoribus aſſignatum eſt. Noſtra tributa noſtræ inopiæ deſtinabuntur. Tantum abeſt ut alios in uſus converti velimus, quod noſtris rebus continuâ exactione detractum eſt & cujus hoc ipſo civilis diſcordiæ tempore egentiſſimi ſumus. Quâ excuſatione ſi noſtris officijs ſatisfactum non cenſeat Præfectus, parati ſumus ad arbitrium omnium provinciæ Ordinum forum experiri, quod declinare alias ſpeciali indulto provinciales poſſemus. Ita enim* CAROLUM *inter Principem & majores noſtros conventum erat,* UT BINOS PER ARBITROS A POPULO FRISICO, BINOS A CAROLO NOMINATOS OMNIS LIS DIRIMIRETUR. *Neq; ſtabit per nos quicquid controverſum eſt ut totidem arbitris definiatur, modo apud Philippum regem paterni exempli imitatio & noſtri juris memoria valeat. Servatâ cultâque per Principem fide & illæſis legibus noſtris novo Vectigalium onere ad ſuſtentandas copias non egebimus. Eâ vero ſpretâ aut violatâ, ſi tributa contra patrios ritus imperentur, ſacrorum communione indignum ſe Princeps faciet, per quem Vectigalium diploma nobis inſcijs perſcriptum eſt. Neque enim legati ad Philippum regem aut Requeſentium provinciarum Præſidem à nobis aut ad nos miſſi. Tantum abeſt ut ſacri ordinis aut Nobilitatis aſſenſus intervenerit quem de patrio jure haberi æquum erat. Quin tanto fœdius eſt nonnullos à comitio excluſos aut perorante Achlenio exire cœtu juſſos publici conſilij participes non fuiſſe, non laturos interim provinciæ libertatem novis dominantium edictis ſubverti, donec de ijs ad univerſos Ordines relationes inſtituantur. Secus obteſtantur Ordines, Deo coram ac Rege, vim atque injuriam ſibi inferri pronis in principem & non minus patriæ ſuæ amantibus.*

Hæc à Scipione Meckama & Livio Jelgerſma prætore Octopagico, pro Ooſtergois, Martino Nitzenio pro Minnertſgais, Tiemarumanis, Firdgumanis ac municipio Harlingano, Boccatio vicario Ripenſi pro Menaldumanis, Sixto Tiallengio preſbytero Tiumano pro Franequeranis, Dione Hania pro Baerderanis, Bonnone Lyclama & Haringo Wabbæo pro Winbritſerijs, Rodmero Regnero pro Hennardijs, Tincone Andringa & Tiedgero Ruardo pro Silveſtribus ſignata.

Ad quæ iterum ACHLENIUS.

ACcepimus reſponſum veſtrum, Ordines, noſtræ petitioni abſonum & plenum obteſtationis. Libertati veſtræ vim inferri jam diu conqueſti eſtis & quidem hodie apud nos, quos jam aliæ curæ, alia negotia exercent. Quippe violatæ libertatis querela apud Requeſentium inſtituenda eſt & ut rite fiat noſtrâ interceſſione juvabimus. Nunc ſtipendia armatis petuntur, quos exautorari inſtans periculum & præſentes turbæ non ſinunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Ad ea ORDINES. cIↄ.Iↄ.

Hodiè delegati noſtri nobis retulere, veſtra conſilia non minuendæ libertati ſed poſcendis ex neceſſitate tributis eſſe. Illam vero tueri ut honeſtum ac gloriâ dignum apud præclaros ſemper viros fuit, ita tandem peculiaribus in Regem ſtudijs & neceſſitate temporum commoti binos ſeſtertios ſingulos in florenos aureos offerimus. Cæterum hac lege ut quicquid æris ex penſionibus quas PHILIPPO *regi præſtare tenemur & proventurum eſt, in eoſdem quoque uſus & ſtipendia cohortium vertatur, abſtineaturque in poſterum ulterioribus exactionibus libertati noſtræ adverſis. Quare nec conducendis copijs currus, navigia, commeatum præſtari volumus, cæterum ceſſare iſtiuſmodi onera, moneriq; prætores agrarios ſub pœnâ coërctionis, ne quid tale quocunque etiam nomine aut caſu præcipiant. Hoc vero ſi approbare grave vobis videatur, obteſtamur non alia ſubſidia in noſtrâ poteſtate eſſe, noſque ad jus patrium, ad immunitates majorum, ad pactiones Principum fugere. Nunc dimitti poſtulamus.*

LXXIV. *Reſponſum Ordinum.*

Sic pro Ooſtergois Edzardus Douma, Suffridus Jenſma, pro Weſtergois Bocatius Vicarius Ripenſis, Dion Hania, pro Sylveſtribus Pierius Renckius & Feico Tatmannus ſignavere.

Quare ROBLESIUS parſimoniâ ac contumaciâ ORDINUM excandeſcens hæc reſcribi fecit.

Robleſij ad Ordines reſcriptum.

Decreti veſtri heſterno die participem me feciſtis. Et quoniam deprehendo meis poſtulatis veſtra reſponſa non convenire iniquaſque conditiones ſecus quam ſperaveram, aſſignandis tributis præſcribi, ita mea conſilia & optumam in bonum publicum ſollicitudinem confundi cerno. Militum & legionis meæ egentiæ ſubveniri à vobis in tempus volebam, cæterum quoniam excuſatione veſtræ imbecillitatis & impotentiæ uſi eſtis nec largiri nec concedere mihi exſolvendæ legioni quid poſſe, ita dimiſſos vos facio ſinoque in veſtra redire. Hac tamen cautione, ut mandatorum veſtrorum copiam mihi ſervem cernamque quibus autoribus impedimentum publicis commodis injectum ſit.

Reſponſum Legatum oppidanorum.

Tum dimiſſis agrarijs oppidorum Legati (exceptis Leovardienſibus ac Doccomienſibus) Robleſij poſtulatis hoc modo reſponderunt.

Non ita pridem, Præfecte, ex ore Achlenij Præſidis percepimus novis Vectigalibus te incumbere, quo ſtipendia cohortibus tuis ex publico procures. Conſilijs tuis jam ante ſanciendæ eidem Vectigalium legi innixis non ita nuper oppidani acquievimus, cenſuimuſque, id optumum compeſcendæ militari inſolentiæ remedium eſſe. Res in tabulas tum redacta mentem regis & noſtrum ſimul conſenſum exponet. Nunc vero, quoniam mutatis actis aliud quæritur quod res noſtras arctius premat, ita dip'oma poſterius approbare noſtra libertas & antiquæ immunitates non ferunt. Stipendijs vero ſuccurrendum eſſe nec ipſi ignoramus, cæterum cenſemus tolerabili tributo onerandos provinciales eſſe. Nos reverentiâ Regiæ Majeſtatis omne officium tibi deferimus ſperamuſque reſponſum hoc noſtrum apud Regem & te Præfectum valiturum fore, neque nos ipſos majora onera aut damna quam par eſt ex tuo imperio paſſuros.

Hæc pro Snecanis Douwo Roorda, pro Bolſverdijs Theodorus Joannis, pro Staurijs Simon Folpertius, pro Eloſtanis Serapius Andreæ In-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIV.

Inthiema, pro Worcumijs Titus Hajonius, pro Harlingijs Cornelius Coninxius, pro Slotanis Simon Potterus, pro Hindelopijs Joannes Timannus confirmavere.

Hennardij in novis vectigalibus conſentiunt ultrò.

Mox Hennardij per legatos Rodmerum Regnerium Præbendarium, & Epæum Stapertium Wommelios novis Vectigalibus aſſenſum præbuere, ne deficientibus Stipendijs eorum agri inſolentiæ militum exponerentur. Robleſius quoque Douwonem Roordam Snecenſium legatum ad ſe vocavit, eique novorum Vectigalium diploma exhibuit, quo cæteris oppidorum legatis communicaret, poteſtate corrigendi immutandique, quæ ex uſu aut contra publicos mores viderentur eidem Legato permiſſâ. Itaque tum diploma correctum mitigatumq; obteſtatione coram Legato Roorda & Graphiario facta, Robleſius recepit totumque negotium in acta relatum, arbitrio Requeſentij permiſit. Quare de vulgando per Friſiam diplomate SCtum perſcriptum delectique VIII. viri, Antiſtes Foſverdicus, Scelto Liauckama, Hero Ockingha, Douwo Roorda, Livius de Bejem, Ruardus Vibius, Suffridus Æſgema, Meinius Lycleſius Jureconſulti, qui curandis Vectigalibus publicanos crearent, totumque negotium ex formulâ diplomatis regij expedirent. Cæterum Antiſtes Foſverdicus & Livius Bejemus rei velut inviſæ adminiſtrationem detrectavere haud inani opinione, oneroſi & damnati muneris primam mercedem odium populi fore. Quare Robleſius VIII. viros ad ſe vocavit, eoſque per Præſidem Achlenium hoc modo allocutus eſt.

Robleſius de promulgando Edicto agit.

DE nova Vectigalium lege apud Ordines egi & jam res exitum ſortita eſt. Convenimus equidem, ut nec libertas veſtra quid ſervitij nec autoritas & commodum regis quid ignominiæ aut detrimenti ferant. Reſtat tantum ut decretum exequar, ad quod veſtrâ ope & miniſterio uti volui. Non ut odijs quibus hoc negotium vacat, provincialium ac concivium vos implicarem, cæterum ut à dignitate veſtrâ novæ legis rogationem ordirer. Cujus is præcipuè fructus erit, ut agris ac poſſeſſionibus veſtris bene ſit & ne miles defectu æris ſacramenti oblitus defectiones moliatur. Id rebellium, id hoſtium noſtrorum conſilium eſt, nihil aliud quærentium, quam ut in provinciam irruant pervaſtatiſque agris ac municipijs ſacra & profana contuibent. Si vero ſint, quibus grave inſtituendorum Vectigalium munus videatur, eos profiteri ſecretum ſuæ mentis volo daboque operam ut ad Requeſentium PHILIPPI *Proregem eorum nomina perferantur.*

Ad quæ Antiſtes Foſverdicus.

NOn comparui, Præfecte, in nupero concilio meæ ſpontis & rebar comitium te populi pro more gentis indixiſſe vocatoſque eſſe ad deliberandam quorum intereſſet. Cæterum quoniam noſtri ordinis & nobilitatis præcipuos excludere ab illo conventu voluiſti, cenſeo præter receptum morem à te factum eſſe. Itaque me eximo moleſto oneri & curâ promovendæ legis tuæ me abdico maloque privatim rebus meis quam publicè cum invidiâ tuis exactionibus vacare.

Idem Beiemus vir alti animi & haud dubiè patratæ in propinquum cædis conſcientiâ tactus coram Præfecto & Achlenio præſide effatus

eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

eſt. Quare Præfectus cæteros VI. viros blandis verborum illicijs aggreſſus eſt eoſque collegas alios adſciſcere expediendæ Vectigalium legi præcepit. Igitur in Antiſtitis Foſverdici locum Hector Dekema ex Ooſtergois, è Weſtergois Abbas Floridi Campi Beiemo ſurrogati infidiſque erga Robleſium animis ira & miſeratio proſcriptæ libertatis provinciam frequentavere. Tum novorum Vectigalium lex promulgata, non diſſimulato Philippi regis nomine, cujus Edictum tale erat.

cIↄ. Iↄ. LXXIV.

Iam ante poteſtatem feci GASPARO ROBLESIO *Præfecto per Friſiam meo Ordines ejuſdem provinciæ convocandi agendique cum ijs, quo ſtipendia meæ cohortes haberent quas in præſidijs locavi. Id vero quia Præfecto inconſultum videbatur propter animorum diſſenſiones & quod ſumptuoſo opere meæ provinciæ littus clauſerit, ſecreta cum* IV. *Deputatis Ordinum colloquia inſtitui fecit. Et quamvis communem aſſenſum meis votis impetrare non potuerit, tamen ſollicitudine ac ſolertiâ ſuâ effectum dedit, ut trium Deputatorum ſuffragationibus fultus Ordinum ac primariæ Nobilitatis animos ſibi conciliaverit. Soli vero Leovardij in partibus adverſis fuere, quos ut blandis honeſtiſque rationibus moveret mandatum à me accepit. Tantum vero abfuit, ut eoſdem Leovardios ſana ad conſilia perducere quiverit ut illorum contumaciâ plurium in me odia auxerit. Et quoniam certus ſum grandius tributum à florenis aureis peti non poſſe, ita cenſeo nova Vectigalium lege inopiam provinciæ ſublevandam. Quamobrem de conſilio* LUDOVICI REQUESENTIJ *Proregis & Senatus mei poteſtatem Friſijs facio Vectigalia portoriaque inſtituendi è formula mei diplomatis voloque ut panni, frumenta, legumina, cibaria meæ legi ſubſint. Ordinibus vero provinciæ aut eorum Delegatis erogandæ pecuniæ jus relinquo, hac tamen conditione, ut deſtinatis à me uſibus collatum æs ſerviat. Si vero ex illo ære quid reſidui ſit quam quod ſtipendijs & commeatui debetur, id in ærarium inferri volo, ſi forte aut gravius bellum aut iniquior fortuna mihi aut meo populo incumbat. Volo quoque ut Quæſtores accepti expenſique rationes reddant tabulæque aſſignandi æris à Præfecto aut Senatu meo ſcribantur. Sin autem vectigalium cenſus ſtipendijs militum cæteriſque rebus par non ſit,* VIII. *viris copiam facio augendi ea minuendique. Interim Præſidi, Senatui & publicarum per Hollandiam rationum magiſtris mando, ut diploma hoc ſartum tectum curent, beneficiumque Friſicæ genti ex mea clementia indultum, firmum atque inviolabile habeant.*

Edictum novorum Vectigalium promulgatum.

Hæc Bruxellis ſignata ac Non. Octobr. per provinciam publicata.

Tum quæſtoribus leges ſcriptæ, ac à Thoma Groningenſe Antiſtite Floridi Campi, Sceltone Liauckama, Hectore Dekama, Douwone Roorda, Herone Ockingha, Suffrido Æſgama, Meinio Lycleſio, & Ruardo Vibio Jureconſultis ſignatæ.

Reperio in commentarijs ſcriptoris Staurij rogationem novæ legis magnis acerbiſque contentionibus exagitatam fuiſſe, ipſoſque Leovardios & Sylveſtres Robleſij & nobilitatis conſilijs adverſos ſolemnibuſq; obteſtationibus nequicquam uſos, inrita libertati patrocinia commodaſſe.

Dein Robleſius Tranſlavicanos mille aureorum tributum ſingulas in ſeptimanas popoſcit abnuenteſque onera & immunitatem obtendentes Hiſpano equite & inſolentibus præſidijs preſſit. Mox primatum ædibus miles immiſſus, inani læſi juris querimoniâ, quod à Carolo Cæ-

Robleſius quoque ex Tranſlavicanis tributum poſcit.

ſare

cIↃ. IↃ. LXXIV.

Edicta Religionis per Friſiam renovantur, publicanturque.

ſare ſe accepiſſe ſolenni conventione Tranſlavicanus populus obtendebat. Itaq; legati eâ ex gente Bruxellas miſsi, vanâ enormis imperij incuſatione, quod oppreſſo per arma fœdere, vires, & maturitarem acceperat. Quamobrem Philippus primas quoque civilium armorum cauſas Religionis Edicta renovari, publicarique per Friſiam juſsit, quæ à Carolo Cæſare Auguſto ſancita, paterni imperij & actorum hæres primis jam ante principatus ſui annis inconſultâ ac juvenili pietate vulgaverat. Unde omnis concordiæ paciſque ſpes provincialibus excuſſa, non ineptè reputantibus, civilibus armis ut ante materiem, ita nova fomenta, creſcentibus furoribus, ſubminiſtrari.

Provincialium inde querelæ.

Idoneè ſcilicet proclamata per Philippum Veniæ Edicta & obtruſam provincialibus ſpecioſa oſtentatione clementiam, ut Philippi regis animus ad antiquæ ſeveritatis legem rediret, provincialiumque conſcientijs, dulcedine futuræ pacis haud pridem delinitis, amplas, etſi lubricas concordiæ ſpes renovatio priſtinæ ſervitutis excuteret? Hanc Ferdinandi Albani, hanc Ludovici Requeſentij, hanc Robleſij, & Senatus fidem eſſe, ut ſolemninm actorum, & publicæ vocis ratio non conſtet? Malè profecto credulas mentes principum verba oraculis numinum adæquaſſe, poſtquam jurisjurandi religionem ſummæ potentiæ opinio ſuſtuliſſet. Nunc certè doloſa Philippi conſilia detegi, & non alio fine Edicta Veniæ regio paratu in theatris recitata, quam ut perſuaſionibus populares animi occuparentur, velumque proclamatæ pacis conſilia belli & prioris ſævitiæ inumbraret. Iterum Romanorum Pontificum, iterum Inquiſitorum regna & furores exſurgere, quo, per ſpatia temporum intermiſsi, ſtatis intervallis majore æſtu recrudeſcerent.

Fœderatorum res geſtæ.

Hindelopa capta, ſpoliata & relicta.

Sic exaſperato per Edicta & exactiones regis imperio domi & intra provinciam ſecreta in Præfectum odia, foris incrementa fœderis obſervabantur. Quippe littoralem Friſiæ oram fœderatæ rurſum claſſes infeſtabant, auxiliaque ſubinde è minoribus Friſijs nactæ, non ſolis agrorum populationibus, ſed direptionibus urbium vicorumque ſe exercebant. Itaque Gualterus Hegemannus fœderatæ cohortis Tribunus cum navibus Texaliâ ſolvens mox Hindelopam advectus maritimum oppidum Friſiæ contra minoris littora ſitum, ſuam & fratris cohortem in continentem expoſuit, congreſſuſque cum præſidiario milite, quem defenſioni invalidum inexſpectata irruptio faciebat, oppidum ſuam in poteſtatem redegit. Creditum fuit illunis noctis beneficio & quod nullo ſydere cœlum niteſceret multâ nube obductum, eum loci potitum, opportunamque opacitatem grande momentum audaci conſilio & proſpero ſucceſſui attuliſſe. Igitur civium opes & ornamenta domorum in prædam verſa, oppidumque quorundam civium & militum cæde occupatum infœlicibus flammis exuſtum eſt. Mox fœderati prædâ fœlices & loco diffiſi conſcenſis navigijs Enchuſam petiêre, quæ jam ante, accepto victoriæ nuntio, arma & commeatum, in ſpem muniendæ retinendæque urbis, ſubminiſtraverat. Alij addunt adventantium Valonicarum copiarum famâ conterritum compulſumque Hegemannum oppidum deſeruiſſe, ſuamque fortunam latiſſimis freti æſtuarijs, quam urbi non munitæ hoſtili in ſolo concredere maluiſſe. Neque imprudens viri conſilium fuit. Quippe Mo tioius,

cIↄ. Iↄ. LXXIV.

ioius, qui Stauriæ caſtellum regio nomine tenebat, poſtero militem Hindelopam duxit, poſitoque ibidem validiore præſidio oppidum novo opere ſiſtendis irruptionibus præmunivit. Robleſius quoque prohibendis provinciâ fœderatis, qui actuarijs navigijs illam oram tum legebant, per marinum littus locaque acceſſui opportuna diſponi excubias vigiliaſque præcepit, reprimendæque per agros & municipia inſolentiæ armatorum numerum cuique præturæ aſsignavit. Cæterum promiſcuo provincialium metu quem continuæ fœderatorum incurſiones dabant, villæ deſerebantur colonique agrorum, non intermiſsis tributis exhauſti & inopes, quo ſe ſuaque pignora periculis ſubducerent, in munita paſsim oppida ſuffugia faciebant. Unde deſertis per agros habitationibus ſolitudo orta; cautumque Edicto ut tuendis villis profugorum ære armati alerentur privatarumque poſſeſſionum prædiorumq; tutelâ quies ac ſecuritas provinciæ redderetur. Mox Edicta proſcriptionum repetita lataq; lex fuit: Ne quis profugis aut incerto lare per provinciam errantibus, officium ſubſidiumve quacunque etiam de causâ ſub pœnâ perduellionis præſtaret, eorumque ædes ac villæ qui exulem proſcriptumve receptaſſent aluiſſentve, publico igne tanquam flammis expiandæ cremarentur. Annotatum reperio Bolſuerdiâ & Eloſto oppidis ſeptuaginta ſex familias tum in exilium pulſas fati ſui & Senatus regij inclementiam ſingulari conſtantiâ pertuliſſe.

Solitudo per provinciam.

Edicta lata, & repetita.

Valerium quoque Cammingha Deputati officio fungentem Fecconem Rhalam juriſperitum Bruxellas ablegaſſe, quo de redintegrandis provinciæ privilegijs apud Requeſentium ageret, & ut indictionum vigor reſcripto ejuſdem Proregis aboleretur. Pecunia quoque regia & dominiorum, ut vocant, canon ſtipendijs militum cederent, quo illorum rapacitati ex egentiâ æris & ſimul ſpontaneâ pravitate naſcenti gubernatoris Regij prudentiâ occurreretur. Quippe indictionum per Friſiam vis fraudibus contrectantium ſolvebatur, ſubſidiumque bello quæſitum, averſis ab illo onere animis evaneſcebat. Itaque Robleſius præſentiâ Petri Frittema legum doctoris & ſenatoris regij ſubjutus, ad alia conſiliorum provolutus eſt, regijq;, quod jam colligebatur, honorarij pecuniam aſſignari ſub uſuris mercatoribus petijt quo præſenti mercatorum ære accepto militum ſeditionibus maliſq; moribus ſubveniretur. Quod cum Deputatis Ordinum grave videretur de præſtando ære mutuo nobilitatem & primores quoq; ſollicitavit impulſiſq; Philippi per provinciam rebus quoquo modo ſubſidium popoſcit. Hoc etiam addebat nobilitatem reliquoſq; provinciales ex indictionum ære, quæ melius novo vere proceſſuræ forent, ſolutionem habituros quo ſervata regem inter populumq; fide pacis ac concordiæ ſpes illuceſceret. Cæterum Delegati in quibus Ruardus Roorda, Valerius Cammingha & Hero Ockingha tum erant. (Meinius enim Lycleſius Nyholtpadius per invaletudinem aberat) conſilia Robleſij reiecere acriq; reſponſo quod provinciali pecuniæ uſuras præſtari indignarentur regis dominia & Biltanos imprimis agros gravandos propoſuere. Quod ſi fieri non poſſet hoc volebant, ut penſitandis cohortium ſtipendijs partem Ooſtergoï partem Weſtergoï cum oppidanis, partem Sylveſtres erogarent, exiguique Sylveſtrium reditus ærarij regij ope, aut Biltanorum agrorum canone juva-

Robleſius gravat denuò Provinciam.

Renitentibus nequidquam Deputatis, meliumq; conſilium ſuggerentibus.

cIↄ. Iↄ. LXXIV. rentur. Quæ omnia ſalvo provinciæ jure & cum obteſtatione dicta nullum iſto tempore robur habuere indignantibus Deputatis inter ſuorum fugas & exilia vitæ quoq; præſidiâ exactionibus ſubverti.

Unde primum indignatio, tum major animorum à Rege alienatio ſubſecuta.

Unde civiles animi magis magiſque à Philippo alieni, miſeratione propinquorum, affiniumque ſua ingenia exaſperavere. Sic regij judicis rigor ſubvertendo fœderi decretus, ejus incremento ceſſit, odiumque ſuperbè agentibus conſiliorum immanitas paravit. Creditum fuit innocentis turbæ & jam in matrum amplexibus hærentis lamenta & ejulatus, tum profugientium triſte ſpectaculum duros ac immites animos moviſſe civiumque ac opificum collegia à dominantium nexu ac affectu in Regem diſſociaſſe. Quare Robleſij litteræ, quibus ad deſertionem fœderis minores Friſios hortabatur, irritæ fuere, ſuſpectâ apud eoſdem Philippi regis clementiâ, quam Robleſius, emolliendis populi iſtius ingenijs, doloſis artibus ſubſternebat.

Quam Robleſius fruſtrà tentat placare doloſo ſcripto.

Ideo ſcilicet Regem tam auguſti nominis & formidabilis potentiæ, proregis Requeſentij & Barlamontij litteris pacem Friſijs ac affectum Principis obtuliſſe, quo ſcirent Friſij Philippo ſupra faſtigium regni incolumitatem ſuorum ſubditorum eſſe. Malle quippe Philippum ut populus per arma & turbas temporum contumax ſuæ quieti commodiſque conſulat, quam ut inquies & nullibi ſecurus præterquam ſub armis fœdâ in rebellione & invertendi ordinis propoſito perſeveret. De fide vero regiâ nihil periculi fore, quin certa & extra dolum futura ſit, modo Friſij ad reverentiam veteris imperij redeant amoveantque ſiniſtras ſuſpiciones fovendis diſcordijs pronas.

Hæc Leovardiæ, vergente anno, manu Robleſij ſcripta, ac Enchuſam per tabellionem perlata, infenſis animis accepta. Itaque tabellio exploratorem acturus carceri datus, ſubjectuſque quæſtionibus hoſtile Robleſij conſilium & doli plenum aperuit. Traditum annalibus igneas nubes menſe Novembri à Septentrione verſus Meridiem motas, tum apparuiſſe cœlumque ab Horizonte verticale in punctum ardere viſum, funeſtis flammis colluxiſſe. Sequentis anni initium magnâ tempeſtate fœdum ut marino aggeri littorique damna ita gravem ultro annonam accîdit. Quippe per Dongrios qua depreſſius ſolum & planities littorum, horrea pleraque & villæ marinis aquis convulſæ ſubſecutaque frugum eluvio egeſtatem agrarij populi prægravavit. Mox puriore cœlo & Euri flatu remittens tempeſtas magnum aëri frigus affudit paluſtriaque locorum, ingenio ſoli humentia, aut marinâ uligine fæculenta, acerbiſſimo gelu conſtipavit. Unde utrinque incurſionum hoſtilium metus, etſi lentiore tum bello, quod fœderatorum ſupplicatione Philippum ad regem ac Requeſentium miſsâ, futuri conventus fama diu ſperatam pacem datura provincijs videretur. Eo namque libello, ut officium obſequiumque regi fœderati offerebant, ita innuebant ſervando tuendoque populo Philippum ſe obligaſſe eamque ſummi imperij conditionem eſſe, ut parentibus inſerviat. Econtra Albani dominatu jura, immunitates violatas quæ ne peſſum irent armorum defenſione uſos, poſtquam irritis querimonijs munimentum innocentiæ non valuiſſet. Et quoniam publici regijque commodi maxuma apud ſe ratio eſſet, ita orare Philippum æquâ mente cadentium rerum miſe-

Igneæ nubes viſæ, cœlumque ardeſcens.

ANNO cIↄ. Iↄ. LXXV.

Inundatio agrorum per Dongrios.

Gelu intenſum.

Fœderatorum ſupplicatio ad Philippum regem.

miſereatur reſtituatque pacem terris & cum eâ commercia, poten- CIↃ. IↃ. LXXV.
tiam haud dubiè regiæ dignitati allatura. Conciliandæ vero provincijs concordiæ & florenti fortunæ unicum remedium miſſionem Hiſpanæ peregrinæque gentis ſupereſſe & ut imperia Philippi non alienigenarum conſilijs, ſed procerum Ordinumque Belgicæ regantur. Id fundamentum futuræ paci ſubſternendum. Alias continuum bellum, æternas tempeſtates, perpetuas lites atque diſcordias fore, non ante deſituras, quam rerum omnium ruinam exacuens ſe indies civilis furor fecerit.

Fœderati deſiderant pacem.

Ita turbidi temporis faſtidium deſideria pacis fœderatis injecerat eorumque votis externorum Principum mentes ſiſtendæ provinciarum inquietudini incendebantur. Jam enim miſſæ Maximiliano à Cæſare ad Philippum quoq; legationes erant credebanturque reciprocæ, Cæſaris ac Philippi affinitates, publicum in Bonum exituræ. Quippe Mathematici velut perſpectis ſyderum influentijs, Belgicæ ſalutarem annum prænuntiaverant mitiuſque cœlum etſi fallacibus conjecturis fiduciâ artis pollicebantur. His exangue regis ærarium accedebat legionumque ſeditio impunitate criminum & graviore egentiâ ſuccreſcens.

Conventus Fœderatorum Dordraci.

Traditum commentarijs eſt Friſios exules, qui Bremæ, Hamburgi, Veſaliæ, Duiſburgi ac Embdæ agebant, perceptâ harum rerum famâ, datis ad Aurantium litteris, certam pacem & cum eâ libertatem conſcientijs oraſſe. Sic tentatâ re, Elbertus Leoninus, vir pacis artibus excultus, ad Aurantium Principem cum fiduciarijs ablegatus curâq; Aurantij fœderarorum Ordinum conventus Dordraci indictus. Ibi AURANTIUS ſolertis ingenij, & reconditæ prudentiæ Princeps, ponderato tantæ molis negotio, hæc proponi fecit.

Aurantij principis Oratio.

AD tractandam pacem deſtinatos à PHILIPPO rege, aut REQUESENTIO Legatos fidem mihi Elbertus Leoninus fecit ac jam locum Bredæ inſtituendis colloquijs ordinatum. Id porro, Fœderati ORDINES, agendum reſtat, ut ſimiliter è vobis Legati edantur, expendendis evolvendiſque rebus quæ in diſceptationem tam arduam venturæ ſunt. Pacem vero quod pro ſummo mortalium bono omnium ætatum gentes habuere ſi cum bello conferamus, expetendam promovendamque magnopere cenſeo, modo divini numinis cultui, libertati veſtræ patrijſque legibus nihil imponat. Hoc vero imprimis neceſſum eſt, ut quoniam de pace conſultaturi eſtis, ſubſidia bello decernatis, ne imparatos vos & inermes quamlibet ad pacem veſtra imbecillitas aut ſocordia compellat. Præcipuè vero de concordiâ Fœderati Populi, de ſtipendijs exercituum, de apparatu claſſium, munitionibus urbium, & commeatuum curâ cogitate, tanto magis à privatis utilitatibus alieni, quanto cariora vobis reip. commoda erunt.

Hæc AURANTIUS.

Suartſenburgius à Cæſare Dordracum miſſus.

Mox Guntherus Suartzenburgius nomine MAXIMILIANI Cæſaris cum imperatorio comitatu Dordracum miſſus multaque de ſubortis PHILIPPUM inter populumque diſsidijs & miſerijs civilium bellorum præfatus ſollicitudinem optumi Cæſaris, non fucatâ oratione nec alienis à vero ſermonibus commendavit. Itaque aſſerebat, non Belgicæ tantum & vicinis ditionibus, ſi bellum prorogetur, inſtans exitium, cæterum Germaniæ periculum imminere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↃ. IↃ. LXXV.

Oratio Swartzenburgij.

Cauſam quippe diſſenſionum ut initio levem, ita tractu temporis fomenta & vires accepiſſe. Paratum eſſe Cæſarem robuſtis malis mederi. Ita legationes nec infructuoſas ad P H I L I P P U M *regem in Hiſpaniam actas. Neque alium in finem ſe à Cæſare in provincias Belgicæ miſſum, quam ut luxata concordia ſtabili pace coaleſceret. Sic obſequium Cæſari, ſic officium* A U R A N T I O *Principi, & Belgicæ nobilitati præſtare conſtituiſſe, quibuſcum affinitate, aut jure amicitiæ jungeretur. Itaque non moleſtias itinerum, non hyberni cœli inclementiam ſuis conatibus obſtitiſſe, quorum fructum abunde habiturus eſſet, ſi pronis auribus accipiantur. Quamobrem rogare Principis fœderatæque Nobilitatis legatos, ut, de Cæſaris affectu certi, æquæ paci auſcultent. Ad quam ſi perveniri tam ſubito non poſſit, petere, ut Legatos mandatis inſtructos ad Cæſarem mittant, liberum commeatum per ditiones Imperij habituros.*

Fœderati Ordines reſpondent.

Econtra Ordines Fœderati Cæſari & Legato grates agere, quod Cæſar pronum in provincias animum imperatoriâ apud P H I L I P P U M Regem interceſſione præferret, Legatus vero tædium longinqui itineris, & tempeſtuoſæ hyemis aſſerendæ paci pertuliſſet.

Interim reponebant cauſam bello ſe non dediſſe, cæterum A L B A N I *ac Hiſpanorum fœdâ & crudeli dominatione compulſos arma ſumpſiſſe, non ſubvertendo regi, cæterum, ut ejus imperio ac rebus ſuæ vero incolumitati conſulerent. Igitur majora nunquam concupiviſſe quam ut bellum omnis inſolentiæ ac miſeriæ ferax pace mutaretur, ad quam perveniri non poſſe præterquam dimiſſo regis exercitu & peregrino Philippi milite cenſerent. Rex vero ſi ejus animi ſit, tum demum ſperare ſe fœlicem rebus exitum Cæſarique & omnibus bonis optabilem. Interim rogare Suartſenburgium Legatum, ut Bredæ ad condictum ſe ſiſtat ſuâque præſentiâ ac conſilio negotium juvet.*

Requeſentius pronus in pacem viſus.

Thuanus ſcribit, Requeſentium quoque prædeceſſorem Albanum fœdæ ſæpè dominationis familiari apud ſuos ſermone redarguentem, in conſilium pacis tum propendiſſe, quo leniorem imperij gerendi viam ingreſſus diſſociatas à Philippo per arma & ſævitiem provincias beneficio pacis pacaret.

Conventus Regiorum & Fœderatorum Bredæ.

Mox nominati per Requeſentium fœderatoſque Legati datique à parte regis obſides ſecuritatem fæcialium qui jam Bredæ convenerant & ſimul ſpem fœliciſſimi ſucceſſus auxere. Tum Philippi regis reſcriptum, quod libello fœderatorum deſtinaverat in conſeſſu recitatum ſpem paterni affectus & miſerationem bellis præ ſe ferens, quod fœderatorum animos ſuâ imbecillitate, more mortalium, falſis ſæpe bonis indulgentes, annuntiatum pacis deſiderium compleret. Cæterum externus miles grande pacis negotio impedimentum afferebat repetebantq; fœderati.

Fœderati miſſionem militis externi poſcunt.

Amovendum in Hiſpaniam exercitum eſſe, quo, dempto metu, ſanciendam ad pacem fœliciore progeſſu iretur.

Diſſentiunt Regij.

Econtra regis Legati diſſerebant.

Hiſpaniæ Belgicæque gentes unius capitis imperio ſubjectas, nec exterminandam provinciis nationem eſſe, cujus virtute & fide C A R O L I P H I-

L I P-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

LIPPIQVE *regum res per Belgicam floruiſſent. Sed nec Fœderatos cum inquilino milite & ſolis indigenis pugnare, cæterum ex alienigenis conſcribi ſupplerique legiones & externis armis inteſtinum bellum inniti. Interim miſſurum facilè exercitum Regem, ſi eo uti non velit, procuratâ pace & non exigentibus periculis. Hac de cauſa (id enim Fœderati adjunxerant) nec conventum Ordinum haberi, præterquam ceſſante bello, poſſe, cui finem imponere aut pacem ſurrogare jus ac arbitrium ſolius regis quiret. Ei jus ſolennium convocationum & indicendorum conventuum eſſe coïtionibus Ordinum tum ſemper uſo cum viſum fuiſſet. Eſſe Philippo Proregem & Præfectos, Præſides & Senatum, quorum conſilijs, æque ac Ordinum, regere provincias queat intraque metam coërcere exorbitantis imperij lubrica. Interim reducendæ in provincias paci, ſtabilimentum patrij iuris, veniam anteactorum, abolitiones proſcriptionum, reſtitutionem bonorum & dimiſſiones captivorum regem offerre, daturum porro operam ut æquis conditionibus agat. Hoc vero velle, ut Fœderati provincias, oppida, caſtella, claſſes, commeatum, arma, eaq; omnia regi reponant, quæ bello aut per vim acquiſivere.*

CIↃ. IↃ. LXXV.

Tum de reſtituendis bonis Eccleſiaſticis & Romanâ religione quædam addita, quam ſolam haberi per provincias ut ante ætate majorum, Philippus rex volebat.

Regij ſolam Romanam religionem haberi volunt.

Eam namque cum ipſo principatus, cum ſacramenta populi accepiſſe æquumque eſſe ut quibus auſpicijs imperium acceperit ijſdem retineat. Interim permittere aliam à Pontificiâ religionem profiteri volentibus, ut divenditis bonis rebuſque ſuis, certum intra diem provincijs excedant abſtineantque interea exercitijs fidei & malis exemplis.

Quæ diſſertatio acerbitatis plena & non obſcurè præfractum offenſumque Philippi regis animum oſtendens, Fœderatorum Ordinum & Aurantij Principis Legatos perculit.

Itaque regerebant.

Fœderati prolixe regerunt.

Pacem ſe provincijs petijſſe, ſed hoc conſilio, ut impedimenta primum concordiæ auferrentur exteraque confluges tot annorum flagitijs & partis per ſcelera opibus ſe paſcens in Hiſpaniam aut longinqua amoveretur. Naturale quippe patriæ deſiderium cunctis gentibus ineſſe & haud dubiè beneficij loco habituros veteranos, ſi facultas locupletibus redeundi in ſua detur. Provincias certè illorum inſolentiæ diu pertæſas nihilque magis optare quam ut in luſtra ſua feroces belluæ remigrent. Idem Ordines Principeſque Aurei Velleris Anno CIↃ. IↃ. LIX. *à Gallico bello urſiſſe & ut limitaneis locis, arcibus ac caſtellis non peregrini, ſed indigenæ præficerentur. Eſſe quidem Hiſpanos Philippi ſubditos, cæterum ab hac gente moribus legibuſque diſcretos, cujus exitio tot per annos egiſſent. Sic tot urbium excidijs illorum furores placatos, quorum recentia exempla & ſimul vulnera eſſent. Itaq; Belgas Friſioſq; tot enormia perpeſſos ſero in fælicia majorum tempora reſpicere, quibus ſiniſtri metus oraculi vocem olim extorſiſſet,* SOCIATARUM BELGICAE HISPANIAEQUE GENTIUM ALIQUANDO POENITENTIAM FORE, HISPANAEQUE FOEMINAE CUM PRINCIPE BELGICI SANGUINIS CONNUBIUM INCOMMODA NE-

cIↃ. IↃ. POTIBUS PARITURUM. Non eſſe dubitandum de præ-
LXXV. ſagij fide & promiſcua hodie in Hiſpanos odia, fatidicæ voci certitudinem ad-
ſtruere. Quare utrobivis civitatibus præſidijſque per vim eijci aut ut excedant
ære corrumpi, quos detinere perverſæ mentis & alienandæ à Rege genti eſſet.
Affectu imperia Principum ſtare, ſi per vim aut arma teneantur, metum
dare aut pati. Adhæc majora Belgici Friſicique populi quam Hiſpanorum in
Regem merita eſſe vel ſolum Galliæ bellum oſtendiſſe. Id namque provinciarum
viribus & immodico ære tractum, quo Hiſpanorum per Inſubriam & Neapo-
litanum per regnum dominationibus, defecturæ alias potentiæ proſpiceretur. Sic
Belgicæ Friſicæque gentis nobiliſſimos fortiſſimoſque Gallico bello PHILIP-
PI expeditionem ſecutos ſpretoque patrio jure ſuis ſedibus excitos victricia ar-
ma longinquis terris intuliſſe. Sic in Italiam cum CAROLO Cæſare
irruiſſe, ſic trajeciſſe in Africam, commeritos id temporis ut clariſſimis per Hiſ-
paniam dignitatibus admoverentur. Cæterum moderatè fortunâ uſos, æmula-
tione mox Hiſpanorum ſubmotos, ne veſtigia Belgicæ externæque dominationis
trans Pyrenæos aut mare in ultimo Occidente figerentur. Hic vero regna-
re, vaſtare, perdere, proprium Hiſpanæ genti eſſe, cujus tantus quoque fu-
ror ſit ut non niſi externis atque auxiliaribus armis reprimatur. Sic Gallos,
Anglos, Germanos, quod exterarum nationum Belgæ ac Friſij egerent, in pro-
vincias evocatos, verum ceſſante bello aut belli metu miſſionem habituros. Re-
gis vero iſtud conſilium non eſſe. Quippe Friſios belli immunes, præſidijs co-
pijſque peregrinorum levamenta fœdiſſimiſque oppreſſionibus jamdudum re-
media oraſſe & ut belli exſortes jure & æquo regerentur. Cæterum eoſdem in-
anes querimonias, ut ferè potentiæ per arma ſtanti obtuliſſe ipſoſque fœdera-
tos optumam ſæpe turbis medicinam conventum Ordinum ſollicitaſſe. Econ-
tra dilationes ſalubribus conſilijs quæri reſtringique propalam jus atque auto-
ritatem Ordinum, quorum cura ad pacis bellique res ſeorſim vero ad ſtabilien-
dam provinciarum incolumitatem ſe extenderet. Ita flagrante Galliæ & Hiſ-
paniæ bello, primâ Philippici principatus ætate, conſilia gerendis rebus Or-
dines interpoſuiſſe, quo tributa & ſtipendia bene cederent Ordinumque ſubſidia
in bellum collata deſtinatis uſibus applicarentur. Adhæc reſcripta Principis
ſæpe immutata, nonnunquam abrogata, aſſerendæ autoritati Ordinum quorum
ope CAROLO PHILIPPOQUE regibus & eorum majoribus res
proſperè ceſſiſſent. Nunc vero, etiam durante pacis actione, jus Ordinum vio-
lari, non alio aulæ arcano quam ut provincias quas nunquam ſtipendiarias
habuiſſet, tributarias faciat Philippus regioque more, verſo in ſervitia popu-
lo dominetur. Primis Belgicæ motibus id ex FRANCISCI AVI-
LANI per Galliam Legati litteris deprehenſum. Non aliud ſcilicet effica-
cius remedium ſubjugandæ Belgicæ ac Friſiorum ditionibus dari, quam ut poſt
præciſas procerum cervices & conculcatam Ordinum autoritatem, attriti exa-
ctionibus provinciales per inopiam gerendo bello invalidi, ferendæ vero ſervi-
tuti pares eſſent. His imperij præceptis uſum Albanum, eadem ſuperbæ do-
minationis ſubſidia ſucceſſoribus legaſſe. Neque enim ferre PHILIPPI
Proreges poſſe, ut potentiæ ſuæ quoddam frænum ſit & ut Ordinum interceſ-
ſione illorum ambitio, regis imperium legem accipiat. Inde rebellionis & no-
varum religionum etiamnum tacitè inſimulari glorioſis armis implicatos, qui-
bus Philippo provincias aſſerant, reliquias Albani exercitus & ſimul furoris
ſuis ſedibus reddant. Conjuges quoque ac liberi & quicquid ſacrum aut fa-
miliare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

miliare eſſet, adverſum injurias externarum gentium defenderetur. Itaque non Eccleſiæ bonis violentos poſſeſſores intuliſſe, non occupaſſe aliena. Quin omnia inſpectore ac arbitro numine egiſſe, profeſſos fidem conſcientijs ſuis & ſacris traditionibus congruam, quo divini cultus puris mentibus conſtaret, PHILIPPUSQUE *rex æquis obſequijs apud reverentem Principis ſui populum haberetur. Quare duris pacis conditionibus auſcultare non poſse, evolventes anteacti temporis perfidiam & ſacramentum Principis lubricis non ſemel pactionibus adulteratum. Manere adhuc ſenſus & punctiones priorum vulnerum ac* EGMONDANI HORNIIQUE *funera, tum ſanguinem truncatæ nobilitatis & fidiſſimi populi oculis obverſari horrendaſque imagines reminiſcentibus antiqua offerre. Iterum exilia, iterum proſcriptiones inſtare, ſi, quod* PHILIPPUS *velit, ſerviendum iterum conſcientijs ſit offuſcandumque illud lumen, quod non niſi à cœlo acceptum edoctæ ſanctius mentes acceperint. Certe vel ſolâ cogitatione ac conceptu humano non comprehendi tam horrenda conſilia poſſe, quibus tot millium animæ æternam in ſervitutem eant innocentemque multitudinem bonis exutam in longinqua iterum exilia nova Philippi ſævities ableget. Nec enim pretia venalium rerum profugientibus fore adimique honeſta vitæ ſolatia & ſimul ſubſidia, ſi agendum procul patriâ inter ignotos vultus ævum ſit & ut plurimum infœlicibus iniquos. Quin ſatius eſse Hiſpanorum legiones ſuis terris reddere quam ſolitudinem cultiſsimis terris decrementum commercij dare. Quæ ſi transſerantur, multum patrimonio & ærario regis, ut ante deceſsurum, cum in alias oras ultra flumina & ipſum mare ingreſſo provincias* ALBANO *tot familiæ graſsanti ſævitiæ ſe ſubduxere. Idem fore, ſi pacem hac lege fœderati ineant, quæ novas diſcordias ac turbas detrimento* PHILIPPI *allatura ſit. Interim rogare, ut Legati regis reſponſum hoc, è ſecreto mentium proveniens, ex æquo interpretentur cenſeantque optumo in Regem & patriam affectu perſcriptum, adhæc precari ſanctum æternumq; numen ut* PHILIPPO *regi ac Legatis meliora conſilia inſpiret.* ꟷ CIϽ. IϽ. LXXV.

Hæc FOEDERATI.

Ita acribus acerbiſque reſcriptis in negotio ſanciendæ pacis certabatur. *Swartzenburgius infructuoſè diſceſſit.*

Unde Swartſenburgius ne infructuoſâ omnino legatione fungeretur, prolixâ oratione ſemeſtres armis inducias poſtulavit irituſque voti ad Cæſarem receſſit. Creditum fuit, affinitate Aurantio Principi, cujus ſororem matrimonio tenebat, junctum & religionis libertatem acrius urgentem Requeſentio ſuſpicionem injeciſſe, velut in partem fœderis, alienior à Philippi ſeveritate ac rigore legatorum regiorum propenderet. Quippe Requeſentius unam religionem exilia fœderati populi volebat iniquiſque pacis conditionibus bellum involvens, magnas fortunæ & gloriæ ſpes tum concipiebat. *Suſpectus regijs ob affinitatem cum Aurantio.*

Itaque ruptâ pace provinciales mœſti & ſpe dejecti viſebantur exuleſque qui trans Viſurgim, Albim, Rhenum atque Amaſum flumina ſeceſſerant, præreptam concordiæ ſpem & ſolatia exilij lugebant. *Fœderatorum exulum querelæ.*

Nunc ſcilicet pejora actis tempora inſtare, poſtquam immitium fatorum leges pacem morarentur. Sic patriæ perpetuum bellum, ſibi exilium parari & ut ingraveſcentes annos ac ultimam ſenectutem ſolâ morte claudant. Neque enim

jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXV. *jam fata reditum in patriam polliceri divulſis procerum conventibus & quia pacem non dedère acerbius bellum daturis. Ita infructuoſas preces cælo fuſas, nuncupata paci vota, quo poſt exactos exilij terminos patriam & relicta pignora reviſerent. Sed iſtud beneficij vitæ ac fortunæ ſuæ fata invidiſſe, quæ mutare humanæ poteſtatis non eſſet. Eventus rerum & remedia malorum à cælo ſperanda, venturis fortaße temporum ætatibus, quibus reditum in patriam & familiares locos non pax aut induciæ, ſed arma & bellum daturum ſit.*

Multi credidere iſti pacis actioni magis in ſpecie quam ſopiendis diſcordijs legatos regios præſediſſe animiſque infidis etſi publicæ quietis deſideria ſimulantibus, meliora finibus initia oſtentaſſe. Cæterum mihi rem accuratius expendenti viſum fuit, partium conſilijs fatales tum adhuc moras obſtitiſſe fœdamque miniſtrorum regiorum ſævitiem tot annis & tantâ cæde alitam diuturnius bellum, placandis cæſorum manibus, velut piamentum exerciti furoris poſtulaſſe. Itaque dirempto conventu obſides dimiſſi animique in curas bellorum iterum retracti nutrimenta ulteriori diſcordiæ quæſivere. Unde delectus utrinque per provincias habiti decretaque cohortibus ſupplementa, quo extenuatus diuturno bello exercitus aut ſpe pacis ſolutus, novæ multitudinis & ſimul acceſſione reviviſcentium furorum firmaretur.

Requeſentius in Friſiam dat literas de toto hoc pacis negotio.

Cæterum R E Q U E S E N T I U S quo ſe à ſuſpicionibus violatæ pacis apud Friſios purgaret, litteras ad Præſules & Nobilitatem dedit, quibus omnem geſtarum rerum ſeriem hoc modo exponebat.

Poſtremo Ordinum Belgicæ, quem Bruxellis menſe Iunio habui, conventu de ſanciendâ regem inter & Hollandiæ Zelandiæque proceres Aurantiumque pace actum. Quam ipſe quoque propoſitam habui, ut majores miſerias, atque bellorum incommoda ab his provincijs averterem & ut Catholica religio ac regis autoritas conſervaretur. Ego vero pacem petentibus regem hoc ipſo ſingulare clementiæ exemplum edidiße reſpondi, quod oblatâ omnium criminum veniâ pacem obtulißet. Imploravi quoque ſalubria adverſariorum conſilia, quo fructum initi conventus Bredani utraque pars ſentiret. Cæterum acres libelli ad Regem & me miſſi, acerbitatem & licentiam partium expoſuere. Et quamvis rex P H I L I P P U S *in condonandis criminibus perſeveraret, ac ut omnium memoria tolleretur, ſalvâ tamen religione Catholica & regis ſui, cui obſequium deberent autoritate, ita congregari feci Epiſcopos & provinciarum Præfectos Senatus Belgici primores quo de modo faciundæ pacis deliberaretur. Locus conventui Bredæ indictus eſt, & quidem menſe Febr. hujus anni vocatis iſthuc rebellium procuratoribus atque legatis, quo de voluntate regis in causâ veniæ cognoſcerent. Quam etſi amplecti debuiſſent, ac ad principem ſuum redire, à quo defecerant, ita deprehendi nihil bonâ fide ab illis actum geſtumve eſse. Præterquam enim quod debitam regi ſuo venerationem ſeponerent, ita rex & ego voluimus compendio ad pacem iri omiſſiſque levioribus finem præſentibus calamitatibus facere. Illi vero dum hæc aguntur dimitti ad Aurantium Dordracum petiere habitiſque cum illo colloquijs velut ferociores & à pace alieni licentiam atque exercitia damnatæ religioni ſuæ poſtulavere. Quæ etſi concedi non poſse ſcirent, quod unâ religione contineri in officio Belgicæ populum Rex velit, ita ab adverſarijs noſtris in Hollandiam receſſum, quo cum ſuis conferrent. Itaq; in tertium Maj. diem rex ex-*

tra-

tracta, quo die cum Regis Legati & juxta illorum etſi numero pauciores con- cIↄ. Iↄ.
veniſſent, antequam de obſidibus dandis aliquid decretum foret ſubmoveri ex- LXXV.
teras nationes à parte Regis Belgicâ voluerunt ac ut Ordinum Belgicæ conventum Rex indiceret. Quod cum contra omne jus & æquitatem proponeretur, cum etiam in Germaniæ imperio Principum populique jus valeat, imitandum neceſſumque ſit ut una Religio, unus Rex, cui fidele obſequium debent, habeatur, ita multa differebantur quæ impediendo magis pacis negotio, quam maturando erant. Hoc vero pro PHILIPPO *cavebatur. Vt ſi veniam daturus foret, ſola Catholica religio coleretur, novæque affectatores cum liberis rebuſque ſuis Belgicæ finibus excederent. Econtra adverſarij volebant, ut æquitate Philippi ſpectatâ libertas conſcientijs daretur, quam deſerere neq; in animo haberent, neque patriâ ſuâ exulare, pro quâ mortem obire paratiſſimi forent. Itaque reſtabiliri temeratas à* PHILIPPO *leges, aſſeri privilegia petebant, quæ ſacroſancta & immutabilia committi eorum arbitrijs non poſsent, qui iſtius juris incapaces eſſent. Qamvis rex negaturus non foret bonum in Belgicâ ſuâ Ordinem reſtitui, ac conventum indicere Ordinum Belgicæ, modo fundamenta ſolidæ paci ſubſtrata ſint. Quæ cum hoc ipſo convellerentur, quod religionis ſuæ exercitia vellent, ita mandata mea excedere nolui, dato regi ad deliberandum tempore, dum, quid fieri vellet, ediceret. De armiſtitio quoque tum propoſui, quo miſer populus à calamitate bellorum ſublevaretur, & ut terrâ marique armorum vis ceſſaret. Quam cum mari ceſſare adverſarij nollent, vellentque ut* AURANTIUS *arbitrium maris retineret, ſex dies toti negotio decidendo petiere, eâ intentione, ut cum parari pax non poſſet tractu temporis illo breviſſimo abrumperetur. Hoc enim ajebant regem illo conventu malâ fide egiſſe, quâ ne deciperentur, malle ſe ſuis viribus uti & fictæ paci bellum anteponere. Quæ quamvis ex invero dicta ſint, ita obteſtor Deum & generis humani conſcientias regis integritatem & meam, inritumque colloquium, non culpâ regis aut meâ ſed illorum contumacia infructuoſa fuiſſe, qui enormia flagitare auſi hæretici ac rebelles miniſtrorum & ſuorum pravis conſilijs acquievere.*

Hæc Antverpiæ IV. Non. Sept. ſcripta, ac ad Senatum Philippi in Friſiam miſſa, inritam conventus Bredani deliberationem aperuere.

Iudicia de tardatæ pacis auctoribus.

Perſcriptum commentarijs F. Nicolai reperio protractum in mediam æſtatem illud colloquium fuiſſe, populumque Friſicum, durante conventu paci inhiantem, inritâ actione profundiſsimo mœrori ſervijſſe. Principem quoque Aurantium, miſsionem externi Hiſpanique militis urgentem pertinacius, ſeceſsioni procerum grande momentum attuliſſe. Alij in Requeſentium potentiâ Regis ſui ſubnixum ac gloriæ quam è bello ſperabat avidum, omnem tardatæ concordiæ culpam rejecere.

Reidanus notat de libertate Religionis & Inducijs quinquennalibus deliberatum tandem iſto conventu fuiſſe, quo, ijſdem durantibus, omne in causâ Religionis controverſum arbitrio generalium Ordinum determinaretur. Fœderatos quoq; & Aurantium Principem ijſdem poſtulatis approbandis pronos fuiſſe Elbertumque Leoninum, relatione ad Philippi Senatum inſtitutâ, diverſitatem animorum in ipſo conſeſſu deprehendiſſe. Quippe Arſchotano, Barlamontio & Aſſonvilio pacem ſuadentibus, Requeſentium Proregem, Rodam, & Raſsingemum ſe oppoſuiſſe bellumque interverſo pacis & concordiæ negotio, peſsimo

Requeſentius bellum navale molitur.

cIↄ. Iↄ. LXXV. conſilio redintegraſſe. Igitur Requeſentius, quo ruptâ induciarum actione, Fœderatorum res arctaret, diſtributis per continentem & omnem provinciam copijs, de maritimo ut jam antè bello cogitavit, gentemque commercio & ex hoc opibus viribuſque validam inſtructiſsimâ claſſe atterere. Quod conſilium pro optumo clariſsimi Scriptores meminere, improbato Ferdinandi Albani etiam tantæ famæ Ducis belli gerendi modo, quod neglectâ domandi maris & fluminum curâ, omnem vim ac gloriam opprimendis mediterraneis vertiſſet.

Angliæ Reginam ſubſidia poſcit. Unde Requeſentius, quo ſociam claſſem ſuæ adjungeret, Joannem Boiſchotum fiſci regij advocatum in Angliam amandavit, navaliumque rerum ſubſidia reginam Eliſabetham pro Philippo popoſcit. Cæterum prudens fœmina, & velut ſexus ſui ingenio, paci ſtudens, amicitiam Philippi ex damno aut injuriâ Belgicarum provinciarum non volebat populumque vicinum & fato ſuo infœlicem, promiſsis Philippo auxilijs gravari. *Repulſam ibi patitur.* Itaque cavit; Ne quis præſidiarias bellicaſve naves per regnum & Angliæ portus inſtrueret & ne claſsiarius Anglorum miles ſacramentis externis ſe innecteret. Vetuit quoque; Ne rebellibus & exulibus Anglis, per Philippi ditiones agentibus, Prorex Requeſentius debellandis mari fœderatis gauderet juratiſque regni ſui hoſtibus. ſpecie Hiſpanici fœderis, littora & portus ſui regni aperiret. *Reginæ pro exulibus in Anglia reſponſum.* Itaque eidem Legato contendenti ut exules Belgas Friſioſque rebellionis in Regem reos regni finibus exterminaret, modeſtè repoſuit regijque Legati importunitatem ſingulari lenitate & prudentiâ repreſsit.

Neque enim protegere ſe perduellem populum, ajebat, *cæterum ex ſtatu afflictæ patriæ extorrem in regnum admittere, cui latendi locum omni humano & gentium jure deberet. Non violanda eſſe hoſpitij jura juſtiuſque & ſanctius eſſe, ferre fato infœlicem quam ſenſum exuere alieni vulneris & jam in oculos incurrentis. Belgas certè ac ſocias gentes diu temperamentum immodeſtæ dominationi oraſſe & ut finem inteſtinis armis ac ſimul miſerijs clementia* PHILIPPI *aut conſentientium Ordinum pax imponeret. Idem* MAXIMILIANUM *Cæſarem miſſis in Hiſpaniam Legatis nullo eventu petiiſſe, planè velut* PHILIPPI *animus ad æquiora obduratus plus licentiæ & ſeveritati Proregum, quam ſupplicationibus ſui populi daret. Quem ſi patrijs terris infœlicitas temporum exigat, non eſſe iniquum alia ſyderum, alia ſedium profugo quæri aut externa auxilia allevandis extremis ſollicitari. Ita factum eſſe, ut omni interceſſione Principum apud Regem præcluſâ, de ſocietate Gallicâ cogitet, regno Angliæ & ſimul Philippi rebus magnum diſcrimen allaturâ. Monuiſſe ſe ejus rei* REQUESENTIUM, *nihil aliud regerentem quam puniendum eſſe populum malâ religione imbutum. Interim exule Belgæ & jam antè per regnum ſuum recepto, faceſſere moleſtiam non poſſe dedicißeque experiundo* PHILIPPUM, *incertarum ſedium populum, gentium jure ac ſimul deſperatione occupanda ad ſua, & ſæpè aliena impelli. Ab eo ſcilicet fuiſſe, ut ſub* GULIELMO LUMAEO *Comite Marcano proſcripta Nobilitas, à quadriennio excedere portubus regni ſui juſſa, Brielam occuparet, omnique gentium ſubſidio ac ſimul ſolatio excidens, ſedem virtuti ſuæ & ſimul ſecunda auſpicia reparandæ libertati pararet. Neque alios fructus hoc ipſo tempore ſimilium mandatorum fore, facturam interim, ut Legatum* PHILIPPUM *ad Regem mittat ocyus edoceatque, ſe nec priſcis un-*

unquam ſocietatibus, nec commodo aut paci duorum regnorum defuiſſe. cIↃ. IↃ. LXXV.

Cæterum Boiſchoto Burgundicum ad fœdus provocante (etſi id innovare Philippus recuſaret) evenit, ut Eliſabetha edictum interponeret caveretque, Ne præſidiariæ fœderatorum naves Angliæ portubus excederent & ne Belgicæ fœderatæque claſſi portus atque littora paterent. Cambdenus ſcribit Eliſabetham, quod Anglorum proſcriptos Belgicis Philippi ditionibus, intercedente Wilſono Reginæ Legato, Requeſentius exterminaſſet, id Philippi quoque poſtulato tum dediſſe, quo gratiam ſibi à Philippo præſtitam, cujus inimicitiam declinabat, ſuis quoque in Hiſpanum officijs penſaret. Adeo verum eſt, plus ex alienâ potentiâ metum, quam ex juſtiore cauſâ affectum apud reginam tum valuiſſe. Itaque Edicto ad claſſis ſuæ & maritimorum locorum Præfectos dato, præter Aurantium Principem, Culenburgium, Bergenſem & Marcanum Comites, præcipuos quoſque ex fœderatâ nobilitate prohiberi regni ſui ingreſſu juſſit pluſque Philippo Regi ex defunctæ ſororis Mariæ matrimonio & mutatis per Angliam rebus inimico, quam favori Belgici, in quod tacitè inclinabat, Fœderis per infidos aulæ mores conceſſit. Quæ conſideranti mihi, multa obſervare tum licet, Principum procerumque ingenia, ut apud mortales aſſolet, in ſtabiliendâ deprimendâque Belgicæ & noſtræ gentis libertate à fortunæ ſecundis aut adverſis tum pependiſſe. Igitur quantum animi Requeſentius regiæque res ſpiritus ac virium trahebant, tanto impenſius regijs partibus favebatur noſtrumque in arma ſtudium, velut à Bredano conventu ſpe pacis frigeratum ac regiæ magnitudini, tanquam oneri, recollecto Requeſentij impetu ſuccumbens, tacita odia & velut averſationes vicinorum Principum traxiſſe. Cæterum evaneſcente lubricæ pacis appetitu, ubi animi fœderatis è periculis rediere, omne quod ex magnitudine regiâ in metum, aut ex pace in otium ceſſerat contemni aut acui cœptum deprehenſumque fuit generoſam gentem, etiam tepefacto ante ſanguine, difficillimis temporibus & illo Principum à noſtro fœdere divortio, ad intermiſſa armorum & gloriæ deſideria, cum incremento virtutis proceſſiſſe.

Regina in gratiam an metum Hiſpani fœderatos ſuis littoribus interdicit.

Itaque onerariæ Anglorum naves Hiſpaniam verſus curſum facientes, à fœderatorum claſſe direptæ, honeſtâ apud indignantem reginam excuſatione, atterendis Hiſpani & ſociorum rebus id fieri, quod gentium jus omni temporum ætate permiſiſſet. Reidanus addit, Aurantium Principem offenſum Eliſabethæ animum, ſerijs litteris pupugiſſe monuiſſeque ne avaritiæ negotiantium patrocinando ſuorum vitam ac fortunas diſcrimini exponeret nexumque gentium ex verâ religione natum, proferendo vili commercio diſſolveret. Mox per Friſiam quoque terrâ marique bellum ferbuit, adeo intutis æſtuarijs ut vicinarum gentium commercia partium claſſibus præpedirentur. Quippe Doco Martna, vir militiæ impiger & juxta pacis artibus illuſtris, maris imperium adeptus, præſidiarijs navibus omne fretum tenebat, quod majores minoreſque Friſios tum inſulares nationes latiſſimis undis interluebat. Igitur expugnatâ Amaſo in flumine vectoriâ navi, quam in formam præſidiariæ redegerat, Lambertum Calvum virum fortem & promptæ audaciæ Auſtrino ſinui præfecit, quo Amſtelodamenſi-

Onerariæ Anglorum naves à Fœderatis direptæ.

Fœderatorum per mare res geſtæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXV.

Nimia militaris licentia in peiraticam verſa.

um cum Tranſlavicanis Embdaniſque commercia & ſimul commeatum regijs caſtris ſubverteret. Is vero omne obvium deprædatus tantum ſui nominis terrorem per omnem oram ſparſit, ut peiratas triremeſque regias Friſicis æſtuarijs ſubmoveret divexandiſque maritimis Geeſterlandis, Lemmarijs ac Cuneranis incumberet. Unde mapalia & villæ littori contiguæ vacuæ cultoribus, quos bonis exutos in alia terrarum fortuna turbidi temporis agebat. Amaſi vero fluminis oſtium Petrus Adrianus Bolſuerdienſis nomine fœderatorum tenebat. Qui licentiam ſuorum ægre ferens reique alienæ præterquam hoſtilis abſtinens, cum liberius inſolentiuſque prædandi genus detrectaret, à claſſiario milite confoſſus ac Amaſo flumini immerſus eſt. Fratrem quoque, quem diſciplinæ & fraternus amor eadem ad conſilia traxerant, idem exitus abſtulit. Cæterum Embdæ in ſicarios ſtatutum triſteq; licentioſi temporis flagitium juſto ſupplicio expiatum. Ita depurgandi maris tutandorumque portuum cura in peiraticam ſæpe vertebatur claſſiariuſque miles, nullâ ſacramenti religione aut reverentiâ imperantis, tribunorum cæde nefarias manus & ſimul imperia Præfectorum fœdabat.

Senatus regij per Friſiam Edictum, de vendendis proſcriptorum bonis.

Itaque fortunâ fœderis ſenſim mari increſcente, Senatus regius velut vires adverſarum partium compreſſurus, infœlicibus ultro exulum fatis graviorum caſum adjecit ſtatuitque Edicto; Ut bona proſcriptorum vænirent. Itaque tum exhauriendis civium nobiliumque familiarum patrimonijs novum & per Friſiam inauditum illâ ætate malum vendendis ſub haſtâ exulum proſcriptorumque bonis repertum eſt, delegato Baldevino Loo Theſaurario Regio, qui è præſcripto feralium tabularum auctiones bonorum exerceret. Cui actui cum Baſilicâ in regiâ dies ad XV. Kal. Jun. dictus eſſet, exules Friſij hanc proteſtationis formulam Leovardiam miſêre.

Exulum contra venditionem proteſtatio.

BOna noſtra FERDINANDUS ALBANUS *jam ante fiſco addixit, poſtquam nos patrijs ſedibus ejectos noſtra infælicitas & ſimul ſævities dominantium alio terrarum ſparſit. Quæ confiſcatio ut legibus noſtris repugnat, ita* PHILIPPI *regis ſacramento contraria eſt. Quippe è ſanguinario & triſti judicum collegio, quod idem* ALBANUS *inſtituerat, jam ante decreta, ut per ſpeciem judicij noſtra innocentia damnaretur. Evocati contra jus patrium, contra ritus majorum ad ſuſpectum tribunal, nec defenſione uſi fuimus, nec ut eam inſtitueremus lex fori ferebat, intuto commeatu quem arma ac vis obſepſerant. Quare ad patrios ritus, ad judicem lege nobis datum provocavimus, ut ſi reï cujuſdam criminis eſſemus, noſtræ leges nos damnarent, ſi inanis accuſatio eſſet, noſtra innocentia nos abſolveret. Hoc vero fore* AREMBERGIUS, *qui provinciam Philippi regis nomine tum regebat, fidem fecit addiditque, nec reminiſci* PHILIPPUM *anteactarum rerum velle, nec in corpora aut fortunas provincialium deſævire. Ita quippe Romani Imperij &* CAROLI *Cæſaris reſcriptis decretum erat, quorum communione aut beneficio nos Germaniæ gentem & Imperij ſociam privare noſtrum jus & immunitates non ferunt. Tamen* ALBANI *juſſu in noſtrum ſanguinem, in noſtra viſcera ſævitum, quæ damnationibus ſuperbi ac cruenti Ducis noſtra libertas exemerat. Nobis vero in exilium actis & peregrinum cælum tolerantibus bona*

ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ac res adimuntur, ne quid ſolatij aut ſubſidij noſtræ inopiæ & miſeriæ ex hæreditate majorum peregrinis in terris obveniret. Ita patimur coacti, quod nec divinæ nec humanæ leges probant & à quibus manifeſta omnis æqui diſſenſio eſt. Quare jus haſtæ & inſtitutæ auctiones, ut violentæ ſunt, ita damnoſæ nobis aut poſteris noſtris de jure eſſe nequeunt, niſi irruere in res ac fortunas licentia temporis ſinat ac gentium moribus omnia cedant occupantibus. Nec enim Regis hæc imperio aut voluntate fiunt, qui Hiſpaniâ ſuâ clauſus, noſtræ miſeriæ aut juris rationem, imo famam ignorat. REQUESENTII *vero ſolius hoc mandatum eſt, doloſâ circumventione & quidem inſcio rege quæſitum, cujus abſentiâ ſoli exulum durioribus imperijs reſervamur. Reliquarum provinciarum profugi nec ea patiuntur, nec ut ferant inſtituta pacis apud Bredanos actio id ſinit. Eâ quippe Rex indulſit, ut ſi extent ad dominos ſuos bona redeant. Tantum abeſt ut malæ fidei emptor aut poſſeſſor quid juris acquirat, præſertim cum pretia venalium rerum exinde naſcitura pravis uſibus & ſubvertendæ patriæ ceſſura ſint. Igitur noſtro & hæredum nomine cavemus, ne quid damni iſtiuſmodi auctiones noſtris bonis ac fortunis creent, quas quocunque etiam tempore repetere juſtâ vendicatione in animum induximus. Nobis denatis poſteri idem agent, ſi præcipiti mortalitatis lege his terris ſubtractos acerba fata in patriam non reducant. Quare nec retractuum jura apud nos poſteroſve valebunt, lege ac exceptione acturos malam fidem iſtis contractibus ſubfuiſſe. Monemus interim propinquos & concives, ne aſſenſum aut operam iſti rei locent, cuius iniquitas manifeſtam ſanctiſſimi numinis ultionem ſenſura ſit. Pravorum conſiliorum mali exitus erunt.*

CIƆ. IƆ. LXXV.

Hæc EXULES.

Robleſius indicto Ordinum conventu nova ſubſidia petit.

Tum novorum vectigalium lege, quam jam ante Robleſius Senatuſque regius rogaverant, exſolvendis militum ſtipendijs invalidâ, Gaſparus Robleſius ad Kal. Jul conventum Ordinum provinciæ indixit ſuſtentandiſque copijs firma & majora ſubſidia flagitavit. Incertos quippe Vectigalium reditus querebatur & haud dubiè fraudem novæ legi fieri, ad quam ſanciendam, non malus iniquuſque animus, ſed inopia ærarij regij & ultima illum neceſſitas compuliſſent. Ne ſcilicet miles æris egens per commiſſam ſibi provinciam ſtipendia è rapto faceret ſeditioſumque & diſciplinæ oblitum quodlibet in facinus anguſtia rerum præcipitaret. Nunc vero Bredanæ pacis irrita ſpe & recrudeſcente bello majoribus certioribuſque tributis opus eſſe neque aliud remedium quam ut ſtipendijs cohortium cæteriſque neceſſarijs populi tributum adæquetur. Itaque Ordines, quos direptionis metus & militaris inſolentiæ occupabat, in diverſa conſilia ivere, cenſentibus tandem pleriſque, abrogata Vectigalium lege haud dubiè in ſervitutem erupturâ, ſolis locupletum opibus bellum trahendum eſſe.

Bellum ditiorum familiarum opibus trahendum decernitur.

Unde cenſus familiarum per provinciam initus cautumque decreto ut in Kal Majas proxumas quovis lunari menſe octo millia æris ducentique & quadraginta Carolæi alendis copijs penderentur. Mox ſeptem ſeſtertiorum tributum ſingulis familijs impoſitum, cæterum hac conditione, ut ratio privatæ egeſtatis aut opulentiæ haberetur, Senatuſque Regius agendo cenſui ex æquitate præeſſet. Quare ditium cœnobiorum antiſtites ſingulis menſibus florenos aureos duos, nobiles

cIɔ. Iɔ. LXXV. vero cæterique, quibus aut ampla patrimonia aut modicæ opes erant, unum pendere juſsi ſupplendæ illorum inopiæ quos conferendi in publicum æris incapaces fortuna feciſſet. Quæſturæ quoque munus Heroni Burmaniæ viro nobili demandatum erogandæque ſingulis ſeptiduis pecuniæ poteſtas facta. Scriptor Staurius notat in bimeſtre tantum id ſubſidij cohortibus regijs petitum fuiſſe aut dum miſsionem exercitus primo tempore Philippus Rex decreviſſet. Diploma quoque regium, quo Gaſparo Robleſio Præfecturæ dignitatem Philippus confirmabat, idem in Baſilicâ regiâ recitatum tradit eundemque Robleſium tamdiu vicario regis per Friſiam imperio præfuiſſe, donec anno cIɔ. Iɔ. LXXVII. à Legionarijs ſuis cuſtodiæ apud Groninganos datus Bruxellas abduceretur. His obiter Buranas, & Veteraquinatium clades noſtri Scriptores adiecere.

Crudele judicium in innocentes factum.

Annotatum invenio circa hæc tempora quoſdam è majoribus Friſijs haud lato in utrumque littus trajectu in minorem Friſiam delatos ſuſpectoſque maleficij vinculis datos, mox proditionis & incendij damnatos, innocentem animam & ſceleris puram execrandæ immanorum judicum ſeveritati libaſſe. Quare in ipsâ morte voces inſontium auditas eoſdemque laceris ac ſemiuſtis corporibus exeuntes ſpiritus, haud dubiâ æterni ſpe, Deo liberatori propitiaſſe. In ijs Petrus Joannis Coudumanus, Rombertus Simonius, Nicolaus Roeleſius Doccomienſes, & Isbrandus Joannis Echtenius fuere. Mox Geeſterlandia, de conſilio Sonnoi minoris Friſiæ Præfecti à centum & quinquaginta fœderatis pervagata, quos Enchuſæ præſidium agentes & in actuaria navigia impoſitos aſcendere Geeſterlandicum littus præceperat. Qui in interiora, mox Balckium Geeſterlandiæ vicum pergentes, dum prædæ quam opulentia loci dabat intenti agunt, à præſidio regio quod Lemmariâ exierat, circumventi ſunt. Quare ut prædæ & ſimul vitæ conſulerent, ferro aperiendam viam rati cum regijs congreſsi ſunt, quos numero ſuperiores & in terrâ ſua pugnantes præcipitem in fugam egere. Duodecim Valones illo conflictu cæſi. Plurimi fœdis vulneribus quæ tergo fugientes exceperant ſaucij occultis locorum ſe clauſere. Regnerus Idzius, cum præturæ Geeſterlandicæ actuario in minores Friſios abductus.

Fæderati prædam agunt ex Geeſterlandiâ. A regijs militibus circumveniuntur. Sed ferro viam ſibi faciunt cæſis regijs.

Robleſius Texaliâ pulſus Flevolandiam occupat.

Quamobrem Robleſius celocium claſſem repente inſtructam æſtuarijs immiſit provectuſque Texaliam, quam Gualtherus Hegemannus cum copijs & imperio tenebat, in altum regredi coactus eſt. Iam enim munitiones validas inſulæ præduxerat extimamque oram diſpoſitis excubijs tutabatur. Ideo Robleſius Flevolandiam verſus curſum rexit expoſitoque in terram milite qua lariſſimum Flevi oſtium ſpectat inſulæ potitus eſt. Quippe in arenoſa ac edita pavidi incolæ ſe receperant, quæ magno mari objacentia ut ſecuritatem genti adverſum maris æſtus & tempeſtates ita ſuffugium tum periculis dabant. Nonnullos tardius fugientes, quos aut domeſticarum rerum cura aut ætas morabatur ferrum hauſit. Tum faces villis ac tugurijs ſubditæ, horribilique incendio 450. domus conflagravere. Præda claſſi impoſita, non inhibentibus fœderatorum præſidiarijs navibus, quæ ſtationem vicino in alveo præterlabentis Flevi tuendis inſularibus tenebant. Poſt Robleſius, retroactâ

Victorum ibi ſævitia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

actâ ad Wiringiam claſſe, cui inſulæ idem diſcrimen parabatur, nullo CIↃ. IↃ. LXXV.
ibidem rerum ſucceſſu in Friſios ſe recepit ſenſimque intumeſcentibus æſtuariis & ſæviente hyberno ſydere claſſem in portus ſubduxit. Ita velut reciproco fortunæ æſtu res fluebant ſubvertendiſque per Friſiam fœderatis nova conſilia fabricabantur.

Exulum Fœderatorum ad Aurantium Legatio.

Quare per exules, qui Embdæ in Tranſamaſanis ſubſiſtebant, Aurantium ad Principem legatio decreta delectuſque obeundæ legationi, Carolus Roorda, vir eximius, qui de arcanis doloſiſve Robleſij artibus & ſimul patriæ ſtatu Principem doceret. Is vero Rotterodami ad Moſæ flumen tum agebat variiſque fortunæ caſibus principem animum ſubſternens pacis bellique conſilia moderabatur. Quo loci poſtquam legatus Roorda vergente Septembri advenit, ſalutato pro more AURANTIO, fiduciarias litteras exhibuit. Iis perſcriptum erat;

Novam ſtabilendi per Friſiam imperij rationem ROBLESIUM *iniiſſe. Sic Vectigalium lege primum rogatâ, octo in quemque menſem caroleorum millia militaribus ſtipendiis aſſignata, non alio conſilio quam ut tabeſcens per Friſiam bellum velut enerve, certo ordine & firmâ ærarij lege traheretur. Adhæc exulum bona fiſco applicari & habendis bonorum auctionibus dies dictos, ut perſcriptam diu tabulis ſævitiem aucti furoris documenta oſtenderent. Nec in exules tantum maritos, cæterum in conjuges profugorum deſæviri, quas aut ingraveſcens ætas aut imbecillitas ſexus, aut patientia durioris imperij huc uſque exilio exemiſſet. Scilicet earum quoque bonis inhiare Præfectum, nihil aliud agentem, quam ut exactionem exactione cumulet attenuatiſque populi opibus pro arbitrio imperet. Sic aut ordinarijs tributis nova adjici aut peti aliunde. Quippe famâ ferri Requeſentium, ſuo an provinciarum Belgicarum ære conſilia Robleſij fulcire tantamque rerum molem alienis nervis duci. Ita Robleſium modo claſſem adornare, modo reficere minoribuſque Friſiis continuos per exploratores incumbere, ut eorum ope eandem in provinciam irruat, regiæ dominationi fato ſuo & laudatis armis ſubductam. Quamobrem neceſſum eſſe agitantem ſe per confinia Robleſium ſuâ in provinciâ bello petere, quo tranſmarinæ expeditiones per inteſtina & domeſtica arma ceſſent. Nec arduum id conſilium aut grave molientibus fore, ſi loca quæ aut mare aut flumina præcingunt, fœderati occupent, auxilijs Sonnoï è minori Friſiâ adjuti. Poſſeinterim Sonnoio, dum navatæ operæ ſumptus recipiat, maioris Friſiæ Præfecturam deferri ac tamdiu unus imperio utrunque populum regi, quamdiu in tuto res provincialium fortuna locaverit. Compoſitâ ordinatâque provinciâ majoribus Friſijs ærarium & neceſſaria bello non defore. Loca vero ſitu munita & facilia occupatu eſſe, ſed quorum rationem in ſecreto Aurantij legatus redditurus eſſet. Sic Robleſii exactionibus, ſic malis conſilijs occurri & minoribus Friſiis pacem ac commercia reddi poſſe. Quippe confluxuram haud dubiè multitudinem conſilia bello aut arma ferentem, quorum terrâ marique ex loci commoditate magnus uſus eſſe queat. Cætera Legati prudentiæ & fidei committere, daturi operam ut ſecretorum ſuorum conſcium* AURANTIUM *aut participem* SONNOIUM *faciat.*

Hæc IV. Non. Aug. ſignata.

Traditum actis eſt prolixis ſermonibus uſum legatum non parva iſtius conſilii deſideria Aurantio Principi inſtillaſſe.

Auran-

cIↄ. cI. LXXV. AURANTIUS vero, etſi ſublevandis Friſiorum rebus ſolertem animum præferret, ita ſparſa diſtributaque per omnem provinciam arma querebatur.

Aurantij ad Exules Fœderatos reſcriptum.

Itaque & ſex peditum cohortes in auxilia è minoribus Friſiis accitas, quos præſtandis ulterioribus auxiliis imbecilles metus hoſtium & ingruentis brumæ periculum faceret. Quod ad ſubſidia æris attineret, magna impendia inſtruendis claſſibus & præſidiarijs navibus eoſdem Friſios conferre, quarum tres ſolvendæ Zirizæorum obſidioni & ſubvectando obſeſſis commeatui ſuo ære adornarent. Quamobrem hoc ipſo tempore nec militem nec pecuniam concedere ſocijs poſſet. Se interim mandare SONNOIO *ut cum legato cæteriſve ad quos hæc pertineant, conſilia communicet agatque quod è rep. ſit.*

Hoc in acta relatum ac Rotterodami manu Aurantij perſcriptum.

Tum ut curæ ſibi eſſe res Trans-Rhenanas ac Friſiorum teſtaretur Aurantius, Bartholdum Entenium Menthedanum virum nobilem & manu ſtrennuum, gerendis in Friſiâ fœderatorum rebus cogendiſque ocyus copijs præfecit. Hoc modo Legatus à Principe dimiſſus, ac in minores Friſios regreſſus Sonnoio Præfecto legationis ſuæ ſecretum & mentem Principis expoſuit. Cæterum Sonnoius, alio ab Aurantij reſponſo, debiles copias & expoſitam incurſionibus provinciam ſuam præfervidis Legati ſtudijs regerebat. Sic Hyergium nuper, ſic Robleſium præfecturæ ſuæ fines ingreſſos. Itaque perpetua arma aut continuos metus ſibi incumbere, tanto graviores futuros, ſi foſſæ, lacus, æſtuaria glacie ſternantur, quam ingruens bruma & in proximo occaſurum Vergiliarum ſydus promittant. Interim opportuno tempore auxilia miſſurum daturumque operam ut reſcripto Aurantij & ſecretis conſilijs innixæ ſocietati ſatisfiat.

Mox decretum in comitio quod prid. Kal. Iul. indictum erat, ut è familiarum cenſu PHILIPPI per Friſiam præſidia alerentur ſingulisq; octo & viginti diebus octena aureorum millia & ducenti continuatione tributi corrogarentur. Hac tamen conditione ut modus colligendi æris, prout cuique commodum foret, præſcriberetur, & ut indictiones à Kal. Sept. proximis ceſſarent. Ita Edzardus Douma, Haringus Oenema, Annas Tarquinius & Auco Edonius pro Ooſtergois ac Sylveſtribus ſignavere. Eadem fere à Weſtergois decreta, ſub hac tamen cautione, ut licentiam militarem vis atque autoritas Præfecti centurionumq; coërceret damnumq; vlterius numeratis militi ſtipendijs averteretur. Quæ etſi oppidanis probarentur, tamen volebant, ut ipſi ex indictionum tributo, ſtipendia & ſervitia, ut vocant, præſidijs civitatum præſtita reciperent eoq; facto tollendis indictionibus delegarentur. Quæ partium conſenſu interveniente regis nomine Emskerckius, pro Ordinibus Hector Dekama, Hero Ockingha, Suffridus Æſgema, Scelto Liauckama, Douwo Roorda, Ruardus Vibius ſignavere. Non aliâ ſolemnitate quam ſi æternæ conventionis ſpeciem iſta pactio præberet videreturque rex Philippus pacem atque ſecuritatem genti, gens Friſica regio militi ſtipendia amovendis à provinciâ hoſtibus ſpopondiſſe. Itaq; tria aureorum millia Robleſio dono data, quod cum animi quadam moderatione & regij imperij temperamento provinciam rexiſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

xiſſet. Quare petebant Friſij ut bene geſti muneris & laudati regiminis veſtigijs inſiſteret, mediamque regundi viam ingreſſus regi & ſimul populo egregia in poſterum officia continuaret. Hæc ab Edzardo Douma, Haringio Oenema, Eraſmo Douma, Ruardo Roorda, Meinio Lycleſio Nyholtpadio & Heſſelo Hania. IV. Non. Iul. ſignata. Tum Edzardo Douma provinciæ nomine Bruxellas miſſo in mandatis datum. CIↃ. IↃ. LXXV.

Edzardi Douma Bruxellas miſſi poſtulata.

I. Ut Præſidi Senatuiq; regio fiſcales actiones ab anno LXVI. natas judicandi poteſtatem impetraret.

II. Ut pleniorem veniæ interpretationem peteret, ac ut ante publicationem edicti parentibus exilium paſſis aut morte ſublatis, eorum liberi ac hæredes eodem beneficio fruerentur.

III. Ut Senatoris regij Edzardi Sickingha qui cuſtodiâ attinebatur, liberationem ſollicitaret ac ut vir de rege ac provinciâ optime meritus inviſi carceris incommodo ſolveretur. Quare Requeſentius litteris IV. Non. Sept. Antverpiâ datis Joanni Carolo fiſci regij advocato mandavit, ut libellum ab Edzardo Douma ſecretiori Senatui oblatum examinaret fiſcaliumque actionum indicem Bruxellas remitteret. Hoc vero obtinuiſſe Legatum reperio, ut civiles in fiſcalia bona actiones judicio Curiæ ſubeſſent, eâq; de re relationem in comitio Ordinum Friſiæ inſtitutam nobilitati, Epiſcopo, Præſidi Clarecampio, tum Præſidi Senatuique regio placuiſſe. Requeſentium quoque captandis Friſiorum favoribus tum intentum magnam æris ex hac provinciæ ſummam collegiſſe, quo inritâ pace armorum vi Philippi fortunam exploraret.

Requeſentij ad ipſius petitiones acta.

Sic acriore bello, quod totis viribus à Bredano conventu Requeſentius gerebat, anguſtæ Aurantio res erant ſociæque & trans Rhenum ſitæ gentes etſi cupidine fœderis ardeſcerent, neceſſarijs auxilijs fruſtrabantur.

Aurantius & Ordines militaria ſubſidia per Europam poſcunt.

Quamobrem Aurantius, ſpectatâ belli incumbentis mole, ad alia conſiliorum converſus, de ſollicitandis per Europam principum ſocietatibus conſultavit animumque tot curis infractum & in ardua aſperaque ſævientis fortunæ adſurgentem, ſollicitudine quærendæ foris potentiæ exercuit. Quod conſilium, etſi ultima rerum neceſſitas commendaret, quæ hac tempeſtate, velut deliquio ſyderum, imperium Regi ac libertatem populi librabat, ita perrogatis procerum ſuffragijs decretum. Ut externæ ſocietates, ſalvo Regis & provinciarum jure, habendis tantum in bello ſubſidijs peterentur. Itaque nec regij nominis memoriam aboleri, nec inverti ſacramenta provincialium volebant, aut ut exteri Principes prætextu protegendæ libertatis exercitum, aut copias in fines inducerent. Sic conſtitutis rebus in Germaniam, Gallias, aut Augliam omnium ſpes convertebantur, Erant qui antiquæ originis, & nuperæ ſocietatis memoriâ, quâ Carolus Cæſar utramque nationem colligaſſet, Germaniæ fiderent adeundumque legatione Cæſarem & Imperij Principes non invalidis rationibus contenderent.

Deliberatum variè quinam potiſſimum in armorum ſocietatem pertrahendi.

Quippe recordabantur arma in Imperio pro Religione & libertate haud pridem acriter mota, ne Hiſpaniæ dominationem & ſervitutem conſcientijs acciperet. Manere adhuc ſenſum iſtius vulneris & fore haud dubiè generoſa Imperij pectora, quæ novos furores ex antiquâ ambitione naſci & quidem apud eas gentes indignentur, quas veterum

De Germaniâ.

CIↃ. IↃ. LXXV. coloniarum & fœderum jura tum affinitates & clientelæ Germaniæ commendent. Suſpectam ſemper etiam Caroli Cæſaris inauguratione, Romano Imperio Hiſpaniæ potentiam fuiſſe, & metuere Germaniam poſſe ne poſt Belgicam ſerviat. Cæteri differebant varietatem religionum, æmulationes Principum, tum præcipuè Cæſaris & Hiſpani affinitatem novis ſocietatibus obfuturam. Adhæc non agi cum Germaniâ præterquam Comitijs Imperij poſſe, quibus habendis finiendiſque ne certum quidem tempus decerni queat.

De Galliâ Gallicam vero ſocietatem inquietudo regni & funeſtæ diſſenſiones diſſuadebant. Erant quoque qui crederent Henricum III. Caroli IX. fratris (quem in medio flore ætatis mors abſtulerat) ſucceſſorem, novæ & vacillanti potentiæ diffiſum, alienum bellum ſuum non facturum infirmaſq; regni vires, etiam ſuâ diſcordiâ fatiſcentis, Hiſpanico & ſimul civili bello non implicaturum. Alij addebant, vetera Gallorum in Burgundiones odia pactionibus fœderum nocitura, nec committendas Gallicæ fidei provincias, quas cum Inſubriâ aut Neapolitano regno permutare fluxa aulæ fides queat. Neque enim ponendam eſſe in lubrico provinciarum incolumitatem, nec quærenda auxilia imbecillibus ſuſpecta & exitu dubia. Cæterum ſecretis fœderatorum in Galliam legationibus diffidentia minuebatur & quod Charlotta Borbonia regij Franciſcique ſanguinis fœmina in Aurantij Principis domum pactione matrimonij tranſiſſet.

De Anglia. Itaque dubijs procerum animis ſola Anglia ſe ingerebat, quam à Mariæ ſororis morte, ut ante memoravi, Eliſabetha Henrici VIII. filia moderabatur. Quæ Princeps fœmina multis moleſtijs & diuturnâ captivitate ad regnum evecta, magnam ſpem fœderatæ ſocietati profeſſione reformati cultus faciebat. Neque deerant qui Belgico ſanguine ac in Philippâ Bavarâ Eduardi III. conjuge Hollandicæ domus propagine ortam, daturam aliquid pervetuſtæ propinquitati crederent rerumq; peritiâ legem ſui ſexus egreſſam, nec alienæ facundiæ aut prudentiæ egentem libertati afflictarum vicinarumque gentium patrocinaturam. Eſſe ei magna ſocietati Belgicæ commoda, amplos portus & ſtationes errantibus, tum validas promovendis provinciarum commercijs claſſes, quarum ope circumfluo mari imperitet. Itaque fœderatos, procuratâ Anglicâ ſocietate, commeatus, commercia, militem habituros, fœcundo populi regno & per lene imperitantis fœminæ ingenium longâ pace opulento. Sed Legatio in exitum anni protracta arctiuſque fœdus fœderatos inter & Aurantium Principem tum ictum, ut concordiæ robur, ita ordinem bello, leges reip. dedit.

Gulielmus Cambdenus in Annalibus Eliſabethæ ſcribit, Aurantio Principi Gallicam tum maxumè ſocietatem placuiſſe eumque pacti ſecretioris, cum Carolo IX. & Gaſparo Colinio Galliæ Admiralio nuper initi obſervantem, Eliſabethæ ſocietatem velut in arduo poſitam, tacitè & quaſi ex indignatione per negata auxilia reſpuiſſe. Itaque Legatum ab Eliſabethâ ad Aurantium, quo Gallicum fœdus diſſuaderet, miſſum illoque rejecto, alium in Hiſpaniam ad Philippum amandaſſe. Eum diſſeruiſſe.

Intereſſe utriuſque Hiſpaniæ & ſimul Angliæ regni, ne fœderati Bel-

gæ Gallicam ad ſocietatem aſpirent & ne illius interventu à nexu regis ſui mota gens ſeparetur. Ineundam potius Philippo pacem eſſe, quam videre ſubditos ſuos alienis dominis fidem & ſimul firmamenta potentiæ paciſcentes. Itaque Philippum regem ſerium ſanciendæ Pacis conſilium legato approbaſſe Robertumque Corbettum ad Requeſentium Proregem miſiſſe, qui ſalubre pacis cum fœderatis & Aurantio negotium expediret. Cæterum à Joanne Villerio Eccleſiaſte homine Gallo ac Anglicæ ſocietati infenſo, perſuaſum Principem etiam rationem reginæ conſilij neglexiſſe animumque à cupidine Gallici fœderis difficulter revocaſſe. Quo arcanis de cauſis & ut mihi videtur, fovendis Galliæ Angliæque æmulationibus prolato, delegati in Angliam, qui Eliſabethæ reginæ tanquam Principi Hollandici ſanguinis, jus aut protectionem fœderatarum provinciarum deferrent ſtatuique lubrico & per bellum exhauſto patrocinium ac ſubſidia orarent. Cæterum multa prudenti & ſupra ſexum reginæ expendebantur quamque arduum & difficile futurum eſſet regnum, ultro caſui & mutationibus obnoxium, externis turbis implicare. Eſſe Philippum utut aulæ artibus ſimulet & induciæ obvelent, occultè & clam inimicum Angliæque regno ex ſuo in Romanam Sedem ſervitio infenſum. Adhæc Gallum æmulum & haud dubiè ex prolatis & veluti ſpretis Alençonij amoribus iniquum & quod matrimonium unà cum regno Gallici regijque ſanguinis Principi muliebri facilitate non approbaverit. Eſſe etiam qui credant Proteſtantium in Galliâ bellum Anglicis nervis ac conſilijs foveri nuperque Mongomerium ſublevandis Rupellanis claſſe inſtructum, ſuo an Proteſtantium ſacramento egiſſe. Suſpicioſa eſſe mortalium & præſertim regum ingenia, quibus nulla res minus ad cuſtodiam regni neceſſaria videatur, quam externa ſocietas diverſis moribus imbuta. Quod ad Bavariæ Principum ac majorum jus attineret, id obſcurum & longè repetendum eſſe nec confundendas Principum ſucceſſiones & clientelas, ne quid talium in incerto ſit & ne indiſtinctis dominationibus confuſio gentium fiat. Dubitari poſſe, an transferri rerum dominia ſine conſenſu ſuperiorum queant & intereſſe haud dubiè Cæſaris jus feudi non convelli. Præterea hæſitare ſe electione an ſucceſſione principatus per provincias ſtet & num Philippi majoribus populum Belgicum muta hæreditas an ſuffragatio & conſenſus Ordinum obliget. Denique bellum ærario grave, ſuſpectum ſocijs futurum. Itaque gratijs ex ſplendidâ honeſtiſſimâque legatione actis reſpondit Eliſabetha: Facturam ſe bonæ Principis officium, cui curæ eſſe debeat ne fides extra gloriam ſit & ne conſcientiam rectè factorum unicam in illo & quidem lubrico rerum faſtigio ſuarum actionum moderatricem, inclinante in partes ingenio inquinet. Quare provinciarum regimen & cum eo onus imperio connexum, ſuſcipere è re ſuâ non eſſe, daturam interim operam, ut opportunâ apud Philippum interceſſione pacem procuret provincijs & juxta vicinis regnis ſalutarem.

cIↃ. IↃ. LXXV.

Philippi conſilium.

Legati in Angliam miſſi.

Eliſabethæ reſponſum.

Thuanus exiſtimat Eliſabetham per legatum Fredericum Perenottum Cardinalis Granvellani fratrem, à Requeſentio in Angliam miſſum ac in aulâ ſubſiſtentem, territam aliquid illius præſentiæ tum dediſſe, quod legationi fœderatæ iniquior ampliſſimas & ex uſu regni poſt ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

clↄ. Iↄ. LXXV. petitas conditiones coactâ ſimulatione renuiſſet. Addit Thuanus monitum tamen ab Eliſabetha Perenottum, ut ad reddendam provincijs maturè pacem Regem & Requeſentium hortaretur, ne aut deſperatione ſui inſtar morientium ferarum laceſſita gens efferaretur & ne ipſa ſecuritati ſuæ prona regni ſui viribus ruentem Belgicam fulciat. Se quidem ſcripto olim Angliam inter ac Burgundiam fœderi violando occaſionem non daturam, modo Philippus caveat ut Burgundiæ principatum majorum imperio adaptet & ne externarum gentium majore in provincias confluxu pax & quies vicini populi tollatur. Sunt qui credant auxiliorum ſpem ab Eliſabethâ fœderatorum Legatis clam factam fuiſſe fundamentumque Anglicæ & poſt initæ ſocietati illâ legatione ſubſtratum. Unde Henrico Galliæ Regi & Reginæ præcipue matri æmulatio nata, commendato poſtmodum per legatum Principi Aurantio filio Alençonio, quo ambitioſum illius animum & velut regno ac fratri gravem à civilium bellorum quæ tum per Galliam flagrabant conſilio ad externa & minus domeſticis nocitura amoverent. Thuanus notat reginam matrem à Claudio Mondulceto, Henrici Regis tallium ut credebatur conſcij per Belgicam Legato, jam antè tentatam inclinantemque & ineundæ cum fœderatis conventioni pronam, ſpecioſa auxilia obtuliſſe.

Edictorum publicatio. Reperio in libris Edictorum ſanxiſſe Philippum regem, ut annus à Kal. Jan. initium ſumeret ſignandiſque tabulis publicis, non mobilium feſtorum, cæterùm menſium dierumque ratio per Friſiam haberetur. Mandaſſe quoque ut idem Edictum, velut certitudinem temporum poſterùm daturum, regijs typis ederetur rerumque judicatarum codicillorum obligationumque actis utiliſſimæ legis ſanctio atque memoria inſereretur.

Mox Robleſius quo civitatum oppidorumque quæ præſidijs Philippi ſtipendia aſſignaverant, ſolutionibus proſpiceret, Delegatos Ordinum convocari facit expoſitaſq; à ſe pecunias præſtari imperavit. Quæ res cum in poteſtate illorum non foret tributum aut ſubſidium agrarijs ſine ſolenni comitiorum decreto præſcribere, Robleſius Ordinum conventum ad VIII. Novemb. Leovardiæ haberi juſſit vocatiſque in Baſilicam Ordinibus Achlenium Præſidem perorare hunc in modum voluit. *Conventus Ordinum Leovardiæ.*

Stipendia militi regio, quem Robleſius *per civitates atq; oppida diſtribuit, à Magiſtratibus urbicis penſitata noſtis, ſed hac cautione ut eos indemnes præſtaremus ipſique pecunias bonâ fide cohortibus collocatas ex ærario reciperent. Et quia Præfecto, quod debetur, perſolutum non eſt, paratus eſt hac æris inopia triremem Harlingæ in anchoris ſtantem in ſolutum accipere, poſtquam res veſtræ impulſæ difficillime juvantur. Vt hoc faciatis ſecedere in ſecretum veſtrum & deliberare ſinam.*

Quo facto Ordinum mandatarij in ædem Jacobæorum regreſſi expenſiſque quæ oportebat Robleſio triremem permiſere. Cujus facti cum hominem ſuo ingenio an ex conditione temporum fidei dubium pœniteret, mandante Eemskerckio Graphiario pecuniam ſibi dari petijt Ordineſqne dum decreviſſent, manere in loco comitij juſſit. Oppidanorum quoque Legatos quo agrarijs pecuniam extorqueret, in conventu

agrario-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

agrariorum verba ut facerent mandavit, præſtandæque ſolutioni cum dies diceretur præſentem determinavit. Cui fini tribunorum ærarij excutiendum æs mandavit ac ut illi redditis accepti expenſiq; rationibus, reſiduum æris in provinciæ uſus & redimendis obligationibus erogarent. Quare & Valerio Cammingha, Heroni Burmania, Livio Beiemo, Ruardo Roorda, Edzardo & Eraſmo Douma, Gysberto Aernſma, tanquam rationum publicarum magiſtris dignitas continuata, quo rationes obſcuræ, ſicuti in adminiſtratione pecuniæ publicæ ſæpe fieri aſſolet, illorum autoritate in apertum producerentur. Cæterum agrarij multa Regi & provinciæ ſubſidia collocata regerebant debereque oppidanos in communi provincialium ſorte ſua quoque onera redimendis impendijs ſuſtinere. Quippe eos decem tantum aureorum millia liberandis apud Regem nominibus ex centum & viginti octo millibus contuliſſe obligatis econtra ad graviora agrarijs qui provinciam ſemper præ cæteris juviſſent. Itaque agrarij dilationem petebant, revocatoque ſolutionis decreto dubij & rerum ancipites contumaciam induerunt ipſique Robleſio etſi ſuccenſenti ſolutionis loco triremem aſſignavere. Ita ſurſum ac deorſum res per Friſiam fluebant, donec, ut omnia malorum, ſecreta odia & æmulationes ſequentia temporum aperirent.

cIↃ. IↃ. LXXV.

Annæ Oldenburgicæ mors.

ANNO cIↃ. IↃ. LXXVI.

Tempeſtas atrox.

Anna Oldenburgica, quæ Ennoni diu ſuperſtes vixerat, Edzardi mater, fato tum functa. Conſtat exules Friſios ut eâ in humanis agente multum ſolatij, ita terris ereptâ plurimum mœroris hauſiſſe ſumptiſque lugubribus comitatos funus deſideria defunctæ interno luctu, & ſupremis officijs velaſſe. Mox, x. Kal. Febr. Auſtro flante gravis tempeſtas cœlo miſſa edita quæque & cœli ventorumque inclementijs expoſita convulſit. Itaque arborum terris erutæ radices molæque terendo per Friſiam frumento ſtructæ, paſſim Leovardiæ & apud Dongrios violentiâ Auſtri disjectæ. Scribit in Notis ſuis M. Heymannus D. Viti fanum, quod longior ætas ut omnia mortalium jam attriverat, magna ſui parte tum corruiſſe. Solum mare terminis ſuis etiam atrociſſimâ procellâ coërcitum manſit, ſive quod ſilente Lunâ minore æſtu intumeſceret, ſive quod fluminum oſtia in Corum quo maxume infeſtantur aut Cæciam ſe protendentia, Auſtri flatu plana littorum repulſo in interiora Oceano denudent. Annotatum invenio cujuſdam Senatoris morte ſecretis ſtudijs de ſucceſſore certatum hoc tempore fuiſſe Carolumque Nicolaïum Everardi Cæſarei per Friſiam nuper Præſidis filium, commendatione Antonij Lopeſij Lavalij & per eum Robleſij Præfecti uſum apud Ludovicum Requeſentium & Hyeronimum Rodam de obtinendo munere egiſſe. Eundem quoque Carolum cenſentibus dignitatem illam Nobili Friſio deberi, vehementer obſtitiſſe avoque & patre Præſide gloriatum, ſuæ nobilitatis & ex claritudine litterarum evectæ ad ſummum honoris faſtigium familiæ, non obſcuram opinionem prætuliſſe. Igitur Carolus Nicolaus procurante vel maxume Hyeronimo Roda viro immodicæ autoritatis (quem, ignobili apud Hiſpanos familiâ ortum, gravem Belgicæ adminiſtrandis rebus Philippus rex Bruxellas amandaverat) in Senatum cooptatus, validiore exterorum potentiâ, æmulæ Nobilitatis invidiem evicit obitaſque diu etiam ſub Carolo Cæſare majoribus dignitates illuſtri in ſe-

Senatoria dignitas ambitur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXVI. ipſo familiæ aſſeruit. Quo tempore Senatus per Friſiam Regius ſanxit, ut erogati per privatos in militem æris rationes ſupputarentur tabulæque ad Georgium Weſtendorpium Senatorem Regium maturandis ſolutionibus perferrentur. Creditum fuit, leniendis continuarum exactionum moleſtijs, vano oſtentui & in ſpeciem id factum, quo lento & facili tributo privatas opes, publica dominantium avarities aut egeſtas emungeret.

i Rationes ... nitæ.

Requeſentij edictum in Fœderatos.

Mox Requeſentius omni freto ac ſinu maris defectione nautici populi fœderatis claſſibus pervio edixit: Ne Friſij extra provinciam ſine reſcripto Præfecti aut Senatus, ſtipendia mari apud fœderatos facerent. Cavit quoque ut foris (etiam in ditionibus regijs) æs merentes, quocunque modo capti aut vinculis dati, primum fuſtigatione & confiſcatione bonorum, poſt cuſtodiæ redditi in triennium ad triremes damnarentur. Cæteros vero non captos aut vinculis elapſos, velut exleges perpetuum exilium maneret. Cæterum eludente ſevera Edicta temporum fato, quæ firmandis militum ſacramentis & corrigendæ militari inſolentiæ reperta credebantur, incremento ſæpè malorum ceſſere deprehenſumque fuit plus ex inopiâ æris licentiam quam ex reverentiâ regis præſcriptos mores valuiſſe. Quâ ex re ægritudinem animi & mox infirmitatem virium traxiſſe Requeſentius creditus fuit, aucto inſuper ex indignatione malo, quod convocato Ordinum reſtituendis collapſis rebus Bruxellis Concilio, pro gratiâ contumax odium & reparandæ libertatis acerrimas ſollicitudines ex petitis tributis repperiſſet. Quippe Ordines, ut Anno cIↄ. Iↄ. LXXIV. inter cætera regij imperia levamenta, etiam hoc volebant, ut tributa certis legitimiſque uſibus deſtinarentur reſtitutoque patrio jure & belli diſciplinâ, ſeditioſæ legiones ex præſcripto veteris diſciplinæ corrigerentur. Quorum omnium ut nihil in poteſtate Requeſentij erat robuſtiore malo quam ut medicinam admitteret, ita aſpirantem ad magna animum eroſit, quod leniorem regnandi ab Albano modum profeſſus, ne oſtentando quidem optuma ducendis Ordinum ingenijs par haberetur. Itaque ulciſcendæ contumaciæ Ordinum & ut rebatur, injuriæ avidus præcipuo libertatis defenſori id repoſuit, ut veneno ſuſtuliſſe crederetur cæteriſq; quos convocaverat Ordinum, ex metu ſilentium & ſimul exemplum crudi ſervitij imponeret. Quare impulſo ærario miſſis in Hiſpaniam litteris, naves, arma, commeatum popoſcit, quo fœderatos externa patrocinia & ſuffugia ubivis terrarum anguſtis rebus quærentes, ac quod metuebat adeptos, confertâ belli mole obrueret. Judicabat quippe ſpiramenta temporum partibus profutura & opprimendam potentiam lento gradu & per intervalla creſcentem. Adhæc bellum in continente proſperè non geri præterquam ſubacto mari poſſe. Sic præpediendos tranſcurſus hoſtium, ſic intercipienda auxilia eſſe. Neque alio fine Ziriʒæam urbem circumveniſſe, quam ut eâ hybernis, velut in invidiem naturæ clauſâ, vicino & mox Germanico mari dominaretur.

Requeſentij ægritudo

Requeſentius litteras in Hiſpaniam mittit.

Hæc ad PHILIPPUM.

Requeſentius de occupandâ Embdâ cogitat.

Itaque magnorum votorum plenam mentem ferens occupandæ Embdæ conſilium cepit, factâ Gaſparo Robleſio Friſiæ majoris Præfecto poteſtate, qui dolo aut vi commiſſum negotium exequeretur. Reputabat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

tabat quippe multum intereſſe, urbem in finibus Imperij ſitam, commodo portu & latiſsimis oſtijs Amaſum flumen in mare laxantem Philippo aſſeri, à quâ victoriâ maris imperium inchoaturus ſit. Ibi ſuffugium claſsibus, ibi ſtationem fore. Quare Robleſius magnus doli artifex præſidiarios arcis ære aut donis clam aggreſſus eſt corruptoſq; ut creditum fuit, aut ſuis in Philippum Regem ſtudijs pellectos in partem conſilij traxit. Cæterum à Joanne fratre Edzardi, tum à populo Embdano fœderis Belgici amante detectum, malis Robleſij artibus ludicros rerum exitus rependit. Ita lacertos per omnia inferioris Germaniæ ſpatia moventem Requeſentium fatale magnis conſilijs impedimentum cita mors occupavit. Quippe Bruxellis acuto & peſtilenti morbo correptus, inritâ medicantium curâ non deſignato ſucceſſore exſpiravit.

cIↄ. Iↄ. LXXVI.

Requeſentius moritur.

Scribunt autores eunti in Belgicam Requeſentio id poteſtatis à Philippo datum, cæterum præcipitis mali importunitate, compedito vocis officio & alienatâ mente Philippi mandatum & ultimæ voluntatis arcanum non expleviſſe. Unde regias provincias domeſticus mœror publicuſque ſimul luctus frequentavit, cum eſſent qui crederent Requeſentium longioribus vitæ ſpatijs ſervatum compreſſo fœdere & debellatis partibus præconceptam Philippo imperij imaginem daturum fuiſſe. Quod omnino abſimile à vero illis temporibus non fuit, cum in annales relatum ſit, poſt dimiſſos ex Angliâ Legatos nudam auxiliorum pollicitationem ferentes, fœderatis gerendo ferè bello invalidis, Principem Aurantium & prudentiores de committendâ claſſibus gente transferendiſque more majorum alium in orbem colonijs cogitaſſe. Dein uxoribus liberiſque in claſſem impoſitis ſubmergendæ patriæ conſilium cæpiſſe, quo perforatis aggeribus diductiſque ac laxatis aquarum catarractis luſtrum furoris ulteriorique ſævitiæ materies immaniſsimis hoſtibus adimeretur. Quorum potentiam fatalibus decretis & cœleſtium rerum lege compreſſam fuiſſe mihi haud dubium eſt, Requeſentiumque, quo feſſæ res interregno reſpirarent, non deſtinato moderatore & arbitro repentinâ morte ſublatum. Itaq; rex Philippus, auditâ ex litteris Concilij ſtatus, Requeſentij morte perculſus, publicam fatorum inclementiam privato vulnere non diſsimulabat. Unde per Philippi aulam, obturbato rege, mœſtum ſilentium notabatur, quod in omnem Hiſpaniam cum famâ Requeſentij mortis proſerpens acerbitatem funeris indicavit. Quippe innuebant Ducem Philippo regi fidum, nec gerendis rebus imperitum in ipſo potentiæ faſtigio ac curſu rerum extingui, præconceptamque opprimendarum partium ſpem tanti capitis jacturâ & interitu confundi. Quare Philippus, ne in confuſionem Belgicæ res ultro turbidæ irent, omne quod Requeſentius uſurpaverat imperium in Concilium ſtatus Belgici rejecit, litteraſque hujuſmodi in provincias expedivit.

Mæror ob mortem Requeſentij.

Conſilium Aurantij.

Philippus regimen Belgij Concilio ſtatus decernit.

Ereptum fato REQUESENTIUM *provinciarum Belgicæ ac Burgundiæ Præſidem accepi. Neque parum indolui eâ temporum ætate extinctum, quâ civilibus armis finem & terris meis pacem fore omnia & mea conſilia promittebant. Et quoniam fides procerum Concilij ſtatus mei integra & incorrupta ſemper fuit, ita non dubito, quin quæ divino nomi-*

ni

cIↃ. IↃ. LXXVI. *ni, Romanæ religioni, meo & provinciarum bono poſthac inſervient, ultro facturi ſint. Quare Principatus mei per provincias vim, quam reſolvi non volo, illis demando, dum regiæ ſtirpis Principem ad vos miſero, qui meo nomine regundis provincijs præſit. Itaque jubeo ut omne obſequium Concilio ſtatus, velut mihi, præſtetis, faciatiſque quæ ſtabiliendæ Romanæ religioni, quieti & paci publicæ expedire cenſebitis. Quod ſi feceritis benè mecum actum erit, apud quem magna fidei veſtræ & obſequij ratio eſt.*

Sic turbidum impurumque Belgicæ corpus, quod tot Proregum moderamini à Philippi regis è Belgicâ exceſſu paruerat, pluribus rectoribus commiſſum. Unde lentius mox languidiuſque bellum, cum eſſent qui exitialium furorum pertæſi, validâ ac ſtante peregrini militis ac dominantis licentiâ, ultimum exitium infœlici patriæ præformidarent. Neque alio Eliſabethæ Anglorum reginæ conſilia ſpectabant, quam, ut ſalutari providentiæ lege morte Requeſentij unius dominatu finito, plurium lenitate molliora tempora pacem aut armiſtitium largirentur. Igitur gratulari clam inſperatæ fœlicitati, quæ occaſionem & fortè materiem ſopiendo bello dediſſet. Eadem ratione Requeſentij exitum fœderati interpretabantur, illius occaſu benignum ſydus Belgicis terris illuxiſſe. Quippe amoto capite & principe rerum regius miles in ſeditionem provolutus parca ſtipendia ſpontaneis flagitijs & ultrò naſcituræ inſolentiæ obtendebat. Unde odia Ordinum in Hiſpanum militem nata, cujus primo, velut funeſti ominis, in provincias ingreſſu ruptam civilem concordiam & ſpecie præſidij deſtinatum bellum recordabantur. Sic magnam rerum converſionem, ut ſolſtitia ſyderum, Requeſentij exitus trahebat.

Bartoldus Entenius copias contrahit in Scellingiâ.

Mox Bartoldus Entenius Menthedanus, poteſtate jam ante ab Aurantio Principe acceptâ, habendis Albim intra & Viſurgim delectibus incubuit militemque fœderatorum & ſacramento autoratum claſſi impoſuit. Locum vero habendæ recenſioni Scellingiam inſulam deſignavit, quæ ab occaſu Flevi fluminis oſtio, ab ortu ſinu Amelandico clauſa, meridiem ac ſeptentrionem verſus Germanico mari aut latiſsimis æſtuarijs alluebatur. Quarum rerum famâ in Friſios qui Scellingiæ inſulæ objecti ſunt perlatâ, Gaſparus Robleſius inter otia & ſecuritatem agens, actuarias naves una cum triremibus inſtrui fecit, completaſque claſsiario & juxta ſuæ legionis milite mari immiſſas verſus Scellingiam duxit.

Robleſius claßem armat.

Cæterum comperto validam Entenio manum, tum in proxumo auxilia cœpto deſtitit claſſemque triremium Harlinganum in portum ſubduxit. Jam enim Sonnoius minori Friſiæ Præfectus & Gualterus Hegemannus, (qui trium inſularum Texaliæ, Wiringiæ & Flevolandiæ potiebatur) Entenio auxilia deſtinaverant omnemque illam oram, Germanico mari objacentem mutua ope tuebantur.

In portum ſubducit.

Entenius mari dominatur.

Itaque factum eſt, ut Entenius nullo obturbante copias per inſulam luſtraret collectamque Bremæ & minores per Friſios viginti octo navium claſſem Friſicis æſtuarijs immitteret. Sic florente fœderatis velis mari magna majorem per Friſiam trepidatio fuit, auctis ſenſim populi Præfectique pavoribus, quod adpuliſſe claſsis haud procul Ooſtmahornâ Dongrico in littore non fictis rumoribus diceretur. Ibi Entenius loci non ignarus, quem ad confluentes Eæ, tum Collumanos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Lavicanoſque ſinus gerendis rebus opportunum delegerat, militem ex- ciↄ. iↄ. poſuit modicumque editæ continentis ſpatium tumultuario opere cir- LXXVI. cumduxit. Unde Robleſius ſparſas per præſidia cohortes raptim colle- *Robleſius* git plebemque agrariam habendis cohortium ſupplementis veterano mi- *cum Ente-* liti immiſcuit. Mox feſtino itinere Doccomium dein Ooſtmahornam *nio decer-* duxit longâque velitatione ab ortu Solis in medium diei factâ, locum *tat.* naturâ & ex arte ab Entenio munitum irrito conatu & ſuorum clade oppugnavit. Quinquaginta aut ſexaginta è Robleſianis illo conflictu cecidiſſe annotatum invenio multoſque ſaucios percurandis vulneribus Doccomium abductos.

Quare Robleſius ſuorum cæde & repulſâ exardeſcens equitum peditumque dein ruſticæ plebis auxilia, quæ ad mille & C C. collegerat, in caſtra evocavit retentatâque machinis munitione, poſt inſultu repetito, majore cladis & fugæ infamiâ rejectus eſt. Igitur alio conſilio rem orſus Entenium objecto novo opere clauſit firmatiſq; caſtris commeatum intercepit. Entenius vero, etſi diſcrimen expenderet, ita ſolutionem obſidij aliunde ſperabat, Didericumque Sonnoium aut auxilia miſſurum aut ex condicto copijs adjutum in provinciæ fines qua minores Friſios ſpectant retrahendo ab obſidione Robleſio irrupturum. Jam enim Robleſius per omnem littoralem tractum præſidia militum extenuaverat Slotanæque ac Lemmeranæ munitiones ſolis civium excubijs aſſervabantur. Cæterùm Sonnoium alijs rebus Aurantius tum deſtinabat. Itaque Entenius datis ad ſocios litteris de commeatu ac ſtipendijs monuit, quo ſacramenti pretium miles acciperet corporumq; robur, præ inediâ aut parciore victu langueſcens, neceſſariâ & utili alimoniâ obeundis munijs refocillaretur. De ſe vero fidem faciebat Entenius non facturum hoſtibus loci copiam, quamdiu ſpiritus & vita ſupereſſet, quin malle fortem animam honeſtâ & imitandâ poſteris morte ponere, quam excedere munitione ſi æs militum & annona ſuppetant. Cæterum inania Entenij ad ſocios adhortamenta & conſilia fuere. Itaque deſertâ cum ſuis (quos mille & ducentos fuiſſe Stauri-us ſcriptor Heymannus ſeptingentos notat) munitione, ſuæ & commilitonum incolumitati proſpicere coactus eſt, quos in diverſa per defectum æris & annonæ ſparſos annales tradidere. Adeo præconcepta magnarum rerum conſilia ſperati ſæpe exitus deſtituunt.

Entenius obſidetur à Robleſio.

Aggeri marino monumentum ſtatutum.

Mox Robleſius diſſipatis partibus & fugato Entenio, ad pacis otia & ſtudia converſus marino aggere, quo Weſtergoos adverſum injurias Oceani clauſerat, finem impoſuit ſuæque induſtriæ æternum famæ monumentum decerni paſſus eſt. Quippe ſuo conſilio legem iſti elemento impoſitam intra ſe gloriabatur quod naturâ ſui & lapſante in depreſſa humido ſive lunari aut diurno æſtu concitatum, per tot ſæculorum ætates damna & clades Friſicis terris invexerat. Sic populum plurimum diſcordem & ſua ad commoda tardum aſperis juſſibus flexiſſe, ut viritim ad erigendam validiſſimi aggeris molem tanquam reſtinguendum ad incendium concurreret. Defoſſa tantis terrarum ſpatijs prædia & colonorum ac vectigalium diſpendia ac querimonias placaſſe, monſtratâ rei neceſſitate & ultimæ continentis ac naturæ velut finem tam neceſſario opere muniendum. Hoc ſolo perpetuæ gentis ſecuritati & ſuæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXVI. ſuæ famæ conſultum, quâ Caroli Philippique Præfectorum gloriam veris & ſempiternis laudibus ſuperaſſet. Victurâ haud dubiè, quamdiu natura rerum aut mari limes ſit. Quamobrem aggere marino ad finem perducto, è Senatu regio Adrianus Vaſtartius & Ioannes Carolus Harlingam profecti, monumentum in ipſo littore erexere, quod effigie TERMINI maritimis mediterraneiſque Weſtergois limitem daret, omnemque in poſterum reficiendi curandique aggeris litem amoveret.

Scribit M. Heymannus duodena ex coctili latere millia fundamento ſubſtrata columnamque ſupra aggeris marini ſuperficiem in viginti pedum altitudinem exſurgere:

Effigies MONUMENTI.



cIↃ. IↃ. LXXVI.

INSCRIPTIO TERMINI HÆC ERAT.

Verſus Occaſum.

CASPARI A ROBLES EQUITI, DOMINO DE BILLI, &c. FRISIAE, GRONINGAE EJUSQUE TERRITORII AC ADJACENTIUM GUBERNATORI, QUOD HANC PROVINCIAM, PRAETER ARMA, CONSILIIS ET MUNIMENTIS JUVERIT, AC INTER CAETERA, AGGERE IPSIS KAL. NOV. M.D.LXX. FUNDITUS EVERSO, AMPLISS. D. VIGLII ZVICHEMI, PATRIS PATRIAE, AUXILIARIBUS OPERIS ET ADHIBITIS IGRAMO AB ACHELEN PR. ADRIANO VASTAERT, PETRO FRITTEMA ET IOANNE CAROLO SENATORIBUS, CONCILIORUM SOCIIS, NOVUM MARIS PROPUGNACULUM, SUMMO LABORE, VIGILIA, ET CELEBRITATE, DECRETIS QUOQUE, ET DE SUO PERSOLUTIS DILIGENTIAE PRAEMIIS, TRIBUS PLUS MINUS MENSIBUS à FUNDAMENTIS EREXERIT ET AD SUMMAM MANUM PERDUXERIT ATQUE HUNC LAPIDEM SUBLATIS CONTROVERSIARUM LITIBUS TERMINUM ESSE VOLUIT, GRATUS PROVINCIALIUM ORDO OB REM PRUDENTER BENE ET FIDELITER GESTAM, DE SE AC DE REP. OPTUME MERITO.

Verſus Meridiem.

ANNO M. D. LXXV. DIVISUS EST AGGER IN DUAS PARTES, QUARUM AUSTRALIOR MARITIMIS CESSIT, DEPUT. THOMA HIDDIO, SIXTO NICOLAO, PRAE. HECTORE DEKAMA, HERONE OCKINGHA, ULPIO HIDDAMA, VITO CAMMINGHA, DOTHIA BONGA, GERRARDO ABBAEO ET LOLLIO OCKINGHA.

cIↃIↃ. LXXVI.

Verſus Ortum.

ANNO M. D. LXXVI. XIX. IUL. M. ADRIANUS VASTARTIUS, ET D. IOANNES CAROLUS FISCI PROCUR. PRIM. COL. LAP. POSUERE, PRAES. IOANNE GULIELMIO ACTUARIO.

Verſus Septentrionem.

ANNO M. D. LXXIV. AGGER FIERI COEPIT PRAEF. AGG. RUARDO ROORDA ET MEDITERR. DEPUT. FRED. OFFENHUS ET SIRIACO SIRIACI, DELECT. VERO AD BOREAL. AGGERIS PART. ERIG. TITO A CAMMINGHA VICE-PRAEF. HESSELO AB HANIA, EDONE GERBRANDA ET HANSONE ROORDA.

Reperio in actis publicis aggerum à Bildâ Maccumanas ad catarractas longitudinem 6325. pert. & 6. ped. curioſe ſupputantibus annotatam maritimiſque Weſtergois 4744. pert. & 1½. ped. & in ijs Lidlumanis cœnobitis, mediterraneis 1581. pert. & 4½. ped. obveniſſe. His quoque ſuſtinendo aggeri 24895. maritimis 8163. florenos aureos colligi ideoque fieri ut maritimis florenus aureus 6. ped. 10. dig. mediterraneis 9. dig. præſtet.

Suplicatio VVeſtergoorum.

Quo ſumptuoſo aggerum opere, ut Weſtergoorum præcipuè res lacerabantur, ita omnem provinciam continuæ exactiones exhauſerant. Quare amovendis importunis in poſterum tributorum flagitationibus Philippum ad Regem ſupplicatio decreta, quâ Ordines Friſiæ ſervitutis ſuæ & inſolentiæ peregrinorum pertæſi lenius ex ſacramento Philippi imperium & Concilium ſtatus orabant. Neque inania legationi auguria & vanæ ſpes captabantur, amoto pridem terris Requeſentio & plurium regimine etiam Philippi reſcripto, per provincias inſtituto. Unde ocyus è Friſicâ Nobilitate Valerius Cammingha, qui ab eâ legatione non diu ſuperſtes fuit & Hero Ockingha cum fiduciarijs litteris mandatiſque Bruxellas miſſi, quibus querimoniæ oppreſſi juris & violatarum conventionum continebantur.

Valerius Cammingha & Hero Ockingha Legati.

Non eâ quippe conditione cum Hiſpaniæ Principe depactos, ut tabulæ pactionum ſubverterentur modumque ac limitem tranſgreſſa poteſtas patientiâ populi ad licentiam dominantium abuteretur. Aſſignatum Cæſari CAROLO *patrimonium, adjecta ordinarijs largitionibus honoraria, ne præceps & ultro per-*

perdendis rebus ſe ingerens confuſio, negatis rerum ſubſidijs conſilia Principis perverteret. Vbi vero modum res exceſſere etiam obteſtationibus uſos, ſuo tamen in Principem affectu novâ liberalitate acciſum & tenue ærarium ſub'uviſſe. Sic ante annum ſemeſtri ſpatio triginta tria carolæorum millia corrogaſſe, non eâ mente, ut nova tributorum genera è facilitate gentis naſcerentur, ſed ut expleta ſemel dominantium cupiditas ſatiaretur. Poſt ſingulis lunaribus menſibus octo millia æris importunè poſcentibus conceſſa menſtruaſque penſiones, non integro anno, in centum & quindecim carolæorum millia excurriſſe. Adhæc commeatum, currus, navigia, plebi populoque paſſim per agros extorta, quo in ultimam egeſtatem aut onera provinciales detruderentur paucorumque potentia & opes cum multorum paupertate aut ſervitio increſcerent. Ferendis gravioribus tandem incapaces factos. Quippe anguſto limite clauſam provinciam & non ſemel inundationes ſuarum terrarum perpeſſam, incolarum fugam aut promptiſſimam egeſtatem minari. His miſerijs partium arma & civiles diſcordias accedere. Quippe regi rebelles in provinciam irruere deprædari obvia. Nec quæri his omnibus remedia, ſed fomenta. Adeo certè ut conferendis in regium militem ſtipendijs privatæ opes non reſpondeant. Itaque rogare, ut regis patrimonium, iſti rei CAROLO *Cæſari decretum, applicari ſtipendijs militum curent gravatumve nexibus ære alieno liberent. Poſſe ſcilicet creditoribus regijs alia pignorum dari. His addebant* ROBLESIUM *ipſum actione crediti de ſeptem millibus & ſexcentis carolæis conveniendum, exhauſto ærario & attritis privatorum fortunis, quas miles aut prædo ſuſtuliſſet. Quare decreto Concilij ſtatus dimittendum militem aut cohibendas tribunorum imperijs graſſationes eſſe, ne quid damni poſthac per provinciam faciant abſtineantque alienis.* CIↃ. IↃ. LXXVI.

Hæc LEGATI.

Quæ à Conſilio ſtatus pronis animis accepta, hoc reſcriptum nomine PHILIPPI impetravere. *Reſponſum Concilij ſtatus.*

Nihil carius ſanctiuſque ſibi fore, quam pacem Friſicis terris ſopito bello reddere. Cæterum quoniam motus adhuc & arma vigerent, dimitti exercitum non poſſe. Sopiendis vero turbis regem PHILIPPUM IOANNEM AUSTRIACUM *fratrem ſuum deſtinare, facturum haud dubiè quæ è re provinciarum viderentur. Datum quoque operam ut patrimonium regis à populo Friſico olim Cæſari conceſſum, à nexu creditorum liberetur cenſuſque Principis & vectigalium agrorum reditus veris uſibus ſerviant. Qui etſi ſolis Friſijs & eorum commodis applicati non ſint, tamen haud dubiè majora ordinarijs rerum proventibus impendia* PHILIPPUM *Regem ſuſtinuiſſe. Quem inter & populum Friſicum, ſi quid litis controverſiſve ſubortum eſſet, quod aut jus patrium, aut privatorum damna ſpectaret, id pro occaſione compoſiturum daturumque, litteras ad Præfectum & Tribunos cohortium, coërcendæ inſolentiæ & ne publica gentis quies obturbetur.*

Hæc CONCILIUM STATUS.

Igitur à Concilio Status litteræ ocyus in Friſiam ad Senatum regium datæ, quibus Senatus regius, Philippi Regis nomine, patrium populi jus & immunitates, ſartas tectas curare aſperrimo reſcripto jubebatur. Unde & à Senatu regio Edicta in omnem provinciæ oram

cIↄ. Iↄ. LXXVI. miſſa, popularium legum & juris antiqui fidelem obſervantiam agrariis Prætoribus inculcabant, ac ut Friſij ſcripto majorum aut Saxonico jure, quod Carolus Philippuſque confirmaſſent, ita petentibus Legatis regerentur. Cæterum Requeſentio Gubernatore vitâ functo, velut ſoluto diſciplinæ cenſore, regius miles per provincias laſciviens omne in flagitium effundebatur ſpretiſque Præfectorum Tribunorumque imperijs ac ſimul precibus reſidua ſtipendiorum, mercedem exercitæ virtutis poſcebat. Sed ærarium tenue, diviſa procerum conſilia, tum expilatæ attritæque populi opes ſubitaneis ſedandarum legionum remedijs deſtituebantur. Itaque ſectiones paſſim opulentiſſimarum florentiſſimarumque urbium inſtitutæ fœdæque populi ſtrages tum matronarum ac virginum ſtupra habebantur,

Haud diſſimulante Concilio ſtatus, non ſervitijs miniſterijſque regijs, cæterum vaſtandis perdendiſque rebus Hiſpanicas legiones & earum licentiam ali. Igitur Edicto Concilij ſtatus, quod jure atque autoritate Principis tum valebat, regis & provinciarum hoſtes judicatæ mandatumque Præfectis cæterarum legionum, ut mobiles animos & in pejora more mortalium pronos militari diſciplinâ coërceant abſtineantque ſocietate Hiſpanicarum ſeditioſarumque legionum avertendis provinciarum incommodis de communi conſilio corrigendâ. Quare augendis populi procerumque in Hiſpanos odijs adhibita fomenta, obnitentibus econtra Hiſpanicarum legionum Præfectis fidem ſuæ gentis apud Philippum regem contrarijs perſuaſionibus tueri. Unde æmulatio procerum, etiam in ipſo Concilio ac Senatu diſcordiam, vim diſcordia traxit. Quippe Concilio ſtatus militari manu obſepto & cuſtodiæ dato pro animorum captu, ut ſolet rebus turbidis, varie & acerbè adverſum externæ dominationis intolerabilem licentiam diſſerebatur & quod Hyeronimum Rodam obſcuræ originis & gentis Hiſpanæ in Concilium ſtatus adſcitum, ad uſurpandam regiam autoritatem & vim principatus præceps & cruda ambitio compuliſſet. Sic emuniendis hinc inde partibus quæſita concilia miſeras provincias diverſis factionibus laceravere.

Itaque miſſus in Hiſpaniam Legatus, qui Edicti rationem excuſaret oſtenderetque Hiſpanicas legiones ſeditionibus involutas paci & quieti publicæ obſtare. Datæ quoque Maximilianum ad Cæſarem à Concilio ſtatus litteræ, quibus de miſerijs decennalium bellorum & nefariâ Hiſpanorum per Belgicam dominatione querebantur.

Littore à Concilio ſtatûs ad Cæſarem datæ.

Polluta ſacra ac profana ab A L B A N I *in provincias ingreſſu, & cum patientiâ populi (etiam ad aſpera & immodeſta per reverentiam* P H I L I P P I *regis conniventis,) furorem iſtius gentis increviſſe. Vaſtatos agros, florentiſſimas urbium occupatas ac direptas, necatam aut oppreßam nobilitatem, provinciales non unâ ſtrage deletos, tum violatas ſtupris matronas virgineſque obteſtabantur. Nihil intactum Hiſpanicis furoribus fuiße. Itaque naturæ ſanctiſſimâ lege & gentium uſu fultos adverſum eam conflugem arma induiſſe, ultimum exitium & peiora adhuc ſcelera provincijs minitantem. Nec privatâ adhuc poteſtate uſos, cæterum, durante poſt mortem* R E Q U E S E N T I I *interregno, regundis provincijs à* P H I L I P P O *rege ſuffectos, hoſtium loco habendos publico decreto cenſuiße. Neque aliâ de cauſâ quoſdam dignitate & Concilio* Status *moviſſe, quam quod fomenta Hiſpanicæ inſolentiæ* con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

contuliſſent vimque decreti de reprimendis Hiſpanis præfervidis ſtudijs impugnaſſent. Sic remoras pacis & omnium fœderum fuiſſe. Inde ſuſpecta HYERONIMI RODAE *& aliorum conſilia uſurpatamque ſuperbè potentiam averſatos. Spectaſſe ſigillum regium privatâ* RODAE *autoritate æri inciſum & mandatis ſuffixum. Adhæc ſollicitatas ab eo in exitium provinciarum Germaniæ legiones & in ſocietatem conſiliorum pertractas, quo eum ambitioſa dominandi cupido armis innixa ad faſtigium ſummæ potentiæ aut imaginem regni eveheret. Adultis viribus ac magnitudine rerum fœdius adhuc regnaturum fuiſſe. Itaque ſtitiſſe adoleſcentis imperij curſum & ex officio & juriſjurandi religione caviſſe; Ne quid detrimenti. Sic delectus à Concilio Status per provincias decretos, ſic implorata provinciarum auxilia, ut inculpatæ tutelæ locus eſſet & ut exacto diuturni Hiſpanicique furoris circuitu, certior ad ſanciendam pacem etiam inter media arma regreſſus eſſet. Igitur magnum æternumque numen, tum Cæſarem Principeſque obteſtari, non à Romanâ Catholicâ religione, non à* PHILIPPO *rege deſciſcere, cæterùm arma ſumpſiſſe frænandis Hiſpanorum furoribus valida. De regis vero ingenio in clementiam propenſo ſe non dubitare, cæterum aſſentatorum aulæ præfectorumque per Belgicam falſis perſuaſionibus ſeduci, regiæ mentis integritatem non vanis indicijs oſtenderet. Neque enim alíorſum tot litteras affectum pacis præferentes ad Concilium Status miſſas, quam in* IOANNE AVSTRIACO *optumæ ſpei Principe fratre ſuo ſe daturum polliceretur. Illius quoque adventum in provincias illorum conſilijs trahi, qui ſecretis aulæ præfecti, &* PHILIPPO *familiares ſuo commodo an malitiâ ingenij pacem traherent, tantis ſtudijs etiam optumo Cæſarum & Romano Imperio deſideratam.* PHILIPPI *vero Regis præſentiâ jam diu ad eam perveniri potuiſſe, neque tam immodeſtè agente in provincijs arbitro rerum graſſaturos Hiſpanos, quorum comminationibus peiora obnuntiarentur. Igitur deſperatione rerum manum clavo admoviſſe, ne præcipiti ruinâ Belgicæ & ſimul Germaniæ res traherentur. Illam quippe ex hoc etiam bello incommodum ſentire, imminutis portorijs telonijſque ac omni commercio inter utraſque nationes impedito. Majora damna, niſi Hiſpanicæ gentis furores ſiſtantur utriſque imminere. Neque enim ante quieturos Hiſpanos, quam poſt ſubactam oppreſſamque Belgicam Germaniæ etiam Imperium ſuis regnis adjecerint. Itaque Cæſarem patrocinium rogare ac ut ſub pœnâ banni Romani Imperij, Germanicarum legionum Præfectis mandet, ne ſeditioſis Hiſpanorum legionibus ſe ſocient, cæterum ea agant, quæ ſacramenti militaris religio & in provincias regemque fides exacturæ ſint. Caveret quoque, ne adverſum provinciarum Ordines arma ferant, fœderum jure, Germaniæ ſociatos & ſingulari affectu in Cæſarem propenſos.*

CIↃ. IↃ. LXXVI.

Hæc CONCILIVM STATUS.

Cæterum morbo & poſt morte Maximiliani Cæſaris, quæ mox ſubſecuta, omne imperatoriæ ad pacem interceſsionis ſubſidium interruptum eſt. Creditum fuit Maximilianum Cæſarem ſive Mariæ conjugis, è quâ multam prolem ſuſtulerat, ſive reverentiâ Philippi, cujus affinitatem ex ſorore traxerat, illectum, ſecreta animi diſſimulaſſe aſſerendæque conſcientiarum libertati pronum, domeſticam & conjugalem concordiam nexumque regiæ propinquitatis ſalubribus conſilijs prætuliſſe.

Notat

cIↃ. IↃ. LXXVI.

Notat in Apologetico Aurantius Princeps, eum ab Antonio Perennotto Cardinale Granvellano veneno tentatum, ac haud dubiè religionis ſuſpectum penetralibus pectoris ſenſa animi poſt occultaſſe. Addunt alij à Concilio Status litteras quoque ad Gregorium XIII Pontificem datas, nefarias Hiſpanorum per Belgicam actiones detexiſſe, ſuiſque in Catholicam Religionem ſtudijs eidem Gregorio Pontifici commendatis, interceſſionem apud Philippum Romanæ Sedi oraſſe.

Rodolphi filij in Imperio ſucceſſio.

Mox Rudolpho II. Cæſaris Maximiliani primogenito ſuffragijs Principum Electorum Ratisbonæ in Comitijs ad Imperium evecto, quicquid Belgicæ paci morte optumi Cæſarum deceſſerat, ſucceſſione filij repoſitum cenſebatur, præſagientibus prudentioribus traducem illum & pacis amantiſſimum Maximiliani ſpiritum, haud dubiè natalitiâ propagine in Imperatoriam ſobolem transfuſum. Ubi vero Rudolphi Cæſaris litteræ jam Imperium capeſſentis in Belgicam perlatæ, majorem certioremque fiduciam procerum mentes mox concepere. Iis namque reſcribebat Rudolphus tarditatem reſponſi Sacratiſſimi patris morte ſtetiſſe ſeq; funeſto illius ex his terris exceſſu, ſepoſitis velut rerum & Imperij curis, ſolam ultimæ pietati ſollicitudinem aluiſſe. Signandum fuiſſe acerbo luctu patrium funus, deſiderato capite & cariſſimo pignore Imperatoriæ domui ſubducto. Reſtituta vero mente aut ſaltem allevatâ, nihil ſanctius cariuſque habuiſſe, quam ut, imitatus patrem cœlo tranſcriptum, eadem reſtaurandæ per infœlicem Belgicam pacis conſilia ſuſciperet. Itaque legatos propediem ad Imperij Principes, dein in provincias miſſurum, quo æquis conditionibus diuturnum & funeſtum bellum ſtabili pace finiatur. Hoc tantum optare, ne quid novi interea Belgæ moliantur documentumque oſtendant patientiæ, dum imperatoriæ legationis & ſimul conſilij fructum ferant. Cæterum increſcente Legionum inſolentiâ & Concilio Status majoris mali metuente, ineundi Fœderis negotium maturatum, ne omni tandem exercitu ſeditione velut tabe infecto, Belgicæ imperium patribus Ordinibuſve provinciarum ſubtractum, externis legionibus traderetur. Quippe Edictum, quod frænandis per provinciam graſſatoribus & reprimendis ſeditioſis Requeſentius perſcripſerat, militari inſolentiæ fomenta commodabat contumaciâ humani ingenij, velut juſſa reſpuentis & ne Requeſentius populi gratiam cum odio & per ſanguinem militum mercaretur. Eo namque Edicto, ut plebi agrariæ ſe armandæ adverſum omnem vim & inſolentiam poteſtatem fecerat, ita impunitatem quoque factis Edicto adjunxerat, ſi fortè legitima defenſio ex injuriæ magnitudine & deſiderio conſervandarum rerum nata militari cæde vindices inſolentiæ dexteras imbuiſſet.

Ejus in Belgicam datæ litteræ.

Seditiones militares per provincias graviſſimæ.

Tradunt autores, flectendis tumultuantium conſilijs, ad ultimum & quæſitum olim ſedandis caſtrorum præſidiorumq; ſeditionibus remedium, ipſos Duces proceſſiſſe, quo ad concionem & tribunal imperatoris vocatos majeſtas imperantis aut horror monſtratæ fœditatis & exprobati furoris coërceret. Adhæc pericula ſeditionum & in quæ malorum eruptura forent inter miſerationem, indignationemque Ducum repetebantur, tam invalidâ eorum authoritate, ut, quod reducendis ad obſequia animis dictum credebatur, incremento furoris apud oblitas ſacramen-

Obſtantibus nequidquam ipſis Ducibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

menti legiones cederet. Itaque nec Hiſpanici nominis aut ſanguinis obteſtatio, non in regem fides, non commemoratio priſtinæ virtutis quid valebat & quod ſoli terrarum gentiumque domitores præclara facinora fœdis criminibus polluiſſe in tanto rerum diſcrimine redarguerentur. Intereſſe regis ſui quam maxumè ut ad ſanas mentes, ad memoriam ſacramenti redeant, quod violari non niſi perduellibus poſſet & quod in tanto gloriæ & ſecundarum rerum curſu ſperatos belli exitus & laudatiſſimum finem moraretur. Non defore Philippum regem officijs ſuis, cæterum daturum operam ut ex ſacramentis ſtipendia ex virtute gloriam habeant. Quæ ſingula etſi ex vero dicerentur, à contumacibus & imperia detrectantibus rejecta imminentia mala & præteritis graviora urbibus ac provincijs minabantur. Igitur avertendis incommodis ad Principem Aurantium litteræ à Concilio Status datæ, quæ æquiſſimas fœderi conditiones, nec doloſis artibus involutam pacem offerebant. Aurantius vero, ne quid fœderatos Ordines celaret, eos iſtius rei certiores fecit deque mittendis ocyus ad ſe & deïn Gandavum Legatis commonuit. Suſpectam quippe eo in negotio cunctationem eſſe, ad quod optumi mortalium duce naturâ traherentur. Poſſe fœderatos, proclivi in concordiam Concilio Status & exercitu regio ſeditionibus involuto, honeſta & utilia Fœderi paciſci. Neque enim dubitare ſe, quin iſta procerum congregatio divino nomini gloriam, ſecuritatem provincijs datura ſit. Hoc vero monere, ut pacis negotio intenti de bello cogitent. Inſtabili ſcilicet potentiæ ſemper ſocordiam nocuiſſe. Sic Bredano conventu ſecuros & fiduciâ ſui ſubnixos magnis periculis ſubfuiſſe. Corrigenda ſupina conſilia eſſe nec fidendum hoſti, qui pacis umbrâ bellum velet. Hortari inſuper Fœderatos, ut Friſios cæteroſque vicinos durioribus adhuc Præfectorum imperijs parentes ad ſubvertenda externæ dominationis ſubſidia inſtigent noviſque ſocietatibus avidum libertatis populum ſibi devinciant.

Litteræ Concilij ſtatus ad Aurantium de fœdere ſanciendo.

Aurantij de eo reſcriptum ad Ordines fœderatos.

Itaque Fœderatorum Legati ad XIV. Kal. Novemb. diem Gandavum perrexere, exceptique magnâ comitate à cæterarum provinciarum Legatis è primoribus hunc in modum diſſerentem audivere.

Fœderatorum Legati Gandavi cum reliquis conveniunt.

Oratio Concilij ſtatus.

Miſerijs noſtris, LEGATI, *ut ſæpe modum, ita finem popoſcimus. Cæterum remedia quæ noſtris malis debebantur, aulæ moribus protracta aut per improborum artes intercepta manſere. Longiores moras ferre noſtra imbecillitas non poteſt, poſtquam ut in impuro morbidoque corpore mala ex malis increvere. Partium armis tot annis attritos ipſa etiam præſidia ſeditioſæ legiones conſumunt. Sic ſacramenta, quæ tutelæ & incolumitati noſtræ Hiſpanus miles dixerat, noſtro exitio uſurpat. Vaſtatis Trajecto & Antverpiâ civitatibus Scaldim atque Moſam flumina noſtro ſanguine infecit. Itaque adverſum conflugem iſtam arma decrevimus, delectibus provincias munivimus. Vnum tantum reſtat ut in Fœdus coëamus. Inde Bredano conventu de exturbandis peregrinis copijs & convocandis provinciarum Ordinibus eorumve Legatis conſultavimus, quo Philippo regi ditiones ſuas, nobis religionem & patriam, utrique quietem daremus. Cæterum conventus iſte inquietudine & contumacia illorum tum diremptus, qui nullâ cadentis patriæ miſeratione pati & ferre extrema, quam inſurgere adverſum vim & injuriam*

 juriam

CIↃ. IↃ. LXXVI.

juriam dominantium malebant. Nunc vero quoniam ſeditioſis Hiſpanorum legionibus bellum indiximus & convocandos provinciarum Ordines cenſemus, hoc agamus Legati, ut reperito Bredani conventus negotio mutuâ concordiâ jungamur. Solum illud adverſum omne inſolens munimentum. Nos mandata noſtra, quæ P H I L I P P I *Regis nomine gerimus, nos officia noſtra pollicemur, daturi omnem operam ut ex civili bello domeſticam pacem ſeramus. Rogamus interim magnum illud & cœleſte numen, ut noſtro conventui & inſtitutæ actioni præſit.*

Ad ea Fœderatorum L E G A T I.

Fœderatorum reſponſum.

INfœlicis belli diu pertæſi pacem jam ante ex Bredano colloquio præconceperamus. Cæterum nec illud beneficium divinitus aut fato accipere, nec noſtris conſultationibus impetrare potuimus, etſi æquisſima quæque noſtris in pacem deſiderijs obtenderemus. Nunc vero juſſi ſumus ex formulâ mandatorum noſtrorum ijſdem poſtulatis & conditionibus inſiſtere noſtraque conſilia ſanciendæ omnino paci adæquare. Itaque nec elabi occaſionem noſtris votis ſinemus, ne videamur ore tenus pacis ſtudia profeſſi animos habere à communis concordiæ curâ alienos.

Tum fiduciarijs litteris tabuliſque mandatorum recitatis, armiſtitium decretum.

Legatorum utrinq; Nomina.

Inter Legatos vero Ordinum Generalium Joannes Lindanus Antiſtes D. Gertrudis apud Lovanienſes, Giſtenius Antiſtes D. Petri Gandavi, Matthæus Abbas D. Giſlenij, Epiſcopus Attrebas, Joannes Mollius, Franciſcus Halevinus, Carolus Gaverus Equeſtris Ordinis, Elbertus Leoninus Jureconſultus & LL. Profeſſor, Petrus Beverius Conſiliarius Flandriæ, Quintinus Pratius Scabinus Bergenſis, & Joannes Pennantius à Secretis fuere.

Principis vero, & Fœderatorum nomine, Philippus Marnixius Sanct-Aldegondius, Arnoldus Dorpius, Gulielmus Zulenius Armigeri; Adrianus Mylius, & Cornelius Coninxius Principis Conſiliarij, Paulus Buſius Advocatus Hollandiæ, Petrus Rijckius Prætor Vliſsinganus, Antonius Sikelius Conſiliarius Zelandiæ, & Andræas Junius Conſul Middelburgenſis erant.

Fœdus inter partes ictum, quam Pacificationem Gandavenſem dicunt Iohannis Auſtriaci in Belgicam adventus.

Qui paucorum dierum conventu acto, ne quid mora damni aut ulterioris incommodi daret rebus per provincias lubricis & ſolutâ legionum diſciplinâ, VI. Eid. Nov. fœdus icere, præcipitatis haud dubiè magnarum rerum deliberationibus, quod direptam & exuſtam ab Hiſpano præſidio Antverpiam non inueri rumores nuntiarent. Mihi veriſimile eſt progreſſo jam Luxemburgum Joanne Auſtriaco & Philippi fratre notho, Legatos negotium maturaſſe, ne forte novus Princeps pro Philippo imperium adeptus ſuæque gloriæ & fortunæ nimium indulgens acta Ordinum & ſimul conſilia ineundi Fœderis ſubverteret.

Notant Scriptores, eo ipſo Hiſpanici furoris per Antverpiam die (quem in priduanum Nonarum Novemb. diem incidiſſe Staurius Scriptor refert) Joannem Auſtriacum Luxemburgum adveniſſe funeſtiſque auſpicijs damnatâ luce provinciarum fines ingreſſum, infœlicis imperij triſte præſagium edidiſſe. Ego exiſtumo, quod regio comitatu, diſſimu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ſimulato nomine celerrimo itinere proceſſerit, eum clandeſtinis quæ ferebat conſilijs & breviſsimæ dominationi non incertum omem attuliſſe. Quare prodigioſo coëuntium procerum aſſenſu leges Fœderi ſcriptæ. Iis cautum fuit.

Vt omnium offenſionum injuriarumque, quæ ex turbis Belgicis ortæ forent, oblivio eſſet. Fœdus utrinque ſartum tectum maneret exterminandiſque omni provinciâ Hiſpanis cæteriſque nationibus mutua auxilia & tributa præſtarentur. Ordinum generalium poſt ejectos provincijs peregrinos conventus haberetur, quo de publicis privatiſque rebus, negotio Religionis, reſtitutione locorum, arcium ac commeatuum diſponant. Commercia per provincias tuta atque libera forent & ne vis aut injuria cuiquam è profeſſione Catholicæ Romanæ Religionis ſub pœnâ violatæ pacis publicæ fieret. Edicta Religionis ab ALBANO *publicata tamdiu ceſſarent donec Ordines Generales de ijs ſtatuerent.* AURANTIUS Princeps *maris, tum Hollandiæ Zelandiæque ac ſociarum ditionum Præfecturam teneret nihilque innovaret, præterquam aſſenſu Magiſtratuum & priuſquam de Conſilio Ordinum aliter decernentur. Cæteræ per Hollandiam Zelandiamque urbes* Aurantij *adhuc imperio exemptæ tam diu ſui juris eſſent dum ex pacto Fœderi ſe ſociaſsent. Captivi utrinque & in ijs* Comes BOSSUVIUS *nullo lytro, cæterum perſolutis impenſis dimitterentur. Edicta mandataque per* AURANTIUM Principem, *eius Senatum aut Magiſtratum ederentur approbarenturque, ſalvâ tamen magni Senatus authoritate, quem Rex daturus eſſet.* AURANTIUS *quoque, Nobilitas, privati in poſſeſſionem ſuorum bonorum mitterentur reſcinderenturque acta confiſcationum ex cauſa religionis aut armorum nata. Idem beneficij* Electoris Palatini *ad Rhenum conjugi* Brederodij *viduæ quoad urbem Vianam aliaque bona eſset.* Burano Comiti *urbs, Caſtellum, agri deducto præſidio redderentur. Trophæa, ſtatuæ, inſcriptiones ab* ALBANO *erectæ, raderentur aut ſolo æquarentur. Vectigalia, portoria, decimæ, cenſus, reditus non ſoluti, intercepti aut à D. Ioannis feſto proxumo in fiſcum inlati, dominis aut ceſſionarijs cederent omneſque & ſinguli æſtimatione damni dati ſingulas per provincias factâ, bonis ſuis liberè fruerentur. Donationes mortis cauſâ aut inter vivos præteritis aut excluſis ſuis hæredibus ex cauſa Religionis & turbarum factæ, nullæ & irritæ forent. Signati æris idem per provincias valor, ſtabiliendo fœderi & mutuis commercijs eſſet. De duarum expeditionum impendijs & ære alieno per* AURANTIUM *conflato Ordines Generales decernerent. Provinciæ quæ in partibus adverſis ab hoc fœdere tamdiu excluderentur, dum ei ſe junxiſsent. Fœderis tabulæ utrinque intra menſem proxumum ſubſcriptione ac juramento firmarentur.* Leges Fœderi ſcriptæ

Quæ cæteras per provincias olim Burgundicæ domui parentes, decreta aut approbata, ſolos Friſios & Trans-Rhenum (Germaniæ ac Belgicæ limitem) ſitas rationes non obligavere. Offerente velut fato, ut jure ac ſitu diſcretas gentes conditio adhuc temporum eximeret populuſque per factiones & inteſtina arma, Principis imperio etſi deferentium vitio obſtrictus, neglectis ulterioribus, quas jam ante Carolo Cæſare reprobaverat, cum Belgicâ gente pactionibus antiquæ libertati excuſſo per arma ſervitio redderetur. Etſi credam quoque fuiſſe, quos reverentia aut metus Philippi ab ineundâ ſocietate deterruerit, frequentibus in conſeſſu Ordinum Pontificijs, qui innovari ſtatum provinciæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXVI. damno ac infamiâ regiæ domus indignabantur. Quippe plurimus per oppida ac agros regius miles, valida Senatus autoritas, foris multitudo Exulum novandis rebus obſtabant. Econtra minæ ac terrores, tum Senatus Edictis Philippi nomen præfixum inſtabile Robleſij imperium & lubricam populi fidem tuebantur. Quæ quoniam nec ipſe Robleſius ignorabat, ita ſeneſcentem & mox occaſuram dominationem violentis conſilijs emuniebat.

Rerum per Friſiam ſtatus.

Reperio in epiſtolâ incerti autoris III. Eid. Novemb. ad Martinum Nitzenium datâ, magna tum per Friſiam partium ſtudia viguiſſe Deputatoſque provinciæ, partim pro Robleſio & Senatu ſtantes, partim ſacramento fœderis clam tractos diſcordibus conſilijs egiſſe. Unde diviſa & fluctuans Nobilitas, populus dubius atque diſcors erat, donec vertente ut omnia ſolet regiam dominationem fortunâ Gaſpari Robleſij aſperitas fatalibus rerum mutationibus obtenderetur. Quippe populum graviſſimis Edictis aggreſſus, militem nova ſacramenta popoſcit, quo animos à Concilio Status alienaret præſidijſque civitatum ad ſtabiliendam potententiam uteretur.

Robleſius ſe Fœderi opponit.

Jam enim Gandavenſi fœdere icto, & peregrinâ gente excedere finibus juſſâ, ſuæ Legioni & ſimul imperio metuebat, ac ut florentiſſimarum ditionum intra Amaſum & Flevum flumina Præfecturam adeptus tantâ fœlicitate fortunæ & poſſeſſione rerum exturbaretur. Itaq; relictâ Leovardiâ ordinatiſque per Friſiam rebus in Tranſlavicanos ac mox Groningam profectus eſt quo civitatem validam & multo opere ac caſtello regio munitam ſuis partibus adjiceret. Jam enim imminere iſti urbi Concilium Status dicebatur, miſſo in Tranſlavicanos Franciſco Martinio Stella viro erudito & ſagaci, qui querimonijs Tranſlavicani populi mederetur animoſque mobiles ac Robleſiani dominatus pertæſos, ſacramentis Ordinum & ſocietati Fœderis innecteret. Robleſius vero, etſi durioribus per Friſiam ac Tranſlavicanos rebus decreto Concilij Status abſtinere juſſus eſſet, ita progreſſum fœderis omni conatu remorabatur. Quare Franciſcum Martinium Stellam Legatum vinculis dedit aſſervatumque à Legionarijs ſuis, quo ſecretum Legationis extorqueret quæſtioni ſubjecit. Cæterum Martinius, etſi violari jus atque autoritatem Concilij Status quereretur, ita tormenta interritus pertulit oriſque facundiâ & tam triſtis ſpectaculi miſeratione militum animos inflexit.

Stella Legatus fœderis à Concilio ſtatus in Friſiam mittitur.

Capitur à Robleſio & torquetur.

Non enim jure privati ingreſſum ſe provinciam ajebat, *cæterum mandata Concilij Status perferentem regiæ mentis & voluntatis executorem eſſe. Sic Concilio Status ſummam rerum à Philippo commiſſam, donec interregni tempus efflueret provinciarumque moderamen regij ſanguinis Principi obveniſſet. Eſſe poteſtatis Ordinum aut Concilij lubricis temporibus & illo legionum furore urbes dubias & cum rep. nutantes regiæ fidei aſſerere. Fore alias, ut exercitam alibi terrarum ab Hiſpanis inſolentiam Tranſlavicani quoque ſentiant, imperium Philippi durante bello & tot annis amplexi. Præcavendum eſſe ut provinciæ ſecuritas, urbi Groningæ quies, populo concordia, militi ſtipendium ſit, ſine quo nec leges bellum, nec commeatum aut annonam exercitus habeat. Ita ſpectarent Hiſpanicas & Germaniæ legiones provincijs & regi graves, nullo duce, nullis tribunorum imperijs regi, cæterum perfidas & viles animas ſolis ſcelerum nutrimen-*

Eius in tormentis animoſa conſtantia, & Oratio de ſua Legatione.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

mentis paſcere. Impurum legionum corpus ſeparandum ab integro fuiſſe, quod mandatis Ordinum, aut Concilij ſtatus ſe permittens, ſtipendia ſubſidia vitæ & militiæ præmia, ex ſe ipſo decus atque gloriam habiturum eſſet. ↄIↄ. Iↄ. LXXVI.

Quæ omnia Stellam Legatum advocato obligandis vulneribus, quæ à Robleſij manu acceperat diſtortique corporis lacerationibus Medico, Græcâ voce aperuiſſe autores tradunt ipſumque medicum ægri miſertum, ſpecie artis, uni centurionum Loſio militique ad cuſtodiam legati deſtinato, tanquam obſignandum fide arcanum commiſiſſe. Creditum fuit ſpe ſtipendiorum & reſidui æris per Legatum Martinium factâ, plurimos mox militum in partem Ordinum inclinaſſe alienoſque à Robleſio, quod nec opes, nec ærarium aſſignandis ſtipendijs haberet, efficaciſſimo devinciendis mentibus remedio victos, liberandi Martinij conſilium cœpiſſe. Septuaginta in partibus fuiſſe autores tradunt. Quare Robleſius defectionem clam metuens, jurare in verba ſua militem præcepit decimumque Kal. Decemb. diem iſti negotio deſtinavit. Itaque omni præſidio in fanum Martino ſacrum, ſi forte loci religione commoveret, convocato, pro concione ſic locutus eſt.

Robleſius vult militem in verba ſua jurare.

NON adſum, Commilitones, multa verba apud vos facturus. Cæterum non levibus periculis compulſus ad concionem vos voco, poſtquam experior Ordines provinciarum omne imperium ad ſe trahere, ac res novas moliri, connivente Concilio Status, quod REQUESENTIO *Proregi à Philippo rege ſuffectum, rerum ordinem diſtorquet. Vos vero ſcitote, Commilitones, eoſdem Ordines ſpecioſis promiſſis me hortatos, ut ſacramentum mutarem deſciſceremque cum Legione. A quo conſilio cum abſim longius, non celo vos arcanum, cenſeoque è re Philippi regis & ſimul veſtrâ eſſe, ut infidis temporibus novum mihi ſacramentum dicatis, dum ex Hiſpaniâ percepero, quid* PHILIPPUS *Rex fieri velit. Neque enim momenta rerum, ſine vobis geri poſſunt neceſſumque omnino eſt, ut vos regi fidos frequenteſque ſub ſignis habeam, ac ab Ordinum ſocietate ac imperio alienos. Quod ſi meo æquius ſanctiuſque nonnullis veſtrum videbitur, Commilitones, ijs ſuadeo hortorque ut ſeceſſionem faciant, ſigniſque ſe ſubducant.*

Eiusad milites Oratiô

Itaque tum ſtante concione prorupit, qui fandi veniâ à Robleſio impetratâ, exclamaret PRO SALUTE ET INCOLUMITATE ORDINUM VIVERE SE AUT MORI CONSTITUISSE.

Miles unius & alter novum hoc juramentum abnuit.

Thuanus refert Galterum quendam nomine ſubſcribere formulæ jurisjurandi juſſum, calamum in ignem adſtante Robleſio conjeciſſe ſuoſque commilitones dubios & inclinantes præclaro conſtantiæ & libertatis exemplo ad detrectandam ſervilis juramenti pactionem incitaſſe. Qui etſi miſſione acceptâ urbe ejiceretur, nihilominus ſubſecutæ mutationi pondus attulit militemque ultro turbidum & ancipitem ſuo exemplo inſtigavit.

Ex eo namque factum eſt, ut Loſius cohortis tribunus novam ſacramenti dictionem abnueret ipſoque Robleſio coram, novennale ad ſacramentum Philippo regi præſtitum egregio virtutis documento provocaret. Igitur Tribuno cohortis & mox manipularibus novam militiæ religionem aſpernantibus Loſianorum defectio ſecuta. Unde Robleſius

Loſianæ cohortis à Robleſio defectio.

cIↃ.IↃ.LXXVI. *Quam ab alijs cohortibus deleri præcepit Ro bleſius.*

ſius multâ jam ante comminatione adverſum detrectantes uſus, tres cohortes Lopeſij, Monceavij, & Campij, qui jam in verba ejus juraverant, per inſidias diſpoſuit delendæque Loſianæ cohorti mandatum dedit. Quare multitudine minutarum glandium compleri machinas fecit, ac ut dato ſigno diſploderentur, imperavit. Cæterum Loſius perceptis inſidijs aliâ viâ cohortem ad forum duxit, ubi ſtare præſidio deſtinata nocturnis vigilijs cohors conſueverat.

Loſius perceptis inſidijs, cum ſuis ſe defendit.

Quæ contractis mox in principia Ordinibus cum ſalutare Robleſium è feneſtrâ Alberdanæ domus proſpectantem juberetur, haud leni murmure formatiſque in contumaciam vultibus latentem iracundiam exprimebat. Quare laxare bombardas juſſa defectum pulveris & menſtrui æris obtendit percuſſoque per Antonium Sardam vigilium Præfectum gregario, juſto & decreto furori indulſit.

Idem Robleſium cum genero capit deficientibus item reliquis vel aufugientibus.

Tum Robleſius glandibus petitus, mox ab irruentibus in Alberdanam domum cum Ruyſbroeckio genero captus cuſtodiæque datus eſt. Unde Villerij cohors excubias agens, ſtationes deſeruit nulloque ordine & catervatim in forum progreſſa Loſianis ſe ſociavit. Lopeſius vero faciendæ cædi & opprimendæ Loſianæ cohorti à Robleſio deſtinatus ſecreto domus ſe abdidit cohortemque dimiſit, quæ concerpto vexillo, quod tumultuanti militari turbæ proprium, in manifeſtam quoque furoris publici profeſsionem eruperat. Tum reliquæ copiæ adverſâ Præfecti ſui fortunâ partibus Ordinum ſe adjunxere, nihil proficientibus Robleſij promiſsis, quibus ſtipendia & omne reſiduum æqua ſpernentibus addicebat. Sunt qui tradant à gregario milite ferreas compedes Robleſio injectas eumque, ſolidæ & gravi catenæ alligatum inter contumelias & ludibria ſuorum primos carceris dies flagrantibus adhuc in illum odijs egiſſe. Ita eorum quos ſupplicio deſtinaverat lubidini atque inſolentiæ paruit verſoque rerum ludo, quem omne inconſtans & lubricum fortunæ exercet, durius æquo imperium fœdo ſervitio & ſuorum ſpectaculo mutavit. Ferunt auditam in publico vocem, VIVAT PRINCEPS, VIVANT ORDINES, qua mutatio haud dubiè militarium animorum & ſurgentium rerum ſpecioſa auſpicia deſignabantur. Tribuni cohortium vinculis dati.

Legatus Stella carceri eximitur, inque Ordinum verba juratur.

Dein F. Martinium Stellam cuſtodiâ liberatum armati coronâ cinxere expoſitiſque quæ vellent, in verba Ordinum juravere. Novis quoque centurionibus extemplo creatis cum Franciſco Martinio Stella varijs de rebus conſultatum cautumque Edicto; Ne quis de nocte in publico eſſet. Ita compoſito motu urbis imperatum ſilentium & quieſcere milites juſſi, quos in concordiam fœderis cum populo & Senatu turbidi temporis diſcrimen adigebat. Tum Stella cum delectis militum Bruxellas contendit, quo de ſingulis ad Concilium Status referret novumque Præfectum Groningæ urbi & Tranſlavicano populo alienatis à Robleſio animis rogaret. Pacatâ urbe in conſcios flagitij quæſitum.

Pasantur omnia, puniunturque rei.

Itaque Chriſtophorus Vaſquius qui Zutphaniæ cum imperio præerat, alijque cucullâ monachum mentiti & ab ijſdem ordinis hominibus detecti, cum Ferdinando Lopeſio & Antonio Sarda vigilum Præfecto cæteriſque, quos intempeſtiva ſeveritas ſeditioſis cohortibus objecerat, mili-

militaribus ludibrijs expoſiti. Eadem Georgij Weſtendorpij Senatoris per Friſiam Regij centurionumque quorundam fortuna fuit. Quippe Dammonenſes præſidiarij comprehenſo Starckio Delphzilani abducto Groningam Barnicurtio cohortium Tribunis, eadem lege uſi, planè velut animorum militarium æſtus per exempla ebulliens, omnes Valonicæ legionies per Friſiam & vicina copias ſtato tempore pervaderet. Itaque & arcium præfecti, (quas Leovardiæ, Harlingæ & Stauriæ Principes olim firmandæ dominationi extruxerant) in partes Ordinum inclinavere, credentibus univerſis Philippi regis imperio ex ſacramentis Ordinum non decedere. CIↃ. IↃ. LXXVI.

Sic urbs Groninga, quæ à quadraginta annis Carolum Cæſarem protectorem ſuæ libertati acceperat, poſt ab Albano & externarum gentium præſidijs preſſa & diu immodeſtè habita, Philippi regis nomine imperijs Ordinum Belgicæ aſſerta. Unde in patrum conſeſſu læta omnia atque auſpicata habebantur, gratulantibus ſibi invicem provinciarum delegatis, fortunam ſurgentis reip. adverſum inclementia fata & violentas dominationes emergentem lacertos quoque trans Rhenum & per confinia Imperij moviſſe. Quare grates cohortibus actæ & ſtipendia decreta, quo egenæ legiones & per omnem provinciam turbidæ patrum officijs ſanarentur. Subventum quoque annonæ per Friſiam ſalutari lege, quâ damnatis lege coëmptionibus pretijs ſimul & penuriæ frugum occurrebatur.

Groningâ Ordinibus Belgicæ aſſerta.

Mox menſe Novembri comitium Leovardiæ habitum, quo de pactis fœderis apud Gandavum icti acribus controverſijs diſceptabatur. Erant qui cenſerent plauſibili Concilij Status aut Ordinum imperio, quod & Philippus Rex approbaret, inſurgendum eſſe adverſum externam gentem ſeditionibus involutam communique concordiâ allevandam patriam tot enormia perpeſſam. Coïre vero aut jungi civiles animos non niſi recepto fœdere poſſe, quod regium Philippi nomen & ſimul imaginem æternæ pacis præferret. Satis cruoris humani & ſanguinis fuſum neque aliâ diſcordium intentione bellum geſtum eſſe, quam ut pace clauderetur. Alij judicabant valido fœdere regiæ potentiæ multum detrahi, nec eodem loco ſtare poſſe populi concordiam & vim dominantis. Parendum eſſe ſine exceptione unius imperio & ferendum ingenium Principis etiam diſtortum. Ejus juſſu miſſam in Friſios Robleſij Legionem ſacramentum adhuc regis profiteri, non ante exterminandam finibus, quam decreto Philippi militaris jurisjurandi religione ſoluta arma ſimul & vetus ſacramentum poſuiſſet. Id ſolum regio imperio præſidium reſtare, quo amoto obſcurum jus Principis ex licentiâ populi futurum ſit. Itaque publicatio tabularum Gandavenſis fœderis tum prolata, donec mutato ſenſim rerum ſtatu, ingruentibus regiæ parti adverſis, animi quoque provincialium cum fortunâ Philippi verterentur.

Comitium Leovardiæ habitum.

Mox Robleſij quoq; conjunx Leovardiæ in arce regiâ militum manipulis circumdata attinerïq; publicâ cuſtodiâ juſſa, tori ſocietate fortunæ quoque maritalis conſors fuit. Creditum fuit eam ſecretorum mariti, quibus extrema per provinciam ſtabiliendæ adverſum Ordines dominationi parare dicebatur, conſciam muliebri fragilitate aut faſtu incau-

Robleſij quoq; conjunx Leovardiæ cuſtodiæ datâ

cau-

CIↃ. IↃ. LXXVI.

cautius, an inſolentius præconcepta mariti conſilia vulgaſſe. Tum Robleſio cuſtodiæ à ſuis dato per Friſiam quoque & præſidia urbium cohortium murmura & criminationes auditæ quod interceptis diu ſtipendijs novum & grave ſacramentum Robleſius & Tribuni cohortium propoſuiſſent.

Militares motus Franequeræ.

Unde Feuterius, qui cum cohorte legionis Valonicæ præſidium Franequeræ agebat, odijs quoque ſuorum expoſitus increſcente ſenſim militum murmure ac inquietudine, donec de illo quoque coërcendo à Robleſij captivitate cogitarent. Quare proprid. Kalend. Decemb. ſeptimâ veſpertinâ exequi conſilium decrevere, delecto è ſuis Petro Angio homine temulento & ex hoc audaci, qui diſploſo ſub noctem ſchlopeto teſſeram facinori daret. Ad cujus rei ſonum cum Feuterius centurio Botnianâ arce quam occupaverat & velut invito domino poſſeſſurus in delitijs habebat, deſcenderet, ab occurſantibus militibus comprehenſus eſt. Ita evenit, ut cum diſciplinam inſolentiſſimo militi intentaret pateretur cuſtodiam. Quare Regem & ſacramentum obteſtatus multa aucupandæ militum ſuorum gratiæ tentavit, ærique menſtruo exſolvendo fidem depactus eſt.

Teuterius centurio ab ipſis capitur noctu, & cuſtodiæ mandatur.

Cæterum miles, etſi regij ſacramenti retinens eſſet, interverſa diu ſtipendia criminabatur; *animamque ac ſanguinem ſuum fraude & peculatu extenuatum nutricatui centurionis ceſſiſſe. Ita fieri namque ut ipſi egeſtate atterantur videantque per ſudores & vulnera paratam mercedem luxu præfectorum ſubverti. Itaque illos tanquam in pace otium & ignaviam ſectantes militiæ curas negligere modoque hortorum cultui, modo per commeſſationes & nocturnis amoribus fractos, ſibi affluentiam opum, militi labores, vigilias, frigora & inediam relinquere. Inde Robleſio Tribuno Legionis ſuæ manus injectas eſſeque ex' uſu idem illis accidere, qui ad exemplum Tribuni culpatos mores & effrænem licentiam ex ſtrangulatis militum ſtipendijs formaſſent. Non poſſe ſe ſolos diuturniorem patientiam ferendæ inopiæ profiteri, Hiſpanorum & externarum gentium legionibus per omnem provinciam concitatis & per tot urbium ſpolia opulentis.*

Ita Feuterius in arcem Siardæam validiſſimam, ſtipante militum præſidio ductus atrioque ſpatiociſſimo habendis excubijs deſtinato, inſtar facinoroſi habitus, alieno magis quam ſuo arbitrio, quadrimeſtrem cuſtodiam traxit. Dein gregario milite in centurionem adoptato, quem Electum vocitabant & quem forma ac venuſtas, tum quam maxumè militare ingenium commendabat, ulterioribus turbis parcitum intactoque direptionibus oppido, citra immodeſtiam ſub imperio Electi & ex ſuo corpore creati centurionis egere. Cæterum Feuterio Martio menſe, ut poſt memorabo, reliquis cum centurionibus in Geldriam abducto, novi iterum motus orti, quod Ordinum generalium decreto alium ab Electo centurionem conſtitutum præceps fama afferret. Unde murmurare primum, mox ubi potu incaluere temulenti & Ordinum imperijs graves, de deſerendis ſignis agitavere. Igitur à novo centurione, quem Ordines cohorti præfecerant, laſtâ cereviſiæ in aream Siardeæ arcis deportatâ, (quo is à cohorte turbidâ, ſed per hilaritatem evictâ fidem acciperet, ſimulque præſtaret) in diverſa milites dilapſi ſacramentum renuerunt effractâque Doniæâ portâ, per agros ſparſi, circa marinum aggerem & ex-

Ipſi centurionem aut Electum ex ſuis faciunt.

Ordines Generales alium centurionem conſtituunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

extrema littorum oberravere. Poſt transfretatis æſtuarijs, quæ lato ſinu Friſiam & objectas inſulas interluunt, inermes & profugi exceptis paucis, quos ſacramentum Electo præſtitum adhuc obſtringebat, incerta ſedium quæſivere regijſque copijs & ſimul ſacramentis aſcripti ſub Joanne Auſtriaco ad Rimenantum cæſi deletique ſunt. Is exitus tumultuantis & imperio abutentis apud Franequeranos præſidij fuit. Reliquis in locis, ut Leovardiæ & Doccomij eadem vitia, ijdem mores dubijs & inclinantibus præſidijs valuiſſent, niſi Ordinum Friſiæ ſollicitudo deſiderata ſtipendia è publicis tributis collato ære egeno & turbido militi procuraſſet.

cIↄ. Iↄ. LXXVI.

Famâ ferunt omnem militarium per Friſios & Tranſlavicanos ſeditionum cauſam, à ſuſpectis Robleſij moribus originem traxiſſe, quod non habita militum æquâ ratione, plus ſevero imperio quam ſtudijs ſuorum tribuerit. Alij Scriptores addunt ſtipendijs militaribus gravem & fraudis ſuſpectum in odia incurriſſe, indignantibus cohortium turbulentiſſimis, in unâ Robleſij domo ſuperbiam Præfecti & avaritiam uxoris, laceſſendis ſeditionibus concurrere. Id vero unum Robleſij laudibus quidam dedêre, quod illâ rerum tempeſtate medium ſe partibus geſſerit regiſque gratiæ & ſimul provincialium commodis ſtudens, alienum animum & ab imminuendo regis jure & ſimul direptionibus civitatum habuerit. Sed multa talium imperitis noſtrarum rerum Scriptoribus memorata, diſſimulatis aut ignoratis rationibus, an Robleſium dominationis palam avidum & inſolentem, reverens populi animus ab extremis conſilijs, an impotentia virium deteruerit.

Omnes illæ ſeditiones militares Robleſio imputantur.

Siquidem ſpecioſum populo Concilij Status imperium, gratam novi fœderis ſanctionem reputabat animoſque provincialium tanto magis ab imperij ſui ratione averſos, quanto acriora deſideria reparandæ libertati obtenderentur. Sic invito populo etſi provinciæ bono ſumptuoſum aggerem erectum, introducta Vectigalia & collationes, dein tributa pro magnitudine opum imperaſſe, haud dubiè alienandis mentibus, quas apud bonos libertatis amor, apud inquietos licentiæ cupido occuparet. Inhærere adhuc recentum ingenijs ſeveri imperij memoriam neq; laturos provinciales, ut aſperis decretis quod gravius accedat acreque imperium inclinante dominatione inter exile præſidium intendatur. Adhæc militem ſtipendio placandum, quod non ex ærario, ut alias apud gentes, ſed quaſi per ſtipes domatim & quidem cum difficultate apud populum peteretur, tot ſæculorum libertati ſuetum & pro jure majorum ſtantem. Itaque multa exequendis extremis ſubſidia deeſſe, quæ ne tum quidem parari queant, ſi ſolitudo populi, ſi locorum Vaſtitas fiat. Florentibus provincijs haberi tributa præſidia imperij poſſe. Sin vero agros ac oppida furor militum populetur, perdendis rebus præceps, non renaſci bello & regiæ magnitudini ſervitura. Diſciplina omnia ſtare, niſi rectore coërceantur ultro fluitura facilè dilabi. Denique diu provinciæ adverſa obveniſſe ac præter civilium armorum tempeſtatem mare inſolitos per æſtus quotannis recrudeſcens privatas opes exhauſiſſe. Poſſe gentem bello & injurijs cœli ac maris laceſſitam, adhoc ultro mobilem ad graviora compelli ſi irritetur, ituram per veſtigia majorum, qui acriora principum imperia rejecta ſervitute depuliſſent. Extare non obſcura antiquæ virtutis monumenta populumque tot acta Cæſarum & imagines veteris gloriæ oſtentantem deprimi non niſi per ſpatia temporum poſſe, & ſi oblivione juris, ac

Verum & ſincerum de Robleſio judicium.

cIↃ. IↃ. LXXVI. *principis dominatum ferendo & odia præſentium & veterum memoriam excuſſerit. Itaque libertatis umbrâ velandum ſervitium, quod fruſtra intentes, niſi aut major vis in proxumo aut depreſſius obſequium ſit. Poſterius ſperari moto populo non poſſe & eam ratiomem ærarij non eſſe, ut evocandis in provinciam pluribus legionibus reſpondeat. Vbivis omnia anguſta eſſe & cum ſtipendia non procedant naſci inſolentiam. Ita fieri, direptis provincialium rebus autoritas Ducum minuatur licentia militum increſcat. Cui etſi aliquid dari merito poſſet, ob immanitatem criminis & fœdiſſimæ in regem rebellionis tamen expendenda temporum momenta eſſe, ne quid crudis rebus fiat & ne conſilia eventu dubia pro certis habeantur. Fortunæ humana volutantis anceps regnum eſſe, quæ res etiam prudenter & bono regis excogitatas intervertere queat. Præeſſe vicinis provincijs Aurantium, catum Principem, ſubminiſtraturum arma & conſilia, ſi viderit Friſiorum nationem adhuc regis nomen & ſacramenta præferentem, ac à Gandavenſi fœdere ſecretum durius haberi præfectoque regundis provincijs Belgici Status Concilio, Albanæ feritatis exempla recrudeſcere. Exſpectandas potius rerum occaſiones eſſe, quas Auſtriaci jam imperio deſtinati ſucceſſio promitteret, haud dubiè facturi, ut præfractum & imperia reſpuentem populum mole armorum & quidem cum indulgentiâ militaris licentiæ domet.*

A quo tamen conſilio Robleſium parum abfuiſſe, etiam ij credidere qui Romanis ſacris impenſius dediti & regio dominatui æquiores in ſuis etſi rudibus commentarijs optuma libertatis ſtudia odio Præfecti non diſſimulavere. Unde ilud acerbius omnem per Friſiam in Robleſium natum exuleſque trans Amaſum, Viſurgim ac Rhenum agentes ſui in patriam reditus non obſcuras ſpes verſavere. Sic per provincias conſternatio, mæror, ira, gaudium, pro animorum ſtatu viſebantur.

Finis Libri Tertij.

P. WIN-

cIɔ. Iɔ. LXXVI.

P. WINSEMI Hiſtoriarum LIBER QUARTUS.

Variæ de Auſtriaci in Belgicam adventu ſuſpiciones.

ICTO apud Gandavum fœdere ut omnia proſperè ceſſura avido libertatis populo videbantur, ita repentino Auſtriaci in provincias adventu multorum ſpes refriguere. Quippe lene Concilij Status imperium dominationi Principis ceſſurum arbitrabantur rerumque regimen magnis mutationibus ſubjacere. Ita Ordinum procerumque mentes ſuſpicio ſiniſtri occupaverat, quæ ultro imminentium præſagæ Hyeronimi Rodæ ad Philippum Regem interceptis litteris firmabantur. Iis namque, ut nuperis legionum ſeditionibus fomentum ſubminiſtrabatur, ita credebatur rex Philippus etſi revocandas in Hiſpaniam copias & ſuam in provincias profectionem ſimularet, militum ſuorum furoribus cladibuſque populi crudelem animum paviſſe. Vulgatis adhoc in commune rumoribus Joannem Auſtriacum Hiſpanicarum legionum Præfectos ad continuanda in regem officia ſollicitaſſe actiſque patratas ob cædes & enormem inſolentiam gratijs, Philippi nomine omnem benevolentiam & navati furoris mercedem obtuliſſe. Quo ipſo etſi ſanctio & vis nuperi fœderis convelleretur, quod vel maxume liberandis ab externo milite provincijs inſtitutum erat, ita tamdiu Ordines ad eventus rerum, velut ſuſpenſi & fluctuantes egere, donec Auſtriaci litteris diſſimulatæ ſuſpiciones proderentur. Alij credebant cum ipſo Caroli Cæſaris filio & Philippi fratre, tanquam Principe regij ſanguinis, revicturam pacem fore concordiamque ex immoderatis priorum Præfectorum & nullas propinquitates regiæ domus trahentium dominationibus luxatam æternâ pace coalituram. Itaque vicinorum Principum legationibus adîtus non renuente Eliſabethâ, quin prima imperij in Auſtriaco etſi ſuſpecto initia aulicâ ſimulatione approbaret. Cambdenus ſcribit Ioanni Auſtriaco clam auxilia obtuliſſe, æmulatione Henrici III. Regis & quo Ordinum animos à ſollicitandâ Gallorum ſocietate averteret. Neque aliâ ratione, mutuum æs XX. M. librarum Anglicæ monetæ Ordinibus aſſignaſſe, quam ut patriâ religione culta & ſtante populi in Philippum ſacramento, Gallicæ res retardarentur Auſtriacoque pacem offerente, numeratis ſeditioſo militi ex ſubſidiario Anglico ære ſtipendijs, cum Philippo in gratiam à diuturna diſſenſione redirent. Adeo Gallica odia Hiſpanicis a-

cIↄ. Iↄ. LXXVI. pud Eliſabetham prævalebant, hoc maxume præcaventem, ne vicini & æmuli regis vires connivendo ad externa ſubjuvaret Gallorumque potentia ex fœdere Belgico, regni vero ſui imbecillitas increſceret. Igitur Auſtriacus Luxemburgi agens, ubi modum cœptandi per Provincias imperij animo volutabat, Bruxellas ad Ordines generales litteras in hunc modum dedit.

Auſtriaci ad Ordines Generales litteræ.

A Fratre meo P H I L L I P P O *rege,* O R D I N E S, *ex Hiſpania in Belgicam miſſus ſum, ut illius nomine vobis cum Imperio præeſſem. Et quoniam fato tot annis diſcordes & involuti bello egiſtis, de mandato Regis componere diſſenſiones terriſque veſtris pacem redonare paratus ſum. Quare de reducendæ ſtabiliendæque concordiæ remedijs cogitabo ocyus daboque operam ut, quicquid ſeditioſæ legiones haud pridem deliquere, meâ ſeveritate & militari diſciplinâ corrigatur. In vobis interea erit meminiſſe ſacramenti veſtri regique ac Romanæ religioni debitum cultum & obſequium præſtare. De cæteris quæ in mandatis habeo, exponam coram latius. Itaque obſides à vobis dari peto, quo publicæ pacis fideique certus ſim periculique ſecurus in provincias pergam meo moderamini commiſſas.*

Quæ ipſum apud Ordines ſuſpectiorem reddunt.

Quibus litteris in conſeſſu recitatis altior metus Ordinum animos pervaſit, indignantibus adhoc pleriſque, Ioannem Auſtriacum mandato & autoritate Principis ſubnixum largaſque certæ pacis ſpes venditantem, exordia imperij deſiderato obſide capeſſere. Ita ſcilicet fœcundam inſidiarum mentem, ita mali teſtem conſcientiam detegi juvenileque Auſtriaci pectus internis angoribus & ſecreto tortore velut indice occulti facinoris non vacare. Itaque curioſè Auſtriaci in conſilia & actiones quæſitum, magis ſuſpectâ indies fide quod Belgicam ingreſſus, longè à pacis curâ, bis mille Germanos ab H E N R I C O III. Galliæ rege, ceſſante civili bello exautoratos, ſuis ſtipendijs ac ſacramentis aſcripſiſſet. His accedebat, quod omne dominationis ſuæ præſidium ab exercitu peteret, inſigni errore recturi Principis, cujus imperium temperatæ potius ſecuræque majeſtatis & ſuorum gratiæ eguiſſet. Erant qui exiſtumarent Auſtriacum quod primos vitæ annos & facilem hauriendis moribus adoleſcentiam per Hiſpaniam egiſſet, aliquid quoque contagij ex illo cœlo traxiſſe, quod ingenijs Belgicæ & Friſiorum, Germaniæ gentis, adverſum, procerum & civile diſſidium opprimendæ libertati foturum crederetur. Sic ſubdolâ & indecorâ Principi arte, Mauros ſubegiſſe fœdoque documento violatâ fide, quod per arma non poterat, dolo executum. Diſſimulaturum quoque, erudito ad fraudes ingenio, naturæ vitia fore, dum, quod potiundis ex arbitrio rebus conduceret blandimonijs & fictâ humanitate pellectum populum circumveniſſet. Tum vero de opprimendo fœdere, de punienda in regem rebellione cogitaturum, facturumque ut, quod mali Principes aſſolent, vacuum lege imperium per ſervitia & ſanguinem populi tueatur. His præceptis à Roda in Hiſpaniam ituro, his mandatis inſtructum, qui hoc maxumè ſuaſiſſet, ut quodlibet profuturum conſilium cautâ ſimulatione tegeret omnemque regnandi prudentiam gentis ſuæ aut Italiæ moribus aſſimilaret.

Reidanus tradit Auſtriacum, gerendo Philippi per provincias imperio,

rio contrarijs mandatis inligatum publicoque reſtituere jus populi & amotis externis legionibus, quietem provincijs juſſum, clandeſtinum rumpendo fœderi & reparandæ regiæ autoritati accepiſſe. Quare Aurantius lubrico fœderi & ingenio Auſtriaci diffiſus de communiendis Hollandiæ Zelandiæque provincijs cogitavit Ordineſque Generales de JOANNE AUSTRIACO his litteris commonuit. cIɔ. Iɔ. LXXVI.

Aurantij litteræ monitoriæ ad Ordines Hollandiæ Zelandiæq; generales de Auſtriaco.

Fidem facio apud vos, ORDINES, *ad alia me nunquam conſilia, aut alias ſpes turbidis temporibus erexiſſe, quam ut provinciæ, more antiquo, Ordinum imperijs, ſalvo jure Principis, regerentur. Cæterum quoniam privata ambitio, jam ante modum ſæpè egreſſa, dominationem Principis accidit, ita factum eſt, ut potentiam ſuam princeps poſt auxerit, veſtram depreſſerit. Ego vero etſi ſperaveram vos more majorum ſubortis malis uſitata remedia, vobis jus, pacem, cujus ſpeciem Gandavenſi conventione edidiſtis, provincijs aſſerturos, ita metuo* AUSTRIACUM *& Hiſpanos, ſua in vos odia falſis blanditijs tegentes, veſtrâ integritate abuſuros fore. Quippe ut conſilijs veſtris ac progreſſui rerum obeſſent, utile cenſuerunt, ut clam & celerrimè in provincias Auſtriacus mitteretur voſque fucatis Auſtriaci perſuaſionibus & reverentiâ novi regnantis ſeductos in omnem ſocordiam neglectæ gerendarum rerum occaſiones præcipitarent. Is vero ut in ſpeciem veſtro conſeſſu, ita eorum præcipuè conſilijs res geret, quos in conſcientiam ſui ſecreti adhibuit. Sic reputate* MARGARETAM Auſtriacam Duciſſam Parmenſem *ab Armenteri judicijs tanquam oraculis pependiſſe. Neq; alia* AUSTRIACUM *hoc ipſo tempore verſare, quam ut imperium veſtrâ ſervitute emat. Vos vero cogitate,* ORDINES, *non ut privatos arduis negotijs ac regundæ tantæ moli præeſſe, cæterum in publico rerum faſtigio locatos populi veſtri res gerere, qui in ſinum veſtrum fortunas, libertatem, ſanguinem atque ſpiritum depoſuerit. Quare potiſſima tuendæ libertatis apud vos ratio eſſe debet, quo rationem rerum aliquando reddituri, nihil ſervitutis (à quâ niſi præveniamus parum abſumus) inglorij & ſocordes veſtris poſteris relinquatis. Vt eam vobis imponant,* ORDINES, *mille artibus, mille dolis vos aggredientur, tanto majus decus ac gloriam habituros, ſi veſtra pectora, veſtræ mentes illorum inſidijs ac blandimonijs non patuerint. Itaq; cenſeo cum* IOANNE AUSTRIACO *non ante paciſcendum, quam terris veſtris, ac finibus peregrinus miles exceſſerit. Quare nec poni arma, nec excercitum, qui veſtris ſacramentis militat dimitti volo, cæterum ius veſtrum & libertatem, quam cum ipſo ſpiritu à majoribus accepiſtis, veſtrâ virtute retineri. Hoc etiam addo, nec longis ambagibus, nec prolixis aut crebris conventibus involvendum negotium, cæterum reſignanda eſſe veſtrarum mentium ſecreta detegendamque eorum iniquitatem, quâ tot annis ab oppreſſoribus veſtrarum legum exagitamini. Enormi imperio & inſolentiſſimis moribus remedium, patrocinium veſtro juri brevi voce poſtulabitis. Id vero ſi* AUSTRIACUS *recuſet, obteſtatione utendum cenſeo ſuadeoque ut fidem faciatis non rebellione in regem, cæterum innocentiâ fretos, jura atque immunitates veſtro ſanguine tutaturos. Apertius quam tectius agentibus breve reſponſum dabitur, quod maxume* ORDINES, *veſtro bono cedet, ne morâ illius vires invaleſcant, veſtræ atterantur. Sic reputate* PHILIPPUM *regem* ANNO cIɔ. Iɔ. LIX. *Gandavi à vobis liberius exceptum ſpem mittendi exercitus & Hiſpa-*

cIↃ. IↃ. LXXVI. nicæ legionis ocyus feciſſe, tractum haud dubiè decretum, niſi veſtrâ magnanimitate & conſtantiâ compulſus, ſuæ voluntatis ſecretum exponere etiam in procinctu itineris coactus fuiſſet. Simile cogitate hoc ipſo tempore faciendum eſſe & quidem adverſus eum, quem veſtri diffidentia, inſtabile concordiæ vinculum occupavit. Itaque muniendæ potentiæ & ſecuritati ſuæ militem & exercitum petet, qui ne ſacramento veſtro agat, ſuo adſtringet. Tum militaris præſidij potitus vobis ſecuris & in commune conſulentibus legem præſcribet, ſi non æquo, ſaltem armis ſubnixam. obluctantes ſeveritate & rigore imperij, cæteros metu compeſcet. Inde ſecretorum machinator, quia fidei veſtræ nec ſuæ integritati credere vult aut poteſt, obſides poſtulat, quos æquius eßet vos petere, quorum fida ſemper in Regem obſequia oppreſſionibus Hiſpanorum patuêre. Sic Trajectum ad Moſam, ſic florentiſſimam urbium Antverpiam ne veſtigia quidem veteris fortunæ retinentem ſpectate arciumque & veſtræ incolumitatis præſidia veſtro exitio uſurpata. Quarum fundamenta ut per ſocordiam veſtram increvere, ita ſatius fuiſſet aut nunquam extitiſſe aut ſolo æquatas veſtram ſecuritatem ſtabiliſſe. Nunc occupatis per vos caſtellis ejectiſque præſidijs Rex intumeſcet ſibique injuriam, vim ſuæ genti factam interpretabitur, ulturus haud dubiè ubi occaſio feret. Quippe noſtrâ imbecillitate mortales injuriæ quam beneficio facilius repenimus, præſertim vero Principes, qui diſſimulandis magis, quam ponendis injurijs erudiuntur. Neque credite, ORDINES, condonaturum ea Regem, cujus imperium tam ſublime, tam præfractum eſt, ut nec ſupplices ferat. Inde reputate cauſas publici furoris, inde exordia motuum cœpiße. Hac de causâ in EGMONDANI HORNIJQUE cervices, in ſanguinem populi & nobilitatis ſævitum. Idem nobis periculum, idem regiæ potentiæ fulmen impendet, cujus ea ægritudo eſt, ut cum imperare ex arbitrio velit, non poſſit. Hæc ſola regiæ mentis ſumma imperia verſantis ſumma imbecillitas eſt, quam ſi ſupplere per vim & arma nequeat, dolo ſupplebit. Fallacibus blandimentis adorietur incautos. Sic de revocandis in Hiſpaniam legionibus decernet, neque abſimili fide, quam quâ olim, cum illorum miſſioni abſcendente in Hiſpaniam PHILIPPO trimeſtre præfiniretur. Cogitate cum offenſo rege, cum valido hoſte rem vobis eße ſpectandamque aut rerum omnium ruinam, aut ſumenda arma. Sin vero auſcultandum conditionibus ſit, cenſeo è re veſtra eße, ut Hiſpani Belgicâ excedant reſtitutoque provincijs omni jure, vos poteſtatem deligendi Senatum agendique quotannis conventus habeatis, componendis ordinandiſque provinciarum rebus à majoribus inſtitutos. Hoc etiam paciſcendum ſuadeo, ut caſtella ac arces ſolo æquentur juſque habendorum delectuum diſponendorumq; per provincias præſidiorum, non AUSTRIACI ſed veſtræ poteſtatis ac arbitrij ſit. Ijs impetratis proſpectum incolumitati veſtræ erit. Sin vero ſecus fiat voſque aſſentatio aut reverentia AUSTRIACI ſeduxerit, novas diſcordias & pejus bellum feretis, quod eorum oculis animiſque obſervatur, apud quos nec regis, nec Auſtriaci fides integra eſſe poteſt. De me teſtor, conſilium hoc meo pectori veſtræ & ſimul publicæ ſalutis deſiderium extorſiſſe, cui non verebor omnia mea & hunc ipſum ſanguinem ita poſcentibus rebus conſecrare.

Hæc AURANTIUS.

Unde conſilium de admittendo Auſtriaco longius prolatum amplexandique, quod Gandavi ictum etat, fœderis, & ſimul exterminandarum

darum provincijs legionum, ſollicita deſideria increvere. Auſtriacus vero, etſi miſſionem regij exercitus palam non detrectaret, ita urgebat, ut claſſis per provincias adornaretur regiæque legiones trans mare in Hiſpaniam aut deſtinata locorum amandarentur. Quod ad Gandavenſis fœderis negotium attineret, non aliud regerebat, quam paratum ſe eſſe, regio nomine aſſenſum fœderi dare, modo certus ſit id ipſum Fœdus, nec Romanæ Catholicæ Religioni, nec regio juri aut autoritati quid derogare. Itaque teſtimonia eidem Fœderi à divinarum humanarumque rerum peritis, ac Concilio Status ſcripta, quibus judicabant poſſe Auſtriacum, ſalvo Philippi regis jure & intemeratâ Romanâ Catholicâ Religione in communionem Fœderis ac Belgicæ ſocietatis condeſcendere. Id ſcilicet unicum ſanandis malis & conciliandæ paci remedium ſuperfuiſſe, quam tot annis, velut diro ſydere circumactam, revolutio fœlicisſimi temporis Belgicis terris hoc ipſo Fœdere promitteret. Cæterum Auſtriacus doli prudens & ſui conſilij haud ignarus, dilationem miſſionibus legionum quærebat regiſque exetcitum claſſi committendum rebatur. Non poſſe quippe tot provincias, tot regiones intempeſtivo anni tempore tuto tranſiri, anguſtis dierum ſpatijs & hyberno cœlo tempeſtatibus triſti. Trajicienda eſſe flumina, ſuperandos montes, quorum juga aut anguſtiæ præaltâ nive tegerentur. Eſſe Sebaudiam ſterilem & attritos Allobroges, nec equis aut jumentis pabula, nec alimoniam copijs ſubminiſtraturos. Adhæc Italiæ aditus commeantibus præcluſos infectumque peſtilentiâ aërem, nec tutas itinerum ſtationes, nec ſanas fruges aur ſalubrem victum polliceri. Hæc Legionum, hæc tribunorum murmura eſſe. Creditum fuit, Joannem Auſtriacum commiſſo claſſibus exetcitu, ambitioſæ menti, ut ante Tunetanum, ita tum Angliæ regnum deſtinaſſe Gregoriumque XIII. Pontificem, Eliſabethâ Reginâ, velut rerum incapace & hæreſeos à Pio V. ante ſexennium damnata, Joanni Auſtriaco titulum ac jus regni ſecretis tabulis aſſignaſſe.

cIↄ. Iↄ. LXXVI.

Auſtriacus ſubdolè claſſem petit dimittendis ex Belgicâ externis militibus.

Cæterum Ordines ſumptuoſam claſſem, nec tam cito inſtruendam, defectum navium & claſſiarium militem ab illâ expeditione alienum, ſpecioſis rationibus criminabantur. Adhæc ſtipendijs nauticæ pubis impar ærarium eſſe, poſcentibus reſiduum æris legionibus, nec ſine eo exautorandis. Ita acerbis altercationibus ſubdolæ res trahebantur, donec ſequens annus novo Ordinum Fœderi & inſtituendis cum Auſtriaco conloquijs deſtinaretur.

Ordines ſpecioſè recuſant.

Tum Joachimum Hopperum Madriti in Hiſpaniâ mors abſtulit, quem Philippus claritudine famæ ac virtutis ſecretis regni ac Belgicarum rerum admoverat. Viri [vitam ſuâ & majorum laude clari ut alij ſcripſere, ita ulterioribus ſuperſedeo. Hoc tantum ſubjungam, ituro in Belgicam Auſtriaco ſcribendis mandatis præfuiſſe ſuadentemque ſalubria, & nutriendis per provincias diſcordijs aliena, longiore morbo ac tabidâ febre extenuatum præclaro exitu naturæ legem impleviſſe. Cujus morte quantum mœroris luctuſque regius animus hauſerit magna in defuncti familiam & ſuperſtites liberos Philippi beneficia patefecere. Quippe ſumptuoſo ex Hiſpaniâ in Belgicam itineri duodena millia decrevit annuâque mille carolæorum penſione hæredes donavit. Funus

Hopperi in Hiſpaniâ mors.

regiâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ LXXVI. regiâ quoque impenſa ei factum illuſtriſque exequiæ ſolennibus laudationibus decoratæ, viri famam per ingenij opera conſcientijs poſterorum deſtinatam juſtis elogijs adumbravere.

Concilium Status Lalainium Friſijs dat præfectum. Igitur Concilium Status Gaſparo Robleſio Groningæ, & illius conjuge apud Leovardios cuſtodiæ datâ, ne militare & ſimul provinciæ imperium rectore vacaret, Georgium Lalainium magnæ ſpei Principem regundis intra Flevum Amaſumque Friſijs deſtinavere, aucto in eum Concilij Status Belgici favore, quod octo cohortium ſignis ejecto urbe & ſimul caſtello Germanorum Hiſpanorumque præſidio, Valencenas, munitiſſimam Hannoniæ urbem, in fidem Ordinum, eximiâ imperij autoritate citra ſanguinem redegiſſet. *Eum in finem litteræ ad Friſios datæ.* Quare & à Concilio Status litteræ in Friſiam menſe Decembri datæ, quibus Lalainio commiſſam per Friſios gubernationem addito Philippi nomine indicabatur. Placuiſſe ſcilicet fato converſionem rerum per provinciam inſtitui & legum quietiſque publicæ perturbatores vinculis datos poſſeſſione ejici uſurpati dominatus. Violenta raro diuturna eſſe luendamque fuiſſe exercitam dominantium aſperitatem inter ſquallores carcerum, quo æquitas fati cuncta attemperantis ſpectaretur. Nunc vero ne durante interregno res ſecius fluitarent, Georgium Lalainium Gaſparo Robleſio, ſed ad tempus, ſuffectum, dum Lalainius, amoto prædeceſſore, experimenta rerum & florentis juventæ in moderandâ gente edidiſſet. Velle igitur Friſij in ſpem meliorum temporum ei morem gerant credantque ordinandæ provinciæ poteſtatem ei â conſeſſu patrum aut Concilij Status ex decreto Philippi permiſſam.

Lalainius in Friſiam proficiſcitur. Unde Lalainius ſalutatis Ordinibus Bruxellis, dein Brabantiâ exceſſit Middelburgique Zelandorum apud Aurantium Principem, cujus gratiâ pollebat, ſubſiſtens, peragratâ Hollandiâ conſcenſoque apud minores Friſios navigio, Groningam provectus eſt. Cæterum vergente in occaſum die, qui hyberno tempore breviſſimus eſt, contumaciâ militum, quorum animi nuperâ ex inquietudine necdum deſederant, urbe prohibitus, in Cænobium Selverdicum ſeceſsit. Ibi cum Pompeio Ufkenio, Jacobo Hildebrandio, Ruardo Alberda, Henrico Oienbruggio, Franciſco Pipenpoio, & Lanceloto Paraſitio, qui in ejus comitatu erant, audiendis Groningenſium ac Omlandiæ Legatis præſedit exhibitiſqae mandatorum ſuorum tabulis provincialium & ſimul militaris præſidij animos ſibi conciliavit. Unde mœſta pridem civitas & turbidæ cohortes, excuſſâ inſignium illuvie & contumaciâ vultuum publicam in lætitiam effuſæ, magno indicio utrumque corpus, juſto moderatore deſtitutum, velut inops conſilij nullo ordine & incerto motu fluitare.

Lalainius cum applauſu Groningam ingreditur. Sic deducente præſidio inter erecta cohortium ſigna & acclamationes civium Lalainius Groningam ingreſſus, adeo cœcâ adhuc futuri mente, ut præſenti juvenilium annorum fortunæ & ſimul ſpecioſo rerum paratui intentus, neſciret eandem urbem defectioni ſuæ & ſimul extremis parari. Mox pronis populi procerumque augurijs dignitatem orſus, quod eum præter animi dotes, claritudo natalium, tum flos vividæ ætatis creſcentiumque annorum non obſcuræ ſpes commendarent. His accedebat toleratum ſub Albano exilium grande fidei pignus & literarum

terarum

terarum ornamentis illuſtre pectus imbutum. Adhæc decoram faciem, vegetum corpus, flaveſcentem cæſariem, externam pulchritudinem, vulgus intuebatur, credulum ut ſolet, externis naturæ donis bonam Principis mentem inniti. cIↃ. IↃ. LXXVI.

Cæterum, ut in rebus mortalium proſperi ſæpe comes adverſitas eſt, ita primam Præfecturæ in Lalainio infantiam exigentium ſtipendia cohortium non tam dubia fides, quam criminationes & querimoniæ obturbavere Ita ſcilicet cum Martinio Stella Ordinum Legato conventum ajebant, ut quicquid æris competeret, tranſcriptis in partes Ordinum exſolveretur. Hac ſpe Præfectum ſuum & poſt urbem imperio Ordinum aſſeruiſſe, id certè commeritos, ut ſi non præmia præclaro & laudato patribus facinori, ſaltem ſtipendia militiæ mercedem ex condicto obtineant. Quare Lalainius ſanandis cohortium querimonijs & ne iſtæ in licentiam aut defectionem erumperent, Gulielmum Doetecomium, & Joannem Matheneſsium legatos in majores Friſios amandavit, litteriſque fiduciarijs ſuâ manu prid. Eid. Jan. ſignatis conventum Delegatorum Friſiæ ad diem XVII. Januar. Leovardiæ indixit.

Cohortes promiſſa ſibi ſtipendia petunt.

Anno cIↃ. IↃ. LXXVII.

Senatus vero Regius, ut Robleſio clam addictior, ita manifeſtâ ergâ Lalainium æmulatione ducebatur, quod interiore Aurantij amicitiâ florens, ſocietate ac ſacramento fœderum imbutus crederetur. Quare actis Senatus nomen Lalainij adhuc excluſum publiciſque ac regijs edictis autoritas Senatus præfigebatur. Unde Lalainius ſive calore ætatis & juventæ annis, ſive ne recentis imperij vis & autoritas ſolveretur, Præfecti titulum à Senatu regio decerni juſſit eundemque in acta Concilij Status jurare per Legatos adegit. Quippe Gulielmo Doetecomio & Joanni Matheneſſio Delegatis, ut dixi, Leovardiam miſſis, inter alia mandaverat Lalainius, ut dignitatem ſibi à Concilio Status factam apud reluctantem Senatum aſſererent patrumq́; acta lubricis temporibus per modum libelli exequerentur.

Lalainius conventum Delegatorũ Friſiæ Leovardiæ indicit, habetq́; Senatumregium minus faventem.

Idem Præfecti titulũ à Senatu ſibi decerni petit.

Iſto perſcriptum erat.

CONCILIUM STATUS *Belgici* GEORGIO LALAINIO *Præfecturam Friſiæ, Groningæ, Omlandiæ, & Drentiæ collocaſſe. Et quoniam intellexiſſent Senatum regium poſtulatis Ordinum Friſiæ reſcriptum indulſiſſe, ab heſterna actione & ſuis mandatis alienum, ita petere ut Senatus de plano reſpondeat, an* LALAINIUM *pro Præfecto haberi & an parere decreto* CONCILII STATUS *velit actaque eâ de re ocyus perſcribat. Fore alias, ut Lalainius ex contumaciâ regij Senatus cauſam querelæ nactus, apud* CONCILIUM STATUS *de læſâ* ORDINUM *& ſimul regiâ autoritate expoſtulet.*

Libellus ad Senatum.

Ad quæ SENATUS.

QVONIAM è CONCILIO STATUS *ex litteris* XV. *Decemb. ad nos datis intelleximus* GEORGIUM LALAINIUM *in Friſiam miſſum, quo in res ſtatumque provinciæ inquireret eumque ita ordinaret, ut commodo* PHILIPPI *regis & paci publicæ conduceret, addito inſuper ſummi imperij mandato, donec aliter ſtatuatur. Ita declaramus vobis Legatis, quod heri ore tenus fa-*

ctum

cIↃ. IↃ. *ſtum eſt, nos eundem Lalainium pro Præfecto Friſiæ agnoſcere, daturi operam*
LXXVII. *ut mandatorum tabulis, quas exhibiturus poſt erit, pareamus actaque regiæ majeſtatis aut* CONCILII STATUS, *durante ejus imperio vim atque effectum ſortiantur.*

Hæc XVI. Ianuar. perſcripta ac Emskerckij Graphiarij Regij manu Leovardiæ ſignata.

Mox poſtero Conventus habitus verbaque in hunc modum à Præſide Senatus, nomine Legatorum ad Deputatos Ordinum facta.

Oratio Præſidis Senatûs in conventu Deputatorum

A*SSERTA* ORDINUM *partibus Groningâ, poſt* GASPARUM ROBLESIUM *à Legionarijs ſuis cuſtodiæ datum,* Concilium STATUS *Belgici, regundis pro* PHILIPPO *rege provincijs admotum, de mittendo in provinciam hanc* GEORGIO LALAINIO *decrevit. Quippe turbidæ res ſucceſſorem* ROBLESIO *flagitabant, ne quid gravius regi aut vobis accideret. Is verò celerrimo itinere confecto quod moleſtiſſimum mediâ ei hyeme fuit, poſtquam Groningam appulit, id maxumè adnixus eſt, ut inquietas cohortes ſedaret caſdemque in verba ſua adigeret. Cæterum* ORDINUM *etiam partes profeſſæ ſacramentum Præfecto detrectavere. Itaque nec jusjurandum dicere, nec intereſſe recenſioni, præterquam penſitatis ſtipendijs voluere. Et quoniam* LALAINIUS *nec quieti publicæ, nec commodis veſtris conſulere, præterquam pacatis cohortium animis poteſt, (quos componi* Concilium STATUS & ORDINES *provinciarum ex uſu publico cenſent) ita viſum ei fuit, hunc conventum indicere, quo de illius poteſtate & mandatis vobis conſtet & ut ſubſidia ordinandis rebus quærantur. Veſtrum erit,* DEPUTATI *optumo in provinciam Lalainij affectu non abuti, cui non aliud propoſitum eſt, quam ut divino cultui & Romanæ Catholicæ religioni, tum veſtræ patriæ bene ſit, ac ut legibus immunitatibuſque majorum veſtrorum proſpiciatur. Hoc tantum neceſſum eſt, ut initis necdum ſupputatiſque cohortium rationibus, modicum æris, pro mole tributi veſtri præſtetis, quo miles pretium ſacramento & navatæ fidei præmium accipiat. Ejus namque ope ut libertatem accepiſtis, ita ſuffugiſtis ſervitutem quæ vobis ultima, liberis atque veſtris poſteris parabatur. Itaque,* DEPUTATI, *ſi ſtipendia ocyus cohortibus decernatis, dabit operam* LALAINIUS, *ut res veſtræ cum illius affectu increſcant veſtræque ſpei abundè ſatisfactum teſtaturi ſitis. Hos etiam monendum nomine* Concilij STATUS, ORDINUM Generalium, & Præfecti *duximus, ut Legatos Bruxellas mittatis, qui Fœderi inter* ORDINES Provinciarum & AURANTIUM *icto ſe jungant, conſulantque in commune, exterminandis Belgicâ Hiſpanis, continua in patriam veſtram odia & ſimul exitia profeſſis.*

Creditum fuit Senatum per Friſiam regium, quod nec promovendo ſanciendoque fœderi legatos Gandavum miſiſſet, nec tabulas vulgaſſet, ab eo ipſo conſilio abhorruiſſe obſecutumque tempori, velut magnæ rerum mutationis providum, Ordinum & Lalainij imperijs paruiſſe.

Delegati cum Senatus negotiū communicant.

Itaque Ordinum per Friſiam Delegati, quo legatorum Lalainij poſtulatis ſatisfieret, cum Senatu quoque regio negotium communicavere, prætentandis haud dubiè animis & ut ipſorum conſilia, reſumendæ clam libertati prona, exquiſitis Senatus arbitrijs firmarentur.

Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Non poſſe quippe novo Rectori Lalainio ſe provinciæ imperium approbare innuebant, niſi de ſpeciali ſuperiorum mandato conſtitiſſet & niſi Senatus regius cenſeret tantis rerum exordijs vim mandati ſubeſſe. Adhæc adſcribi, quod legati petierant, Ordinum generalium Fœderi ſe non poſſe inconſulto Senatu, tanquam legitimo magiſtratu & ad cujus exemplum afformari ſua reſponſa & ſimul reſcripta deberent. CIƆ. IƆ. LXXVII

Quæ haud dubiè gravando Senatui, velut recuſaturo reperta, ita ſpecie honoris erudita humanitate deferebantur.

Quare Senatus regius reſcripſit.

Reſcriptum Senatus regij ad Delegatos.

Opinari ſe actiones GEORGII LALAINII *publicæ autoritatis & Concilij Status decreto inniti, de cujus fide ſi dubitare Delegatos Ordinum Friſiæ contingat, poſſe, quo talium certi ſint, mandati rationem apud eos indagare, apud quos expedire judicarent. Se interim ſtare mandato Regis aut Concilij Status, dum Rex partes regendi Concilio aſſignaverit, daturos operam, ut cum illius imperio ſua parendi ratio congruat.*

Hæc eodem XVI. Jan. die perſcripta, & ab Emſkerckio actis inſerta. Qua oratione ab Achlenio Præſide habitâ Deputati Ordinum cum obteſtatione patrij juris, ut id ſartum tectumque eſſet, hoc modo reſponderunt.

Acta in Conventu Delegatorū

QVamvis fidem fecerit rex PHILIPPUS *ſe aſſignato ei annuo cenſu novis nos oneribus non gravaturum, ita liberalitate noſtrâ erga impulſas* PHILIPPI *res uſi illius neceſſitatibus non ſemel ſubvenimus. Anno ſeptuageſimo etiam ſtupendâ maris inundatione damna paſſi (poſtquam homines, jumenta, fruges, villæ, horrea in altum acta) tamen de ſubſidijs cogitavimus, per quæ ærarium regis fervente bello ſublevaretur. Sic bona univerſitatis, ſic agros, ſic prædia pignori dedimus, poſtquam inſtituta Vectigalia & tributum familijs impoſitum noſtræ liberalitati & egentiæ regis non ſufficerent. Dein collato menſtruo ære anguſtiam rerum præjuvimus, ita tandem attenuatis facultatibus noſtris, ut nos ulterioribus exactionibus ferendis invalidos noſtra in regem ſtudia fecerint. Tamen reverentiâ regis & affectu in* LALAINIUM *ducti, ut pax provinciæ, quies atque proſperitas ſit, centum millia carolæorum in ſubſidium præſtabimus, cæterum hac cautione, ut patrimonium cenſuſque regius pignori nobis ſit & ut collecti in militem æris erogatio ex Delegatorum noſtrorum conſilio fiat oppidaque ac arces à præſidijs cohortium leventur. Hoc etiam cavemus, ne quæ exactiones in poſterum fiant, & ut agri ac poſſeſſiones noſtræ ab incurſionibus ac præſidijs militum immunes ſint. Quod ad Fœdus Gandavi ictum attinet, id teſtamur nos approbare, daturos operam ut hoc ipſo cæteris provincijs ſociati Legatos Bruxellas ocyus mittamus, qui tractandis ulterioribus pacis negotijs & curandis rebus præſint. Hac tamen conditione, ut* LALAINIUS *Præfectus ſuum per Friſios imperium noſtris legibus ac immunitatibus adæquet adhibeatque in conſilium Delegatos Ordinum è noſtrâ gente quovis tempore deligendos.*

Hæc XIII. Kal. Febr. in acta relata, ac pro Ooſtergois à Paulo Coſterio Antiſtite Foſverdico, Decone Martna, Edzardo Douma, Jorritio Bocatio Wiarda; pro Weſtergois à Thomâ Groningenſi Præ-

cIↃ. IↃ. LXXVII.

ſule Floridi Campi, Julio Botnia, Herone Ockingha, Livio Beiemo; pro Sylveſtribus Eraſmo Douma, Frederico Roorda, Foppio Douma & Annæo Tarquinio ſignata. His additum fuit, ut, quoniam undecim oppidorum Delegati, nec conditionibus æquis auſcultare, nec ſuccurrere publicæ neceſſitati vellent, ſe quintam prædicti æris partem exſolvendam oppidanis relinquere, daturos operam ut L X X X. millia publicis uſibus præſtentur. Ita Paulus Coſterius, Hero Ockingha, & Eraſmus Douma ſignavere.

Legati à Deputatis Bruxellas miſſi.

Sic dimiſsi Legati & ad Lalainium profecti. Mox Delegati Ordinum è Friſia Bruxellas cum magnâ feſtinatione miſsi, quo ſtante adhuc Concilij Status imperio, expedita remedia malis moribus aut collapſis rebus peterentur. Quippe Auſtriacus, etſi in ſpeciem pacis veniſſet, à reſtituendo provinciarum jure alienus credebatur, nondumq; Principis poteſtatem libertati iniquam prolatis jurisjurandi ſolemnibus induiſſe. Poſtulata Legatorum hæc fuere.

Legatorum poſtulata.

Vt L A L A I N I O *provinciam recturo è dignioribus gentis adjungerentur, quorum conſilijs uteretur. Epiſcopus dignitate cederet cænobiaque & ſacri reditus ad eos redirent à quibus proceſſiſſent. Idem Epiſcopus cenſus Eccleſiaſtici rationes, mobilium vero bonorum & repertæ per Cænobia ſuppellectilis inventarium exhiberet. De mulctis, quas in præjudicium regij juris privatis ac Menonitis extorſiſſet, ſimiliter reſponderet. Officiarij contra conſuetudinem juris patrij per Hiſpanos & eorum Præfectos conſtituti muneribus privarentur novique de arbitrio Præfecti &* S E N A T U S O R D I N U M *ſurrogarentur. Tribuni ærariorum Robleſianis temporibus creati, reddendis rationibus citarentur. Idem Theſaurarius regius de bonis fiſco acquiſitis coram Ordinibus Friſiæ præſtaret, quo cognoſcant, quantum regio ærario allevandis provincialium tributis acceſſerit. Magiſtratibus per oppida conſtitutis imperium abrogaretur populuſque civicus, delectu è ſuo corpore facto, ſuo bono novos crearet. His deductis per provinciam foſſis alijſque aggerum & florenorum aureorum impendijs, addita mitioris imperij legem & ſimul levamenta onerum poſcebant.*

Cæterum an Legatorum poſtulatis reſcriptum Bruxellis ſit, in indigeſtis illorum temporum actis non reperio. Dolendum certe eſt, eâ gentis noſtræ & eruditorum, qui tum claruere, ſocordiâ noſtræ libertatis initia certioribus actis non inſerta, niſi præclara forte ingenia dubijs incertiſque temporum inquies & ſine juſto otio vita, tum magni Regis ac rediture per arma ſervitutis timor à ſcribendi officio retraxit.

Ordines ob ſuſpectam Auſtriaci fidem novum Fœdus ſanciunt.

Igitur ingraveſcentibus in Auſtriacum ſuſpicionibus & ne corpus Gandavenſi fœdere colligatum paucorum facilitate aut diſcordia divelleretur, validâ apud quoſdam Auſtraci gratiâ & quod Imperatorium regiumque ſanguinem ſuis natalibus præferret, novum inter ſe Fœdus Ordines ſancivere, celerato negotio, quod delectus habere ac exercitum parare omen inſtantis belli, Joannes Auſtriacus, nec vanis rumoribus, diceretur. Eo cautum erat.

Vt idipſum Fœdus perpetuum ſtabile atque firmum eſſet Romanaque Catholica Religio, Gaudavenſis conventio, ſtatuta, jura, immunitates ac conſuetudines provinciarum integræ inviolatæque manerent, Hiſpaniſque & earum oppreſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

preſſionibus communia arma, vires atque ſubſidia opponerentur. Deſciſcentes cIↄ. Iↄ.
quoque ab eo ipſo Fœdere amiſsio juris, ſtatus, famæ atque dignitatum ſeque- LXXVII.
retur beneficiumque reſtitutionis in integrum tanquam hoſti publico, exlegi & famoſo nullum eſſet.

Cujus tabulæ à Concilio Status, Ordinibus generalibus, manu Cornelij Wellemanni perſcriptæ ac Senatui per Friſiam regio tranſmiſſæ, in acta relatæ vim atque efficaciam accepere. Itaque ab Antiſtitum ordine, tum ipſo quoque Præfecto ac Senatu regio ſignata, ſubſcriptionibus Magiſtratuum, Officialium & Collegiorum, mox invaluere, non diſsimulantibus Pontificijs; novorum fœderum ſanctionibus externæ dominationis potentiam ſubverti.

Lalainius denuò promiſſa militi ſtipendia poſcit.

Igitur Lalainius, necdum ſedatâ cohortium inquietudine, Matheneſſium, Oyenbruggiumque Legatos cum fiduciarijs litteris in Friſiam remiſit; quibus ducenta & triginta carolæorum millia, pacandis præſidijs, poſcebantur.

Quippe rationes æris jam initas proponebat metuendumque eſſe, ut Groningenſe præſidium mobile & turbidum in majorem Friſiam ſe effundat cæteriſque copijs, quas dubia fides contineret, ſociatum, non abſtineat alieno. Adhuc vero diſcretas locis cohortes & ciendis ſeditionibus minus validas, placari ſtipendijs poſſe, modo intra præfinitum ſolutioni tempus præſtentur, ne ex morâ major militum egeſtas & ex ea inſolentia naſcatur. Decernendum eſſe patribus (Ordines deſigno) ocyus & ſeponendas veteres controverſias ac de jure partium diſceptationes pendendumque tributum collato potius ære parandum. Abrumpendam ſemel conſiliorum tarditatem & exuenda vitia gentis, niſi feſtinantius conſulat in ſua damna ituræ.

Poteſtas quoque Matheneſsio, Oyenbruggioque Legatis facta Edictis Ordinum contumaces coërcendi corrigendique, ne ad exemplum præfracti & turbidi militis formatæ provincialium mentes reverentiam imperij & parendi diſciplinam exuerent.

Reſponſum Delegatorum Ordinum.

Cæterum Delegati Ordinum etiam LXXX. millium grave tributum criminabantur *relationibuſque de ea ad populum, ex more, factis ulterioribus ſubſidijs ſe deſtitui. Adhæc actis per Friſiam præſidijs ſtipendia non convenire, pendenda ab ijs quorum tutelæ inſervijſſent. Sparſas per Omlandiam & finitima copias agroſque incurſionibus prædonum expoſitos juſtis ſæpè præſidijs deſtitutos fuiſſe. Oppidanos quoque & Biltanum populum ijſdem tributi aut præſtandi ſubſidij legibus ſubeſſe æquumque haberi ut miles ſacramentum regium profeſſus regio cenſu alatur. Qui etſi peregrinis creditoribus pignori datus, ita cedere publico potius quam privato uſui debebat. Sic è vectigalibus Biltanorum agrorum* XL. *millia reſtare & pendendam inſuper Biltanis penſionem, ſtipendijs potius ac bono regis applicandam, quam inſtituendum novum per provinciam tributi genus, cui ferendo impar populus ſit. His de creditis Robleſio pecunijs addebant dandumque operam, ut rationes ſtipendiorum certæ ſint & ut cohortes, nullis imperijs obnoxiæ militari more recenſeantur. Id diſciplinæ vinculum fore, quod ſi non ſatis validum retinendis in fide cohortibus ſit, facturos ut majora ſubſidia ijſdem pacandis decernantur. Reſpirandum interim ſemel inopi populo eſſe & tot malis exhauſto, cujus bono id quoque pa-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ.Iↄ. LXXVII. *ciſcendum ſit, ut Valonum Germanorumque præſidiarij nomina profiteantur acceptiſque ſtipendijs oppidis arcibuſque excedant. Neque velle, ut ſine Ordinum Friſiæ aſſenſu ulli inpoſterum delectus fiant aut ut præſidia in provinviam ducantur & ut ejus firma cautio ſit. Obteſtari interim ac rogare Lalainium, ut quicquid Friſios inter Groningenſes & Omlandos, ex inæqualitate tributi controverſum ſit, componat ocyus detque effectum, ut ulterioribus minis miles abſtineat, juſtis ſtipendijs & certo ære placandus.*

Hæc Gerardus Jacobi Præſul Clarecampenſis, Doco Martna, Hero Ockinga, Bocatius Ilſtij, Renicus Cammingha, D. Fogelſangus, Barthius Idzaerda, F. Tatmannus reſcripſerunt.

Lalainius acrius inſtat pro magnitudine periculi.

Cæterum Lalainius, inter anguſtias fortunæ, decreti retinens poſtulatis inſtitit totumque negotium ſe Matheneſſio Oyenbruggioque Legatis permiſiſſe v. Kal. Mart. reſcripſit, facturum interim ut æqualibus tributorum portionibus provinciæ habeantur. Quod ad reprimendas cohortium criminationes attineret, eas compeſcere non poſſe, præterquam adacto ad ſacramentum milite, & qui autorari non niſi exſoluto ære queat. Hoc ſolo præveniri malis impendentibus & ſanari ſeditiones poſſe, in quas ſi tacita inquietudo & ſecretum murmur erumpat, id non ſibi cæterum inteſtinis diſcordijs & contumaciæ Delegatorum Friſiæ imputandum.

Deputati tandem periculo moti conſentiunt.

Quamobrem Deputati ſpectatâ periculi mole & ne, ultro lubricæ res, novis diſsidijs convellerentur, omne paratum æs, quod aut ærarijs provinciæ aſſervaretur, aut à vectigalibus Biltæ agris petendum reſtaret, aſſignandum Legatis cenſuerunt, cum hac obteſtatione Deo coram, Concilio Status & Ordinibus generalibus ultimam neceſſitatem hoc decretum patriæ amantibus extorſiſſe. Ita x. Kal. Mart. à Delegatis Ordinum Friſiæ reſcriptum, ac Pauli Coſterij Antiſtitis Foſverdici, Scipionis Meckamæ, Oedzij Arnoldij, pro Oſtergois, Everardi Ludolphi, Livij Beiemi, & Dirici Fogelſangij, pro Weſtergois, Auconis Edonij, Feiconis Tatmanni & Joannis Agricolæ pro Sylveſtribus ſubſcriptionibus ſignatum actiſque publicis inſertum. Quo reſcripto, ut Legatis Lalainij non ſatis fiebat, ita Delegati Ordinum pertinaciâ legatorum & anguſtiâ rerum irritati de mittendis denuo ad Ordines provinciarum Legatis conſultavere. Mox regij præſidij, quod arci apud Leovardios impoſitum erat, recenſio habita, urgentibus Matheneſſio Oyenbruggioque Legatis, luſtratis copijs & nomina profeſsis ab Herone Burmania ærarij tribuno ſtipendium præſtandum. Is vero acti conventus & diuturnæ diſceptationis eventus fuit, ut agrorum oppidorumque delegati publicæ pacis ac ſecuritatis ſtudio inter ſe convenirent exſolvendiſque militum externorum ſtipendijs ducenta & quinquaginta aureorum millia Legatis addicerent. Notat vir conſularis F. Nicolaus Stauriam urbem iſti tributo mille, & quingentos carolæos dependiſſe civeſque oppidanos inſolentiâ præſidiorum & fœdis exactionibus aut attritos, cum ultimo malo tanquam validiore expoſtulaſſe.

Lalainij inſedendis tumultibus acta.

Sic fluentibus per Friſiam rebus Tranſlavicanæ quoque provinciæ ſtatum Lalainius ordinavit Delphzylanæque munitioni, quam Starckius tribunus cum imperio & cohorte tenuerat, aliud præſidium impoſuit. Ære quoque Groningæ urbi, Omlandiæ & Drenthiæ provincialibus extor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

extorto ſtipendia copijs aſsignavit eaſdemque Groningâ urbe excedere juſſas in majores Friſios, dein Brabantiam expedire conatus eſt. Cl. Franckena Idibus Martijs factum tradit. Poſt decreto Ordinum generalium arcem Groninganam, cujus molem Gaſparus Robleſius muniendæ dominationi ſtruxerat, æquari ſolo fecit. Itaque vacuâ præſidio civitate & caſtello diruto læti cives & in immodeſta effuſi prima gaudia in laſciviem proterviamque vertêre. Scribunt autores temulentos & ſocordes collucentibus paſſim per civitatem ignibus, Martinianæ turri incendium dediſſe ipſoſque exules, ſive tantæ & recenter partæ fœlicitatis incapaces, ſive tædiorum exilij oblitos, non votis, non gratijs numini actis, cæterum immodeſtis moribus & profano ritu lætiora temporum egiſſe. Adeo mortales adverſa toleramus, proſperis corrumpimur. CIↃ. IↃ. LXXVII.

Lalainius Groningâ Leovardiam contendit, eamque ſummo cum applauſu ingreditur.

Mox Lalainius, compoſitis Groningæ & per Omlandiam rebus, Kal. Mart. magno procerum comitatu Leovardiam contendit provinciamque majoris Friſiæ ſuo imperio deſtinatam magno multitudinis applauſu ingreſſus eſt. Quippe occultata jam ante ſervilibus temporibus deſideria libertatis tum erumpebant quantoque magis ex iniquitate priorum temporum repreſſa, tanto patentius laxiuſque nullâ diſsimulatione aut metu aperiebantur. Ferunt pulcherrimas virgines civium filias, multo cultu obvias Lalainio proceſsiſſe cohorteſque civicas erectis ſignis & urbem ingredienti, velut præſidio ſtantes, præfervidis in Præfectum officijs certaſſe. Tormenta quoque continuis fragoribus laxata M. Heymannus annotavit ſexumque imbellem totâ urbe diſcurrentem publicam feſtivitatem ſuis ludicris auxiſſe. Quæ ultro ſpecioſa peroſam anteacta ſervitia multitudinem eo vehementius commovebant, quod captivorum agmen ſecum Lalainius traheret Robleſiumque modo provinciæ rectorem & ut inſimulabant, dominationis immodicum, cum Joanne filio & Ruysbroeckio filiæ marito, velut ludibria & ſpectacula fortunæ oſtentaret. Itaque eorum adverſis à populo illuſum, qui ſecundis rebus malè uſi & potentiæ ſuæ modum & fallacem fortunæ memoriam exuerant. Cohortium quoque tribuni, in quibus Lopeſius, Luſſius, Villerius, Starckius, Campius & Montioius erant, unà cum Robleſio Leovardiam ducti, cuſtodiæque in arce regiâ (ubi Robleſij conjunx aſſervabatur) dati, exercitæ inſolentiæ pœnas dedere. Tradit Heymannus Robleſium declinandæ contumeliæ, & inriſui civium ſecretiore viâ ac tormentariam per turrim arcem ingreſſum, magno fortunæ ludicro, ut ante imperij ſui munimentum, ita tum carceris & cuſtodiæ luſtraſſe.

Robleſium, alioſque captivos ſecum ducit, cuſtodiæq; mancipat.

Itaque novo Ordinum generalium Fœdere ſcripto & per omnem provinciam promulgato Joannes Auſtriacus eorum, quæ evenerant, haud ignarus, acerbioribus in fœderatos odijs exarſit, diſsimulato vix ingenio, quod ſuſpectis artibus negotium pacis trahebat. Quippe Fœderis formulâ ad eum miſſâ, nova irritamenta vigenti diſcordiæ ex detectis procerum voluntatibus nata, commeante adhoc per internuntios ſermonum acerbitate, quâ gliſcentibus ultro odijs turbamenta paci ſubſternebantur. Non ferentibus cordatioribus inter ſana & moderata patrum conſilia ab Auſtriaco munimemta urbium & præſidia legionum ad cuſtodiam corporis peti, nexumque infœlicis concordiæ & tan-

Deſſenſio Auſtriacum inter & Ordines magis ingraveſcit.

cIↄ. Iↄ. LXXVII.

Partium conventus adnitente Cæſaris Legatione.

tantarum rerum ac ſperatæ pacis exordia fidei armorum committi. Unde infidis partium animis diu diſceptatum, donec Rudolphi Cæſaris legatione, cujus à morte Maximiliani patris ſpem fecerat, commeantibus modo ad Ordines, modo ad Auſtriacum Legatis Marchæ in Faminis ſanciendæ paci conventus ac dies diceretur. In Legatis Imperij Gerardus Groſbecius Leodienſium Epiſcopus, Philippus Baro Winenbergius aulæ Cæſareæ præfectus, Andræas Gail Conſiliarius, Wernerus Gemnichius Satrapa Juliacenſis & Joannes Lovermannus fuere. Ordinum vero partes, Matthias Giſlenius Epiſcopus Attrebas, Bucho Ayta Friſius Archidiaconus Iprenſis, Fredericus Perennotus, Baro Ronſæus, Joannes Ommerius Morbequij Dominus, Franciſcus Halevinius Equeſtris ordinis & Adolphus Meetkerckius tuebantur.

Auſtriacus milites maritimo itineri vult dimitti.

Hoc vero maxume illo conventu & cum vehementiâ repetebat Auſtriacus, ut peregrinæ Legiones non terreſtri, cæterum maritimo itinere Belgicâ excederent claſſemque & ſimul latum mare ingreſſæ expeditâ profectione in Hiſpaniæ continentem aut Celtiberiæ portum exponerentur. Ordinum vero Cæſariſq; legatis, ut omnes Auſtriaci actiones, ita hæc maxumè ſecretis rerum momentis decerni videbatur.

Recuſant hoc Ordines ob varias ſuſpiciones.

Quippe reputabant populum olim colonias transferentem ſic aliena occupaſſe latoque & diffuſo mari commiſſum, commoda littora & commodas ſedes quæſiviſſe. Ambitioſis & nova regna ſomniantibus etiam hanc ætatem temporum non vacare & eſſe quos aliarum gentium quies aut ſecuritas ſollicitet. Sic Angliæ regnum Belgico littori oppoſitum ab Eliſabethâ reginâ nullo metu & in pace teneri, tanto magis periculis obnoxium quanto Belgicæ vicinius & ex ſe quietius foret. Poſſe inſtructam veterano milite & tot legionibus claſſem in Britannicum littus adigi aut in latos portus ſubduci bellumque & diſcrimen Eliſabethæ faceſſere, nulla arma, nullas gentium irruptiones metuenti.

Cujus rei ſuſpicionem non falſus & ex Pereſio Philippo Regi à Secretis auditus rumor quam maxumè prægravabat, quod Auſtriacus Tunetani regni ſpe amiſſâ, de deturbandâ Angliæ poſſeſſione Eliſabethâ cogitaret primiſque juventæ amoribus Mariam Scotorum reginam & cum ejus velut dote Britannicarum inſularum imperium immodeſta ambitione deperiret. Neque enim fruſtra Romani Pontificis decretum, Guiſiorum per Galliam & Lotharingos auxilia oraſſe, ac ut Philippus frater, morte Mariæ uxoris Angliæ regno exutus, ad redintegrandum cum Eliſabetha odium & ex eo bellum in ſpem recuperandi regni incitaretur. Inde miſſum è Belgica in Hiſpaniam Eſcovedum, hominem vafrum & ſecretorum participem, qui portum in Cantabria inſtruendæ claſſi Philippum peteret Angliæq; invadendæ conſilium Philippo Regi commendaret. Autores tradunt, Auſtriacum præoccupandæ Manniæ Hybernici maris inſulæ omnem apparatum deſtinaſſe profugorumque Anglorum, tum per Nortvalliam, Cumbriam Ceſtriamque Pontificiorum auxilijs adjutum, occupandi Anglorum regni firmam ſpem aluiſſe. Quare amotis pacis aut fœderum impedimentis Legati definiere:

Legati Cæſaris certas pacis conditiones definiunt.

Vt omnes injuriæ & offenſiones ceſſarent fœderique jam ante Gandavi icto robur eſſet. Peregrinus miles (quo Hiſpani, Itali, Germani, Burgundiones

nes cenſebantur) acceptis ſtipendijs, nullo commeatu, Belgicæ provincijs intrà cIↄ. Iↄ. LXXVII.
vigeſimum diem excederet ſonteſque & ſeditionum rei militari lege punirentur. Captivis utrinque venia eſſet Comeſque BURANUS, *quam primum* ORDINIBUS *generalibus ab* AURANTIO *ſatisfactum eſſet, in Belgicam remitteretur. Læſis aut dignitate exutis per* ORDINES Generales *aut cujuſque* Provinciæ SENATUM *jus diceretur. Privilegia, jura, immunitates integræ eſſent. Religio Catholica Romana per provincias haberetur.* ORDINES *omni externo fœderi renuntiarent exautorandoque militi pecuniam cæteraſque res, Germaniæ vero legionibus ſeorſim ſtipendia ex æquo præſtarent. Rex* PHILIPPUS *peregrinas copias nullo tempore in provincias induceret.* JOANNEM AUSTIACUM Gubernatorem *acciperent.* Præfecti *provinciarum ſacramentum provincijs dicerent. Penſiones ab* ORDINIBUS generalibus *privatis aſſignatæ efficaces forent tabulæque ſignarentur.*

Fœdus hoc nomine perpetui Edicti vulgatum eſt.

Quibus à Joanne Auſtriaco, Concilio Status ac Ordinibus generalibus, tum Legatis Cæſaris ac Imperij approbatis, certæ pacis auguria dubijs ante mentibus ſe intorſere. Quippe earum fiduciæ hoc etiam accedebat, quod perpetui Edicti vocabulum iſti conventioni à Philippo Rege impoſitum eſſet publicarique per omnem provinciam juſſum, nec in dies aut annos ſcriptum memoriæ ultimi temporis & longiſſimæ rerum ætati adæquaretur. Scribit Cl. Franckena Joannem Auſtriacum, cum Luxemburgum veniſſet, Prid. Eid. Febr. ficto pacto ſe Ordinibus obligaſſe idemque pactum, etſi dubiæ fidei, XIII. Kal. Mart. per Friſios vulgatum populi animos magno gaudio impleviſſe. Alij tradunt Joannem Auſtriacum validis Ordinum rebus & per Germaniam, Galliam atque Angliam ſocietatibus, quo acre odium fallacibus blanditijs velaret, externa pacis & firmandi Perpetui Edicti deſideria etiam apud exteros Principes prætuliſſe, ita formatis ex arte ſimulationibus, velut bellum ex prædeceſſorum intempeſtivo dominatu natum, clauſurus pace, tanquam egregio fine, etiam primâ imperij ſui ætate, videretur. Itaque ab Eliſabethâ & per Ordines generales pro approbando Edicto apud Aurantium interceſſum, ne armis libertatem obtendens, probatam vicinis innocentiam, interruptâ provinciarum pace, ſuſpicione alitæ diſſenſionis fœdaret.

Suſpectum tamen multis ob indolem Auſtriaci.

Quæ ideo tanto acrioribus ſtudijs urgebantur, quod Auſtriacus, præoccupatis Principum animis, affectum pacis præferret ſuæque imbecillitatis, ex conditione temporum, æſtumator, afformaturus imperium arbitrijs patrum crederetur. Sed ſuſpectum ingenium & ex ſuperbiâ vecors, quod melioribus artibus inſtrui poſſe ſagaciſſimi quique deſperabant, minuendæ plurimum fiduciæ erat, credentibus adhoc prudentioribus tantæ moli regundæ incapacem juventam ſanioribus conſilijs non ceſſuram. Ita ſcilicet affectis Principum ingenijs, ut omnia facilè ad ſe trahant reputentque ſocietatem generis humani multitudine extendi, imperia per conſortes arctari. Itaque tanto indecentius moderamini rerum ipſum præfuturum, ſi pluribus adminiſtris uteretur Principiſque nomen retinendo, vim ac reſpectum amitteret. Quæ ut callidè ex ingenio Auſtriaci patribus diſſerebantur, ita hoc maxumè ſecretorum conſcios urebat, quod Mariæ captivæ Scotorum Reginæ, nu-

CIƆ. IƆ LXXVII.

ptias tum importunius ambiret clandeſtinoſq; in fœminam amores, etiam mariti ſui cædis jam ante ſuſpectam, novandis per Angliam & vicina rebus obtenderet.

Aurantius litteris ad Ordines datis, fraudes iſtius conventus pactorumque oſtendit.

Quorum, etſi non fallax indicium Aurantius haberet, ita tota fœderis Marchici ratio, velut obfutura autoribus, diſplicebat. Quare auditis Ordinum generalium Legatis, qui innecti ijſdem pactis ſe & ſimul ſocios volebant, litteras ad eoſdem Ordines dedit, quibus ut mentis ſuæ arcanum, ita vitioſitatem conventionis & fallacium pactorum exponebat.

Gratulari ſe quidem procuratæ per ſtudia ORDINUM *paci & ſimul provincijs, quod jam ante ſuperbis Hiſpanorum dominationibus obnoxiæ tot incommoda & furores concordiâ Fœderis vertiſſent. Lætari aſſertas patriæ leges, Gandavenſi Fœderi robur adſcriptum, eximia fati ac temporum beneficia, niſi ſpecioſis rerum vocabulis damnoſæ & nutriendis ſimultatibus repertæ conditiones involverentur. Sic comitiorum jus, quod majorum fuiſſet, non parum arctatum, &* Provinciarum ORDINES *novis & inauditis ſacramentis inligatos.* PHILIPPUM BURANUM *filium contra jus gentium & provinciæ illâ ætate, quæ privatum adhuc præſtaret, in Hiſpaniam abductum, Belgicorum motuum pœnas longiore cuſtodiâ luere. Totam ſcilicet conventionem ut doloſis involucris, ita inhoneſtis ſervilibuſque conditionibus inniti, quarum turpitudinem delere nec vertigo temporum nec glorioſi poſteri quirent. Indignaturi haud dubie, cum perfidâ Hiſpanorum gente, majorum ſanguine & ſpolijs ſatiatâ, cum publico provinciarum hoſte, in gratiam redijſſe, commeatum & ſtipendia depactos. Spretas* ELISABETHAE *reginæ &* FRANCISCI ALENCONII *Andium Ducis interceſſiones, quorum fuiſſet, ut bello auxilia, ita paci autoramentum commodare. Neque Hollandiæ aut Zelandiæ provincijs ſatis proſpectum, neque eorum commodis, qui reſtitui in integrum debebant eaque recuperare quæ bello perdidiſſent. Paciſcendum fuiſſe, ut caſtella diruerentur, ſervitutis publicæ & ſimul externæ dominationis veſtigia, ac ut omnium offenſionum perpetua oblivio eſſet. Agendum certè cautius & longiore cunctatione in eo negotio fuiſſe, quod exitium provincijs aut incolumitatem promitteret. Optare interim, ut quoniam Fœdus haud dubiè bono zelo & proturbandis Belgicâ peregrinis legionibus maturatum foret, ejus uberes fructus eſſent, neve Ordines pacem ſperantes bellum ex improviſo ferant. Hoc vero imprimis rogare, ut aſſerendo Gandavenſium fœderi incumbant, certi & fidentes ſua officia iſti ratihabendo decerni. Quin paratum eſſe in ſocietatem noviſſimi Fœderis condeſcendere, ſi externas legiones, ultra præſtitutum commorantes, communibus armis proturbandas provincijs cenſeant, neque ante recipiendum Auſtriacum, quam juri publico, & Gandavenſi Fœderi ſit ſatisfactum.*

Hæc AURANTIUS.

Litteræ mandatorum legatis Friſiis Bruxellas ituris procuratæ.

Addit Æmylius Adama in libro Edictorum Fœdus illud Marchicum actis per Friſiam publicis inlatum publicatumque per tribunalia conciliatarum partium ſpem proclivi in concordiam populo peperiſſe.

Mox Sceltoni Tiardæ, Martino Nitzenio & Feiconi Tatmanno legatis Bruxellas ituris fiduciariæ & mandatorum litteræ procuratæ, quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

bus mutationem rerum per Friſiam velare publicis commodis & utilitatibus provinciæ jubebantur. cIɔ. Iɔ. LXXVII.

Nihil ſcilicet PHILIPPO *regi, nihil patriæ legibus ſe detraxiſſe, hoc tantum adnixos, ut ad bellorum pertæſos miſertoſque cariſſimorum pignorum pax & quies & cum ijs levamentum tributi perveniret. De exactionibus & damnis per eaſdem inlatas jam ante conqueſtos, cum regij Præfecti & Senatus dominatione, ſpecie retinendarum in fide cohortium, æraria provinciæ & privatorum facultates eviſceratæ. Nunc ijſdem malis ſe remedia petere, eo inopiæ redactos, ut non niſi impetratâ onerum immunitate aut remiſſiore ſaltem tributo, ſtare res provinciæ queant. Interim Gandavenſe Fœdus per hos ipſos Legatos amplecti, cæterum hac lege, ut modico tributo habeantur & ne novæ ſocietatis ratione proventus ærarij & privatæ opes ſubvertantur. Hoc etiam rogare Ordines generales, ut petendi Comitij jus Deputatis Ordinum Friſiæ faciant, ne Senatus regij tergiverſatione & pervicaciâ ſalubribus patriæ conſilijs moræ & dilationes nectantur. Quippe Senatum regium communionem Gandavenſis Fœderis poſcentibus nuper reſtitiſſe peſſimo exemplo, quo provinciales diſſolutis cohortium moribus & violento Robleſij imperio ſubeſſent. Inde arces, caſtella & judicia peregrinis obſepta, convulſis conventionibus, quas cum Carolo Cæſare majores pepigiſſent. Nunc vero mutato non nihil temporum ſtatu admovendos gerendis rebus indigetes, minuenda vectigalia, cenſum regium publicæ neceſſitati applicandum curandumq; imprimis, ut per Epiſcopum fœdius fere quam cæteri mortales, fluxis opibus inhiantem, doti ſuæ adjecta ad Antiſtites cœnobiorum redeant ipſeque per vim & ſilentibus legibus provinciæ obtruſus, fœdo & inaudito majoribus dominatu exuatur. Statuendum eſſe ſemel in eos aſperius qui provinciæ patrimonium, munera aut dignitates pravis aut imperitis pro arbitrio locaſſent. Hoc modo Senatum regium præturas, ſatrapias, nullo delectu ijs largitum, quos dominationi ſuæ conſortes conſcientia peſſimorum facinorum feciſſet. Subveniendum ſemel juſtis populi Friſici querimonijs, quem aut grave dominantis imperium, aut inſolens præſidium fatigaſſet. His de tributo quædam addita petitumque ut 5000. carolæorum à Biltanis collata in ſolutum proximâ penſione cedant litteræque Ordinum generalium ad Antiſtites, Nobilitatem & Proprietarios agrorum, tanquam Ordines provinciæ, excluſis oppidanis, darentur.*

Hæc à Gerardo Iacobi Antiſtite Clarecampenſi, Sixto Dekema, Livio Bejemo, Docone Martna, Eraſmo Douma, Aucone Edonio Prid. Non. Mart. Leovardiæ perſcripta, ac Legatis communicata. Tum in florenos aureos quatuordecim ſtuferi ſtipendijs militum decreti cautumque edicto, ut quicquid æris per vim aut minas in militem erogatum eſſet, ejus tabulæ minuendis eorum ſtipendijs ad Arnoldum Molckemannum Theſaurarium Ordinum Bruxellas mitterentur.

Dein Lalainius Leovardiæ adhuc agens, quo diſſenſionibus populi Friſici, Omlandiæ & Drentinorum mederetur, ad Ordines generales, Concilium Status, tum ad Aurantium Principem, Franciſcum Pippenpoium Bruxellenſem ablegavit fiduciariaſque litteras, ipſo Æquinoctio Leovardiæ exaratas, ſuâ manu perſcripſit.

Lalainius Legatum cum literis fiduciarijs. petitioniſq; Bruxellas ad Ordines mittit.

Ijs petebat, ut quoniam Friſij à Tranſlavicanis & Drentinis ob inæqua-

CIↃ. IↃ. LXXVII. *litatem tributi diſſiderent, Ordines generales ortas lites componerent portioneſque tributorum ex æquo definirent. Neque enim ſuæ poteſtatis eſſe imperare tributa & ea partium odia eſſe, ut ſuæ interceſſioni non pareant. Velle ſcilicet Tranſlavicanos ac Drentinos, ut Friſij exſolvendæ legioni, cui Robleſius præfuerat, duas trientes pendant, regerentibus interea Friſijs, Tranſlavicanos, validiore diuturnioreque præſidio uſos, maiore tributo teneri. Plus ſcilicet à ſe erogatum eſſe, quam modus præſcripti æris ferret eſſeque iniquum decretas Tranſlavicanorum uſibus cohortes ſuo ære ac ſtipendijs haberi. Cenſere quoque Friſios Gaſparum Robleſium non ante cum cæteris captivis cuſtodiâ liberandum, quam rationem accepti æris fecerit deque menſtruis 15000. ſtipendijs docuerit. Magnis quippe nexibus eum ſe & Provinciam inligaſſe. Sic pacatis dimiſſiſque tribus cohortibus, (quæ undecim adhuc numero ſint) quinquies centena & quinquaginta millia deberi. Adhæc Germanorum ſtipendia, in infinitam molem excreſcentia, non bonum rebus exitum promittere, niſi Concilij Status, Ordinum Generalium aut Aurantij prudentiâ publicum diſcrimen levetur. Diuturna cunctatione peccatum eſſe exautorandiſque cohortibus aſſignandum ductorem & ſimul ſtipendia fuiſſe. Nunc enim totum legionum corpus inquietum, turbidum arma & conſilia ſociare. Clamitare deceptos Tribunos, diviſa ſigna, non alio conſilio, quam ut locorum ſpatijs diſcretus miles peius habeatur roburque cohortium diſſocietur. Itaque licentiæ & malis moribus indulgentem militem per agros ſe ſparſiſſe, agrario populo gravem & ſiniſtri ſuſpicionibus imbutum. Ijs vero ſopiendis ſe totum intereſſe, facturum propediem, ut ferveſcentium animorum æſtus ſubſidat copiæque ſacramentis & ſimul Ordinum imperijs obediant.*

Idem fœdus Gandavenſis Leovardiæ publicari queat.

Qui, dimiſſo Bruxellas Pipenpoio, ut Senatum quoque regium Gandavenſi Fœderi obluctantem ſeverioribus remedijs conſtringeret, ejuſdem Fœderis tabulas etiam ante per municipia promulgatas, publicari in Baſilicâ ab eodem Senatu Leovardiæ juſsit iſtique actui I V. Eid. Mart. præfixit. Ubi tubæ ſigno ter dato, quod majoribus noſtris vulgandis actorum ſolemnibus inſtitutum erat, vocato velut ad concionem populo, recitari per Emſkerckium Graphiarium juſsit ipſeque haud vanâ imperij ſui fiduciâ, plauſibili edicto arbiter præſedit. Unde cum Lalainij autoritate ac apud populum gratiâ Senatus odium increvit, criminante, ut ſolet immodeſtius, turbâ eundem Senatum impedimenta paci molitum regundis adhuc provinciæ rebus tolerari.

Mox exulum multitudo, tolerato quinquennali exilio, in provinciam refluxit totidemque annorum tædia & inclementiam fortunæ novæ fœlicitatis dulcedine lenivit. Quare publicæ lætitiæ per agros & oppida dies dicti, redditique penatibus ſuis exules domeſticum gaudium publicis ovationibus miſcuerunt.

Robleſius cum ſuis captivus Gelriam mittitur.

Dein Gaſparus Robleſius captivam conjugem, liberos ac tribunos cohortium ſecum trahens, cuſtodiâ emiſſus deductuſque ad Hyergium, quem regundis Geldris rex Philippus præfecerat, magnum inſtabilis fortunæ documentum præbuit. Scribit F. Nicolaus, homo etiam Pontificijs addictior, populum Friſicum iſtius ſpectaculi non miſertum, cæterum Nobilitatem, cives & agrarios, velut juſtas & fatales pœnas luente Robleſio, viri adverſitate & illo fatorum ludo oculos animoſque paviſſe. Addit idem Scriptor, promiſcuam multitudinem decernendas

palam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

palam grates divino numini cenſuiſſe, quod malorum conſiliorum artificem Robleſium & Tribunos militares, velut præconcepti furoris miniſtros, ut odium generis humani, ita opprobrium ludicræ captivitatis comitaretur. Id XVII. Kalend. April. factum Nicolaus tradit Martinumq; Bayartum Gantonium Stavoranæ arcis Satrapam, cum Buſtamantio, qui Harlingano caſtello præerat & Tribuno cohortis, ut memoravi, Feuterio vinculis datum, ac Stauriâ Zwollam devectum, ut conſiliorum Robleſij ita popularis odij communionem tuliſſe. Quod ex crudeli & aſpero Robleſij ingenio natum autores non diſſimulavere, cum in acta relatum ſit, eum præter Ducis aut Tribuni legionis dignitatem, crebrò ſupplicium militare, quod jubere etiam cum temperamento debuiſſet, iracundiæ calore ſuâ manu executum. Ita confoſſo, ſtrangulato aut glande trajecto milite avidam cædis dexteram ſæpe ſanguine imbuiſſe, haud dubiè, ut illius effundendi conſuetudine exercitus, animum ultro immanem graviori ſævitiæ efferaret. cIↄ. Iↄ. LXXVII. *Crudele Robleſij ingenium notatur.*

Thuanus ſcribit Robleſium, cuſtodiæ tempore, cum Georgio Lalainio ſucceſſore collocutum, tanquam commodum in Friſiâ regnandi inſtrumentum, fovendas provincialium diſſenſiones commendaſſe quo, procerum viribus inteſtina per odia luxatis, formidinem popularis potentiæ & ſimul modum imperio, confirmandæ dominationi exueret. Ferunt Sixtum Dekama, nobiliſsimæ ſtirpis & doctrinæ virum, ex ore Robleſij præſente Lalainio, in cujus comitatu tum erat, iſtam vocem exaudiviſſe eundemque ſæpè apud familiares acta priorum temporum repetentem, veri in hoc fidem clariſsimi ſcriptoris Aug. Thuani eruditis commentarijs adſtruxiſſe.

Adeo verum eſt, Philippi Præfectos regiæ dominandi cupidinis æmulos, parum modeſtis per Friſiam conſilijs interfuiſſe ijſdemque ſtabiliendi regni moribus uſos, non abſimilia in Trans-Rhenanis provincijs ijs, quæ in Belgica Philippus documenta rerum edidiſſe.

Mox Auſtriacus poſt Fœdus Marchas apud Faminas confirmatum, Lovanium in Grudios progreſſus, pro redimendis captivis interceſſit. Gaſparoque Robleſio, conjugi & liberis, tum cohortium tribunis ac Joſepho Talimerio quondam regiæ triremi apud Staurios præfecto, veniam rogavit. Is Campis oppido ad flumen Iſalam, haud procul Auſtrino ſinu ſito, duriore cuſtodiâ aſſervabatur patratiſque ſceleribus enormi ſævitiæ, quâ famam per Friſios adeptus erat, ſquallore teterrimi carceris litabat. Erant qui cenſerent, longi furoris piaculum populari iræ immolandum placandumque illius cæde illorum ſanguinem, quos vir ultra hominem ferox & malarum mortium repertor, per tormenta & cruciatus ſuſtuliſſet. Cæterum à Magiſtratu urbico veniam nactus reliquis cum captivis in Brabantiam abductus eſt. *Auſtriacus pro Robleſio intercedit, eique veniam rogat.* *Quod difficulter impetrat.*

Tum Auſtriacus de dimittendis legionibus cogitavit caſtellumq; Antverpienſe, quod ab Albano extructum Hiſpani præſidio tenuerant, Philippo Croio Arſchotano tutandum demandavit. Mansfeldium quoque deducendis Hiſpanorum, Italorum Burgundionumque copijs præfecit eaſdemque deſertis caſtellis arcibuſque, excedere provinciarum finibus juſsit. Traditum Annalibus eſt, Legiones iſtas (ſub Ferdinando Albano ad decem millia Belgicam ingreſſas eximius Scriptor Everar- *Auſtriacus exteras copias excedere jubet.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXVII

dus Reidanus notat) eodem fere numero provincijs exceſsiſſe ipſumq; exercitum, ut lixarum calonumque, ita puerorum ſcortorumque impura agmina trahentem, ingluvie & laſcivia diffluxiſſe. Unde redditam terris pacem plurimi autumabant, amoto quietis publicæ perturbatore, & arcium præſidijs inquilinæ genti commiſſis.

Reperio in notis Cl. Franckenæ Hiſpanos XI. Kal. Maji. Trajecto ad Moſam prædâ onuſtos exijſſe erectiſque ſignis, velut geſtarum rerum gloriam teſtaturos patrum populique ſervilem patientiam irriſiſſe. Bernardinus Mendoza equitum ductor & poſt Philippi in Galliam Angliamque Legatus, ſuis commentarijs inſeruit, ab ijſdem Hiſpanis intra decimeſtre ſpatium triginta hominum millia cæſa confectaque per Belgicam fuiſſe, eoſdemque direptis ſexaginta fœderatorum vexillis, propitio velut numine uſos, uberem prædam partæ gloriæ adjeciſſe. Etſi ſint qui exiſtument id plus infamiæ ex ſævitià quam gloriæ ex virtute traxiſſe populumque Belgicum inermem & velut in pace ſecurum, non ut antè per conflictus & pugnas, ſed latrocinia & cædes intra ipſos urbium muros, intra ædium conſepta Hiſpanicarum gentium furoribus mactatum. Credulâ ſcilicet multitudine nihil fraudis & doli ſuæ innocentiæ ſupereſſe paciſque ſanctionem tot conſeſsibus procerum & ſolemnibus ſubnixam primos concordiæ fructus quietem & tranquillitatem perpeſſæ enormia genti daturam.

Lalainius res per Friſiam ordinat.

Quamobrem Lalainius, quo ſecuritati provincialium conſuleret & ad formam ſuperiorum provinciarum, Friſiorum quoque intra Flevum & Lavicam remp. ordinaret, Leovardianæ arci Joannem Matheneſſium præfecit eandemque regio Ordinumque nomine aſſervandam ei dedit. Harlingano vero caſtello Petrum Sickingham, Stavorano Franciſcum Pipenpoium impoſuit ejectiſque Valonum ſignis, Germanicas cohortes pro præſidio locavit.

Ingreditur Stauriam.

Notat Staurius Scriptor Georgium Lalainium amplo comitatu ſtipatum, III. Non. Maij componendis rebus Stauriam urbem ingreſſum, à flore juventutis urbanæ civiumque ac municipalium frequentià exceptum, flagrantis apud populum gratiæ ſpecimen tuliſſe, Stauriosque, jam ante Robleſium averſatos, ejuſque in urbem introitu, velut factâ ſolitudine ſe abdentes, publica tum loca occupaſſe, congiariumque accepiſſe.

Auſtriacus Bruxellas tendit, magno cum comitatu.

Itaque omni arce caſtelloque regio ſuſpectis rectoribus præſidijſque liberato, externiſque legionibus in Ciſpadanam Italiam amotis, Joannes Auſtriacus capeſſendæ dominationi iter Bruxellas intendit, cujus ardore impotentius juvenilis animus flagrabat. Comitatum ejus, ut Legati Cæſaris Ordinumque Belgicæ, ita tria fermè ſpiculatorum ſtipatorumque millia ſequebantur, quos infidis rebus, nec ultro per conſcientiam metus expers, cuſtodiæ corporis loco obſidum delegerat.

Ingreditur Bruxellas, magnificoque excipitur.

Sic medius legatum inter Pontificis & Leodienſium Epiſcopum equo vectus, ipſis Kal. Majis urbem intravit, quæ jam ante Brabantiæ & poſt Burgundiæ Principum ſedes, ut conventibus procerum, ita tum magnificentiæ & apparatui rerum ſerviebat. Unde pretioſæ porticus per urbem erectæ arcuſque paſſim per vicos extructi trophæa famæ & geſtarum ab Auſtriaco rerum decora oſtentabant. Itaque palam devi-

devictarum urbium imagines præterque Africanæ expeditionis claritudinem, Ægæi maris proſpera pictis in tabulis viſebantur. Antecedebat currus aureo panno conſtratus, cujus utrumque latus artificum picturis adornatum, confracta aut mutilata arma, aut publicam rerum ubertatem & fœcundam luxuriem exprimebat. Domorum vero editis matronæ paſſim pulcherrimæque virgines ſiſtebantur jaciendiſque deſuper ſertis corolliſque intererant. Itaque humus vario flore conſperſa agendis ludicris diſcurrentem populum exercebat. Adhæc ubivis lætæ acclamantium voces totamque per urbem ſuaviſſimi vocum concentus audiebantur. Auſtriacus ipſe decorâ juventâ & illiciendis animis validâ ſpectantium ora morabatur rudimentaque imperij ſpecioſis initijs cohoneſtabat. cIↃ. IↃ. LXXVII.

Econtra immodica gratantium ſtudia, velut aſſentationibus conſperſa alij dedignabantur populumq; inconſulto impetu ad dubia & ut periti cenſebant, falſa gaudia adſurgentem, incerto pacis autori & conciliandis partibus impari ſervile miniſterium & pœnitendum officium devoviſſe. Erant enim, qui illum Auſtriaci ingreſſum cum Philippi inauguratione & ſolemnibus conferrent ſumptuoſumque & ingentem paratum dignitati ac fortunnæ Principis aſſimilarent. Etſi eſſent, qui non ignorarent, Auſtriacum vigore juventæ & morum gratiâ ſpectabilem, tanti apparatus non æquiſſe, quod obſcuris dubijſque natalibus ortum, procul imperatoriâ ſtirpe, deſpectæ ab eo & parum pudicæ matris Germanæ fœminæ temeritas & imprudentia vulgaſſet. Neque enim alio fine eam in Hiſpaniam amotam, & ſub curâ nutricis ſuæ in cœnobium detruſam, quam ne eius ignobilitate aut inhoneſtiore vitâ offenderetur ſuæque conditionis ac originis ex matris præſentiâ monitus, regios ſpiritus gerens, ultrò contemptos natales majore ludibrio & deſpectu fœdaret. *Iudicium de hac pompâ.*

Antonius Delrio ſuis in commentarijs notat, Viglium Zuichemum Senatus Præſidem morbo languidum ſpectandique Auſtriaci deſiderio lecto allevatum, quid ſuſpecti protuliſſe eodemque lecto, velut fatali ſede repoſitum novendialis morbi ferociâ extinctum. Creditum fuit, Viglium Præſidem, ſagacitate quâ pollebat ex indole, aut moribus ſuſpecti Principis latentis vitij rationem deprehendiſſe, ac ſi ſedandæ tantæ tempeſtati, quæ regem & provincias extremis odijs diſſociaſſet, juvenile ingenium non reſponderet. Itaque eum, perſpectis Auſtriaci conſilijs, de remedijs recrudeſcentium diſſenſionum deſperaſſe ægritudineque mentis correptum, eâdem ſenſim auctâ & ſenecta ultro gravi vitam finijſſe. *Viglius Zuichemus lecto fatali ſe allevat, ut Auſtriacū ſpectaret; qui non placet. Viglius poſt novem dies moritur.*

Thuanus ſcribit Viglium, claritudine literarum, & civilis prudentiæ ſummas ad dignitates, Carolo Philippoque rerum potiuntibus evectum & libertati jam ante proniorem, Ordinum gratiam, poſt Hiſpanorum in partes inclinare viſum, odium ſibi conflaſſe liberalioreque ante annum cuſtodiâ detentum, coram ſe turbidis temporibus & ex his naſcituræ rerum converſioni indoluiſſe. Itaque multa redarguendis ſiniſtris rumoribus effatum integerrimâ profeſsione, ſe conſervandæ regiæ autoritati omnem curam ac ſollicitudinem impendiſſe alienumque ab Hiſpanicæ gentis moribus, populi & rerum omnium ſalutem in fide Re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXVII. de Regis, tanquam unico ſocietatis vinculo collocaſſe. Quæ à Thuano Cl. Scriptore actis tradita, virum & patriæ & ſimul Regi ſuâ opinione nihil detrahentem, à ſuſpicione fotæ Hiſpanicæ immanitatis & injuriâ ſcriptorum exemere. Cadaver ſepulchro, quod vir ſuæ mortalitatis & humanæ legis etiam in tantâ fortunâ memor fieri apud Gandavos ſibi curaverat, honoratis exequijs inlatum. Itaque patriæ patris, cenſente per Friſiam Senatu, nomen ei decretum affixumque publicis monumentis æternæ temporum famæ ſervatur.

Viglius Gandavi ſepelitur.

Annotatum invenio circa Kal. Majas, aërem continuo frigore imbribuſque fœdum fuiſſe vernique cœli clementiam, velut brumali injuriâ, confudiſſe.

Conventus Delegatorũ Leovardiæ habitus.

Conventum quoque Delegatorum Friſiæ Leovardiæ ad I I I. Non. Maji habitum, Abelumque Franckenam virum eximium, in Hollandiam pro legato miſſum, verſipelli Auſtriaci ingenio & ſuſpectis actionibus diffidiſſe. Tradit F. Nicolaus ingentem trium millium librarum auri ſignati theſaurum à puerulis victum domatim quærentibus in Jorvertæ pago tum repertum Hectorique Dekamæ viro nobili & prædij domino adjudicatum. Idem addit Stauriæ delubrum, à Cunero Epiſcopo luſtrali aquâ tum reſperſum, non alio ut creditum fuit conſilio, quam ut infeſta ſuperſtitionibus tempora, auctâ templi religione, ſacrilegij metu deterreret. Mox Oceanus, quod in V I I I. Kal. Jul. diem incidit, ſupra ſolitos æſtus ſe extulit ſuperatoque littore & excelſi aggeris mole in omnem provinciam ſe ſparſit. Unde armentorum pecorumque greges vi fluctuum abacti humana quoque cadavera, in ipſis domorum conſeptis obruta, ſecum traxere. Fœnum quoque jam ante reſectum apiſcendæque maturitati & nutriendo ſub hyemem pecori ardoribus Soli s expoſitum, ipſis aquis innatavit radicibuſve cohærens ſalſedine marinâ eroſum, ſpem agricolæ eluſit. Cujus inundationis, ut ingens damnum, ita recens adhuc memoria eſt, quod æſtivo tempore, ut antè triennium recurrens diluvium, velut hybernâ tempeſtate, cultis agris ſe infudiſſet.

Ingens theſaurus in pago Iorwert repertus, dominoq; prædij adjudicatus.

Gravis per Friſiam inundatio.

Notat Heymannus marinos fluctus tam inſolito æſtu intumuiſſe, ut ſummitatem Biltani aggeris excederent inundatâque omni Dongriâ & maritimis agris, ſolo Slachtano aggere coërcerentur. Cl. Franckena addit, ſolâ tempeſtate tum eveniſſe crebroque alias commotum mare & lunæ ſydere impulſum, Friſicis terris ordinarias ut plurimum inundationes intuliſſe. Grandinem quoque miræ magnitudinis cælo decidiſſe totamque æſtatem, velut legis oblitam, frigidiſſimam & pluvioſiſſimam fuiſſe.

Auſtriacus in conventu Ordinum ſacramentum dicit.

Mox Auſtriacus Bruxellis agens, recente adhuc publicæ feſtivitatis memoriâ Ordinum cœtu acto ſacramentum dixit animumque ſubdolum & fallacem, quem clam ſceleri & defectioni obſtrinxerat, manifeſto perjurio provincijs obligavit. Ordines vero provinciarum, ut componendis ex Fœdere rebus, ita pacandis præcipue Germanorum cohortibus occupabantur redimendiſque civitatum arciumq; præſidijs, æs & fidem detrectantibus miſsionem offerebant. Creditum fuit eaſdem legiones clam ab Auſtriaco corruptas ſervandis, velut pignori, caſtellis urbibuſque ſe dediſſe æquiſque conditionibus præfractas, aut contumaces

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

maces fœda, & nuperis furoribus non difformia conſilia agitaſſe. cIↃ. IↃ. LXXVII.

Mox approbando Fœderi à Joanne Auſtriaco legati ad Aurantium miſſi ſpecioſa anuntiavere.

Idem approbando fœderi ad Auraicum Legatos mittit.

Admotum gerundis rebus, ORDINUM conſenſu, AUSTRIACUM, primordiaque imperij non infauſtis ominibus ingreſſum. Fœderum ſcilicet ratihabitione, non Bruxellenſium ſolum, quos in ſumptuoſos apparatus rerum deſiderium novi Principis egiſſet, cæterum ſuperioris Belgicæ populum traxiſſe. Neque aliud reſtare, quam ut omnes provinciæ ſanctiſſimi adjuratique ab Auſtriaco Fœderis fructum ſentiant, communeque bellum communi pace ſopiatur. Eo perveniri ſignato per AURANTIUM fœdere poſſe. Amotas quippe ex pacto legiones Aurantiumque in patrimonia principis domus reſtitutum. Non relictum eſſe quærelæ, aut tergiverſationi locum. AURANTIUS verò filium Hiſpaniâ attineri, ſuaſque per Luxumburgicum agrum & Burgundiam poſſeſſiones & cum ijs proventus interverti criminabatur. Regis potentiam alieno ſtare, nihil aliud quærentis, quam, ut impulſis procerum Belgicæ rebus pro libitu regnet. Nec per vim tantum, ſed doloſe hoc adniti. Deceptos Marchicâ conventione ORDINES & materiem novis diſſidijs ac fœde ſervituti ſcriptam, quam excutere quocunque etiam modo in Principem animum induxiſſet. Iſti fini ſe ad Friſios trans Rhenum agentes litteras dediſſe, mox auxilia miſſurum. Neque enim rei tam ſanctæ ſe pudere, opprobrio illorum, qui extinctam per recentia imperia antiquam liberrimæ Friſiorum gentis memoriam vellent.

Aurantius Auſtriaco diffidit.

Itaque non theatralium ludorum ſpectaculis, quibus Auſtriacus captandis populi favoribus ſe ſiſtebat non comitate etiam infra Principem prudentiores movebat, aulæ morum peritos & jam antè in Requeſentio edoctos externa ſæpe officia ſubleſtis conſilijs obtendi. Quippe aſperum Religionis Edictum per provincias publicatum memoriam priorum vulnerum refricabat & quod ſecretis ad Senatum per Friſiam regium mandatis corrigendos hæreticos (ſic enim Reformatos indigitabat) & falsâ religione imbutos priſcâ pœnarum aſperitate præcepiſſet. Quæ etſi à Senatu in populum non vulgabantur contegendis arcanis, ita redarguebat Edictum novis diſſidijs nova nutrimenta quæri. Quare exules, quos jam ante patriâ extorres religio fecerat, inclementia rurſum temporum metuebant, ac ut eadem ſeveritate patria & bonis provoluti toleratis ſemel exilijs deſtinarentur. His accedebat, quod Aurantius ſociæque provinciæ fœdus cum Auſtriaco ictum, ut damnoſum & fallax averſarentur futuræque defectionis, & inſtantis belli triſte præſagium, interceptis in Guaſconum finibus Auſtriaci litteris, firmaretur.

Etiam alij prudentiores.

Quia Religionis Edictum denuo vult publicari, Reformatosq; aſperè haberi.

Ijs ad Regem perſcripſerat.

Impurum Belgicæ corpus validiore remedio curandum lenius jam diu reſpuiſſe. Quin urendum ſecandumque potius, ne, quod medicorum filij maxumè præcaverent, partis infectæ contagione cæteræ conſenſu vitientur. Damnatum fidei crimine populnm acriore bello reprimendum eſſe, quod non magno exercitu, ut nuper Albani & Requeſentij ætate, cæterum veterano milite & modicis copijs gerendum ſit. Nervo autem belli imprimis opus eſſe, ac ut miſſâ continente inſulæ aut circumfuſa amnibus loca regi aſſerantur. Adhæc ſerendas

Auſtriaci ad Regem de Belgicis Provincijs litteræ.

cIↃ. IↃ. LXXVII. *procerum & populi diſcordias, quo provincialium potentiam concordiâ florentem & robuſtam diſſenſio extenuet. Sic ſecundis rebus præſterni viam poſſe.*

Auſtriacus Lalainium Friſiâ Mechliniam evocat.

Quarum rerum & interceptæ ſcriptionis ut ignarus Auſtriacus non erat, ita præconcepto ſceleri exitum machinabatur, gnarus omnem moram malis conſilijs obeſſe. Igitur Spadanas ad thermas, velut conducendæ Navarræornm reginæ iturus, quæ diuturnæ invaletudini ſalubres iſtorum fontium aquas morbo remedia quærebat, præter Chimæum Principem & reliquam nobilitatem Georgium quoque Lalainium flore juventæ commendatum Friſiâ Mechliniam in comitatum evocavit.

Is primò per Friſiam omnia ritè ordinat.

Cæterum Lalainius, ſivè ſuſpecta Auſtriaci conſilia habens, ſivè aſſerendo fœderi pronior, provinciam fidei ſuæ commiſſam ex præſcripto Gandavenſis conventionis ordinavit Valonumque præſidia aſſignato ære dimiſit. Germanorum quoque ac Friſiorum cohortes, quarum delectum de mandato Ordinum egerat, cuſtodiæ arcium impoſuit curatiſque Leovardiæ, Harlingæ atque Stauriæ rebus Mechliniam profectus eſt. Ubi ſerius adventans, & mox febre correptus, ingreſſo jam iter Auſtriaco, Bruxellas ſe recepit deque provinciæ ſuæ ſtatu Delegatos Ordinum edocuit.

Poſt Mechliniam pro fectus ſeroque adventans Bruxellas proficiſcitur.

Creditum fuit Auſtriacum, Lalainij per Friſiam inſtituto & mutatione rerum offenſum, clam exitium ei deſtinaſſe, aut ut veneratione ac gratiâ Philippi pellectum mobilemque, eâ Lalainij ætate, animum ijſdem defectionis conſilijs imbueret. Sed Lalainius ſuo ſivè fato aut arbitrio præpeditus integram & tum adhuc vitijs intactam mentem Auſtriaci inſidijs & decreto ſceleri ſubduxit. Quare Auſtriacus diſcerpente conſcientiam metu & ne detectis dolis diſcrimen ſentiret, Namurcum ingreſſus eſt ſpecieque venandi, poſt ſalutatam Navarræorum reginam, Arduennæ in ſaltu datâ arcem circumiens ſuam armis fecit.

Auſtriacus ſpecie venādi Namurcum ingreditur, arcemq; ſuam armis facit.

Scribit Thuanus, Margaretam Henrici III. Regis ſororem abſtinere cum marito aulâ juſſam affectæ valetudini cauſam ſimulaſſe, quo viſendis Tungrorum aquis occaſione captatâ, Auſtriacum, jam ante Guiſiorum ſocietati deſperatis rebus innexum, mutuorum auxiliorum interioribus pactis obligaret. Quod arcanum, ex Joannis Vargæ regij per Galliam Oratoris litteris detectum, Philippo horrorem incuſſiſſe memoriæ traditum eſt, non ſine cauſâ indignanti, Proregem ſuum & illius miniſtros, fœdius an laxius dubium, ſuis mandatis uſos duorum regnorum Galliæ & Hiſpaniæ vires ſecretis ſocietatibus inligaſſe.

Auſtriaci ſecreta cum Margareta Gallicâ & Guiſijs pacta.

Ego exiſtumo Margaretam, Catharinæ Mediceæ matris moribus haud abſimilem, ijſdem præceptis tum inſtitiſſe, ut à matre olim, Carolo filio impubere, actum Baionæ cum Albano fœdus, inſcio fratre, cum Joanne Auſtriaco in Arduennæ ſolitudine, tanquam conſiliorum ſeceſſu, deprimendis per Galliam Proteſtantibus & per Belgicam fœderatis innovaret. Itaque materiem perfidiæ ſedem, quod meditabatur, bello nactus, vim ſacramenti & ſimul gloriam boni Principis excuſſit.

Tradunt ſcriptores arcis potitum circumſtante coronâ illud Imperij ſui initium dixiſſe, eundemque diem, velut ſuæ dominationi natalem iſtiuſmodi cœptis atque auſpicijs inchoari.

Mox in provinciarum Ordines acerbius invectus, diſſimulata diu & cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cum arte odia, ac ſimul arrogantem animum fidentemque fortunæ aperuit. Igitur Germanicarum Legionum Tribunos, quos ad ſacramentum ſuum promiſſo ære ac patratæ ſeditionis impunitate adegerat, occupandas ad civitates & caſtella ſpeciè præſidij ſollicitavit novoq; imperio, amiſſâ populi gratiâ, inſolens munimentum etſi infauſto exitu quæſivit. Caſtello quoque Namurcenſi militem & commeatum procuravit iſtoque conſilij ſucceſſu, velut levi fortunæ vento inflatus militare imperium præſidium dominationi popoſcit. Dein quo cauſam occupatæ per dolum arci obtenderet, IX. Kal. Aug. litteras ad Ordines dedit, quibus Gandavenſi fœderi aſſerendo operam ſe navaſſe miſſiſque externarum gentium legionibus concordiam aluiſſe ſpecioſis exemplis oſtendebat.

cIↃ. IↃ. LXXVII.

Auſtriacus litteras dat ad Ordines de occupatâ arce.

Sic anteactarum rerum quas bellum aut diſſenſio ſuaſiſſet, oblitum, inlatas regi injurias poſuiſſe, haud aliâ ſpe, quam ut ſe inter & ORDINES æqua ſocietas conſtaret publicarumque rerum, præcipuè vero conſiliorum communio eſſet. Cæterum turbida ingenia foris & intra provincias alendis diſcordijs haberi, paci infeſta & divellendis procerum nexibus ſiniſtra famæ ſerentia. Adhæc ſibi & comitatui ſuo ſtructas inſidias parricidiumque Principi aut ejus Legato intentatum certæ ſecuritatis eguiſſe. Ideo in arcem Namurcorum ſe ſubtraxiſſe, ne publica quies ulteriore malo obturbaretur & ut rerum arbitris PHILIPPO & ſibi, quos fortuna imperio deſtinaſſet, cæteris relicta obſequia deferrentur. Eorum vero provinciarum ORDINES ſe certiorem feciſſe, amovendis ſiniſtris populi ſuſpicionibus, qui certus eſſe queat adjuratam pactis fidem intemeratam fore. Neque aliud reſtare, quam ut regi contumaces in ordinem redigantur pareantque ex præſcripto.

Quæ litteræ etſi diluendo defectionis crimini ad Ordines mitterentur, animorum tamen civilium inquietudinem & ſecretum murmur non ſedavere. Itaque compoſitæ vix provincialium mentes & in novas pacis ſpes jam ante erectæ triſtia rurſum atque funeſta ominabantur, velut fato aut iris cæleſtium perpetua arma aut ſaltem diſſidia miſerrimis provincijs decernerentur. Ordines vero exautoratas copias, nudatam præſidio Rempublicam, diſcordes provincias revicturo haud dubiè bello obtendebant ambiguique conſiliorum, ut ſolet rebus inſpeſperatis ſuâ imbecillitate percellebantur. Quare Legati ad Auſtriacum miſſi, qui affectus & deſideria procerum, pacem publicam & ſi quæ ſubeſſet (id namque perſcripſerat) ultionem conjurationis pollicerentur. Corrigendis quippe flagitijs judicia ac leges non deeſſe.

Legati ad Auſtriacũ mittuntur.

Repeteret Auſtriacus Bruxellas ſedem Senatus, reperturus haud dubiè majora pacis quam belli præſidia & procerum pectora ſubortis æmulationibus perculſa.

Cæterum detectâ, quas Auſtriacus corruperat, Germanicarum Legionum fide, ut reſtaurandæ concordiæ ſpes inciſa, ita Ordinum conſilia ſe exacuere. Quare aſſerta fœderi & mox diruta caſtella turbidæque legiones oppidis arcibuſque ejectæ, aut præfectorum imperijs adverſæ improſperos Auſtriaci conatus retardavere.

Auſtriacus Germanicas legiones corrupit. Ordines ſe defenſioni parant.

Annotavit F. Nicolaus x. Kal. Sept. caſtellum Antverpianum Ferdinandi Albani curâ extructum, à civibus ſolo æquatum fuiſſe præſidiaque

cIↄ. Iↄ. LXXVII. que Germaniæ nationum Bergis ad Zomam cæteriſque locis expulſa ſollicitudinem procerum minuiſſe. Itaque Auſtriaci animus immodeſti appetens & ſummæ fortunæ magnarumque rerum immodicus affectator, ad mores ac ſueta ſimulationum reverſus, etiam Cæſare interceſſore de ineundâ pace propoſuit ejuſque petendæ aut capiendi, ſi ita videretur belli arbitrium provinciarum Ordinibus fecit. Econtra Ordines continuas pacis ſollicitudines, tum ſingulare religionem erga & regem ſtudium profitebantur. Inde ſcilicet miſſos ad Auſtriacum legatos, ut offenſæ partium ceſſarent, ac reviviſcente concordiâ Fœdus Gandavi ictum & poſt titulo æterni Edicti à Philippo Rege inſignitum, ſacroſanctum & inviolabile haberetur. Interim doloſis machinamentis circumventos dimiſſo exercitu aut ſaltem attenuato bellum pro pace accepiſſe.

Auſtriacus denuò Ordines de pace ſollicitat

Ordines reſpondent.

Habitos ſcilicet per Auſtriacum delectus, admotoſque gerendis per Belgicam rebus, libertati provinciarum & ſimul quieti inſidiantes. Poſſe Auſtriacum teſtem ejus rei conſcientiam conſulere, quantum religioni Fœderum tribuat & num cauſam armorum amantibus pacis ſuppeditaverit. Non egere alijs præſcriptis, cæterum fœderum religione ſua imperia ac conſilia metientem aberraturum non fore. De ſe teſtari non laturos unquam, ut ſtabilitis tantâ ſolemnitate fœderum ſacris quid decedat, neque ad arma provocaturos præterquam irritatos, & imminentis exitij certos. Itaque Auſtriacus, invaleſcente per Friſios defectionis ſuæ famâ, ad Conſules, Scabinos Senatum Leovardiæ urbis è caſtello Namurcenſi hunc in modum litteras dedit.

Auſtriacus litteras dat ad Magiſtratum & Senatum Leovardianum.

IAM diu ab invidis & paci publicæ infeſtis famâ feror redintegrare bellum ac reducere legiones velle. Quorum rumorum autoribus, ut ante & poſt meum in provincias adventum plurima malè acta, ita decretæ mihi inſidiæ fuere. Et quoniam ſerendis turbis, quo provincias bello involvant, etiamnum interſunt illorum pravitate confundor, qui hoc tantum in votis habeo ut cultâ Religione & Rege meo pactis Fœderum ſtem. Quæ ut ignorare vos conijcio, interceptis haud dubiè litteris, quas jam ante ad vos expedij, ita ſubjungendas has duxi, quo de voluntate regis & meâ vos docerem. Ego vero, ut Religionis & Regis mei curam gerere mandor, ita jam ante magno gaudio integritatem Ordinum amplexus ſum, quâ Religioni & Regiæ Majeſtati ſe non ita nuperè obligavere. Cæterum poſtquam deprehendi paucorum inſtinctu, quos malus animus regit, tum autoritate AURANTII *& falſis ſuorum delationibus ac calumnijs me exponi, ſecuritati meæ conſulere juſſus ſum, in hoc à Deo, à Rege conſtitutus ut provinciarum incolumitati præſim. Itaq; in arcem Namurcanam, meæ innocentiæ perfugium, me tamdiu ſubduxi, donec inſtantibus periculis ſuccurrerem. Quod factum, ut ſineſtrè interpretari* ORDINES *nequiebant, ita laudem mereri debebat, quod ſaluti imperantis hoc ipſo proſpectum eſſet & quod illum locum habendis concilijs & inſtituendæ pacis actioni delegiſſem. Igitur miſſis ad Ordines provinciarum Legatis meis de novo fidem feci adjuratum meo ſacramento Fœdus integrum me velle & Regem ejus animi eſſe, ut ſi evitare queat, nec bellum nec exitium ſui populi velit. Tantum abeſt ut de revocandis Legionibus cogitet. Interim publicæ ſecuritati ſiniſtra conſilia ſuggeruntur & quidem ab ijs, qui aut Catholicæ Romanæ Religioni*

ligioni & noſtris ſacris minus æqui, aut ſpes ſuas civilibus in diſcordijs ponen- cIↃ. IↃ.
tes, implicare novis bellorum furoribus infælices provincias in animum inducunt. LXXVII.
*Itaque autoritate ſuâ, quâ prævalere factioſos & turbidos demiror, omnis or-
dinis homines ſuæ ſocietati innectunt & quod fœdius eſt, in Religionem, in Prin-
cipem, in patriam, in ſua viſcera ſe armant, ſanguinis avidi & alienâ miſeriâ
ſe paſcentes. Apud me vero inculpatæ tutelæ potiſſima ratio erit, neque repo-
nam arma præterquam coactus & ſi ſenſero Romanæ Religioni, Regi aut meo
capiti inſidias aut periculum parari. Vos vero hoc faciendo impia arma tra-
ctabitis patrijſque religionibus adverſi animos ſacrilegio imbuetis. Sin vero Prin-
cipi veſtro bellum decernitis, reputate quid divinæ, quid humanæ leges ve-
tent & num cauſa veſtris armis obtendi queat. Reputate nihil aſperi, nihil
iniqui Regem in vos molitum, præſertim ab eo tempore quo cum eo pacta &
Fœdera inijſtis, quorum ſacra reveritus eſt. Vos quoque ut rebellionis, ita ma-
jeſtatis crimine veſtras mentes polluetis clementiâque regis abuſi derivabitis in
veſtra exitia potentiam tot regnis ſubnixam. Mei autem odio ſi quid turbidi
infidis animis agitatis expendite, quo jure æmulationes veſtræ fulciantur & an
pactis unquam conventis defuerim. Ego Hiſpanicas & Italorum Legiones fa-
ceſſere juſſi, ego caſtella & arces vobis tradidi. Singulari poſt patientiâ ad-
verſum obtrectatores uſus diſſimulavi injuriam, poſtquam vigente juſtitio corri-
gere immodeſtiam ſeveris legibus nequibam. Itaque rationem reddere geſti im-
perij non abnuo, paratus adhoc, ſi memoriam meorum beneficiorum, ſi meæ a-
pud Regem interceſſionis poſuiſtis & quod Fœderum jus ſartum tectum curave-
rim imperium, quod accepi, deponere, modo ſucceſſorem anteponendum mihi cen-
ſeatis, meoque ingenio, tanquam infælici ſydere nato, fatale bellum eſſe.
Iſtius conſilij ſecretum Ordinibus provinciarum jam ante expoſui teſtorque etiam-
num, ſi alium Regij ſanguinis Principem deſideretis miſſionem me petiturum.
Itaque Italiam aut Hiſpaniam honeſtè dimiſſus repetam, cæterum hac lege,
ne gravis vobis ſucceſſor ſit & ut arma ſiſtantur. Provincialium rebus atque
fortunis abſtineri volo, & belli onus ac ſimul grave populo tributum meo diſ-
ceſſu allevari. Igitur dimitti atque exautorari quemcunque ſuſpectæ fidei pe-
to & cujus uſus in pace nullus ſit. Cui conditionum æquitati ſi aſſenſum detis
nullus bello locus erit, quod aureæ paci omnis mortalium ætas poſtpoſuit. De
me teſtor diſcordijs ac armis inimicum nec de reparando bello nec revocan-
dis legionibus cogitare. Cujus animi ſi non fuiſſem, ad dimovendum exercitum
nulla vis me compuliſſet, aut ut caſtella ac arces meæ dominationis munimenta
excuſſis veteranorum præſidijs novis rectoribus dederentur. Itaque certi eſtote,
pacem me cupere & ut provinciæ veſtræ patrio ritu regantur meumque imperium
veterum Præfectorum, qui Caroli patris ætate egere, imperijs conforme ſit. Ca-
tholicam vero Romanam Religionem imprimis haberi & coli Regem volo rogo-
que ne admiſſis rumoribus, quos ſeneſcere ſinetis, me aut regem ad iniqua &
illicita & per hæc ad arma incitetis. Cogitate civile bellum externo fœdius
hac occaſione revicturum voſque ſacrilegijs & ſpolijs templorum ruinis urbium
& vaſtationibus agrorum ſupereſſe. Latrocinijs, virginum ac matronarum ſtu-
pris, veſtra ſervitute bellum redimetis quod commercia & veſtras opes exhau-
riet, artium & pacis decora ſubvertet. Adhæc gravem annonam, aut peſti-
lentiam cæleſtes iræ dabunt veſtræque miſeriæ non una calamitas incumbet. Ta-
ceo de inſolentiâ & oppreſſionibus militum, quibus per vim & ex rapto ſtipen-
dia parabuntur, poſtquam æraria cenſu exhauſto exſolvendis copijs non erunt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↄ.Iↄ. LXXVII. *Viritim vero & æs edicto conferri populus reſpuet, vili magiſtratuum autoritate & imperijs corruptæ plebis obnoxiâ. Præterea cogitate cum Rege ac Principe veſtro bellum vobis fore, quem, ut nec curandæ paci præſidia, ita nec bello nervi deſtituent. Quod ſi expenderitis, damnabitis belli concitores, qui ut religiones ac ſacra veſtra, ita obſequia diſtorquent, quo ſibi ſecuritatem veſtris diſſidijs parent. Quare æternum numen & conſcientias generis humani teſtor, ſi ad arma redeundum ſit, nec Regi nec mihi bellum imputandum, quos juſtam ad defenſionem publica neceſſitas & vis ultima compellet. Sic arma bellum volentibus, etſi inviti reponemus, ne provinciarum ſalus nobis fato commiſſa vacillet, & ne regiæ autoritatis apex debitis obſequijs privetur.*

Hæc AUSTRIACUS.

Auſtriacus Legatos ex ſingulis provincijs Namurcum vocat.

Poſt ſingulis ex provincijs Legatos Namurcum vocavit cautionemque publicæ pacis & fidei præſtitit. Creditum fuit Auſtriacum, interverſis per Lalainium Leovardiæ urbis & ſimul provinciæ rebus, odio Aurantij hæc perſcripſiſſe ſpirantemque arma & bellum demulcendis enervandiſque provincialibus quietem & concordiam ſuaſiſſe. Itaque litteræ Auſtriaci Leovardiæ in vulgum ſparſæ præſumptis ſuſpicionibus non caruere. Unde Georgio Weſtendorpio Senatori regio à Joanne Matheneſſio arcis Satrapa & globo militum manus injectæ, ductoq; in arcem regiam crimen objectum, quod Martino Bajarto, capitalium nuper rerum præfecto & Groningæ cuſtodiæ dato ſubjectoque quæſtionibus mala & exitioſa reipublicæ conſilia inſtilaſſe, nec falsâ accuſatione, diceretur. Scribit autor eundem Weſtendorpium à Drentiæ finibus retractum ſeptumque cuſtodiâ militum bis deliquio animi correptum metuque aut mali conſilij conſcium regiam in arcem abductum.

Weſtendorpius Senator Regius prehenditur inq; regiam arcem deducitur.

Tumultus Leovardiæ orti.

Igitur ne toti Senatui vis fieret, decuriæ vigilum à Magiſtratu urbico conſcriptæ fœcundam partium civitatem magis magiſque turbavere. Matheneſſius quoque diurnis nocturniſque civium excubijs territus muniendæ arci regiæ incubuit cohortemque militum juſto præſidio adjecit. Unde totam per urbem & ut turbidis rebus aſſolet, multa famæ largientem rumores ſparſi, quibus Senatui regio & Robleſianæ factioni ſtrui inſidiæ ferebantur. His movendis populi ingenijs gravius additum, velut auctum à Matheneſſio præſidium ſectioni civitatis deſtinaretur. Quare populus nullâ partium ratione metuens direptionis armatus forum obſepſit erectaque per urbem ſigna circumferens vigilias duplicavit.

Sed mox ſedati.

Mox multitudine factionibus imbecillâ & ex ſe diſcordi facile ſedatâ, Matheneſſius militem Doccomium ac mox Ooſtmahornam expedivit, quam à Bartoldo Entenio jam antè juſto opere circumductam Renicus Dekama Prætor Collumanus vir nobilis diuturno etſi debili præſidio tenebat. Quippe ſemiplenâ cohorte propugnaculum maris æſtuario & Eæ flumini imminens velut in pace aut per inducias habebatur, hæſitante adhoc præſidio cujus ſacramento per incerta & toties repetita procerum fœdera ac dubiam dominantium fidem militaret.

Ooſtmahorna obſeſſa.

Deditio eius poſtulata.

Quare poſtulata ocyus deditio, quod Robleſius XV. pedeſtribus copijs ac tribus Equitum turmis adjutus, irrupturus in provinciam confeſſio-

ceſſione Majarti diceretur. Adeo difficile mortalibus deſideria ſecundis rebus nata adverſis exuere. Cui Majarti confeſsioni etiam hoc accedebat, quod Martinus Nitzenius, ut ante memoravi, cum Sceltone Tiarda & Feicone Tatmanno Bruxellas miſſus Doconem Martnam imminentium inſidiarum præmonuiſſet eſſeque cavendum, ne ſubdolâ Ordines inter & Auſtriacum concordiâ omnique fœdere & provinciâ inſidijs expoſitâ, quid detrimenti Reſpub. perpetuâ patriæ amantium infamiâ ac exitio ſentiret. Libertas quoque vigilando, conſulendo, incrementum adepta in infenſius ſervitium verteretur. Non ideo ſcilicet conſtantiam mentium Robleſio & pravorum conſiliorum ſtructoribus oppoſuiſſe, ut deterius in malum per ſocordiam provinciales recidant pulſiſq; provinciâ dominantibus deſides & ſecuri peiora primis imperia patiantur. Inſiſtendum eſſe cæpto operi & premenda majorum veſtigia, qui cæteras res viriliter, libertatem ſanctiſsimè habuiſſent.

CIↃ. IↃ. LXXVII.

Vibius Gouttumanus arcem Leovardiæ clam invadit.

Mox Ooſtmahornæ munitio à præſidiarijs deſerta. Itaque Vibius Goutumanus, Renici Dekamæ ſubpræfectus, vir militiæ impiger, ſub Maximiliano Heninio Boſſuvio ſtipendia faciens ſuppletam mox cohortem ſuburbio Leovardiæ induxit, ſpeculatuſque occaſionem ſuperata clam foſsâ in arcem pervaſit. Quod etſi ægrè ferret Matheneſſius tutandæ arci à Lalainio præfectus & fidei per litteras præmonitus, ita econtra Goutumanus interpretabatur fortius præſidium & utrumque ſacramenta Ordinum profeſſum comprimendis civium turbis conducere. Unde Matheneſſius ut temeritatis ita ignaviæ inſimulatus, quod demandatam ſibi arcis cuſtodiam armato ac dubiæ fidei crediſiſſet, & quem dimittere pro arbitrio nequiret. Poſſe iſtiuſmodi conſilijs dolum & ſimul periculum urbi ſubeſſe, quæ non velit peregrinis validioribuſque præſidijs ſuum caſtellum attineri. Sic increpitus Matheneſius Vibium Goutumanum excedere caſtello juſsit. Is vero virtuti ſuorum fidens ad arma conclamavit, præſidiumq; à Matheneſio arci impoſitum ponere arma præcepit. Matheneſsium ipſum, adinſtar captivi, per ludibria & contumelias habitum cuſtodiæ dedit arciq; præſidium ſtatuit. Quare cives armati diem atque noctem ſub dio egere pultatiſque tandem Achlenij Præſidis foribus dimitti præſidium poſtulavere.

Matheneſsij præſidium expellit; ipſumque cuſtodiæ dat. Inde tumultus à civibus armatis.

Neque enim ante (inquiebant) *aut arma depoſituri, aut ſumpturi cibum noſtris corporibus alimenta ſumus, toleraturi inediam dum arcem noſtræ poteſtatis feceris. Id ſi recuſes tuo capite & ſanguine nobis ſecuritatem parabimus.*

Quare Achlenius turbæ fremitu qui furori proximus viſebatur, haud parum obturbatur, haberi ocyus Senatum fecit promiſſoque civium nomine trimeſtri ære, ſeditioſam Vibij cohortem & ſimul inquietudinem civilium animorum ſedavit. Illud additum in gratiam militum fuit, ut veteranæ cohortes in ſtipendijs eſſent. Matheneſſio imperium in adventum Lalainij abrogatum caſtellumque præſidio civium permiſſum Armatorum ductores ſacramentum regio Senatui dixere. Quare ſexaginta delecti, ductoribus Renico Cammingha viro Nobili & Æſgone Harmanno Conſule, arcem occupavere, cujus diruendæ deſiderium illo æſtu rerum, ardore libertatis concors populus capiebat. Cæterum per abſentiam Lalainij, qui exſpectabatur, tum prolatum ſubſecutæ rerum mutationi ſuperfuit.

Qui à Senatu regio ſedati.

Quip-

cIↃ. IↃ. LXXVII

Lalainius Bruxellis Præfecturæ dignitatem ſollicitat.

Quippe Lalainius Bruxellas profectus, quo de ſtatu provinciæ referret, omnem gerendarum rerum curam ſui imperij æmulo regio Senatui commiſerat muneriſque benè obiti præmium gratiam patrum & legitimam Præfecti poteſtatem ſollicitabat. Cujus cum imaginem magis quam vim tenuiſſet, legato cum mandatis in provinciam miſſo quam Præfecto ſimilior, ita tum demum Præfecturæ ſuæ diploma à patribus accepit frænandiſque partium moribus & ordinandæ provinciæ tabulas hujuſmodi impetravit.

Etiam impetrat.

Egregia factorum ratio, quæ GEORGIUS LALAINIUS RENNEBERGIUS *patriæ ſuæ & præſertim Friſiæ ac adjacentibus ditionibus non ſemel collocavit, commovit nos, ut quoniam retinere in fide Regis ac boni ordinis ratione eaſdem provincias expedit, eundem* LALAINIUM *de conſilio noſtro Friſiæ ac vicinis provincijs moderandis præficiamus. Quâ in re, ut meritorum gloriam & populi illius in Lalainium inclinationem & affectum ſpectavimus. Itaq;* GEORGIUM LALAINIUM RENNEBERGIUM *Præfectum Friſiæ, Groningæ, Omlandiæ & Drentiæ declaramus facimuſque ei poteſtatem jure Præfecti curandi, ut jus* PHILIPPI *Regis & quicquid iſti connexum eſt integrum ſervet cæteraq; faciat aut ordinet, quæ boni Præfecti mandata exigent. Imprimis vero volumus ſingulis in Præfecturis Fœdus Gandavenſe & quod inter Ordines Belgicæ initum ac ſacramento confirmatum eſt, inviolatum curet, ne quid Romanæ Catholicæ Religioni & obedientiæ Regis decedat. Id ſi faciat, penſionem, jus ac dignitatem Præfecti ante ei collatam aſſignamus ſtatuimuſque ut à* XXIII. *Novembris, quo* ROBLESIUM *Præfecturâ ſubmovimus, fructum imperij ſui ſentiat, ac penſione, jure ac dignitate Præfecti ab eo tempore gaudeat. Quod ut ratum præſtemus ſigillo Brabantiæ Ordinum, & manu* CORNELII WELLEMANNI *Graphiarij munijmus.* Datum Bruxellis Prid. Kal. Sept. Anno cIↃ. IↃ. LXXVII.

Lalainius conventum Ordinum indicit.

Igitur firmato tabulis Ordinum generalium Lalainij per Friſiam cæteraſque trans Lavicam provincias Imperio, Lalainius ad Kal. Octob. conventum Ordinum Leovardiæ indixit. Ibi ore Præſidis Achlenij de approbando diplomate, de ratihabendo Gandavenſi & provinciarum fœdere, de exſolvendis Germanicarum cohortium ſtipendijs egit reſcriptumque Ordinum Friſiæ & aſſenſum poſtulavit.

Diſſenſus inter agrarios & oppidanos. Agrarij oppidanos volunt jus civitatum, ac comitiorum renunciare. Oppidani ſe tuentur.

Cæterum diſſidentibus provincialium animis, cum excluſis oppidanis, ut ante dixi, ſoli agrarij jus ac titulum Ordinum præferrent, concordibus ſuffragijs nihil actum, volentibus agrarijs, ut oppidani renuntiato civitatum & ſimul comitiorum jure in jus ac nomen agrariorum concederent. Id poſtulatum in acta II. Octob. relatum. Oppidani vero, quo novi Præfecti animum ſibi devincirent juſque ſuum defendendo laborantibus provinciæ rebus opitularentur, reſponderunt.

Parere ſe ORDINUM *Belgicæ decreto &* LALAINIUM *pro provinciæ Præfecto agnoſcere, daturos operam ut illi & ſimul Senatui regio autoritas conſtet ſuumque obſequium ſacramento regi præſtito conveniat. Itaque Fœdus Gandavenſe & juxta Ordinum generalium amplecti, ſalvo tamen patrio jure, à quo ſi diſcrepet, obteſtari ſe univerſos ſinguloſque. Et quam-*

vis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

vis non dubitent, quin agrarij ſociaturi conſilia ſint, ita petere ut ſeorſim aut conjunctim decernant, quod ex uſu provinciæ videbitur. Quod ad poſtulatum agrariorum & renuntiandi juris attineret, reponebant convocatos ſe eſſe à Præfecto, ut recepto ritu comitio intereſſent, quibus more majorum jus comparendi conſulendique in publicum eſset. Et quoniam litteris PHILIPPI *Regis, ac* ORDINUM BELGICAE *conſtet,* FRISIAE ORDINUM *nomine Antiſtites, Nobilitatem, Proprietarios & Oppidanos habitos fuiſſe, ita æquum eſſe ex Præfecti & Senatus Regij litteris, ſeorſim cum ſuis membra provinciæ conſultare. Neque enim pro loci aut ſitus ratione ſeparandos eſſe, quos jus aut ejus communio connectat. Conferendis vero in publicum tributis etſi majores florenos aureos è ſolo provenientes, tanquam paratiſſimum ſubſidium, gerendis rebus applicaverint, neque alius mos niſi cum obteſtatione & ſalvo jure obſervatus fuerit obſervarique conquirendis militum ſtipendijs etiamnum debeat, tamen pacis ac concordiæ cauſâ ſubventuros neceſſitati publicæ daturoſque operam, ut quicquid exſolvendum Germanorum cohortibus erit, in promptu ſit, quo ocyus provinciæ quies & tranquillitas dimiſſis militaribus copijs habeatur. Salvo tamen in futurum partium jure.* cIↃ. IↃ. LXXVII.

Hæc Leovardiæ in Æde Jacobæorum III. Octob. acta, & Æmylij Adamæ Jureconſulti manu pro Oppidanis ſignata.

Cujus decreti cum agrarijs copiam pridiè oppidani feciſſent, Douwonem Meium actuarium cum duobus teſtibus ad eoſdem agrarios amandarunt, cum mandato urgendi reſponſum declarandique præterea, oppidorum & civitatum legatos etiamnum, ut à primo conventus die, paratos eſſe ex formulâ convocationis cum agrarijs ad poſtulata Præfecti reſcribere. Quos ſi alia exerceant iiſque agrarij inconſultis oppidanis inhæreant aut immorentur, obteſtari oppidanos, id omne quicquid ſcriptum, factum decretumve fuerit, fraudi ſibi non fore, ac cavere de damnis & expenſis. Id V. Octob. actis traditum ac Matthiæ Rommartij & Æmylij Adamæ ſubſcriptionibus roboratum. *Oppidani agrarijs decreti ſui copiam faciunt.*

Ab Agrarijs quoque ad Lalainij poſtulata reſponſum.

Populum ſcilicet Friſicum ex patrio & conventionum jure immunem omnium, ſivè res ſive perſonas ſpectent, onerum eſſe, neq; teneri ad Vectigalia & tributa, præterquam ea que regi, adminiſtrando juri & æquo tuendoque adverſum injurias populo aſſignata eſſent. Itaque regem mandaſſe Præfectis ut pacta conventa rata curarent. Cæterum quoniam nec præteriti aut præſentis temporis conditio id ferat, ut provinciæ ſecuritatem ſtabilire Rex queat neceſſumque ſit, ut propriâ ope, ſalvo tamen partium jure, populus Friſicus immunitati ac juri ſuo hoc tempore conſulat, ſub eâ cautione ne exemplo ſit, ita ORDINES *cenſent è Rep. eſſe, ut* LALAINIUS *in communionem regundæ provinciæ (excepto civili & criminali jure) Deputatos Ordinum adhibeat. Quo indulto decernunt ijdem Ordines ſtatuuntque Lalainium pro Præfecto habendum, ſub iſtâ tamen obteſtatione menſe Ianuario factâ, & dein conventione XV. Martij initâ. Rogare interim* LALAINIUM, *ut fidem faciat ſe provinciam ex patrio jure, ſtatutis & moribus de conſilio Deputatorum & ad formulam Gandavenſis fœderis recturum. A quo conſilio ſi alienum Lalainium ſpectent, non ſtare ſe pactis Ianuario menſe* *Agrarij poſtulatis Lalainij reſpondent.*

cIↃ. IↃ. LXXVII. *ſe aut Martio confectis, neque habituros eum pro Præfecto, cujus regimen ut ante in populi damna ac oppreſſiones recaſurum ſit. Quod ad ſtipendia numeranda Germanorum cohortibus attineret, decernere Ordines, ut Lalainius omne jus amiſſum prius reſtituat ac redintegret eâque integra curet, de quibus Ordines, Lalainium & Deputatos ſuos plenius docturi ſint. Hoc interea agat Lalainius, ut Epiſcopo & Sedi adjecta ad dominos ſuos redeant caveaturque, ne ante penſionibus ex ærario qui gaudeant, quam Epiſcopus cæterique occupatis cænobijs & ſimul Haſkerano ceſſerint. Hoc quoque effectum det, ut vitio & contrà jus patrium creati Prætores cæterique Officiarij tam ſæculares, quam Eccleſiaſtici partis malè dignitatibus ſe abdicent eorumque mandatis palam reſciſſi novi ex conſtitutione Anni* cIↃ. IↃ. XXII. *deligantur. Iſti quippe rei* XV. *Mart. Lalainium fidem feciſse & expedire publicè ut ea ſervetur. Itaque ne quid provincialium juri decedat, velle Ordines ternos & quidem idoneos in unaquâque Prætura nominari, quo Lalainius unâ cum Ordinum Delegatis tam ex veteribus, ſi nominentur, quam novis creet, qui prætoris perſonam agat. Idem Prætores in deſignandis Secretarijs facient, ſed ita ut conſenſu & ſuffragatione delegatorum ſingulorum, quos ex pagis edituri ſunt, conſtituantur. Et quoniam magnum tuendæ libertatis & pacis publicæ præſidium ab armis peti debet, velle* ORDINES, *ut armari populum curet ex formulâ, eum inter & Delegatos Ordinum ſcribenda. Quæ ſi Lalainius approbari faciat teſteturque reſcripto ſe decretis Ordinum obſecuturum, res bono apud Ordines loco fore, quorum ea mens eſſet, non velle tributum, præterquam ſubſecutâ poſtulatorum ratihabitione, poſcentibus rebus penſitare. Velle ſe interea pacem & concordiam & ut in bono ordine, tanquam optumo perennitatis cuſtode, res provinciæ perſiſtant.*

Actum III. Octob. ac juſſu Ordinum à F. Thoma Groningenſe Abbate Floridi Campi, Epæo Douma Hallemio, Livio Beiemo, Laurentio Buwonio paſtore Ferverdico, Foppio Douma, Menenio Taconio Sceltingha, Cellio Roorſma, Aucone Edonio ſignatum.

Reſcriptum Lalainij.

Ad quæ LALAINIUS reſcripſit.

Se de conſuetudine veteri unâ cum DEPUTATIS *provinciam gubernaturum neque ſuæ poteſtatis eſſe quicquam immutare aut ſtatuere quod privilegijs populi adverſum ſit. Quæ ſi violata aut antiquata opinentur Ordines, poſse per acta id docere agereque apud Concilium regij ſtatus aut Ordines generales, & quidem ſuâ interceſſione, quam reparandis rebus offerret. Neque enim ſe Præfecturam per provinciam alijs auſpicijs ſumpſiſſe, quam ut ſtabilito gentis jure & omni immunitate, ſui in populum favoris & ſimul libertatis incrementa eſſent & ut ex anteceſsorum ſuorum imperio prægravati provinciales antiquis moribus & quidem ex præſcripto Gandavenſis fœderis reddantur. Interim reputandum eſſe Ordinibus quantum incommodi denegata copijs ſtipendia allatura ſint & quam periculoſum ſit differre remedium ſopiendis legionum ſeditionibus ſalutare. Nulla quippe gentium arma unquam ſinè ſtipendijs, nulla ſtipendia ſinè tributis fuiſse, quæ tanto graviora fore neceſſum eſset, quanto cunctantius in tam præcipiti malo amovendo ſocordiâ Ordinum ageretur. Æquiſſimum eſse copias ſacramento Ordinum militantes illorum ære merere, qui per arma & armorum ſubſidia ad libertatem properarent. Quod ad reſtituenda cænobiorum bona attineret, id conventui* ORDINUM

Gene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Generalium *ex conventione Gandavenſi reſervatum, inquem, proferri negotium non poſſe cenſerent* ORDINES, *decretum* CONCILII STATUS *interponi debere, aut eorum quos determinandis controverſijs regiæ voluntatis mandatum præfeciſſet. Quæ de Prætoribus immutandis dicta eſſent, ea facturum ſe ex pacto* XV. *Martij inito, neque laturum ut reciprocis conventionibus fraus aut vis fiat. Armando vero populo, etſi omnium Belgicæ provinciarum Præfecti mandatum antè annum acceperint, tamen aſſenſum præbere ſe non poſſe, amotis in Italiam Hiſpanorum legionibus & pace publicâ extra omne diſcrimen conſtitutâ. Non gravandam eſſe Friſiæ gentem illo onere aut ſervitio, niſi probet veteris inſtituti inſtans periculum egere & legionum inſolentiæ graſſatorum licentiam ſuccedere.* cIↃ. IↃ. LXXVII.

Hæc Leovardiæ v. Octob. Lalainij manu ſignata.

Quo reſponſo cum ſatisfactum ſibi Ordines non cenſerent, LALAINIUS reſcripſit. *Alterum Lalainij reſcriptum.*

DEPUTATOS veſtros in conſilium à me adhiberi jam antè petiiſtis, neque ab eo poſtulato alienus fui, quo conſortes meo imperio nactus oneris publici magnitudinem lubricis temporibus allevarem. Itaque fidem vobis paciſcor, me non niſi de illorum conſilio provinciam recturum daturumque operam ut regium jus & ſimul populi valeat fœduſque Gandavenſe veſtris legibus ac immunitatibus afformetur. Cæterum hoc peto, ut ſcripto documenta læſi violatique juris faciatis, quo remedia morbis publicis & licentiæ dominantium parem videamque quantum à libertate veſtrâ & ſuo officio mei anteceſſores receſſerint. Hoc vero expendite, quam ſalubre conſilium exſolvendis copijs ingeſſerim & quam veſtra interſit inſolenti & rapaci turbæ, ſeditiones ex inopiâ ſtipendiorum agitanti, veſtris tributis ſubveniri, quæ inferri in ærarium illæſo patrimonio poſſunt. Quæ ſi præſtetis, prout præſtanda aliquando erunt, dabo effectum, ut Sedi & Epiſcopo adjecta ad cænobitas redeant, ſi fortè cæteras per provincias idem ordinari publica autoritas decreverit. Interim cenſeo conveniendos ea de re provinciarum Belgicæ Ordines ſuadeoque, ut meâ approbatione id fiat. Quod ad immutandos Prætores agrarios & officiales attinet, id meæ poteſtatis non eſſe exiſtumo, paratus tamen, de conſilio Deputatorum Friſiæ, ex formulâ Anni cIↃ. IↃ. XXXIX. *Prætores ordinare ijſque pro tempore abrogare imperium, quos edoctus ero criminum convictos præclaras dignitates manifeſtis enormibus fœdaſſe. De cæteris Ordines Belgicæ haud dubiè ſtatuent, quorum arbitrij erit, malè adminiſtratæ provinciæ reos legitimis remedijs corrigere. Interim actorum* XV. *Mart. magna apud me ratio erit cenſeoque,* ORDINES, *non acrioribus diſceptationibus aut querelis me fatigandum eſſe, in hoc maxumè intentum, ut Prætores & Secretarios ad normam antiqui moris formem. Neque & hoc abnuò, ut defendendæ adverſum vim atque inſolentiam patriæ arma ſumatis, aut plebem agrariam promiſcuè armetis, cæterum hac lege, ne cui ſinè noſtro mandato intententur & ut eorum ope hoſtes tantum & pacis publicæ perturbatores coërceantur. Itaque caveri mihi peto, neminem armis ſuis malè uſurum, nec ore aut linguâ tenus, cæterum jure-jurando firmandum. Interim ex uſu fore cenſeo, ut è gente veſtrâ binos legatos ad Concilium Status aut Ordines generales mittatis, qui de ſingulis agant & quidem meâ commendatione ac operâ, quam veſtræ incolumitati addico.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ. LXXVII Hæc à LALAINIO in arce Leovard. VII. Octob. ſcripta ac ab eo ſignata.

Ordines Lalainio reſpondent. Ad quæ iterum ORDINES.

QVOD imperij tui rationem afformare Deputatorum noſtrorum arbitrijs velis, id gratum nobis fuit PRAEFECTE *& quod penſitanda copijs ſtipendia ſuaſeris. De interverſo cœnobiorum cenſu, quem præpoſteri temporum mores Leovardienſium Sedi applicavere, non ſemel quæſti fuimus rogavimuſque, ut per vim acquiſita Epiſcopus reſtitueret factiſque accepti expenſique rationibus juriſdictione Eccleſiaſticâ cederet. Prætores quoque, ab Anno* cIɔ. Iɔ. XXXIX. *contra jus patrium conſtitutos, dignitatibus exueres, poſtquam deprehenſum fuit, eos non bonis artibus quæſitam dominationem malis moribus exercuiſſe. Neque enim volumus, ut inſtitutâ Senatum apud regium actione aut per formam judicij corrigas, ſed ut curioſâ omnium criminum inquiſitione per pagos & diſtrictus factâ, tuâ & Deputatorum noſtrorum autoritate ſubmoveantur. Novos quoque ex ſtatuto maiorum & Anni* cIɔ. Iɔ. XXII. *nominatos gerendis per præturam rebus ſubſtituas, planè ita formatis conſilijs tuis, ut cenſeas omne vitioſum in Rep. ſanandum eſſe. Armandis vero agrarijs poteſtatem tibi facimus, ſed ita, ne quid in hoc juri patrio & conſuetudini decedat & ut ipſe expendas quam lubrico adhuc loco & caſibus expoſito patriæ noſtræ res fortuna temporum poſuerit. Quæ ne magis ex inquietudine cohortium in nos deſæviat, tuo & Deputatorum arbitrio definiendorum ſtipendiorum modum relinquimus, cæterum hac cautione adhibitâ, ut ratio quotæ habeatur & ut ſinas nos corrogandi æris de jure antiquo & ſimul tributa imperandi poteſtatem retinere. Hoc etiam volumus, ut quotquot in copijs noſtris aut ſub ſignis ſunt exleges & ſceleſti, ſtipendia non accipiant & ut prima ſtipendiorum penſione ſoluta Concilium Status aut Ordines generales provinciæ jus reſtituant, quod aut ex dominatione Principis, aut ex turbis temporum violatum erit. Nos interim dabimus operam, ut de in jus noſtrum commiſſis Concilium Status, aut Ordines generales doceamus teſtemurque nos, ſi non patrij juris vim atque efficaciam, ſaltem memoriam retinuiſſe.*

Ita Epæus Douma, Livius Beiemus, Otto Herama, W. Groveníteinius, Idzardus Reinius, Joannes Agricola reſcripſere. Quæ X. Octob. à Delegatis præturarum Laurentio Bernardo Preſbytero Ferverdico, Erneſto Aylva, Sibrando Burmania, Siuckio Humalda, Louio Allema, Edone Allema, Oedzio Arnoldio, Hercone Arnoldio, Sixto Idzio, Sceltone Tiaerda, Siriaco Haerſma, Syboldo Aylva, Jorſa Lolckma Paſtore Schingenſi, Hanſone Albada, Jeltone Gellio, Joanne Cornelio Preſbytero Witmarſumano, Regnero Allartio, Tito Walteſio, Hanſone Roorda pro Hennardijs, Joanne Ægydio, Jelgero Feitſma pro Franequeranis, Jeronimo Winterio, Jacobo Wichero pro Scoterlandis & Haſkerijs, Joanne ter Wiſga, Vibio Watzonio, Pibone Witſio Abbema pro Utingeranis ſignata actorum fidem meruere.

Reliqua in comitijs acta. Mox quatuor ſtuferi aſſignandæ primæ ſtipendiorum militarium penſioni in florenos aureos decreti, eâ tamen cautione ut Deputati Ordinum cum Oppidanis ac Biltanis agant, pro ratione aureorum florenorum ſubſidia præſtandi dandique operam ut tributum commune fit. Poteſtas quoque iiſdem Deputatis recenſendi militares copias transfigendiq;

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cum cohortibus facta, ne quod jam antè Lalainius monuerat ſolutionem differendo, magnitudo menſtrui æris & per eam ſeditionum militarium metus increſceret. Quæ etſi allevando oneri publico & ſimul maturandæ cohortium miſſioni reperta eſſent, ita diſſenſiones Ordinum peperere, decernentibus Weſtergois ne quod tributum ultra à florenis aureis peteretur & ut lite ex causâ tributorum natâ, aliud ærario ſubſidium & quidem intrà ſpatium tridui publica neceſſitas reperiret. Secus obteſtabantur, ſe comitio exceſſuros, facturoſque ſeceſſionem. Hæc XIII. Octobris Joannes Cornelius paſtor apud Witmarſios, S. Galama, W. Grovenſteinius, Jelgerus Feitſma, Siriacus Haerſma, Everardus Ludolphi, Regnerus Allartius ſignavere. Quod decretum ne damno ſibi foret, Ooſtergoi & Sylveſtres interceſſere & ne promptiſsima ac à majoribus petita contribuendi ratio novitate recentis tributi diſſolveretur. Sic Scelto Tiaerda, Sibrandus Burmania, Siriacus Haerſma, F. Grovenſteinius, Joannes Ægydius, & Hector Walteſius reſcripſere. cIↄ. Iↄ. LXXVII.

Tum curationes publicarum rationum iterum ordinatæ, quo confuſis provinciæ rebus ordo aliquis ærario eſſet, collapſiſque populi tributis ſubveniretur. Itaque ex decreto comitij, quod XV. Jan. Lalainius jam antè & mox menſe Septembri indixerat, Sceltoni Tiaerda, Livio Beiemo, (cui Siriacum Haerſma ſuffectum reperio) Theodoro Fogelſangio Jurec. Hectori Wibenio, Auconi Edonio & Feiconi Tatmanno dignitas continuata, dato eiſdem mandato, ut quæſtorum per provinciam & præcipuè Balduini Loi Theſaurarij regij rationibus præſiderent ijſque faciendis quæſtores alioſque debendi reos jure atque actione publicâ convenirent. Hoc etiam mandati additum, ut penſionibus per Ordines promiſsis, exſolvendis intereſſent tribunoſque ærario & ſimul modum tributo, cujus corrogandi poteſtatem accepiſſent, in proxumum comitium conſtituerent. Hæc à Paulo Coſterio Antiſtite Foſverdico, Siuckio Humalda, Sixto Dekama IC. Cornelio Hitſumano IC. Gellio Broërio, Ioanne Ægydio & poſt Everardo Ludolpho, Upcone Burmania, Ielgero Feitſma, Edone Allema, Ioanne Ægydio & Vibio Gualterio XIV. Octob. confirmata. *Publicatum rationum cura ordinata.*

Poſt Lalainius ſubmotis Præfecturæ ſuæ & imperij æmulis (inter quos Boſſuvium & Arſchotanum autores nominavere) ſalutatis apud Bruxellas Ordinibus in provinciam revertit factaque cum tribunis Germanicarum cohortium tranſactione munitiones & caſtella marino littori verſus occaſum impoſita præſidijs liberavit. Ea pactione cautum fuit, ut trium menſium ſtipendia cohortibus darentur eædemque cohortes, reſiduum æris deducto alieno certis penſionibus acciperent. Scribit F. Nicolaus biennium ijſdem penſionibus ſcriptum fuiſſe Germanicaque præſidia nullâ inſolentiâ aut murmure dimiſſa. Itaque tum Slotâ, Lemmariâ, Hindelopâ, Maccomio & Ooſtmahornâ munitionibus præſidia exceſſere. *Lalainius capias munitionibus educit.*

Mox ab Ordinibus generalibus ad Hollandiæ Zelandiæque proceres, dein Aurantium Legatio decreta, quâ inſtanti haud dubiè bello Hollandiam Zeladiamque ſubſidia, Aurantium vero regundis rebus & Auſtriaci ſubdolâ fide lubricis ſalubria conſilia poſcebant. *Ordines generales Legatos ad ordines Hollandiæ, Zelandiæq; & ad Aurantium mittunt.*

cIↃ. IↃ. LXXVII.

Auſtriacus parat bellum adverſus provincias.

Ordines alium Auſtriaco ſucceſſorem Regem orant.

Jam enim Auſtriacus per Germaniam, Galliam, Allobroges, Italiam & Hiſpaniam capias clam autorabat Belgiſque provincijs, detectâ defectione, etſi ſuis artibus deſideria pacis oſtentaret, bellum minabatur.

Quare Ordines Philippum regem, violatæ per Auſtriacum fidei & imminentium diſcriminum præmonitum, novum Belgicis Friſiciſq; terris Præſidem ac Auſtrico ſucceſſorem oravere, quem à recto Principis aut Proregis officio inconſulti juvenilium conſiliorum impetus & præcipue Ioannis Eſcovedi turbulentum ingenium abduxiſſent. Illo autore, etſi in Hiſpaniam ab Auſtiaco miſſus eſſet, ſtetiſſe turbatæ Belgicæ cauſam ideoque exigi, ut fraudes paci profeſſus ſuis artibus pereat ſuoque ſanguine, cui effundendo conſilium locaſſet, crimen expiet Regem inter & provincias diſſoluti nexus. Qui reparari tamen vel hoc ſolo poſſit, ſi fidem gentis, ſi libertatem Philippus expendat & quos ex Hiſpaniâ in Belgicam Friſiamque miſſos, nutriendis ſimultatibus aluerit. Traditum annalibus eſt, magnam tempeſtatem in Hiſpaniâ tum exortam colliſiſque ventorum turbine nubibus, mox horrendo fragore ſubſecuto, regiam Philippi fulmine & cœleſti igne tactam fuiſſe. Arguente, ut ego exiſtumo, velut naturæ inclementiâ, reſurgentem per provincias Philippi bellorum flammam, diuturnâ & tot annorum face arſuram non Belgicæ tantum ditionibus, cæterum Philippi regno funeſtum incendium minari.

Ordines ad Electorem, Palatinum ſcribunt, militemque rogant.

Palatinus addicit.

Ad Palatinum quoque Electorem ab Ordinibus Provinciarum litteræ datæ militem rogavere, ſed qui provinciarum ſtipendijs haberetur. Elector vero, innexam affinitatibus Belgicis domum trahens, de auxilijs ad Ordines reſcripſit ſuique in Belgicum populum affectus certos eſſe juſſit. Se Frederici patris (is Ameliam Brederodij viduam matrimonio tenuerat) divæ memoriæ pronis in Belgas favoribus inſiſtentem, non minora paternis deſideria liberandis provincijs profiteri. Intereſſe ſcilicet Germaniæ, impulſas provinciarum res auxilijs Principum ſublevari, quorum fortuna & proſperitas ſubversâ Belgicâ in incerto ſint. Iiſdem fatis ac ſimili ruinæ utramque gentem ſubjacere. Itaque miſereri ſe infœlicis Belgicæ, ut ante firmatâ fœderibus pace, voluptatem ita mœrorem è ruptâ violataque ſenſurum. Dolere ſe iniqua imperia affectantes peſſima conſilia reſumere externumque militem jure Fœderis dimiſſum, in provincias reducendum fore. Igitur Ordines bellum minantibus optumo conſilio arma decernere, omni gentium jure ſubnixa, quas ad propulſandam vim patriæ & cariſſimorum pignorum cura tot ætatibus temporum compuliſſet. Se vero etſi exercitum non alat, daturum interim operam, ut per ditiones ſuas ac vicinas, non inopes virorum nec à ſuo ſacramento alienas, intra bimeſtre militem colligat mittique in provincias faciat. Hoc vero imprimis deſiderari, ut non tam de milite quam juſto Duce cogitent, ac ut militare corpus ex ſe turbidum & licentiæ ſtudens, tum omnis gerendi belli ratio perito rectore coërceatur. Se Aurantium tot annorum ſtudia & fidem erga provincias complexum Ordinibus commendare, non ut eorum prudentiæ ſe interponat, cæterum quod eorum incolumitati conſultum perſpectumque hoc ipſo exiſtumet. Igitur Aurantius, Ioanne Naſſovio fratre ac Charlottâ Borboniâ conjuge comitantibus, Antverpiam & mox Bruxel-

Aurantius ab Ordini-

las

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

las inter Ordinum vota & applauſum exſultantis populi magno rerum apparatu evocatus, non diſſimulante Auſtriaco ejus in Brabantiam ingreſſu ſui imperij ac autoritatis vim haud parum reſolvi. Cæterum Ordines ex pactis fœderum tutum liberumque ſocijs per provincias commeatum & communionem conſiliorum obtendebant, modo hoc ageretur, ut Belgicæ quies eſſet. Non poſſe Aurantium, Gandavenſi pace Ordinum ſocietati innexum, ullius provinciæ finibus prohiberi, accitum decreto eorum qui cenſuiſſent illius prudentiæ nutantem Rempublicam eguiſſe.

cIↄ. Iↄ. LXXVII. bus Hollandiâ evocatus Antverpiam & mox Bruxellas proficiſcitur. Actæ Bruxellis in conſeſſu Ordinum.

Quare Aurantio in Concilium adſcito, ne quid incrementi inter Ordines Auſtriacumque invaleſcens morâ diſsidium acciperet, ſolenni reſcripto decretum. Ut nupera pacta, & conventiones integræ eſſent & ut ante actorum omnis memoria obliteraretur. Auſtriacus Caſtello Namurcenſi & ſimul urbe cederet Germanicarumque copiarum præſidijs oppida ac arces liberaret. Adhæc omnem militem veteranum ſive aſcititium miſſum faceret dederetque loca contra jus Fœderum occupata. Mandaret inſuper Burgundiæ & Luxemburgi Præfectis, ne quem militem intra fines admittant. Ipſe Auſtriacus, dum ſucceſſorem ei Philippus Rex deſtinaret, Luxemburgum ſe ſubduceret proque dimittendo ex Hiſpaniâ Comite Burano intercederet. Hoc ſi faceret, rata firmaque pax eſſet, Ordinumque exercitus, reſervatis tantum per Germaniæ Galliæque confinia præſidijs, dimitteretur. Eliſabetha Anglorum reginâ, antiqua regni Anglici & Burgundicæ domus ſocietate, fœderi ſubeſſet. Captivis utrinque liberatis ablata reſtituerentur. Populus per provincias oppidanus præſidijs ſuetus fidem faceret, ſe nulla, niſi Ordinum & Auſtriaci decreto, præſidia admiſſurum daturumque operam, ut Catholicâ religione cultâ civitates regio Philippi nomine teneanrur. Eo præfixo Fœdus ſcriberetur, religione juris jurandi & Philippi manu ſignandum.

Quod decretum Joanni Auſtriaco per delegatos traditum juvenile ejus ingenium belli & per hoc gloriæ cupidiſsimum infenſioribus odijs irritavit. Itaque præfracte reſpondit:

Auſtriaci ad acta & decreta Ordinum reſponſum.

Non ignorare ſe tam iniquis poſtulatis Romanam Catholicam Religionem & ſimul autoritatem Regis convelli, cui excuſſo principis jure ſola imperij umbra & nudum nomen relinqueretur. Regem vero iſtiuſmodi enormia peſsimè habiturum. Sic Aurantium Ordinum conſeßui adſcriptum, ſic dirutas arces munitioeſque laturum moleſtius, & quidem tantæ potentiæ regem, qui ſibi à populo ſuo legem ſcribi non velit ſolam obſequij gloriam profeßuro.

Mox Auſtriacus Caſtello Namurcenſi validius præſidium impoſuit, metuenſque obſidionis aut ut Ordinum caſtris circumveniretur, Marchas Faminas, dein Luxemburgum conceſsit.

Jam enim Aurantius conducendas copias claudendumque Namurco Auſtriacum in conſeſſu Ordinum diſſeruerat, ancipiti ex mutatione temporum Auſtriaco & Namurcanâ arce neceſſarijs commeatibus deſtitutâ. Ibi ſcilicet finem bello fore, unde alias certa initia eruptura forent & facilè eſſe convellere potentiam novi rectoris intra principia adhuc poſitam. Adultis vero Auſtriaci viribus minus profecturos patres & ſi

Aurantij de circumveniendo Auſtriaco conſilium.

is

cIɔ. Iɔ. LXXVII. is revocatis ex Italiâ veteranorum legionibus, è Germaniâ novis copijs accitis occaſionum haud ſegnis, opprimendis rebus invaluerit. Prolatando magnas rerum occaſiones negligi, quas fruſtra cum effluxere aut ubi conſilium mutaveris captes.

Fruſtraneum propter diſſenſum procerum.

Quæ etſi ex vero dicta in vanum recidebant, cum eſſent quos ordinis ſui manſuetudo aut mitius minuſque obfirmatum ad pericula ingenium exerceret & qui propoſitâ inritâ pace manifeſtius bellum eluderent. Erant quoque, qui occultata diu conſilia profiteri vererentur cenſerentque diſsimulanda in tempus ſecreta eſſe, dum fortuna potiores Regis aut patriæ partes oſtendiſſet. Cæteros regiæ iræ & juxta potentiæ horror percellebat, abnuentes Philippi Proregem conloquia adhuc patrum affectantem, in ipsâ Namurcorum arce, hoſtili exercitu & validiſsimis caſtris à cœtu procerum & ſimul acceſſu provinciarum intercludi. Adeo verum eſt infirmitatem animorum ex introſpectis & ſæpè fictis periculis natam magnis conatibus adverſam eſſe, deprehenſis in patrum conſeſſu qui ſervilem reverentiam honeſtæ libertati poſthaberent. Itaque divulſis procerum mentibus omnique ſpe pacis ac ulteriorum fœderum amotâ, præſagia belli ſe oſtenderunt, cui utrinque (etſi fatorum diſpoſitione haud dubiè duceretur) velamenta pacis ſpecioſis rationibus obtendebantur. Quamobrem Ordines, ne quid criminis aut invidiæ exteros apud Principes ſuæ integritati affingeretur, hunc in modum obteſtatione uſi.

Ordinum obteſtatio apud exteros Principes.

CALAMITATIS *noſtræ ac omnium malorum initia ingreſſis* ALBANO *Duce provincias Hiſpanis accepimus. Quare eoſdem fœdius inſolentiuſque agentes hoſtium loco habuimus dedimuſque effectum, ut jure fœderum quæ cum* AUSTRIACO *inijmus, alias in terras amoti levamenta noſtris miſerijs adferrent. Pactionum ſacra per Regem approbata dimiſſis Legionibus firmas pacis ſpes noſtris animis injecerant. Itaque Auſtriacum intra provincias mox oppida ac urbes admiſſum tantâ feſtivitate accepimus, ac ſi ſalutis noſtræ certiſſimum pignus cælo miſſum ſanandis funeſtis diſſenſionibus adventaret. Cæterum, ut humana omnia, ita noſtræ ſpes in lubrico fuere, poſtquam Auſtriacus deductis in Italiam Hiſpanorum cæterarumque gentium legionibus ſuſpectis imperij arbitris uſus, Germanicarum copiarum fidem ſecretis artibus corrupit. Quare ut Fœdus Gandavi ictum noſtramque cum Aurantio ſocietatem & ſimul nervum noſtræ potentiæ incideret, inferenda ſocio Principi arma ſuaſit, quorum mandatum à Philippo rege clam in Hiſpaniâ acceperat. Vbi vero nos ab ipſo conſilio alienos ſenſit, ſuſpectos fidei habuit. Ideo in noſtra exitia Germanicas legiones movit, occupandarum urbium ac caſtellorum conſilia captavit. Bergis Hannoniæ ijſdem artibus etſi deluſus incubuit, Namurcum poſt cœpit. Ibi natalem imperij ſuâ confeſſione & peſſimo facinore exorſus, falſæ conjurationis crimen peſſimæ defectioni obtendit. Nos vero bellum agitantem & fœderis noſtri hoc ipſo deſertorem Bruxellas Namurco revocavimus fidem publicam & cum eâ validius præſidium obtulimus. Offerentibus honeſta & paci conducentia omnia infructuoſa fuere, poſtquam animus Auſtriaci altioris doli capax ſuo ſecreto noſtram in perniciem exercebatur. Interceptis quas in Hiſpaniam deſtinabat litteris fidei ambiguum deprehendimus. Igitur rebus noſtris conſulere compulſi*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

oppida ac caſtella noſtræ ſecuritati vendicavimus. Tamen in ſpeciem pacis nos CIↃ. IↃ.
& AURANTIUM *Principem, tum* ELISABETHAM *Anglo-* LXXVII.
rum reginam ſollicitavit & cum peſſima animo agitaret, ſocietates ac amicitias obtruſit. Nunc detectis inſidijs pollutam religionem, violatam autoritatem Regis criminatur. Atqui nos legibus fœderum ac conventionibus ſubnixi, religionem ex pacto profeſſi ſumus. Legato Pontificis & Cæſaris, tum Leodienſi Epiſcopo, noſter zelus placuit, neque ſivimus ullibi, ut patria religio externis ſacris inquinaretur. Regis vero quantoperè reverentes fuerimus, decreti Auſtriaco honores teſtabuntur, poſtquam ipſe imperij exordio ſimulare edoctus pacis deſideria arcanis odijs velavit. Igitur intra provincias, intra urbes receptum necdum miſſis quod antè fieri debuerat, legionibus provinciarum Præfectum etiam inconſulto Aurantio declaravimus. Adhæc externo ſuſpectoque comitatu ſtipatum non aſpernati omne ei obſequium officiumque detulimus. Ita, agente adhuc in præſidijs urbium Germano milite, exercitum dimiſimus, munimenta imperij & vacillantis patriæ nudavimus. Quare dum noſtræ integritati nihil imponi poteſt, odio Aurantij nos conſectatur, velut ejus ſocietate rumpendi Fœderis conſilia agitemus. Atqui alienæ culpæ, ſi quæ ſubſit, reos reddere noſtra innocentia nos non poteſt, quorum ſtudia & deſideria ſtabiliendo fœderi ſacrantur. Tantum abeſt, ut conjuratione adverſus eum initâ puras & impollutas manus fœdare parricidio Principis aut præfecti voluerimus. Quærenti cauſam armis ficta conſpiratio obtentui fuit, ut quoniam fœderis pertæſus eſset, occaſione falſi criminis bellum redintegraret. Ejus indices datæ in Hiſpaniam & interceptæ litteræ fuere, non alio conſilio à nobis reſignatæ, quam ut fato inſidiæ detegerentur lubricamque aulæ regiæ & agentium per provincias Hiſpaniæ procerum fidem tam fœdæ apud Regem delationes aperirent. Itaque PHILIPPI *poſt litteræ priſcam ſeveritatem ſpirantes, diſſimulanda in tempus ſupplicia indicavere diemque affore, quo in provinciarum Præfectos, in procerum cervices ſtatueretur. Adhæc Auſtriacus ſubjugandis provincijs Angliæ regno expeditionem comminatus, præfervidas impotentis animi cogitationes bello non paci deſtinavit. Igitur excuſſo torpore ac ruptâ patientiæ noſtræ lege defenſioni tandem noſtræ incubuimus, ne videremur aſſignatum nobis à Deo munus fœdâ in patriam proditione defugiſſe. Nos patrijs legibus, nos populi immunitatibus fidem noſtram pigneravimus & ne quæ vis noſtris ſacris fieret, juramentum Regem ac Præfectos popoſcimus. Frænandæ dominantium lubidini, ex ſacro Ordine, Nobilitate & Oppidano populo coaleſcentes, adſtricta legibus imperia Principi præſcripſimus. Qui, ut externo bello implicare præterquam noſtro aſſenſu ſe nequit, ita majoris potentiæ ſpem præconcipiens, civili dignum ſe fecit. Quare juſtiore cauſa in Præfectum, in miniſtrum Principis inſurgimus, ſuum per provincias imperium non à religione fœderum ac conventionum, cæterum vi & armis exorſum. Ita caſtella & arces præſidia dominationi affectavit, ut jus noſtrum ac libertas in obſcuro eſſet noſque degeneres majorum poſteri (qui ſuos Principes ad certam imperandi legem ſemper adegere) fœdam ſervitutem noſtris liberis ac nepotibus legaremus. Itaque Deum & fidem generis humani obteſtamur nos inſontes & innoxios cauſam bello non dediſſe, cæterum arma cogitantem Auſtriacum continuis precibus ac deſiderijs pacem atque concordiam oraſſe. Quæ quoniam infenſante numine, ſive fato terris noſtris ceſſura eſt, ita provincialium atque concivium fidem imploramus petimuſque, ut ſpectatâ cauſæ noſtræ æquitate, liberorum ac conjugum, tum maxumè*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↃ. IↃ. LXXVII. *pereuntis patriæ miſerti ſanctiſſimæ defenſioni ſe parent. Quin rogamus Cæſarem, Philippum Regem, vicinos Reges & Imperij Principes, ut noſtræ calamitatis, & innocentiæ miſereantur, rebuſque fatiſcentibus & bello expoſitis ſuppetias ferant, poſtquam in Fœdus nos & Aurantium coïre inevitabilis neceſſitatis lex & furores hoſtium compellunt.*

Hæc Ordines.

Econtra Auſtriacus vulgatis per omne confinium ad Imperatorem, Reges ac Principes litteris eadem fere, quæ ad Senatum Leovardiæ urbis differebat doloſiſque actionibus eruditâ pacis ſimulatione patrocinabatur.

Mox juvenili animo longioris moræ incapace litteras Luxemburgo, quo conceſſerat, ad Ordines ſcripſit, ſuæque & regiæ mentis interpres hoc modo exorſus eſt.

Auſtriaci ad Ordines Litteræ.

NON ſemel, Ordines, fidem apud vos feci nullum aliud meo per provincias imperio ſtabilimentum deſiderari præterquam obſervantiam fæderum, in quam ego & poſt Rex PHILIPPUS *juravimus. Quare omne officium, quod fato & ex commiſſâ mihi provinciarum Præfecturâ veſtræ incolumitati debebam, reddendæ paci adaptavi, quo ſubortas æmulationes, diſcordias aut bellum ſecum tracturas meis in vos ſtudijs ſanarem. Malui ſcilicet regio juri ac autoritati quid decedere, quam ſpectare populum veſtrum mutuis diſcordijs pereuntem. Cæterum votorum meorum merces contumaciæ veſtræ incrementum fuit, quâ ad turpia & dominantium faſtigijs indigna regem & me adigere in animum induxiſtis. Itaque actioni pacis & ſucceſſui rerum diffiſus,* V. *Non. Octob. die Luxemburgum me recepi, quo certiorem omnium Philippum regem facerem & ut illo in loco velut tutâ ſede mandata ejus expenderem Is vero* VII. *Kal. Octob. litteras Madrito ex Hiſpania ad me dedit voluitque ut ſartum tectumque, in quod convenimus, Fædus eſſet voſque Romanâ Religione ad morem majorum cultâ, ei tanquam Regi aut Principi veſtro obſequium ex lege præſtaretis. Cui etſi veſtris moribus haud parum detractum ſit, ita vult ut violatam venerationis legem majoribus officijs penſetis. Quare jus edicendi, quod divino humanoque jure Principis ſemper fuit, reddi ſibi ex pacto fæderum poſtulat & ut arma quæ non interveniente ejus aſſenſu ac autoritate ſumpſiſtis ponatis ocyus. Adhæc ſacramentis ſuis haberi exercitum petit, ac ut Aurantij & aliorum qui imperium Regis, qui fædera & publicam pacem attemeravere ſocietati, renuntietis. Et quoniam oppidis, arcibus ac caſtellis inducta præſidia autoratus miles, ita diſponendorum per loca præſidiorum arbitrium Rex ſibi depoſcit & ut populum turbidum ac inquietum arma tractantem veſtrâ autoritate coërceatis detiſque effectum ut domeſticas ad operas & ſimul quietem redeat. Quin hoc etiam Regis nomine præcipio, ut captivos Germanicarum Legionum Tribunos quamprimum dimittatis & ut omne apud vos odium, omnis inſolentia ceſſet. Idcirco Aurantium à premendis Amſtelodamenſibus retrahetis, ſtipendia Germanorum Legionibus procurabitis, quo in tutâ veſtrarum rerum poſſeſſione locati malis miſerijſque veſtris remedia per conventum, quem Rex ocyus decernet, Ordinum generalium habeatis. Interim conſilia paci commodabitis juſque & æquum regio Philippi nomine dicetis neque ſinetis in poſterum, ut ullo modo regis autori-*

ritas veſtrum obſequium minuatur. Quæ ſingula, ut præſtari à vobis jubeo atque edico, ita ſuperſedere vos inviſis ac ſuperbis poſtulatis volo, & quæ majeſtatis apici ac faſtigio Regis adverſabuntur. Quod ſi feceritis clementiam ac gratiam Philippi vobis conciliabitis, qui hoc modo exercitus ſui reliquias veſtris adhuc urbibus, veſtræ ſecuritati graves, confeſtim miſſurus erit. Sin vero perſeveretis in propoſito Religioni ac Regi contumaces & injurij indignationem ac magnitudinem regiam & cum eâ arma & bellum denuntio, quorum jus ac arbitrium regia mihi mandata fecere. Itaque moneo, ut rebus veſtris ac ſaluti conſulatis ſciatiſque veſtram incolumitatem meis adhortamentis, exitium veſtris conſilijs inniti.

CIↃ. IↃ. LXXVII.

Hæc Austriacus.

Igitur lubrico rerum ſtatu & infidâ dominantium concordiâ, Georgius Lalainius (qui prid. Eid. Sept. Leovardiam advenerat) vergente eodem menſe Comitium ordinavit. Quo coacto ut erant qui mutandis rebus id indictum ſcirent, ita aut veteris imperij ſatietate aut quod fato deſtinatum dominationi ſuæ terminum crederent, conditionibus temporum acquievere. Quare dignitates Auſtriaci partes profeſſis nulla comitij tempeſtate abrogatæ, urgente Lalainio nutantem Remp. certioris præſidij egere. Eſſe dubiam ſuperiorum provinciarum fidem, incerta fœdera & Auſtriaci defectione bellum provincijs proxumum. Igitur conſulendum cœptæ ſecuritati eſſe, ne penes libertatis & fœderum inimicos regimen Reip. ſit & ne Auſtriacus pacis ruptor ac mox Legiones reducturus, ex hac ipsâ provinciâ fomenta ſui furoris & ſimul auxilia accipiat. Placere Ordinibus provinciarum, placere Aurantio, ita res componi ut æterna imperij per provinciam poſſeſsio non ſit & ut in ſocietatem Reip. tandem adſciſcantur, qui exilia, contemptum, qui orbitates propinquorum pertuliſſent. Itaque prævaleſcente per Friſiam fœderatorum potentia, regioq; Senatu ex actionibus Auſtriaci ſuſpecto, de fundando Deputatorum collegio ab agrarijs cogitatum, laxiore ad huc Ordinum populique Friſici comitio, quod multitudine conſultantium & ut rebus dubijs ſolet, diverſitate ſæpè animorum obturbabatur. Quippe Pontificios, etſi ſeneſcente dominatione, ut antè linguis immodeſtos & obſequij inſolentes, ita aſperos & acres redituros ad ingenia metuebant, amiſsâque cohortium fide, omne veteris imperij robur turbulentis conſilijs tutaturos. Quare attemperandis odijs, ſacro ex Ordine in hoc Collegium pacandæ mobili turbæ cooptati, quæ credebat Pontificijs ſacris & ſimul partibus illo inſtituto proſpectum & ſi cœnobiorum Præſules conſortes imperio facti, retundendis novorum fœderum molitionibus intercederent. Ita namque immodeſta libertatis ſtudia frænum habitura interpretabantur foreque diuturniora regiæ dominationi præſidia, quam extingui cum avitâ religione, ne Belgicæ quidem Ordines etſi odio Auſtriaci fœderibus inligati tot actorum documentis concupiſcerent. Igitur repreſſo religionis & ſimul partium odio ab agrariorum Ordinibus tabulæ ſcriptæ, quo de aſſignatâ novis provinciæ rectoribus poteſtate arbiter rerum populus, ſemotâ æmulatione cognoſceret: Iſtæ ſic habebant.

Lalainius Leovardiæ comitium ordinavit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ.Iↄ.
LXXVII.
Decretum agrariorum per Friſiam de Collegio Deputatorum.

NOS ORDINES, & agrariorum per Friſiam Delegati, ipſo comitio Leovardiæ ultimo Septembris die inchoato congregati, Notum facimus nos concorditer delegaſſe Reverendos, Nobiles, Honoratos & ſcientiâ rerum præclaros viros Gerardum Iacobi Præſulem Clarecampenſem, Doconem Martna, Serapium Galama, Goſlicum Hiddama, Eraſmum Douma & Barthium Idzaerda IC. quo cum GEORGIO LALAINIO RENNEBERGIO Friſiæ Præfecto ocyus conveniant, deque jure patrio, privilegÿs & immunitatibus læſis cognoſcant, juſque populi quocunque etiam loco & apud quoſvis provinciæ aſſerant. Fædus quoque Gandavenſe & poſt ORDINES inter generales & AURANTIUM Principem ictum approbent exequanturque, omneque pro re natâ definiant ſtatuantque, quod avertendis provinciæ detrimentis & aſſerendæ libertati conducere exiſtumabunt. Id quoque effectum dent, ut præter cætera publica, aggeres, vias, aquæductus, catarractas, emiſſaria & ſimilia curent habeantque rationem ſingulorum officialium provinciæ earumque rerum, quæ ad Remp. ſpectabunt. Quæ omnia ſingulaque, nullo ſalario præſtari volumus, niſi quod ex ærario provincia decernet & excluſis partium expenſis, quas ipſæ partes ferent. Sin vero Præfectus rei definiendæ difficultate motus id recipere in ſe recuſaverit, facimus DEPUTATIS noſtris poteſtatem ad Concilium Status, Ordines generales aut alio ſe transferendi, legatoſque mittendi ſimulque ſollicitandi, ut omne controverſum decidatur deciſumque à ratione patrÿ juris non recedat. Adhæc in cauſis gravioribus ex unaquaque præturâ delegatum evocandi convocandique, ſi neceſſitas exigat, provinciæ ORDINES, jus ÿs facimus, ratione tamen ſumptuum habitâ & ne damno provincialium modum excedant. Itaque abſentibus & morbo aut alia de cauſâ impeditis alios ſubſtituendi poteſtatem permittimus ſimulque determinandi quod ex uſu erit. Idque tam diu valebit, dum proxumo comitio aliter ſtatuatur. Volumus quoque ut DEPUTATI circa exitum Comitiorum anniverſariorum diplomata ſua, ac tabulas mandatorum Ordinibus redhibeant, quo aut novos creent conſtitutiſve dignitas prorogetur. Conventum quoque illius Collegÿ quotannis bis & in triduum haberi, octavo ſcilicet à Pentecoſtes die & XV. Octobris menſis, expediendis provincialium rebus ac poſtulatis ſanciendiſque quæ è Republ. videbuntur & quæ rata fore cum clauſula indemnitatis cavebimus.

Hæc à Joanne Poppio Presbytero Wirdumano, Sceltone Tiarda, Feicone Tiallengio, Jeltone Gellio Presbytero Oosterlittano, Vibio Grovesteinio, Menenio Taconio, Idzio Reinio, Tito Walteſio & Edone Idzio XIII. Octobris ſignata.

Reperio in actis publicis Carolo Cæſare rerum potiunte ſub Georgio Scenco provinciæ Rectore, non abſimilia his mandatis per Ordines Friſiæ Delegatis ſuis exhibita, cæterum tanto minore cum ſucceſſu, quanto magis ſupra libertatem vis ac dominatio Principis increverat. Qui etſi curas Ordinum in tuendo patrio jure improbare non videretur, ita de induſtriâ ſimulaſſe creditus tum fuit, quo populi animos principalis imperij rudes & ex factionibus pridem licentiæ proxumos, connivendo ad minus placita ſecretis ſervitijs innecteret. Sunt qui tradant Collegium iſtud hoc ipſo tempore ſuaſu Aurantij Principis inſtitutum, quo Friſiorum Reſpubl. regiarum partium huc uſque dominationibus oppreſſa,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

preſſa, auctis ex hoc ipſo Hollandiæ Zelandiæque rebus promovendæ libertati aſſimilaretur. Cæterum imbecillibus rudibuſque, ut omnia mortalium opera ſolent, initijs uſa per incrementa tandem libertatis revaluit, erecto ijs auſpicijs patrum Collegio, ut hærentem in ipſis patriæ vitalibus regiæ ſervitutis ſarcinam dubium magis conſilio an armorum cura ex intervallis temporum ejecerit. Stauricus Scriptor notat, Doconem Martna & Serapium Galama è Nobilitate in Delegatos Ordinum & provinciæ tum conſtitutos, indignante Senatu regio, totam Reip. vim & autoritatem ſuo ordini ereptam novos in dominos transferri. cIɔ. Iɔ. LXXVII.

Lalainius quoque ne provinciæ finibus reviviſcente Auſtriacum inter & Ordines bello quid periculo incumberet, agrarios quoſque per omnes præturas edicto Senatus armari fecit ruſticæque plebi tribunos cohortium delegit. Tum munitiones quaſque littori aut æſtuarijs impoſitas, ſolo æquari curavit durioriſque imperij munimenta & ſimul veſtigia demolitus eſt. Igitur Slota, Lemmaria, Hindelopa, Ooſtmahorna multo ante opere circumductæ, funditus dirutæ antiquam provinciæ faciem reddidere. Quare clarum per Friſios Lalainij nomen ſuperſtitioſius habitum, quod illius ætas lubricis alias conſilijs per ſe obnoxia primâ juventâ in tam ſublimem prudentiam & moderationem rerum exſurgeret. Notat Stauricus codex ipſo Michaëlis Archangeli die ad Ruremundam ditionis Geldricæ acre Germanos inter & Valonum cohortes quæ per Friſiam præſidium egerant, prælium fuiſſe plurimoſque è Valonum gente cæſos exercitæ per provinciam inſolentiæ juſtas & fatales pœnas luiſſe.

Lalainij per Friſiam acta.

Tum Aurantius, frigeſcente Auſtriaci gratiâ, regundæ Brabantiæ Præfectus. Quod conſilium, ut promovendæ ſociarum provinciarum proſperitati repertum credebatur, ita econtra noxijs æmulationibus, ut procerum ingenia, concordiam publici Fœderis & poſt provincias divulſit.

Aurantius Brabantiæ Præfectus.

Erant quippe qui alienæ potentiæ magnitudine ſuam imminui opinarentur Aurantijque fortunam, more mortalibus inſito, ægris oculis introſpicerent. Ideo illi in plures ſpargere, Pontificum ſacris grande diſcrimen imminere, ſi Aurantius novâ religione imbutus majoris per provincias imperij potiatur, quod imperantium animus ſuâ ſive lubidine, ſivè imbecillitate ut plurimum in deterius vertiſſet. Metui poſſe, ne ſucceſſu rerum ac conſiliorum ſuorum elatus, omne provinciarum regimen affectet modumque, ut cupiditates mortalium ferè ſolent, ambitioni non ponens ſuæ potentiæ autores obſcuret. Deligendum potius eſſe aliud rerum caput, in quod omnium provinciarum arduum onus tutò reclinet, divulſo à patribus Auſtriaco & Repub. multorum procerum ſeceſſionibus diſcordi.

Quidam procerum malè in Aurantium affecti.

Igitur de vocando in Belgicam Matthiâ Auſtrio Maximiliani Cæſaris filio Rodolphi fratre clam conſultatum, quo fortunæ impetus Aurantium magnis negotijs & famæ innectens, medio in curſu rerum ſecretâ æmulatione ſiſteretur. Quippe Matthiam Philippi Regis ex ſorore nepotem, ut Pontificiæ religionis acre ſtudium, ita imperatorij ſanguinis continua claritudo commendabat, confidentibus ad hoc plurimis eum gerendis rebus fato delectum, ſanandis regem inter populumque diſcordijs interceſſorem deſtinari. Certè apud Philippum a-

De Matthiâ Auſtrio Præfecto Belgarum vocando clam conſultatum.

cIↃ. IↃ. LXXVII.

vunculum ſororis connubio innexum multum valiturum omnium judicia augurabantur gratumque haud dubiè Philippo regi fore, propinquum Principem à ſuæ Pontificiæqne factionis adminiſtris, jam antè mediantibus internuntijs ſollicitatum, regundis provincijs ſe offerre.

Matthias in Belgium vocatur.

Itaque præterito Alençonio Andium Duce, in quem nonnulli inclinabant, Malſtedius pro legato in Germaniam miſſus, qui Matthiæ Auſtrio provinciarum regimen deferret capeſſendumque ad imperium ſecretis illicijs ſollicitaret. Cæterum Matthiæ animus magnis in principio cogitationibus fluctuabat. Quippe reputabat moleſtum fore, primam juventam rerum adhuc rudem tantæ tempeſtati admoveri, cui ſedandæ propinqui Regis Præſides & Legatos adhuc impares magnæ molis negotium feciſſet. Econtra omne diſcrimen, omne onus, ſpecioſo honore leniebat & quod lubricæ adhuc ætatis annos ingreſſus regiæ fortunæ inſereretur. Igitur dominandi cupidine & ſimul gloriæ pellectus, quam è pacatâ Belgicâ juvenili cogitatione ſperabat, ſui ſpem Legato fecit adſcitoque comitatu noctis obſcuro Viennâ egreſſus celerrimo itinere in provincias advenit. Quæ res etſi à fratre Cæſare ac Joanne Auſtriaco ægrius accepta, altam tamen indolem famæ ac magnarum rerum, ut Principum mentes ſolent, avidam à propoſito non revocavit. Igitur datis ad Rudolphum fratrem litteris ſui conſilij & facti rationem expoſuit. Ideo ſcilicet moderandis provincijs ſe ſummiſiſſe, ut earum diſcordijs mederetur & ne turbidis temporibus Auſtriam domum poſſeſſione imperij externâ dominatio exueret.

Is primo hæret & fluctuat.

Tandem aſſentiens, clam in Belgicam venit.

Proceres vocati præproperè Matthiæ pœnitet.

Cujus rei famâ in populum proceresſque diffusâ alios conſternatio, nonnullos faſtidium, plerosſque & in ijs conſilij autores pœnitentia occupavit deprehenſumque fuit, inconſultos animorum impetus initijs validos tractu temporis langueſcere. Itaque fuère, qui prohibendum munitis locis remittendumque in Germaniam cenſerent, validiore ſenſim diffidentiâ, quod Philippi affinitatem non unâ propinquitate præferret & quod ad Rheni Mæniq; confluentes, connivente Rudolpho Cæſare, nova auxilia Joanni Auſtriaco ſcriberentur. Quare diſſentientibus, ut in tantâ conſultantium multitudine ſolet, ſententijs evenit, ut nihil certi in conſeſſu Ordinum definiretur Anglicumque Fœdus, quod Legati provinciarum tum orabant & cum eo ſubſidia patrum diſcordijs vaneſcerent. Quippe Eliſabetham procerum Belgicæ æmulatio & præter hanc lubrica temporum offendebant, velut metuentem, ne per propenſa in provincias ſtudia Philippi odio & communi cum Belgicâ ruinæ ſe exponeret. Dubiæ ſcilicet fidei copias omnem per oram colligi. Ita Guiſium per Lotharingiam, Alençonium Galliæ regis fratrem in Veromanduis militem autorare. Adhæc Italiam & Hiſpaniam delectibus compleri reverſuraſque haud dubiè in Belgicam Legiones jam antè dimiſſas. Hoc modo copias & auxilia Auſtriaco fore, qui peritiam belli, qui militarem gloriam, qui animum magnis rebus devotum regio exercitui adjecturus eſſet. Econtra Ordinum res ſciſſas, tarda conſilia, læſum Aurantium peritiſſimum belli & gerendarum rerum Ducem, haud dubiè Hollandiâ & ſuis inſulis ſe clauſurum. Matthiæ vero Auſtrio, ut annos tantæ moli impares, ita rudem militiæ ingenium eſſe. Præter hæc, opes ſublevandis rebus invalidas, patri-

Anglicum quoque Fœdus hâc ratione tum diſſipatum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

patrimonio Maximiliani Cæſaris auguſtâ fæcunditate multam in ſobolem devoluto. Metui quoque poſſe ut Philippus Rex ultionis ac vindictæ avidus, Matthiam nepotem ſecretis artibus corrumpat, virili Mariæ Imperatricis Philippi ſororis in filios imperio & Auſtriâ domo Hiſpaniæ viribus ſubnixâ. Atqui Ordinum ſocietatem & infirmas res optumum exercitus ductorem, ſenilem prudentiam, amplum ærarium flagitare. Itaque Eliſabethæ conſilium eò ſpectabat, ut ſi auxilia & æs bello conferendum eſſet, ratio fœderis haberetur Ordineſque Aurantium, propioribus ſocietatibus innexum, Matthiæ Auſtrio ſubjungerent. cIɔ Iɔ LXXVII.

Ab alijs vero pro eodem Matthia ſpecioſa diſſerebantur. Provincias ſcilicet ſuis diſcordijs ac longo bello feſſas rectoris eguiſſe. Poſſe ſperari uberem juventæ in Matthiâ Auſtrio fructum & creſcens ingenium per annorum ſpatia experiendo ſolertiam adepturum. Sed Principum mentes juſtis ætatibus non alligari, maturitatem tum nactas, ubi ad imperium quod ijs fato deberetur poſcentibus motalium rebus pervenerint. Ne quid periculi lubricæ ætati ſubſit, habiturum Matthiam arbitros conſortes rerum & provincijs fidos. Neq; enim eam Reip. conditionem eſſe, ut ab unius nutu pendeat, cæterum fore, qui præcipitem juventam, qui ejus conſilia moderaturi ſint. Id quoque fœlicitatis animo concipi poſſe, ut per eum pacem provinciæ habeant ac ut ejus interceſſione propinqui regis ira ſanetur. Poſſe Regem Matthiæ Auſtrio majorem filiam & cum eâ provincias in dotem locare, quo funeſtum bellum ut fere ſolet, matrimonio Principum ſopiatur. Hæc & ſimilia à curioſis & fati providis ſpecioſis rationibus diſſerebantur.

Specioſæ rationes pro Matthiâ.

Igitur Matthias Auſtrius XI. Kal. Dec. Antverpiam magnâ ſolemnitate & paratu rerum ingreſſus ab Aurantio Legatiſque Ordinum exceptus eſt, diſſimulante Aurantio Matthiam inumbrandæ gloriæ ſuæ clam ab æmulatoribus accitum ſuis officijs cohoneſtari. Quo in viro ſingulare civilis prudentiæ exemplum notare mihi libet, eum ſecreti contemptus oblitum plus concordiæ publicæ quam privatis odijs dediſſe cæteriſque etiam qui acciverant deliberantibus, præficiendum rebus Matthiam retinendis dignationibus ſuaſiſſe. Sunt qui tradant Matthiam etſi Arſchotani & ſuorum partibus irretitum, ſocietatem poſt Aurantij prætuliſſe, quod civitatum fide pollens, firmius boni imperij inſtrumentum, gratiam populi ſuis conſilijs præſtruxiſſet. Ita principum virorum æmulationibus & ſæpe odijs certabatur, quos inter ſpem metumque dubijs temporibus defixos, ſollicitudo ac cura publicæ ſalutis trahebat. Quippe formidinem ſiniſtri ardeſcens cœlo crinitum ſydus ingerebat, quod circa Eid. Novemb. exortum magno horrore omnium animos implevit. Scribit M. Heymannus Oceanum Cymbricum enavigantibus ſereniore cœlo circa Non. Novemb. conſpectum, caudamque ab occaſu verſus ortum Solis æſtivum protendentem intuentium mentes ſecreto metu conterruiſſe. Quod prodigium tanto nocentius generi humano ac terrarum orbi credula mortalitas rebatur, quod ſupra Lunæ orbem, ut Tycho Brahe eximius illius artis reſtaurator tradit, procul Meteoris & trajectionum loco generatum, vim naturæ & ſimul perpetuitati cœleſtium corporum intuliſſe crederetur. Fuere qui aſſererent, quod caudatum accenſumque ab aſtris ſydus verſus Andro-

Matthias Antverpiam ingreditur.

Cometa novus apparet

me-

cIↄ. Iↄ. LXXVII. medam moveretur, inſidioſum Belgicæ libertati Auſtriacum expreſſerit ſuoque occaſu mortem ei portenderit violentâ, ut poſt memorabo, fati ſpecie extinčto. Quo in ſenſu Adrianum Antonij Alcmarianum fuiſſe in Mathematicis illorum temporum notis reperio. Quicquid ſit ferale & proculdubio prænuntium mali prodigium, triſte & ominoſum intuentibus creditum rerumque mutationibus prævium, turbidis terris tanquam funeſtum illuxiſſe. Mihi veriſimile eſt ardentiſſimi corporis comam defečtionem Auſtriaci & imminentia reſurgentis belli ſuo ortu ſignaſſe, quod in tot annorum diſcordias & furores exiturum, etiam hoc ipſo quo hæc ſcribo tempore malis ſuis remedia firmam pacem deſideravit. Sanciente velut fato aut naturâ, ut rupti fœderis ac omnium rerum defečtio horribili oſtento & cœleſti irâ notaretur. Thuanus ex illorum temporum Mathematicis notat, Cometem magnitudine ſuâ XXX. amplius gradus luſtrantem porrečtâque caudâ occidentem verſus Sagittarium & Capricornum complexum fuiſſe cœloque & ut alij rebantur, orbi Veneris inlocatum, propria illis phænomenis exitia indicaſſe. Quæ malorum quoque ut domeſticam & civilem concordiam morabantur, ita foris regum ingenia ſublevandis provinciarum rebus atque diſcordijs accendebant.

Regnorum inter ſe diſcordiæ & æmulationes.

Quippe Anglæ gravis Gallia, Gallo Germania & Anglorum res habebantur, non ferente Medicæâ ambitioſâ fœminâ regis matre, Eliſabetham etſi nurui deſtinaſſet, ſuo commodo Philippi & ſimul Ordinum amicitiam ſpeciè affečtatæ pacis captare. Igitur à morte Caroli filij, Henrico è Poloniâ accito & regni hærede, de promovendo Alençonio cogitare, præferre favorem & auxilia, quo regiam prolem, anguſto domi fratribus regno externis quoque dignitatibus inſinuaret. Et erant adhuc in Belgicæ proceribus, qui Gallicæ ſocietatis affečtatione incaleſcerent, nondumq; ut ante Gandavenſis pacis ſančtionem, veteris ſub Carolo IX. beneficij memoriam & proniora in Gallos ſtudia exuiſſent. Quod Eliſabetha ne diſſimulando quidem ægrius interpretabatur, Belgicæ ſcilicet Ordines breviſſimo freti interječtu à ſuo regno ſecretos & ſi cœlum metientibus fides, ſub eodem poſitu ſitos, Gallici fœderis dubios & jam ante in deterius exploratos fručtus neglečtâ Angliæ ſocietate repetere. Igitur legatione Ordinum ſub Marchione Haureo & Adolpho Metkerckio in Angliam miſsâ, ſemotâ offenſione, cum Ordinibus provinciarum ſubſidia ex jure innovati fœderis, C. millia librarum ſterlingarum in annum depačta eſt, interpoſitâ cautione, ut civitates Belgicæ, quas nominatura foret, redimendis ſyngraphis obligarentur. Fœderis vero tabulæ huiuſmodi erant.

Angliæ Regina Ordinibus ſubſidia addicit novaſque cum ijs fœderis tabulas ſcribit.

REGINA equitum mille, peditum quinque millia Ordinibus in auxilia mittet, quibus tertio poſtquam ex Angliâ ſolverint, menſe ſtipendia & expenſas Ordines perſolvent belloqne confečto ſuis ſumptibus in Angliam remittent. Harum copiarum dux Anglicæ gentis in Ordinum conſeſſum admittetur. Nihil Ordines quod bellum aut pacem ſpečtet, Reginâ aut illo inconſultis ſtatuent. Nullum fœdus præterquam illâ conſentiente cum quocunque inibunt & eodem ſi velit comprehendetur. Si quis Princeps contra Reginam aut regnum Angliæ quocunque prætextu aliquid hoſtile mo-

moliatur, Ordines quantum poterunt reſiſtent, eodemque numero & iiſdem legibus auxilia Reginæ mittent. Si qua Ordines inter diſcordia oboriatur, Reginæ arbitrio permittetur. Si claſſis contra hoſtes per Reginam adornanda ſit, Ordines XL. *naves juſtæ magnitudinis cum nautis & ſingulis neceſſariis inſtruent, quæ Angliæ Amiralio parebunt, Reginæ ſumptibus merebunt. Ordines rebelles Anglos intra Belgicam non admittent. Si pacem cum Hiſpano fecerint, curabunt ut hi articuli ſimul aut ſeorſim pro Reginæ arbitrio confirmentur.* CIↄ. Iↄ. LXXVII.

Igitur icto fœdere, quo ſuſpicionem fotæ per Belgicam rebellionis apud Philippum amoveret, properè Legatum in Hiſpaniam miſit eundemque hunc in modum diſſerere juſſit. *Eliſabethæ in Hiſpaniam ad Philippum Legatio.*

NE calumniis aut traductionibus apud te locus eſſet, PHILIPPE *Rex, Legatum ad te mitto & ne ſerendis inter nos inimicitiis pravitas aſſentantium interveniat. Equidem nec ejus animi unqnam fui ut voluptatem ex vicino bello caperem, cum non ſemel etiam cum obteſtatione meæ integritatis ſuaſerim, ut impendentibus malis provideres. Quæ etſi in ipſo ortu extingui debuiſſent, ita neglecto eorum remedio ſaltem cavi, ne defectio populi à te fieret & ut manſurâ cum ſubditis concordiâ tuum imperium ſtaret. Iſti fini ad* ORDINES *& ſimul* AURANTIUM *litteras dedi ac ne obſequio ſe exuerent ſerio commonui. Itaq; & provincias mihi oblatas renui, ne in hoc quidem cupidini obſecutus ut meæ tutelæ permitterentur. Pecuniâ ſaltem aut ære in mutuum dato nonnunquam præjuvi, ne peregrino Principi tuus populus ſe manciparet & ne ſancita inter te & illum fœdera turbarentur. Quæ ipſa quoque detrectanti Aurantio ut approbaret, non ſuaſi tantum, ſed velut imperavi, quo formidabilis & vicinos quoque in cladem tractura tempeſtas, mea interceſſione poſtulato componeretur. Hæc vero ſi me Reginâ pacis & juxta de te benè merendi cupientiſſimâ indigna cenſes, ſingula quæ à me facta ſunt Principum Regumqne judiciis & ſimul tuo expendendum relinquo petoque etiamnum, ut bello finem des populoque jus ac ſimul obſequium tibi principatum recuperes. Quem ut quietum & fœlicem habeas, hoc imprimis neceſſum eſt, ut amoto Belgicæ finibus Auſtriaco cujus odio tenentur, alium regundis ditionibus tuis præficias. Is namque ut populo tuo, ita meo quoque regno infeſtus eſt, fabricatis cum Scotorum Reginâ clandeſtinis conſiliis, quo me ſecuram & in rerum mearum tutâ poſſeſſione collocatam præter exſpectationem inſidiis aut armis ſubverteret. Quæ cum ab eo parari per omnem oram non ignorem & copias Gallorum ad manum eſſe opem genti tuæ tuli, quo & meo & ſimul tuo periculo occurrerem. Id namque pactione cavi, ut in fide tuâ perſeveraret religionique & tibi ſe obſtringeret. Quod ſi improbare te ſenſero teque populum tuum mancupio habere, dabo porro operam ne & vicinæ gentis miſeriæ & meæ ſecuritati deſim. Ea vero ſi fidem mutet pactorum ac conventionum oblita, arma mea pro auxiliis ſentiet meque meis erga te officiis & ſimul conciliandæ diſſenſioni non defuiſſe.*

Creditum fuit, illam reginæ excuſationem Philippum regem æquo animo tuliſſe Auſtriacæque pravitatis & juxta ambitionis conſcium, non inrito metui inanem fiduciam & affectum amiciſſimi Principis repoſuiſſe. Reidanus ſcribit ſyngraphas, ab Ordinibus provinciarum Eliſabethæ da- *Quæ non malè tum à Philippo acceptacreditur.*

cIↄ. Iↄ. LXXVII.

datas, hac formulâ ſcriptas, *Quod pro ſervitio Regis Catholici & pro conſervatione provinciarum in ejus obedientiâ Regina mutuo dederit*, haud dubie, ne Philippum ultro æmulum & veteris diſcordiæ memoriam alentem, locato illius ſubditis ære, exercendis majoribus odijs, inritaret. Auſtriacus quoque, quo ſiniſtris Eliſabethæ cogitationibus ſubveniret, legatum in Angliam amandavit increpitiſque Ordinum actionibus, velut paci adverſis, redintegrandi belli conſilium expoſuit.

Lalainius Leovardiæ Magiſtratum mutat Idem Franequeræ tentat miſſo eo Carolo Roorda.

Mox Lalainius per civitates & oppida immutandis Magiſtratibus ſe dedit primariæque Friſiorum intra Flevum & Lavicam Leovardiæ urbi, Adium Lambertium, Jarichum Wopconium, Gellium Sibæum & Meinardum Wigerium, iſtius anni Conſules nominavit. Dein Carolum Roordam, virum pacis artibus excultum, Franequeram cum mandatis & amplâ poteſtate miſit exuendoque imperio Magiſtratui Julium Botniam virum antiquæ Nobilitatis collegam ei adjunxit. Quare præconis voce populus in templum convenire juſſus, quo mandata Præfecti ac Legatorum conſilia in publico acciperet. Cæterum Magiſtratus futuri perſpicax cœptis obſtitit congregatuſque in Curiâ accerſi legatos imperavit tabulaſque mandatorum popoſcit. Itaque fiduciariæ litteræ à Legatis in Senatu exhibitæ, quibus Magiſtratus dignitate ac imperio urbis ſe abdicare Decreto Lalainij jubebatur.

Magiſtratus ſe Legatis opponit.

Cæterum Magiſtratus rei novæ & inſperatæ indignatione majorem contumaciam alens, Legatis ſe oppoſuit cauſæque ſuæ vota civium & pactiones fœderum, tum reſcripta Lalainij obtendit. Ea quippe nupero comitio, quod Septembri menſe Leovardiæ fuiſſet, agrarijs, poſt oppidorum delegatis à Præfecto indulta ſemelque placita pro æternis habenda. Tum cautum fuiſſe, ne quid per provinciam in civitate aut præturâ novaretur poſſeſſuroſque U T I P O S S I D E R E N T, modo paci publicæ vis non fieret fœduſque Gandavenſe ſacrum & inviolabile Magiſtratibus oppidorum Prætoribuſque præſtaretur. Atqui civitates, atqui agrarium populum ex præſcripto fœderum rexiſſe. Tantum abeſſe ut imputare ſuæ integritati quid poſſit, cui teſtimonium adſtruere conſcientia & vox populi quiret.

Roorda Leovardiam regreſſus, milites ſecum Franequeram ducit.

Itaque Carolus Roorda ſpectatâ Senatus oppidani pertinaciâ Leovardiam regreſſus, Joannem Matheneſsium Leovardianæ arcis Satrapam cum quibuſdam ſchlopetarijs in comitatum adſcivit provectuſque Franequeram templi fores obſideri armato fecit. Mox civium quoſque, repetito per præconem edicto, in fanum evocavit militemque & ſtipatorem ſuæ & aliorum ſecuritati deſtinatum ſtare præſidio juſsit.

Magiſtratus denuo ſeſe opponit

Igitur Magiſtratus confluente ſenſim populo, tanquam aliud acturus cum Matheneſsio in ſecretum fani ſeceſsit hominique ignavo & gerendis momentis rerum imperito magnâ acerbitate ſe objecit. Quippe leges civitatis, jura populi, receptas conſuetudines, Lalainij reſcripta violari criminabatur legatoſque violentis & inofficioſis conſilijs ſubnixos novas res damnatis moribus ordiri. Ideò ex ſuis ad Lalainium miſiſſe, intra triduum reverſuros perlaturoſque ad Senatum quæ præſtari vellet. Ea propter rogare ut legati negotium in tempus differant, dum de voluntate Præfecti cognoſcant, qui haud dubie Principis fidem ſuis decretis interpoſiturus ſit. Secus obteſtari dignitatem Senatus, leges populi atque vota, vim ſuis ſacris in-

inferri. Mox Legati gnari diſcordijs civilibus facto non conſulto opus eſſe, globo armatorum ſtipati in ſacellum irruêre diductiſque per vim foribus nuncupandi novi Senatus poteſtatem civibus fecere. Annotatum invenio eoſdem Lalainij legatos arma & carceres præfracto Senatui comminatos eundemque gravi voce & ſtipatorum turbâ conterritum ſtantibus periculis ſe ſubduxiſſe. CIↃ IↃ LXXVII.

Igitur Magiſtratu, velut civitatis interregno, Carolus Roorda vir facundus pro concione verba fecit:

Caroli Roordæ ad cives convocatos Oratio.

VT in urbem veſtram pergeremus, C I V E S, *mandatum Præfecti nos compulit. Qui lubrico rerum ſtatu muniendam Remp. ratus, ſuo imperio, noſtris officijs uti voluit. Igitur poſtquam fiduciam Senatus ſiniſtri ſuſpicione excuſſit, è Rep. cenſuit veterem Magiſtratum regimine civitatis exuendum & ut vos ipſi novos urbi rectores patriæ fidos veſtris arbitrijs ac ſuffragijs deſignaretis. Iſti fini convocari vos hunc in locum fecimus,* C I V E S, *quem colendo numini à majoribus dedicatum, curandæ rerum ſaluti & ſtabiliendæ Reip. hoc ipſo tempore delegimus. In vobis erit, ex præſcripto Præfecti triginta duos regundæ civitati nuncupare, quo ejusdem Præfecti & noſtro arbitratu è numero deſignatorum Magiſtratus conſtituatur civitatemque partium fœcundam publica poſthac autoritas contineat. Igitur poteſtatem vobis facimus, nullo religionis Pontificiæ reſpectu, optumum quemque è totâ multitudine deligendi & cui ex virtute dignitas deferri queat. Nos operam dabimus, ut hoc incendio rerum, quod doloſo cineri diu contectum exardeſcit, Reip. ſecuritati & ſimul veſtris deſiderijs ſatisfaciamus.*

Cives primo diſcordes.

Quâ Oratione finitâ pro cujuſque captu, ut in turbâ fieri ſolet, diſſentientium animorum haud obſcura ſigna miſeræque civitatis ſecretum & triſte diſſidium viſebatur. Itaque fuere, qui ſeceſſione à reliquo cœtu factâ tacito murmure ſe proderent tædioque mutati temporis ſecreta vulnera contumaci vultu & domeſtico luctu placarent. Scriptum in commentarijs illorum temporum invenio, ſecedentem in fine actus turbam ab armatis ſtipatoribus in templum retractum etiam invitam & renitentem iſtis ſolemnibus & nuncupando Magiſtratui interfuiſſe. Preſbyteros econtrà majore rei inſtitutæ invidiâ correptos abſcedere juſſos, ne importunitate indignantium capitum progreſſus rerum & imperatum ſilentium obturbaretur. Quamobrem circumſtante populo, etſi opinionibus diſcordi, novi Conſules dicti eorumque nomina actorum fidei inſerta ac multitudini prælecta, privatæ fraudis & famoſas ſuſpiciones adverſarum partium oppreſſere. Tum Matheneſſius, nuncupatione Senatus factâ, Leovardiam receſsit.

Tandem tamen novi Conſules electi.

Magiſtratus prior litteras dat ad Præfectum & Senatum regium.

Igitur ab Oldermanno & Magiſtratu priore quorundam nobilium civiumque nomine ad Lalainium Præfectum & ſimul Senatum Regium litteræ miſſæ, quibus majeſtati regnantis & Gandavenſi Fœderi vim illatam acerbis narrationibus repetebant. Non eguiſſe ſcilicet negotium tantæ moleſtiæ & armati apparatus, ac ut Legatis Præfecti miles & ſpiculator ad cuſtodiam corporis decerneretur. Sibi rationem geſti imperij conſtare, quod poſituri ultro fuiſſent, modo ex lege & recepto ritu licuiſſet. Itaque Deum teſtem actorum & ſuæ innocentiæ advocare rogareque Senatum regium, ut apud Lalainium intercedat con-

cIↄ. Iↄ. LXXVII. ſulatque populo civico, ex hac ipſa rerum mutatione manifeſta exitia formidanti.

Renicus Camminga & Barthius Idzaerda ad Ordines generales de rebus per Friſiam provincialibus miſſi.

Mox compoſito quarundam civitatum ſtatu, Renicus Camminga & Barthius Idzaerda ad Ordines generales miſſi, qui inſtituendis ulterioribus rerum converſionibus autoramentum reſcriptumque impetrarent. Quippe, mutatis per oppida magiſtratibus, prætores adhuc agrarios Hiſpanicæ dominationis mancupia præeſſe dicundo juri & adminiſtrandis rebus indignabantur arciumque ac caſtellorum validas moles arctandæ libertati ſtructas magno ſumptui & premendis provincialibus ſupereſſe. Adhæc attenuatum Robleſij exactionibus ærarium & privatas opes querebantur leniuſque tributum cenſumve regium è vectigalibus Biltæ agris provenientem in ſubſidium orabant. Hoc etiam volebant, ut quod ex pacto fœderum communi provinciarum ærario inferendum eſſet, ſuo arbitratu conquireretur ſibique corrogandi, quovis modo per provinciam æris libera poteſtas foret.

In Cunerum vero Epiſcopum eorum mandata atrociſſimè invehebantur, quod æquatis ſolo cœnobiorum ſtructuris eorum reditus, fœdâ avaritiâ ſuæ doti adjeciſſet dirutiſque ſacris ædibus ſepulchra majorum agro paſcuo & nutriendo pecori applicaſſet. Neque enim ferendum eſſe, ajebant, ut oſſa ac cineres ſolo eruti per plana agrorum ſpargantur Solique expoſita, quæ tegi natura voluiſſet, feris alijſque animantibus in pabulum cedant. Sacrilegio ſaltem violandiſque defunctorum monumentis parcendum fuiſſe & quidem iſti homini, cui profeſsio pietatis & divini cultus incumbat. Cæterum eundem Epiſcopum ambitione & ſimul avaritiâ correptum ſuæ cupiditatis modum jam diu tranſmigraſſe. Ita prolatatâ juriſdictione & ære presbyteris extorto avidum imperij & ſimul pecuniæ animum oſtendiſſe, haud vano indicio, eum ſimulatâ in ſpeciem religione, proferendæ dominationi & venalibus ſacris intereſſe. Igitur petebant, ut Ordines provinciarum legem eidem Epiſcopo præſcriberent inſolentemque ac in enormia effuſum ſeveritate novorum mandatorum coërcerent. Et quoniam Haskerani cœnobij proventus, (cujus quæſturam Heymanno Senatus regius contuliſſet) contrà jus ac fas idem Senatus vindicaret, addici provinciæ eoſdem reditus urgebant & ut Heymannus quæſtorio munere de mandato Ordinum ſe abdicaret.

Adhæc vigente per Friſiam Hiſpanorum dominatu plurimos dignitatibus boniſque exutos à Senatu regio criminabantur eoſdemque exilia & vim fiſci perpeſſos, veteri actione & novâ lite apud Senatum Regium conveniri. Quamobrem volebant, ne ejus quod malâ fide geſtum acquiſitumve eſſet, uſucapio aut jus foret & ut provincialium lites per exilia & turbas temporum ortæ non à Senatu regis, cæterum à Præfecto aut ejus Delegato dirimerentur. Poſt armandæ per provinciam plebi more majorum poteſtatem oravere, ne Gaſparus Robleſius veteris per provinciam imperij manifeſtus affectator, de Auſtriaci conſilio vim aut inſidias per ſocordiam populi moliretur. Quod etſi menſe Octobri ſpontaneo Ordinum provinciæ & Lalainij motu factum eſſet, ita volebant, ut SCtum eâ de re ſcriberetur, Ordineſque deſertore fœderis Auſtriaco, ſummis imperijs, & faſtigio rerum admoti, publi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

publicam autoritatem neceſſarijs conſilijs interponerent. cIↃ. IↃ. LXXVII.

Reſcriptum Ordinum generalium

Igitur Ordines generales reſcripſere: Daturos ſe litteras ocyus ad Lalainium Friſiæ Præfectum, quo in ingenia, conſilia, & actiones prætorum inquirat, ſuſpectoſque violati fœderis, quod Gandavi ictum eſſet, poſſeſſione dignitatum ac munerum amoveat. Quod ad demoliendas arces attineret, id arbitrio Lalainij ac Leovardiæ Magiſtratuum permittere. De Biltanis agris & eorum proventibus provinciæ applicandis ac colligendi æris poteſtate decretum facturos. Petere interea, ut Friſij Vectigalium legi, per omnes provincias promulgandæ, ſalvâ populi ſui immunitate ſe ſubmittant, quo provinciarum res parabili pecuniâ, tanquam firmiore nervo trahantur. Ea vero, quæ adverſus Epiſcopum ac Senatum regium proferebantur, dilui ab eodem Epiſcopo & Senatu volebant, ac ut læſorum per Friſiam in integrum reſtitutio (quod Gandavenſe Fœdus nihil certi determinaret) proximo Ordinum generalium conventui reſervaretur. Interim actiones in res bonaque exulum inſtitutas componi debere ex lege Gandavenſis fœderis cenſebant reliquaſque lites ex diſtractis divenditiſque exulum bonis natas & earum vendicationem jure & æquo definiri. Armandis vero provincialibus autoritatem Lalainio pro more gentis & neceſsitate rerum facere, ac ut ipſe aut Deputati Ordinum comitium populi indicant ſtatuantq; quod è Republica ſit.

Legati in Friſiam regrediuntur

Ita Renicus Cammingha, & Barthius Idzaerda Legati in Friſiam & ad Lalainium regreſſi, cujus animum iſtorum temporum fato, graviſsimis curis implexum, Pontificiorum per provinciam contumacia & exitiales Tranſlavicanorum diſcordiæ exercebant. Creditum fuit Pontificios quoſque Auſtriaci armis ac potentiâ irati Regis ſubnixos, magna conſilia tum concepiſſe mandatiſque novorum imperantium adverſos converſionem rerum & cum eâ fortunam anteacti temporis ſperaſſe.

Auſtriacus ab Ordinibus hoſtis judicatus.

Unde Auſtriacus optumus ſerendæ in Ordines invidiæ artifex, hoſtis Ordinum reſcripto judicatus, quod Fœderum paciſque publicæ ruptor Namurcanam arcem & cum eâ ſecuritatem Reip. doloſo conſilio circumveniſſet. Igitur imperium, ſcriptis in conſeſſu Ordinum generalium eâ de re tabulis, ei abrogatum damnatique perduellionis, qui cœtui Ordinum jam ante aſcripti per fœdiſſimas ſeceſſiones, nova ſacramenta pernicioſæ ſocietati nuncupaſſent. Perduelles quoque ipſi decimum intra & quintum diem redire in ſua ac renuntiare nefario fœderi juſſi, ſi fortè deſertâ partium fide Remp. complexis ſcriptæ legis rigor, clementiâ judicum attemperaretur. Bona quoque eorum in commentarium redacta vetitumque edicto, ne quis militem, arma, commeatum perduellibus præſtaret. Cujus decreti tabulæ VII. Eid. Dec. Bruxellis ſcriptæ ac in Friſiam quo vulgarentur miſſæ, civilium animorum ſtatum non parum conturbavere. Igitur à fautoribus Auſtriaci (referente eâ de re Heſſelo Ayſima provinciæ Legato) conſpirationes adverſus Remp. initæ, indignantibus conjuratis Joannem Auſtriacum regij Imperatorijque ſanguinis Principem moderandis per Friſiam rebus Philippo ſuffectum, majeſtatis poſtulari. Quamobrem Decreti Edictum pertinaciâ partium in bimeſtre ſuppreſſum, donec in ipſum etiam Lalainium, velut ſupinum & conniventem, tum Se-

ANNO cIↃ. IↃ. LXXVIII.

regium auctâ ſuſpicione & inquietudine populi, Martio menſe in Baſilicâ PHILIPPI & per omne provinciæ Tribunal recitaretur.

Matthias, dicto ſacramento, præfecturam provinciarum cum Aurantio capeſſit.

Tum Matthias Auſtrius, quo præſcriptum imperij acciperet, Antverpiâ per Legatos Ordinum Bruxellas evocatus ſacramentum dixit, ſociumque ac conſortem rerum Aurantium, velut juventæ moderatorem & ſuorum conſiliorum accepit. Quæ omnia regio adhuc Philippi nomine iſtâ temporum ætate velabantur, quo reverentiam Principis juramentum Præfecti & procerum conventio non minuerat. Ea cautum fuit.

Acta iſtius Ordinum conventionis.

Vt MATTHIAS AUSTRIUS PHILIPPI ORDINUMQUE *nomine incolumitati omnium ſingularumque provinciarum jusjurandum faceret omniſque inſuper exercitus ſacramento Regis & ſimul Ordinum haberetur. Adhæc, ut Matthias Concilio Status adjutus, quod Ordines generales ex inquilinis & peritis rerum conſtituri eſſent) tutandis provinciarum legibus immunitatibuſque ſuum imperium afformaret omneque decretum plurium ſuffragationibus ſcriberetur. Diſpenſationem munerum quæ regis eſſent Philippo relinqueret, reliquas vero dignitates ex pacto Gandavenſis Fœderis Ordinum generalium arbitrio permitteret. Bellum, pacem, ſocietatem aut fœdus cum externo Rege aut gente ſine aſenſu Ordinum non iniret. Secreta epiſtolarum Concilio Status communicaret. Indicendorum prolongandorumque conventuum jus Ordinibus aut eorum Delegatis permitteret, Fœduſque Gandavenſe integrum intemeratumque præſtaret. Stipatores, ſpiculatoreſque è Belgicâ gente conſcriberet militiæque dignitatibus, legendis copijs aut diſponendis præſidijs interveniente aſſenſu Ordinum præeſſet. Provinciæ præfectum ſinè mandato Ordinum aut aſſenſu provincialium non daret, cæterum res bellicas de Concilio Status & Senatus belli decerneret. Pecuniæ publicæ, regio cenſu excepto, adminiſtrationem Ordinibus aut eorum Delegatis relinquêret. Ordinum fœdera auxiliaque ex ijs profecta integra inviolataque curaret. Cum ijs qui in partibus Auſtriaci adverſus patriam arma tuliſſent, lege agi faceret. Caſtella ex decreto Ordinum diruenda ſolo æquari mandaret. Omnium rerum veniam faceret actaque & reſcripta Ordinum à defectione Auſtriaci publicata, firma atque rata haberet. Pro Ordinibus & recuperandis locis ab* AUSTRIACO *occupatis apud Cæſarem & Imperij Principes intercederet, quo Burgundiæ circulo comprehenſa tutelâ Imperij vendicentur. Omnia ac ſingula ſarta faceret, ſecus agendo Ordinum armis corrigeretur.*

Auſtriacus in Ordines bellum parat.

Quæ conditiones à Matthia Auſtrio & Aurantio Matthiæ vicario jurejurando firmatæ in Germaniam ad Cæſarem, in Hiſpaniam ad Philippum regem, quo approbaret tranſmiſſæ, in aulâ ſuis moribus obnoxiâ & malè inſtructâ parum gratiæ reperere. Quippe Auſtriacus, factâ contra eas obteſtatione, Philippi animum anteceperat, incuſatis Ordinum & Matthiæ conventionibus, quod ſacramentis fœderum, pacі & conſenſui regis adverſarentur. Igitur, Matthia ſacramentis Belgicæ & provinciarum innexo, ultrà diſſimulare neſcius undique exercitum recollegit relictoq; Luxemburgo Marchas ad Faminas, quo conduci copias præceperat, audiendæ Anglorum legationi ſubſtitit.

Eliſabetha ad Auſtriacum legatio

Eâ petebat Eliſabetha, ut rebus bellum ſpectantibus induciæ ſcriberentur, dum ex Legato quem in Hiſpaniam amandaverat, de Philippi mente & voluntate cognoviſſet.

Non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Non eſſe ſcilicet feſtinandum in tam gravi negotio, quod PHILIPPO *Regi diſcrimen, aut exitium populo allaturum ſit & ex quo periculi metus ad conterminas transmarinaſve gentes perveniret. Siſtenda potius æquis conditionibus arma, ut per ſpiramenta temporum divulſæ mentes, in concordiam redeant bellumque recrudeſcens ſuâ & aliorum Principum interceſſione honeſtâ pace claudatur.* CIƆ. IƆ. LXXVIII.

Cæterum Auſtriacus, ſivè æmulatione in Matthiam, ſivè Edicto Ordinum præreptum ſibi Belgicæ imperium indignatus, omnem induciarum aut pacis rationem rejecit Angliæque Legato præfractum & contumax reſponſum repoſuit. Creditum fuit, memoriâ veteris in Eliſabetham odij commotum, ac nuper regno inſidiatum acerbas voces iniquo & necdum ſedato pectore deprompſiſſe. *Contumax Auſtriaci reſponſum.*

QUARE (inquiebat) NULLIS CONVENTIONIBUS AUT PACTIS FOEDERUM ASTRINGI ME SINAM, PARATUS, COACTO JAM EXERCITU, DE MANDATO REGIS BELLUM DARE. IGITUR NEC ANGLICA, NEC GALLORUM, NEC GERMANIAE AUXILIA, SI QUAE PROVINCIJS LOCENTUR, ME à PROPOSITO DETERREBUNT. QUIN DATURUS SUM OPERAM, UT SOCIETATE TURCICA CAESARI AC IMPERIO BELLUM CREEM, GERMANIAEQUE PAX ET QUIES MEIS ET TURCARUM ARMIS LUXETUR. TANTUM ABEST, UT, QUID SUPPETIARUM MATTHIAS AUSTRIUS SPERARE à RUDOLPHO FRATRE QUEAT, DUM EGO BELLO OCCUPOR, QUI PROPEDIEM BRUXELLENSIUM AD PORTAS EXERCITUM ADDUCTURUS SUM. ITAQUE VOLO, UT, ME ETIAM ARMATO, ORDINES ARMA PONANT MEISQUE IMPERATIS PAREANT.

Mox Marchis adhuc in Faminis agens & Pontificio diplomate à Gregorio ejus nominis XIII. tanquam debellandis paganis præmunitus, bellum edixit, velut certâ fatorum ordinatione, ut eodem in loco adjuratam Fœderi fidem fœdiſſimus conventionum infractor violaret. Quare ad caſtra metatum externa auxilia, tum Hiſpanorum Italorumque legiones refluxere, quas Gandavenſi pactione dimiſſas Alexander Farneſius rudimenta belli primâ juventâ facturus in provincias reducebat. Indignantibus provinciarum Ordinibus Margaretam Alexandri matrem, nuper Belgicæ Friſijſque Præfectam reverenterque habitam, Alexandrum filium opprimendis provincijs reſcindendiſq; antiquis conventionibus enutrijſſe. Dein repetitâ Philippi regis & ſuâ integritate, velut animum paci etiam contractis auxilijs ac perarmato exercitu præferret, provincias, oppida, ſocietates ad defectionem fœderis ſollicitavit Ordinumque ſacramenta deſerentibus veniam anteactorum fecit. Cæteros Ordinum auſpicijs ſigniſque militantes hoſtes judicavit publicæque pacis & ſecuritatis ſponſione factâ, inſtanti bello ſubſidia *Auſtriacus Ordinibus bellum indicit.*

& com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXVIII. & commeatum popoſcit. Tum ſupinis Ordinum rebus, velut fatali tot conſulentium ignaviâ, exercitum Marchis ac Luxemburgenſium finibus movit ſubſecutuſque cum omni procerum comitatu apud Namurcum deſedit, quo urbem violando Fœderi & ſuæ defectioni fatalem, gerendo ſedem bello deligeret.

Auſtriacus expeditionem parat in Ordinum caſtra

Ordinum vero caſtra, haud longis ab eo intervallis diſcreta, non juſto duce, nec conſilio regebantur. Itaq; maxumè à Matthia Auſtrio Aurantioque cavebatur, ne exercitus imperij vacuus pugnæ & diſcrimini committeretur unumque ſub fortunæ ictum provinciarum vires & rerum incolumitas recideret. Cæterum Auſtriacus prælium poſcens caſtris Ordinum velitem immiſit coactumque retrocedere redire in caſtra præcepit. Mox repetito pugnæ conſilio, quod ex captivis de movendis Gemblacum Ordinum caſtris agi comperiſſet, tergum fœderati exercitus premere conſtituit delectorumque equitum turmas unà cum pedeſtribus copijs, iterandæ velitationi præmiſit. Reliquum exercitum ritè inſtructum pergere ocyus Ordinumque aciem velitando iter facientem, haud procul ripâ fluminis adſultari juſſit, quod hyberno tempore tumidius difficilem tranſitum fœderato exercitui dabat. Igitur Alexander Farneſius, quo militiæ rudimenta præclaro facinore captaret, Octavio Gonzaga, Gaſparo Robleſio nuper Friſiæ Præfecto & Baptiſta Taxio ſtipatus, adacto fortius equo, magnam in caſtra Ordinum impreſſionem fecit illuſtrique fortitudinis exemplo, ut commilitonibus ad virtutem, ita ſibi ad promerendam gloriam fuit.

Auſtriaci de Ordinum acie victoria prædaque.

Quippe mox omnis Auſtriaci exercitus, quem dubia adhuc prælij fides ignavum aut timidum faciebat, confertim in aciem Ordinum ſe ingeſsit imparemque ſuſtinendæ adſultantium moli in fugam dedit. Sex millia è fœderatis illo prælio deſiderata.

Scribit in commentarijs ſuis M. Heymannus perlatâ in Friſiam cruentæ cladis fama, magnam conſternationem populo obveniſſe, quod viginti ſeptem millia fœderatorum cœſa deletaſque ad internecionem Ordinum copias, fallax & ut ipſe ait, falſitate ſuâ ſe prodens rumor nuntiaret. Ingens è fugientium cæſorumque ſpolijs præda ſigniſque militaribus adjectæ machinæ per omnem oram victoriæ decus auxere.

Auſtriaci ſævitia.

Tum ſexcentorum captivorum ſanguine victoris furor placatus, hoc ipſo indicantis in poteſtate ſe fortunam, non vero animum habuiſſe. Itaque uno velut impetu obvia proſternens oppida plurima ac caſtella cœpit fœdaque ſævitie ubivis victor uſus magnum ſui terrorem diſſitis provincijs injecit. Quippe truncata & deformitate vulnerum fœda corpora, ejus juſſu minutis ictibus confoſſa, præter fati ſui infœlicitatem inclementiam quoque cruenti victoris pertulere. Scribunt Auſtriacum juſtis viribus & tot legionum acceſsione inſtructum, optumam accelerandæ pugnæ occaſionem captaſſe fœderatique exercitus Ducum aut incuria aut abſentia prudenter uſum ſecundo prælio conflixiſſe.

Ita dum Ordines ſui fiducia & in bello ſecuritas occupabat, Duces primarij inter ludicra & nuptiale feſtum, (quod Berſellius cum Marchioniſſa Bergenſi Bruxellis celebrabat) vino & epulis delibuti procul caſtris agebant, fœderis res in diſcrimen adductæ, etſi diſſimulantibus aut elevantibus cladem, qui tot ſociarum civitatum fide, poſt di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

rutas arces & ejecta partium præſidia ſtare Remp. gloriabantur. Adeo verum eſt nullos facilius opprimi quam nihil timentes & eos fortunæ mores eſſe, ut ſecuros averſetur. Quâ clade, etſi provinciarum res haud parum adfligerentur, ita ſingulari conſtantiâ adverſitatem deſævientis fortunæ tolerabant. CIↃ. IↃ. LXXVIII.

Quare Legatio Cæſaris in pacem Belgicam proni, perorante Suartſenburgio modeſtè accepta ſubſidiaque & interceſſiones quas Legatus offerrebat, non omnino ſervilibus ſtudijs petitæ.

Legato Cæſaris Suartſenburgio datum ab Ordinibus reſponſum.

Innuentibus Belgicæ proceribus, ſe nec iniquis caſibus ſubito proſterni, nec erigi ſecundis, cæterum expoſitos fatorum decretis bona conſilia ſupremis neceſſitatibus & funeſtis rerum eventibus locare. Summæ poteſtatis eſſe remedia ac finem ſuis miſerijs dare, aut Cæſarem Principeſque flectere ad honeſtam miſerationem ſublevandæ Reip. quæ ſub ALBANIS *&* REQUESENTIIS *aſperrima temporum, ſub* AUSTRIACO *inſidias & mox bellum pateretur. Strui ſcilicet novis artibus antiqua conſilia & Ioannis Norcarmij (nam is in ſpeciem pacis ex Hiſpaniâ cum mandatis* PHILIPPI *advenerat) legatione non ſcriptorum nuper fœderum, cæterum Carolinæ dominationis, & veteris imperij imaginem proponi. Ita ſerviturus rurſum conſcientias & Edicta interminatæ poteſtatis novis parentium exitijs ac mox bello ceſſura, cui occaſio à Philippo Rege non obſcuris indicijs quæratur. Neque enim de revocando in Hiſpaniam Auſtriaco, quod maxumè datis ad regem litteris petierant, quid ſtatuere aut adniti Philippum, ut religio Fœderum ſervetur, cæterum arma & legiones deſiderijs pacis reponere. Quæ quoniam inrita ac infructuoſa paſſuris bellum forent, ita juſtam ad defenſionem cogi, per quam ſacra, legis, liberi, conjuges in tuto habeantur.*

Mox arma trans Lavicam mota, indignantibus agrarijs, delegatos ad Comitium, quod Lalainius menſe Novembri ſuperiore anno Groningæ habuerat, manuum injectionem paſſos, inter ſquallores carcerum & indecentem cuſtodiam Groningenſium ludibrijs ſervari.

Arma trans Lavicam in Groningam ab agrarijs motâ, duce En Entenio.

Neque enim ferendum eſſe, libero populo & Reip. cauſâ ad conventum vocato contumeliam ac vim inferri, quam publico & velut judicio ſiſtentibus ſiſti oporteret. Cæterum in civitate turbidâ & juris ſui ac ſimul boni moris oblitâ, nullum honeſti reſpectum valuiſſe, ita immoderatis Groningenſium actionibus, ut furoris ſui infamiam, ne per præſentiam quidem Præfecti reverentiam ſuperioris imperij compreſſerint. Spectaſſe ſcilicet LALAINIUM *Magiſtratum urbis ſuis mandatis contumacem locumque comitio à majoribus deſtinatum, damnatis armis & ſociali manu circumventum. Interceſſiſſe mox* ALDEGONDIUM *&* SYLLAM *Ordinum Belgicæ Legatos, neque alio eventu quam ut aucto publicæ autoritatis deſpectu, inſolentia & vis increſceret. Sic Delphzilæ munitionem, etſi ſub* MARIA, CRROLI *Cæſaris ſorore, provinciarum Gubernatrice, poſt ab* ALBANO *arctandæ libertati extructam, ſolo æquatam, ipſamque Omlandiam quâ Amaſo flumini objacet, ne antiqua quidem munimenta ſuorum finium retinuiſſe. Ita Winkenium centurionem cum coborte & imperio Delphzilæ præfectum, alio revocatum, miniſque Groningenſium & poſt ære expugnantum, commiſſam ſibi munitionem deſeruiſſe.*

cIↄ.Iↄ.LXXVIII. Igitur agrarij indicto apud Winſumum conventu Bartoldo Entenio ex agrariâ nobilitate viro manu ſtrennuo & promptæ audaciæ, conſcribendi XII. cohortes poteſtatem fecere, quo vim ac ludibria ſuorum ulturi, præſidio cohortium domeſticam & ſimul comitio ſecuritatem pararent.

Agrarij ab Hegemanno profligati Enteniuſque captus.

Cæterum rudi & tumultuariâ quam collegerat manu, per Gualterum Hegemannum virum militiæ impigrum profligatâ, Entenius Covardiam profugit cladeque ſuorum & mox perfidiâ vinculis datus, Groningam abductus eſt. Ubi periculo capitis expoſitus, quod ſpretis Ordinum generalium ſacramentis ſuo militem autoraſſet, interceſſione tandem ipſorum Ordinum liberatus, reputantium virum patriæ amantem & ab ipſis belli initijs fidem fœderi profeſſum nimium affectibus indulgendo publicam autoritatem & pacis publicæ curam neglexiſſe. Itaque de ponendis utrinque armis Ordinum & Matthiæ Auſtrij decreto interceſſum juſsique Groningenſes ſimul Omlandi litis ſuæ compoſitionem arbitrio Aurantij permittere. Quæ in annum protracta ut poſt memorabo, partium comminationes & diſsidia gliſcentibus ex injuriâ odijs non ſuſtulit.

Senatus Regius per Friſiam Deputatis ſeſe opponit.

Jgitur poſt Gemblacenſem cladem Senatus per Friſiam regius ut mortales aſſolent, cum fortunâ Auſtriaci animos erigens, mandatis novorum Deputatorum ſe objecit recitandoque edicto, quo Reip. hoſtis Auſtriacus cenſebatur, pertinacibus ſtudijs ſe oppoſuit. Itaque novis turbis per Friſiam initia ex hoc ipſo ſerebantur, diſcordi ad exemplum imperantium populo, qui partium quoque fortunam ex proſperis aut adverſis rerum adorabat. Quare curâ Ordinum Delegatorumq; Friſiæ Lalainius Groningâ, quo componendis diſſenſionibus conceſſerat accerſitus, qui præfracto Senatu decretum Ordinum generalium exequeretur immodeſtisq; ingenijs reverentiam novi imperij injiceret.

Auſtriacus à Lalainio Reipublicæ hoſtis proclamatus.

Is Leovardiam progreſſus, ubi omnia turbida & partium plena per victoriam Auſtriaci erant, eundem Auſtriacum ad XVI. Martij diem proclamari pro roſtris hoſtem Reip. fecit arduumque ordinandæ, eâ tempeſtate Reip. negotium ſingulari conſtantia executus eſt. Quorum omnium, etſi Ordines Friſiæ certiorem Matthiam Gubernatorem feciſſent, ita volebat Matthias ut actis & teſtimonijs publicis eâ de re doceretur.

Legatorum Friſiæ coram Matthiâ de Senatu regio diſſertatio.

Igitur Ordinum decreto Joannes Mattheneſſius Satrapa arcis, Julius Botnia Oldermannus Franequerenſium, Meinardus Wigerius Conſul Leovardienſis Bruxellas cum actis probatorijs miſſi, coram Matthia diſſeruere.

SENATVM *regium*, GUBERNATOR, *cuſtodiæ dare in animum induximus & cauſæ nos movent. Præterquam enim, quod illius imperium à noſtrâ libertate alienum eſt, ita deprehendimus eundem Senatum plus Auſtriaci conſilijs quam noſtris mandatis tribuiſſe. Ex interceptis ad eundem* AUSTRIACUM *quas exhibemus litteris, noſtræ integritatis documentum innoteſcet & alere nos in ſinu, qui noſtris rebus & ſaluti publicæ adverſentur. Ita Senatus Regius, capto* ROBLESIO, *& ne is nefarium conſilium, quod præconceperat, exequeretur, à cohortibus ſuis in*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

in vincula dato, de eo liberando cogitavit, & ut id obtineret, apud Auſtriacum interceſſit. Adhæc magiſtratum Leovardiæ urbis in Baſilicam ac ſuum conſeſſum evocavit monuitque, ut defendendæ adverſum Ordines, urbi ſe pararet rebuſque trans Lavicam à Robleſij captivitate malè fluentibus, regiæ parti intra ſuæ civitatis muros proſpiceret. Auſtriaci reſponſo eidem Senatui eâ ex re grates actæ & quod Senatus in P H I L I P P I *fide, ac curâ tuendæ regiæ dominationis perſeveraſſet. Planè, ac ſi reparandæ libertati ſanctiſſimæ noſtræ ſollicitudines à regis imperio diſcreparent eſſetque in hac provinciâ, quod ex noſtrâ fortunâ ac fælicitate Philippi commodum moraretur. Poſt in Magiſtratuum per provinciam mutatione, quos libertati noſtræ graves & moleſtos diuturna dominationis poſſeſſio fecerat, noſtris decretis ſe objecit, ne diu uſurpato & quaſi æterno imperio, ſuffectis patribus, cederet. Igitur ſpecie antiquæ electionis & quæſiti juris res per oppida diſpoſuit, quo civitatum fidem, munimentum ſolidioris per provincias imperij retinendo, eaſdem hoſtium uſui habendis præſidijs tueretur. Neque aliâ intentione binas è Germanis cohortes autoravit ac per munitiones provinciæ diſpoſuit, quam ne per agros aut præturas ex decreto Ordinum & ſimul tuo quid novaretur & ne firmamenta imperij, neglectis ijſdem munitionibus amitteret. Id Renicum Dekama cohortis tribunum & tot annorum ſtipendia adverſis partibus profeſſum, acceptâ fide publicâ, coram* L A L A I N I O *in conſeſſu patrum non diſſimulaſſe, nc prava Senatus conſilia, exitio patriæ reperta, morâ aut ſecreto invalſcerent. Poſtremo, ne Edicta quidem Ordinnm & tua, Gubernator, per Baſilicam & tribunalia publicavit, ac ne in populum vulgarentur, damno ac infamiâ publicæ autoritatis ſuppreſsit. Quam ut integram incorruptamque præſtes, Gubernator, tua & ſimul Reip. intereſt, ne hæc fato poſt tot aſpera & inclementias temporum emergens, primum fortunæ ſuæ obſtaculum contemptum imperij ſentiat. Igitur mandatum interpones noſtris conſilijs, quo legum & libertatis noſtræ oppreſſores poſſeſsione & uſu durioris imperij ſubmoveamus faciamuſque, quæ corrigendo rerum per provinciam ordini & Senatus Regij dominationibus expedient.*

Mox Lalainius è Senatu regio Fopconem Rommartium, Antonium Lavailium & Dimerum Senatores, cum Arnoldo Gemenio & Siccone Suffridæo duci captivos in arcem regiam juſsit, alioſque Senatorij ordinis & in ijs Igramum Achlenium Præſidem, Adrianum Vaſtartium, Petrum Frittema & Carolum Nicolaium privatis domeſticiſque cuſtodijs attineri curavit. Poſt Rommartium & Dimerum Senatores, publico carcere dimiſſos, clementiore cuſtodiâ haberi præcepit, Juliumque Dekema & Vibrandum Ayta citari in Senatum juſſit. Sed forum diſcriminis plenum & iſtiuſmodi rerum converſionibus modum ſæpè egreſſa æquitas, ſubterfugia judiciorum ſuadebant. Quippe mota plebes, novi urbis Magiſtratus regijs dominantibus infenſi, quod Philippus Auſtriaci fratris malis artibus & nefariæ defectioni, præter ſpem Ordinum publico Edicto patrocinaretur.

Lalainius Senatū regium cuſtodiæ partim publicæ partim privatæ dat.

Edictum P H I L I P P I Regis tale erat.

Q*VANQVAM miſſo in provincias Belgicæ* J O A N N E A U S T R I A C O *fratre meo in id maxumè incubui, ut civiles diſcordias certa pace componerem ac Romanæ Religioni cultum, mibi (quos antiquis moribus & paterno ritu regere animus erat) ſubdito-*

Philippi Regis novum Edictum.

cIↃ. IↃ. LXXVIII. *rum obſequium aſſererem, ita deprehendo multos ex ſubditis meis, ſuæ legis ac officij oblitos, fovendis turbis ſe dare, quo gravius bellum meis in ditionibus exardeſcat. Et quoniam ſubditorum meorum ſalus, mea autoritas mihi curæ eſt, ut jure Principis imperem, ita fratri meo* JOANNI AUSTRIACO *juſtum obſequium conferri volo. Secus facientes perduellium loco habiturus ſum. Quamobrem Ordinum cœtus Bruxellis, non meo aſſenſu, ſed privatis conſilijs inſtitutos, ut illicitos habeo voloque ut conventus iſte ſolvatur ocyus, ac ut ſuas in provincias quique remigrent, dum ego regiâ poteſtate legitimum conſeſſum ordinavero. Itaque illorum acta hoc ipſo reſcindo ſtatuoque, ut, quæ ſingulis in provincijs non meo reſcripto decreta ſient eadem lege antiquentur. Quare Tributa ab ipſis imperata præſtari nolo populumque ſacramentis Ordinum exſolvo. Quin ei jus ac poteſtatem facio ſuâ defenſione adverſum oppreſſores utendi provocandique ad ſubſidia quæ amovendis oneribus ac ſervitijs facient. Adhæc imperia, dignitates univerſis ſingulisque abrogo, ijs præſertim, quos à fratre meo ſeceſſio incapaces munerum ac meorum beneficiorum fecit. Quapropter volo, ne quid penſionum ex meo aut publico ærario habeant & ut publicarum rationum fides me aut fratre cognoſcente probetur. Hoc quoque Edictum meas per ditiones ac tribunalia recitetur typiſque vulgatum in omnem provinciam & memoriam temporum exeat.*

Majus inde in Regem & Auſtriacum odium

Quo Edicto, ut publicum provinciarum jus haud dubié convellebatur, ita maxumé regis & civiles diſcordiæ fomentum accipiebant. Quare diu infidæ res & falſis affectibus contectæ in deterius apertiuſque odium ac bellum tum erupêre, quod in id etiam temporis ardeſcente crinito ſydere, (etſi deficiente ſenſim flammæ pabulo) inſtantium motuum certiſſimo præſagio ſignabatur.

Igitur in Joannem Auſtrium publicum libertatis hoſtem multa atrocia jaciebantur, quod humanæ ſocietati injurius ſpecioſis pacis illecebris præconceptum bellum velaſſet. His addebatur immoderatior victoriæ apud Gemblacum uſus & quod infœlices ac ex pugnâ ſaucios per acerbas mortes velut lentis ſupplicijs necaſſet. Sic ſcilicet per Granatam, ſic alibi militiam egiſſe neque aliud ſperari poſſe, quam ut Caroli Principis & nepotis parricidio coopertus (id enim Hiſtoriæ tradunt) animum peioribus furoribus ſatiet, modo annos impleat cumulandis ſceleribus validos.

Lalainius Cunerum Epiſcopum captivum dat.

Unde Lalainius ferventius Auſtriaco addictos, arctioribus cuſtodijs ſepſit Cunerumque Epiſcopum, imperijs Friſiæ Ordinum contumacem & ſuperſtitionibus populum trahentem Harlinganæ arci captivum induxit. Creditum fuit immodeſtos Epiſcopi mores & per ſacrorum cultus luxu ac commeſſationibus fœdatos, parum gratiæ, multum odij ſerium apud populum ei conciliaſſe & quod conquirendo æri ſordidus & ſimul aſper ſacrij ærarij opes prodigentiâ & molliore vitâ diſſiparet. Ego exiſtumo cœnobiorum Præſules in partem Reip. tum adſcitos, fundatione Sedis & Epiſcopali autoritate offenſos, exitium ei paraviſſe, quo Pontificum & Albani ſanctionibus quas Gandavenſis conventio aboleverat, cœnobitarum cenſui detracta ac Sedi decreta, ijſdem cœnobijs interceſſione Præſulum redderentur. Indignantibus adhoc quibuſque, ultimas mortuorum voluntates & ſcripta pijs uſibus aut nuncupa-

cupata teſtamenta non adimpleri detractaque hæredibus patrimonia, luxu & paratu Epiſcopalis magnificentiæ inſumi. Romanorum quoq; Pontificum & ipſius Philippi in conſtituendâ Sede inſtitutum, deſtinato fine excidere coërcendiſq; populi ingenijs & ſimul opinionibus repertum peſſimo magiſtri exemplo per ludibria & contumeliam fœdari.

cIↃ. IↃ. LXXVIII.

Tradunt cum Gaſparo Robleſio ſæpius commeſſantem, mox vino, cujus appetens erat, madidum, in ſaltationes & impudicos corporis geſtus effuſum cantuque & tripudij ad probra & ſatietatem uſum ordinis ſui reverentiam & ſimul reſpectum decentis vitæ poſuiſſe. Unde contemptus & ex faſtidio ſenſim odium, adeo alienis populi ad ſuſpiciendam Sedis & ſimul Epiſcopi autoritatem animis, ut ex conſcientiâ factorum & multitudinis voce, tanquam integerrimo judicio damnaretur. Mox Harlinganæ arcis cuſtodiâ emiſſus, cœnobium in Bergumanum, quod Leovardiæ urbi in ortum milliari diſtat, decreto Ordinum amandatus, quo illo in loco tanquam ſeceſſu, ſupputandis reddendiſque rationibus commodo & anteactorum memoriam & neglectam muneris ſui rationem expenderet.

Lalainius adverſus irruptiones defenſionem parat.

Tum, ne Gaſparus Robleſius quod in ore vulgi tum erat, hoſtili cum exercitu in provinciam irrueret, Tranſlavicanos tuendorum finium habere curam juſſit Iarichumque Hottingha virum Nobilem & cohortis Tribunum explorandis curandiſq; trans Lavicam rebus expedivit. Decreto quoque Friſiæ Ordinum novas cohortes conſcripſit, omnemq; provinciam gliſcentibus periculis, majore quam ante curâ ordinavit.

Inundatio per Friſiam nova.

Mox v. Kal. April (qui dies Epiſcopo funeſtus fuit) flante Coro horrenda tempeſtas Friſiæ terris incubuit mareque procellâ concitum in littus ſe adigens Friſiam omnem, qua Flevo flumine, Paſenio & Reiderio amnibus alluitur, effuſis in plana contexit. Itaque Dongria, vili per turbas aggerum curâ, undis obruta cultique circa arcturum agri eruta per eluviem ſemina infœlicibus colonis reddidere. Inde frugum mox egeſtas & ingraveſcens annona invalidam tributis provinciam fecit. Stauricus ſcriptor addit, homines alibi cum jumentis vi fluctuum abreptos, nec Dongrios ſolos aut littorum accolas, cæterum depreſſos fertileſque provinciæ agros marinis undis ſubfuiſſe.

Regi Philippo filius naſcitur.

Tum Anna Auſtriaca Philippo Regi avunculo cognominem filium enixa, ſuſceptore regij infantis Wenceſlao Reginæ fratre, qui haud multo poſt tempore extinctus imperatoriam Maximiliani domum auguſtæ ſobolis fœcundam, immaturâ morte funeſtavit.

Alieniores à Rege fiunt Friſij.

Cæterum iſti Annæ Auſtriacæ partui, ut antè ANNO cIↃ. IↃ. LXXIII. decretas per Friſiam ſupplicationes non reperio, alienatis haud dubiè à regio ſanguine animis, quem ſicut cætera malorum, à naturâ edi transferendis in poſteros ſuperbis dominationibus tacitâ fati incuſatione interpretabantur. Ita ſcilicet Carolum Cæſarem titulo Gubernatoris, ceſſione Saxonicâ per Friſiam receptum, primis annis lenius, poſt adultâ poteſtate acrius imperium exercuiſſe, velut ita fato compoſitum eſſet, ut Philippum filium, etſi naturæ vitia primâ imperij & ſimul vitæ ætate obtegentem, exercendo deterrimo principatui relinqueret. Raro certè dominationes ſuas in melius Principes mutaſſe, ne ſic quidem formatis ſyderum temporumque revolutionibus, ut be-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIƆ. IƆ. LXXVIII. nignius polliceantur. Deſperandum potius eſſe de bono Philippi ſucceſſore, quem haud dubiè ambitio regijs ingenijs connata & repreſſi ſub patre imperij tædium vindicandis injurijs impulſurum ſit. Quod in Philippo III. de cujus nativitate nunc loquor, adimpletum fuiſſe, paternis conſilijs & actionibus non diſpar ingenium turbatiſsimorumq; temporum triſtiſſimæ imagines oſtendêre. Adeo veterem regiæ domus affectum incivilis Philippi II. dominatio perverterat.

Ordinum decretum Religionum.

Igitur Ordines, redintegratis fœderum actis, multa in populum ſtabiliendæ ex intervallis temporum libertati vulgabant, tanto laxioribus religionum edictis, quanto acrius immodeſtiuſque Carolus Philippuſque reges à triginta annis damno regiæ & ſimul popularis fortunæ extruſerant. Iis cautum fuit.

Vt Gandavenſe reliquaque poſteriora fœdera ſacroſancta eſſent damnatoque omni cum hoſtibus commercio, ſeditioſæ conciones, verba atque dicteria turbandæ paci publicæ ceſſarent. MATTHIAE *quoque* AUSTRIO & AURANTIO *Principi autoritas ac veneratio conſtaret populuſque tuendis fœderum actis jusjurandum diceret.*

Ordines in Auſtriacum bellum parant.

Igitur regreſſo in Hiſpaniam Joanne Norcarmio Philippi ad Belgas Legato omnique pacis ac induciarum ſpe irritâ, de gerendo bello cogitatum, quod Gemblacenſi clade affectum, fortioribus nervis trahendum, ſanando cladis vulneri & pellendo finibus Auſtriaco Princeps Aurantius ſuadebat. Itaque decreto Ordinum certæ ſtipendiorum rationes initæ caſtrorumque impendia menſtruo ære ſublevata. Petita quoque ex pactione fœderis Anglorum auxilia & poſtquam regnum delectibus exhauriri Eliſabetha detrectabat, ſubſidijs Anglicis copiæ per Germaniam conſcriptæ, quas Caſimirus Elector in provincias ducturus pactione fœderis ferebatur.

Reidanus tradit Eliſabetham vix ſcripto cum Ordinibus fœdere, de mittendis in Belgicam Anglorum copijs conſilium mutaſſe miſſoque ad Ordines Daniele Rogerſio Legato, Galliæ regis offenſas mutato conſilio obtendiſſe. Quippe Henricum regem in magno belli apparatu verſari aſſerebat, laturum haud dubiè ægrius, Anglicæ gentis exercitum claſſi commiſſum in Belgicæ provincias trajicere. Ita fortè de præjuvandis Philippi, aut faciendis ſibi in Belgicâ partibus deliberaturum, à quibus etſi vacuum & intactum cupidine Belgicæ dominationis animum ipſa haberet, tamen difficulter facturam ut ſuſpicione Gallum liberet, aliena conſilia ſuo ut ſolet ingenio æſtumantem. Igitur ſatius eſſe Joannem Caſimirum Palatinum cum quinque equitum, ſex Helvetiorum peditum millibus ſuo ære in Belgicam evocari, quam Anglicis auxilijs inritare Henricum regem nutriendis in ſe æmulationibus pronum. Quod Reginæ conſilium etſi Ordines & præcipue Pontificiæ factionis percelleret, indignantes Proteſtantium & reformatæ religionis Principem tantis copijs inſtructum impulſis Belgicæ rebus offerri, ita ex neceſſitate temporum conventum fuit, ut quinta peditum millia, quaterna equitum Caſimirus reginæ nomine in auxilia duceret, hac tamen lege, ut erogandi in copias etiam Anglici æris poteſtatem Ordinibus regina concederet. Cujus juris prærogativâ ac poſſeſsione, ne exui qui-

quidem etiam anguſtis rebus volebant, qui meminerant id Philippi per Italiam bello aſſertum, cauſam ac initia primis diſſenſionibus dediſſe. Unde novæ quoque Vectigalium leges in ſecreto Patrum ſcriptæ, quò tributa magnitudinem potentis regni æquatura populi opibus, etſi privato onere, collato in publicum ære traherentur. cIↄ. Iↄ. LXXVIII.

Quare curandis Friſiæ rebus, (Ne quid detrimenti patrijs legibus illâ ſanctione inferretur) Heſſelus Ayſma vir eruditus, & magnæ autoritatis ad conſeſſum Ordinum generalium miſſus, relicto domi ſocio legationis Renico Cammingha, quem ſuffragijs comitij ei ſubjunctum provinciæ res attinebant. Iis in mandatis datum erat, Gandavenſe Fœdus ſartum tectum præſtandi cavendique, ut omne Friſici, populi jus impollutum inviolatumque autoritate ejuſdem fœderis ſtaret. Ipſis quoque Legatis jus conſidendi inter patres foret petendique novas Friſijs immunitates, quo præſidijs legionum, ac continuis inundationibus exhauſta gens, per levamenta onerum, veterem ad opulentiam & fortunam rediret. Hoc etiam additum. Ut de actis reſcriptiſque Ordinum ad provinciam referrent. Annotatum invenio Legatum Ayſma Antverpiam iturum reciprocâ pactione & ſpeciali ſcripturâ provinciæ ſe obligaſſe, per reverentiam haud dubiè & ſecuritatem Reip. ne magnarum rerum negotia per incuriam Legati negligerentur, & ut certis terminis coërcita poteſtas lubricis temporibus, graſſante ubivis per malas artes Auſtriaco, invidiem æmulantium elevaret. Cæterum novis per Germaniam delectibus & per ſtipendia tot legionum tenue Ordinum ærarium lenius Friſicæ gentis tributum non ferebant.

Heßelus Ayſma ad conceſſum Ordinum generalium à Friſijs miſſus.

Quare & Ordinum generalium litteris, XVIII. April. Bruxellis datis, Friſij copias per Sylveſtria & Drentiam ſparſas retinere in ſtipendijs juſſi, ne in Brabantiam & ſuperiores provincias traductis acceſſione novarum cohortium langueſcens ærarium extenuaretur.

Ordines copias per Friſiam retineri jubent.

Lalainius econtra evocari in Brabantiam copias petebat, *valido ad præſidia populo & gentis cenſu oneroſis ſtipendijs impari. Non eſſe eam belli per Friſiam molem ut tot copijs egeat, quas exſolvi ſacramentis, & Reip. & ſimul militantium interſit. Quippe novem annorum ſtipendia meritos miſſionem orare, quo patriam & antiquas ſedes reviſant, avidos quietis aut ut reſpiratione ad tempus datâ, ad priora ſacramenta magis vegeti redeant. Nunc parentum amicorumque deſiderijs trahi totque incommoda & ſimul pericula perpeſſos toleratis moleſtijs ſolatia quærere. Igitur rogare Ordines ut eaſdem copias in Brabantiam evocent, aut inquietudinis bellicæ pertæſis honeſtam miſſionem largiantur.*

Lalainium eas in Brabantiam du ci petit.

Hæc à Lalainio XXII. April. Leovardiæ ſcripta, ac per Franciſcum Pipenpoium Lalainij Legatum Bruxellas perlata. Notat F. Nicolaus Magiſtratum Stauriæ urbis, Fredericum Campenſem Presbyterum in arce regiâ cuſtodiæ tum dediſſe, exutumque ſacerdotio, Hemelumanum in Cœnobium, urbi vicinum relegaſſe.

Litteræ quoque ad Gubernatorem Matthiam à Deputatis Ordinum datæ, quibus ſingularem Matthiæ, in mutandis Magiſtratibus, erga Friſios affectum & reprimendis Auſtriaci partibus commendabant.

Litteræ Deputatorum Ordinum ad Matthiam gubernatorem

Tutiore ſcilicet impoſterum loco res provinciæ fore, ſeque daturos operam, ne

ex

ↀ. Ⅾ. LXXVIII. *ex Friſiorum trans Rhenum terris Belgicæ res quid periculi ſentiant, cæterum ſociorum ſecuritas ex ſecuritate Friſicæ gentis habeatur. Quippe Lalainium Tranſiſulanis & quæ Vidro aut Iſalâ amnibus perluuntur, ditionibus cum imperio præfectum, facturum haud dubiè, ut omnis Drentia, redactis in poteſtatem caſtellis atque munitionibus fœderatis gentibus ſocietur. Hoc tantum neceſſarium eſſe ut quoniam* L A L A I N I U S *curandis rebus iter in Tranſiſulaniæ confinia intendiſſet, copias atque auxilia & cum ijs ex ærario provinciarum ſtipendia habeat, magna in bello momenta & ſinè quibus nec retineri in bono ordine fortuna fœderis, nec prolatari queat. Domeſticis quippe adhuc inſidijs tenerrima Reip. initia exponi & eſſe conjuratos, qui ſcelera, qui ſeditiones, qui incendia & latrocinia moliantur. Id ex litteris apud Antonium Lavailium, regium nuper Senatorem repertis, abundè detectum exutiſque imperio non voluntatem nocendi, ſed vires deeſſe. Poſtremo ſpectari etiamnum intra urbium conſepta, arces & caſtella, externi & indecentis imperij munimenta, popularibus ſervitijs extructa & ut adverſum dominantium metus valerent. Quærenda eſſe alia civitatum & populi præſidia, externo opere ex arte circumducto & Vectigalium ratione habendis præſidijs & ſimul ſtipendijs inſtitutâ. Hanc quoque ipſam approbaturos ſe fore, ſi viderint, id ſocijs provincijs, id patribus & populo placuiſſe.*

Comitium de novo per Friſiam Senatu Leovardiæ habitum.

Hæc Leovardiæ vergente Aprili ſcripta, ac à Docone Martena, Goſlico Hiddama, & Barthio Idzaerda ſignata.

Mox Deputatorum Friſiæ curâ (quod jam antè à Senatu regio factum erat) conventus Ordinum Leovardiæ Kal. Maijs indictus. Ibi de conſtituendo novo per Friſiam Senatu conſultatum, cavente per litteras Matthiâ Gubernatore, ne dicundi juris officia per provinciam vacarent.

Quippe licentiam juſtitio creſcere, immodeſtis adhoc eorum actionibus, quâ veteris fortunæ recordatione, nova conſilia recuperandis honoribus fabricarent. Poſſe hoc modo diſſociatâ Regis & populi fide, facilem olim nutriendis factionibus gentem divelli ac in ſueta majoribus prolabi, niſi majeſtate legum ac reverentiâ judicij coërceatur. Sic Saxonem, fundato Cæſarum jure & inſtituto Senatu, inveteratas factiones, C A R O L U M A U S T R I U M *bella & inimicitias partium ſopijſſe. Nec aliam ferè hodiè temporum legem eſſe. Divulſos proceres, diſcordem populum & acerbis odijs innutritum iturum in violentias, niſi lege refrænetur. Adhæc lites fori indefinitas eſſe belloq; aut per vim bonis exutos, jure fœderum reſtitutiones in integrum & officia judicum implorare. Publicæ pacis tranquillitatiſque præſidia hoc ipſo conſilio habenda, cavendumque, ut ſummum tribunal per Principem primitus erectum, integro adhuc ejus imperio non evileſcat.*

Cæterum Ooſtergoi inſtituendam hac de re ad ſuos relationem cenſuerunt, ſponſione factâ octiduum intra decretum ſe facturos. Weſtergoi vero & Sylveſtres, ut parati erant ſuffragia interponere, ita provinciæ Deputatis nuncupandi Senatus poteſtatem fecere, ſed hac cautione, ut ſuo corpore bini ijſdem Deputatis jungerentur votiſque concordibus, indigenis & legum peritis Senatoria dignitas committeretur. Hæc ab Heſſelo Eningha, Oedzio Arnoldo pro Ooſtergois, Oed-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Julio Botnia & Jelgero Feitſma pro Weſtergois, Gellio Hepkenio & Sibrando Idzio pro Sylveſtribus ſignata. cIↄ. Iↄ. LXXVIII

Italiaque Burgundicæ domus ſtatutum, quod peregrinos æquali numero à Carolinis temporibus admiſerat, illo decreto antiquatum, reputantibus peritioribus *legem à* C A R O L O *Cæſare ſtabiliendæ fori innocentiæ latam depravandis judicijs & poſt violentis dominationibus ceſſiſe. Ab eo ſcilicet fuiſſe, ut aſſentatione & in Principem ſervitio, fœdis probroſiſque reſcriptis conſcientiam conſeßus polluerit querimonijſque clientum ac ipſorum etiam* O R D I N U M *præfractum tribunal clauderetur. Non neceſſum eße exempla temporum repetere & jam fato oſtendi, ut antè nimiam Senatus potentiam, ita maxumè infidam fuiße. Neque egere externis arbitris judicium quod citra hoc incorruptum eſſe queat & æquitati ſubnixum. Conſcientiâ judicum ſtare fori caſus & litium eventus, nec eam ſolam Burgundici ſtatuti vim eſſe, ut inquilinì fidem ſuſpectet. Quæſiße ſcilicet* C A R O L U M, *ut adulteratis provinciarum conſeſſibus, conſuetudines quoque & jura miſcerentur Friſioſque communio juris, Burgundiæ moribus externæque & jam ante, ſub* M A R I A *Gubernatrice, damnatæ ſocietati innecteret.*

Igitur per Delegatos Comitij Julium Botniam, Orichium Doiemum, Feiconem Tatmannum & Hyeronimum Winterium Deputatis provinciæ juſtum Senatorij Ordinis numerum ſupplendi poteſtas facta, ſi fortè litium ferax provincia plurium judicantium egeret, aut honeſta excuſatio arduæ oneroſæque dignitati obtenderetur. Hæc in acta v. & v i. Non. Maï à Wibrando Roorda, Sixto Sceltema, Jetſone Galama, Regnero Albertio & Govartio Petræo relata. Mox Senatotes & in ijs Franciſcus Eyſingha, Gyſbertus Aernſma, Joannes Verſteveranus & Fecco Rhala nominati, quos aut celebratæ majorum imagines, aut eruditæ virtutis fama, præter ſcientiam legum & civilis prudentiæ commendabat.

Poſt Georgius Lalainius magnam ex ordinatâ Flevum inter & Lavicam provinciâ gloriam adeptus majorique imperio florentes juventæ annos præferens, Tranſiſulaniæ quoque Præfecturam accepit, quæ potiunte rerum Carolo Cæſare uni cum Friſiorum gente Præfecto paruerat. Quare ut auctæ dignitatis gloriam belli paciſque artibus ornaret, de obſidendis Tranſiſulaniæ urbibus cogitavit, quas in ripâ Iſalæ fluminis ſitas regia & Germanicæ legionis præſidia modicis cohortibus & effræni inſolentia tenebant. Cæterum arduis rerum cœptis copiæ & commeatus, tum penſitandis ſtipendijs æs deſiderabatur. Igitur novarum *Nova vectigalia invecta.* collationum tabulæ ab Ordinibus provinciarum vulgatæ cautumque decreto ut eorum omnium, quæ uſu conſumerentur, certum vectigal eſſet merceſque provincijs exportatæ aut aliundè advectæ determinatis onerum legibus ſubeſſent. Quæ in Friſiam una cum Matthiæ Auſtrij Gubernatoris litteris v. Maï Antverpiâ datis perlatæ, civiles animos & cum ijs tranquillitatem provinciæ obturbavere. Quippe plebes a- *Querente populo.* crem annonam imminutoque commerciorum jure, decrementa veteris fortunæ & in his verſam ſervitio libertatem criminabatur.

Ideone ſcilicet decimas vigeſimaſque ab A L B A N O, *præpediendis commercijs & redigendæ ad egeſtatem genti repertas, obnitente populo Friſico abro-*

cIↄ. Iↄ. LXXVIII

gatas, ut in fœdus adſcitis lenius imperium & libertati proxumum Vectigalium Lege per aſpera initia & ſervilibus oneribus deformaretur. Hoc uno dominantium ingenia & ſimul vitia detegi, quibus grave eſſet rectè fortuna uti & regendi lubricum commodis populi aſſimilare. Subvertendo Regis imperio libertatem prætuliſſe, vixdum ſtabilitam enormi tributo laceſſere. Redeundum potius ad Regem etſi populo ſuo iniquum, ut cum armis onera ceſſent provinciæque, regnante Burgundicâ domo, facili commercio ac victu habitæ, aureæ ætati & ſuis moribus reddantur.

Quibusdam Pontificijs quoq; in ſeditionem pronis

Itaque fuere è Pontificijs, qui Leovardiæ ciendis ſeditionibus ſe accingerent ſpecioſoque pellendæ ſervitutis obtentu turbidis conſilijs deſideria & curas amiſſæ libertatis præferent. Alij addunt eo furoris prolapſos, ut conjuratione adverſum Magiſtratum urbis initâ, decreto ſceleri novum ſacramentum circumferrent patrandæque cædi opportunum tempus præfinirent. Quare Lalainius Vollenhovâ, ubi Tranſiſulaniæ Legatos ad conventum vocaverat, litteras ad Deputatos Ordinum dedit novaſque Vectigalium Collationumque leges, frænandis ſeditioſorum ingenijs publicari ocyus per provinciam juſſit. Cæterum Deputatis murmura & criminationes populi res ultrò inviſæ & libertati graves obverſabantur. Itaque in Senatum regium promulgationem Edicti rejecere, quod durante Burgundicæ Auſtriæve domus imperio publicandis decretis ſe interpoſuiſſet æquumque eſſet, per reverentiam juris antiqui novas leges ſuetâ apud populum autoritate edici.

Publicatio edicti de Vectigalibus facta.

Sed Lalainius moræ impatiens, quod res magnas animo agitaret, publicandæ legis officium Deputatis injunxit populumque novis decretis refractarium & contumacem ſeverâ parendi lege conſtrinxit. Æs quoque ærario è Vectigalibus inferendum colligi per quæſtores ocyus juſsit Heronique Burmania Theſaurario Ordinum pendi imperavit.

Sic pretia, frumento, legumini, pannis, ſericis, auro atque argento impoſita, olimque alias apud gentes reprimendo luxui reperta gerendo bello ceſſere.

Quippe Collationum Edicto amor patriæ, conſervatio fœderis, vires hoſtium obtendebantur bellumq; majore flammâ ardeſcens ſtipendijs militum & tributis populi alendum. Iis ſocietatum jura & fædera, ijs militiæ ſacramenta inniti divellenda præproperè, niſi mutuâ ope commune ærarium ſublevetur publicumque imperij robur ſingulæ provinciæ fulciant. Diviſas opes immaniſſimis hoſtium ceſſuras, nec ſuffecturas illorum avaritiæ aut luxui, quorum famem nec rapinæ urbium nec ſacrilegia ſatiaſſent. Subveniendum potius publicæ æris inopiæ leni tributo, quod nec commercijs populi, nec privatæ fortunæ obſit.

Heſſeli Ayſmæ Legati litteræ in Friſiam Antverpiâ datæ.

Igitur præſcriptum quoque Vectigalium Antverpienſibus indultum, in Friſiam à Legato Ayſma miſſum, emolliendis illorum ingenijs, qui è gravitate tributi ſolitudinem provincijs per fugas populi ominabantur. Hoc etiam ſuadendæ legi additum, quod à mercaturæ peritis rogata diceretur ſingularumque provinciarum ante Kalend. Iun. (qui dies publicationi decretus erat) & inter cæteras, Friſiæ gentis cenſuræ & emendationibus ſubeſſet. Litteræ quoque ab Heſſelo Ayſma Legato Antverpiâ datæ, quibus cenſebat, publicæ autoritatis & ſimul commodi in-

ter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

tereſſe, reverentiam latæ legi ſtare populumque civilibus ante turbis & diſſenſionibus effrænem, icto inter provincias fœdere honeſta ad obſequia perduci. Subjungebat Legatus clam cum Gallis & Franciſco Alençonio Bruxellis per Aurantium agi eoſdemque Galliæ Legatos occultâ in Matthiam Auſtrium Aurantiumque æmulatione ſecretis artibus Belgicæ imperium ambire. Gallorum quoque auxilia, etſi rumoribus valida, omnino infirma, cæterum equites Germanos à Caſimiro conſcriptos iter ingreſſos in provinciarum finibus haberi. Quare aucto equeſtribus copijs exercitu majora quoque ſtipendia per provincias flagitata Friſioſque ſubſidia tuendo fœderi & gerendis rebus petita. Quippe ſepties centena æris millia luſtrando exercitui menſtruis equitum ſtipendijs poſcebantur, grande bello adjumentum, ſi dominantium decretis liberalitas populi aut fortuna conveniſſet. cIↃ. IↃ. LXXVIII

Reidanus tradit à Gemblacenſi clade Matthiæ Auſtrio & Aurantio Principi ampliſsimam poteſtatem novas è quibuſque nationibus copias, eo quo viſum foret numero conſcribendi autorandique conceſſam, cautione tamen additâ, ne ſexcentorum millium ſummam, menſtruum æs ſuſtentando fœderato exercitui definitum, gravandis provinciarum tributis excederet. Creditum fuit ſecretam belli rationem ſoli Ducum prudentiæ & fidei commiſſam fuiſſe, ne arcana reipub. in plures rerum conſcios evulgata curioſis talium hoſtibus proderentur. Multitudine ſcilicet bellum geri, ſelectis conſilia ſtare eumque eſſe optumum rei gerendæ modum, ut pauci decernant, plures exequantur.

Major Præfectorum Belgicæ poſt cladem ultimam poteſtas.

Igitur obtinendis ſubſidijs Matthias Gubernator atque Aurantius apud Friſios interceſſere, indignantes quam maxume acciſam jam ante imperio Principis libertatem novis Vectigalium oneribus & ſervilibus ludibrijs convelli. Neque enim aliâ conditione, ut antè dominatum Principis, ita poſt Fœdus amplexos, quam ut decora priſcæ libertatis ſervarentur Friſicaque gens ignara ſervitij antiquis moribus & præſcripto ſuarum legum victitaret.

Friſij novis vectigalibus ſe opponunt.

Itaque factum eſt, ut Ordines generales miſſo, aut in tempus prolato Collationum Statuto ad alia conſiliorum tranſirent publicamque egentiam collato ære aut ſubſidio mutui elevandam decernerent. Propoſitum quoque de auro ac argento; quod adulta gentis quies ac luxuries in nimium verterat pignori dandis, quo opulentiâ provinciæ etſi non ſignato auri argentive pondere, ærarium fœderis juvaretur. Supellex quoque ſacra, quam cœnobijs ſolutior luxu ætas indulſerat, ijſdem legibus permiſſa, haud vanâ ſancientium intentione, res ſuperſtitionibus ſervientes & luxu reprobatas pignori locandas eſſe, quo antiquâ frugalitate etiam Reip. benefaciendo, divinum numen coleretur. Cæterum Ordinum conſilia (quemadmodum anguſtis rebus ſolet) ut fluxa & varia, ita ferè inſtructuoſa fuere, tenace rerum familiarium populo & ut antè decimis vigeſimiſque, ita alienandis pignerandiſq; bonis, haud abſimili contumaciâ obluctante. Quare conquirendis corrogandiſque per Friſiam pecunijs Sixtus Sceltema, Julius Botnia, Goſlicus Hiddama & Henricus Jarichius à Matthia Auſtrio delecti, regerentibus ijſdem Delegatis privatas opes bello attritas aut fertilium terrarum inundationibus hauſtas egeſtatem & anguſtiam rerum florentiſſimæ quondam

Ordines dilato Vectigalium Statuto ad alia conſilia verſi.

cIↄ. Iↄ. LXXVIII.

dam genti attuliſſe. Itaq; ultimâ æris egeſtate factum eſt ut Ordines generales Boſſuvianæ legionis cohortibus olim per Friſiam Principi tributa exſolvendis ſtipendijs aſſignarent regijque cenſus annuum egeno militi & iniquis creditoribus pigneraretur.

Ægre ferentibus rurſus Friſijs.

Quod Ordines Friſiæ ægrius ferre, obteſtari jus provinciæ, cui ex fœdere cum provincijs icto nihil detrahi deberet. Neque enim aliâ intentione ſe ſocietati Belgicæ, ſe fœderibus inligaſſe, quam ut majorum jura, conventiones & acta valerent cenſuſque Principi olim decretus, ex pacto Anni cIↄ. Iↄ. XXIV. provinciæ uſibus applicaretur. Eo ſcilicet caviſſe Principem, ut onerum & belli immunes præſtaret omneque, ſi quod ingrueret, in gratiam aſſignati cenſus, ſuo ære ac ſtipendijs haberet. Igitur Legato Ayſma inter cætera mandatum, ut pro provinciâ intercedat curetque, ne quid in fraudem publici juris ſtatuatur & ne patrimonia Friſici populi externo ære graventur. Talium vero ſi quid ſtatutum ſit, id reſcindi faciat, oneroſis belli per Friſiam impendijs & reſiduorum ſtipendiorum penſionibus Valonicæ adhuc legioni exſolvendis.

Ordines generales per legatum Aldegondium à Cæſare, Principibusque Germaniæ auxilia petunt.

Unde extenuatis provinciarum ſubſidijs Brabantiâque & Hannoniâ armis partium oppreſsâ, auxilia per Germaniam quæſitâ, miſſo Wormaciam Philippo Marnixio Aldegondio, quo loci Rudolphus II. Comitia imperij indixerat.

Ibi coram Legatis, quos Cæſar Principeſque ad conventum miſerant, vir celebratæ eloquentiæ, ab Albani Requeſentijq; Philippi Præfectorum, ſuperbâ & crudeli dominatione orſus mox de adventu Auſtriaci & ſubdolâ fide queſtus, redintegratum ab eo bellum expoſuit.

Ita occupato Namurco reductiſque in provincias contra jus fœderum legionibus, ſuis partibus urbes ac caſtella adjeciſſe fidemque Germanicarum legionum fœdæ defectioni imploraſſe. Itaque eo majeſtatis poſtulato, Ordines publicâ tabe fœderum, quæ nullo jurisjurandi diſcrimine violarentur, Matthiam Auſtrium Cæſaris fratrem in provincias acciviſſe, quo per ejus cum Philippo rege interrimam affinitatem fructuoſa interceſsio & afflictis provincijs certa pax ſperaretur. Igitur non legem obſequij, non modum parendi transgreſſos, cæterum jure ſuo ac reſcripto Ioannis Brabantiæ Ducis, poſt Mariæ Principis ſubnixos, in invidiem oppreſſoris & peſsimi regnantis, more majorum & Germaniæ etiam gentium, patrocinium imminutæ libertati quæſiviſſe. Sic honeſtis remedijs uſos & quidem adverſum eos, qui reſtitui interminatum Principis imperium vellent, aſperrimamque ſervitij ſortem & naſcendi conditionem degeneri populo relinqui. Carolinas quippe dominationes repeti importunius & poteſtatem imperantis, non conventione aut pacto, ſed exemplo menſurari, quo ſeveris rurſum Edictis laceſſitæ gentes capeſſenda ad armâ compellantur. Neque alio conſilio ad ea ipſa Philippum regem rediſſe, quam ut provincias, ſicut olim colonijs, ita poſt ſocietatibus Germaniæ inligatas Imperio ſubtrahat Belgaſque ac Friſios, auxilijs ejuſdem Germaniæ deſtitutos, lege regiâ circumſcribat victiſque alibi terrarum gentibus & mancupijs adæquet. Subactis vero Belgicæ ac Trans-rhenanis Friſiorum provincijs Germaniam aggreſſurum, quo paternæ potentiæ terminos æquet cæcâque fortunæ laſciviâ intumeſcens, palam faciat & Germaniæ ſe Imperatorem & provincijs regem dare poſſe. Quippe regundis gentibus intentum

Gor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Germaniæ ſuam libertatem diu invidiſſe, importunâ dominandi cupiditate, cui cIↃ. IↃ.
explendæ terrarum orbis anguſtus ſit. Conſcientiam generis humani conſulì poſ- LXXVIII.
ſe ſatiſque oſtenſum, nihil Hiſpano tam inſolens eſſe, quam abſtinere alieno. Sic Ferdinandi Albani ætate, non Coloniæ tantum aut Monaſterio civitatibus, cæterum Weſtphaliæ & Rheni tractui, poſt ſub Requeſentio inſtinctore Robleſio Friſiæ Præfecto Embdæ urbi inſidiatum, quo Germanico Balthicoque mari dominaretur ſtrangulatiſque Vandalicarum urbium commercijs gerendo bello, aut ferendis in ſocios auxilijs debilem Germaniam pararet. Quæ ſerius miſſa tum demum Germani ſenſuri forent, cum eidem ruinæ utramque gentem Hiſpania implicuiſſet regreſſumque ad ſocia arma & communem concordiam vires hoſtium & res caſuræ vetarent. Sic Cyprum, ſic Rhodum inſulas occupatas, ſic expugnatum Byzantium, ſic Græciam Othomannicæ domui ſubjectam neque aliâ occaſione, quam quod tardis ſociorum auxilijs Chriſtianorum res inclinarent publicâque ac ſocordi ignaviâ barbaræ gentis vigor & ſimul fortuna increviſſet. Idem in Hiſpano fore, quem Turcicis Imperatoribus peritia belli facile exæquet. Eum caloris, inediæ, frigoris patientem, ſui imperij, alienæ ſervitutis incrementa quærere, non laturum, niſi fato præpediatur, ut libertas ullibi terrarum ſedem figat laxioribuſque gentium obſequijs dominantis arbitrium arctetur. Igitur frænandis Hiſpanicæ gentis cupiditatibus innovanda fœdera eſſe, quibus Carolus Cæſar triginta antè annos utramque gentem inligaſſet. Tum ſociam Imperij Belgicam Carolum declaraſſe ſacramentoque caviſſe, Ne peregrinus miles per Germaniam ageret quieſque ac ſecuritas Germaniæ nationum externis armis obturbaretur. Cæterum ut jurisjurandi iſtius, ita memoriam quoque illorum fœderum obliteratam, poſtquam vicinæ miſeriæ ſpectatrix Germaniâ, alieno periculo aut clade, ſuâ quiete ac ignaviâ contorpuit. Eo ſcilicet matrem illam ferociſſimarum gentium olim Romanum Imperium, poſt Othomannorum furores ſuſtinere auſam recidiſſe, ut nec ſuæ nec ſociorum libertati conſulat fœdaſque per aſſentationes Hiſpanicæ genti metus aut ignaviæ ludibrium præſtet. Non jam imhumatorum cadaverum ſtruem, non campos ſociorum oſſibus conſtratos & albentes ad miſerationem aut virtutem accendere, ſublevandis per auxilia ſocijs, quorum veteres colonias, quorum fœdera & ſocietates priſcis temporum ætatibus adoraviſſet. Non ferendum ſcilicet eſſe, ut regnum in limine Germaniæ ac Romani Imperij finibus, ſuperba Hiſpaniæ gens figat tranſque ſuos Pyrenæos in conſeptas fluvijs montibuſque terras effuſa, jus ac gloriam vetuſtiſſimi populi obruat. Id quippe jam diu conſilij cæpiſſe, poſtquam Moſellam, Rhenum, Moſam præcingentia Germaniam flumina arcibus ac caſtellis preſſit, affectatrix haud dubiè illius Imperij, cujus libertatem etiam Carolo Cæſare mutare cum inhoneſtâ & infami ſervitute decreverat. Quin ſatius eſſe Cæſari ac Principibus, Ioannem Auſtriacum & illius aſſeclas libertati Germanicarum Gentium infeſtos, banno Imperij mulctare Ericumque Brunſuigium cæteroſque Legionum Præfectos in ſua revocare, ne publica utriuſque Germaniæ libertas per ipſas Germaniæ gentes debelletur. Hoc Archiducem Matthiam Belgicæ Gubernatorem, hoc Ordines provinciarum orare, agnituros Germaniæ beneficium, ſi ab externâ colluvie, perdundis ſubvertendiſque terrarum imperijs natâ, ſi ab onere belli & imminentibus periculis auxilijs Imperij liberentur.

Legati quoque ab Auſtriaco ad eundem conventum Wormatiam miſſi, tardandis rerum proceſſibus & ne Germaniæ patrocinio Belgicæ gentes

Marnixio reſponſum Wormatiæ datum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXVIII. gentes levarentur. Cæterum Legato grates à conſeſſu procerum actæ reſponſumque Imperij nomine, daturos operam Cæſarem Principeſque, ut provinciæ aut bello auxilia aut interceſſione certam pacem accipiant ratioq; priſcorum fœderum & antiquæ ſocietatis quam maxumè habeatur.

Lalainij per Friſiam Tranſiſulaniamque acta.

Mox Lalainius, Vollenhoæ adhuc agens, tributa gerendis per Tranſ-Iſulaniam rebus popoſcit aſſenſuque eorum impetrato, qui in fœdus conſcenderant, Campos oppidum circumvenire copijs conſtituit. Comprimendis quoque per Leovardiam urbem & ſimul provinciam ſeditionibus, quas Pontificij fœderi publico & Collationibus infeſti nullâ fu-roris ſui diſſimulatione minabantur, Edictum Vollenhoâ de mandato Ordinum generalium in Friſiam miſit, Gandavenſemque conventionem Pontificijs ſuſpectam ratam eſſe juſsit. Militarem quoque diſciplinam, quam inopia ſtipendiorum non parum diſſolverat, reſtitui eodem Edicto fecit aſperiſque pœnarum decretis inſolentiam militum coërcuit. Quippe templorum ſacrarumque ædium plurimæ direptiones tum fiebant pravaque multitudo, velut ſubſidia vitæ flagitaret, planos per agros nullo tribunorum Centurionumve metu ſparſa ſacrilegijs paſcebatur. Quare compreſſo milite attenuatiſque urbium præſidijs, cohortes quadam pedeſtri itinere Lemmariam expedivit navibuſque impoſitas exponi in ripam Iſalæ amnis juſsit. Aurantium quoque, quem Gallicæ ſocietatis ſecretum Bruxellis tum attinebat auxilia petijt noviſque quas ante conſcripſerat cohortibus ſupplementa procuravit.

Lalainius Campos dolo nequidquam tentat.

Oppido vero Camporum Polvilerius Germanicæ legionis præfectus, binis cum cohortibus præerat, dubiâ diu ſacramenti fide, Ordinum an Auſtriaci teneret, cujus ſocietatem capto Namurco, velut egregio defectionis ſucceſſu induerat. Igitur Lalainius, necdum acceptis auxilijs dolo rem aggreſſus delectis per cohortes, qui flumine qua vadoſum eſſet, ſuperato & contrucidatis vigilibus in urbem irruerent foroque urbis occupato, ſecutura per auxilia præſidium diſturbarent.

Ergo obſidione aggreditur.

Cæterum detecto conſilio, poſtquam auſpicandæ obſidioni delectorum ſanguine litatum, caſtra multo mox opere præmunita, quæ Gualterus Hegemannus vir manu ſtrennuus, per minores majoreſque Friſios etiam Scouwenburgicis temporibus ſtipendia meritus, haud procul colle modico opportuna loco tutabatur. Lalainius quoque in caſtra adventans, Joannem Mulartium cohortis ductorem tuendo, qui amni imponitur, ponti deſtinavit trajectoque poſt flumine & munitione Hegemanni luſtratâ, adduci in caſtra omnem commeatum præcepit. Hegemannus vero locum militari vallo clauſum, Jaricho Hottinghæ viro nobili demandavit ipſeque cum copijs Bruneppenſe in cœnobium progreſſus, Hagium ſuburbium longâ velitatione ſuum fecit. Mox ope ruſticæ plebis, quàm è vicino Maſtenbroeckano agro collegerat, idem ſuburbium terreo opere circumduxit, non anguſtâ adhuc obſeſſæ urbis fortunâ, quæ excurrentis præſidij virtute magnitudinem periculi elevabat. Cæterum accitis ex Hollandiâ quinque cohortium auxilijs, (in quibus Sonnoi, Wingardij, Duvenvordij, Teilingij & Renoi fuere) obſeſſis periculum, animus Lalainio increvit munijſque caſtrorum cautius proſpectum, quæ imbecillibus antè copijs laxius obita majore curâ exercebantur. Triremis quoque è minoribus Friſijs miſſa premen-

do Iſalæ fluminis oſtio, ne obſeſſi in ſinum Auſtrinum ſe effunderent prædatorijſque navigijs auxilia & commeatum compararent. cIↄ. Iↄ. LXXVIII.

Lalainius magiſtratum per minores Friſiæ urbes mutat.

Sic ordinatis rebus relictoque in caſtris cum imperio Diderico Sonnoio minoris Friſiæ Præfecto Lalainius in Friſiam revertit mutandis minorum urbium magiſtratibus, quo fœderati populi & ſimul Reip. ſecuritas omnem per provinciam novis rectoribus firmaretur. Unde Auſtriaci partes profeſſis abrogatum imperium, quod à Juſti Scouwenburgij fugâ per exilia & proſcriptiones clarorum virorum ſuarum partium defenſoribus Senatus regius indulſerat.

Annotavit F. Nicolaus, Staurienſium Magiſtratum IX. Kalend. Jun. imperio ceſsiſſe, poteſtatemque nuncupandi Senatus & ſolennium votorum civibus factam, non leve auſpicium revicturæ libertati attuliſſe. Igitur factum eſt, ut quos ante regij Senatus favor regundis oppidis, agriſque præfecerat, eos ſuffragatio populi moderamini rerum tum deſtinaret omniſque provincia, quà Flevo & Lavicâ amnibus clauditur, majorum more ut antè Principum tempora, conſenſu parentium regeretur. Mox Lalainius formato provinciæ ſtatu in caſtra regreſſus, quæ circa id temporis obſeſſorum eruptionibus & continuo velite, nullâ externæ neceſsitatis formidine, infeſtabantur. Unde pecus ſuburbano adhuc rure ab obſeſsis paſtum, donec Hollandicis copijs propius ad urbem ſuggreſsis omne ſuffugium excurrenti præſidio adimeretur. Quare rebus ſenſim anguſtioribus ſolæ in auxilijs obſeſſorum ſpes locabantur, quorum fidem clandeſtinos per nuntios Ioannes Auſtriacus faciebat. Cujus litteræ ab exploratoribus poſt interceptæ, ut ad ſolatium obſeſsis, ita ad virtutem ultrò fortibus non profuere miſſæque ad Lalainium Zutphaniam, (ubi Joannes Naſſovius Geldriæ Præfectus comitium populi partiendis caſtrorum impendijs habebat) maturandum obſidium ſuaſere. Igitur decreta Geldris quarta ſumtuum pars, triens Friſijs ac Tranſiſulanis cederet, Lalainius luſtratis caſtris Zuollas profectus, quo civitatem fœderi pronam ad arbitrium formaret, miſſas Ultrajecto machinas admoveri juſſit murique parte ad XXXIII. paſſ. latitudinem ſubrutâ, terrorem obſeſſis injecit.

Campenſes cum Lalainio paciſcuntur certis conditionibus.

Quare à Magiſtratu, & militari præſidio, ad Lalainium Zuollis adhuc agentem ac Tranſ-Iſulaniæ optumates, qui cum eo agebant litteræ datæ, quibus obſeſsi tutum caduceatoribus commeatum paciſcendæ deditioni & cum eâ æquas conditiones pro arbitrio moderati victoris orabant. Igitur conventum Ut complicatis ſignis armatum præſidium urbe excederet, deductumque Benthemicos in agros, intra ſemeſtre adverſum Ordines non militaret. Stipendia quoque aut reſiduum æs, ſi quod peti poſſet, nullo tempore exigeret dimiſsiſque utrinque captivis urbs partibus Ordinum & fœderi adſcriberetur. Magiſtratus urbis Georgio Lalainio Friſiæ Præfecto ſacramentum præſtaret præſidiumque illius arbitrio acciperet. Sic Germanorum præſidium, quod ſex per annos eâ in civitate inſolenter ac ſuperbè egerat, urbe exceſſit Lalainiuſque Jarichum Hottingham, Uternum & Mulartium cohortium tribunos urbi præſidio eſſe juſsit.

De reficiendo in Dongrijs marino aggere actum.

Reperio in archivis provinciæ, à Dongrijs qui in ortum Paſeni rivi agunt, continuas ob inundationes ſtruendo reficiendoque marino aggeri

CIↃ. IↃ. LXXVIII. geri tabulas tum ſcriptas curanteque Wigero Gabinio, aggerum iſtius anni præfecto, à Georgio Lalainio Leovardiæ VIII. Jun. approbatas, vim ac ſanctionem legis eam apud gentem retinuiſſe. Ab eodem quoque Gabinio libellum ſupplicem Lalainio exhibitum, quo de ſumptuoſis aggerum impendijs querebatur populoq; Dongrico ad inopiam & egeſtatem redacto aut per diluvia maris extorri publici operis utilitatem & ſimul progreſſum retardari. Igitur petebat, ut eorum agri, quos derelictos colentium fuga feciſſet, more recepto per tribunalia publicati per apparitorem decreto Senatus venderentur onuſque ſuſtinendi aggeris marini privato ære aut ſi aliter viſum proventibus ærarij levaretur. Neque enim ſuæ poteſtatis eſſe tantæ moli erigendæ privatas facultates impendere cogereque ad officia populum ſuarum poſſeſsionum deſertorem. Quamobrem conſummando operi legis vigorem, autoritatem Præfecti, commune ſubſidium requiri, ac ut Dongricæ gentis lites tamdiu in ſuſpenſo ſint, donec perducto ad finem opere, ad officium fori redire parta Dongricis terris ſecuritas permittat. Unde Lalainius eidem Gabinio plenam poteſtatem agendarum rerum fecit reſcriptumque eâ de re Leovard. XIII. Jun. indulſit. Controverſias quoque aggerum, Igramo Achlenio nuper Præſidi Senatus, Arnoldo Doccomienſi, Cellario Wertenſi, Franciſco Cantero & Ioanni Sippio, ut arbitris commiſſas, aliud in tempus proferri juſsit, dum publicæ ſecuritati, laborantium induſtria ac cura Præfectorum aggeris proſpexiſſet. Mox Lalainius Camporum urbe fœderi aſſertâ, Aurantium ejus rei certiorem per litteras fecit fortunæque benignitate & propero rerum curſu utendum ratus, obſidendæ Daventriæ conſilium eidem Aurantio aperuit.

Reformati templa exercitijs religionis habendis aperiri ſibi petunt.

Notant noſtrates, adjectis Reip. Ordinum Campis magnam Friſiæ per oppida Fœderati populi feſtivitatem fuiſſe reformatoſque privatis adhuc ſacris publicum fati beneficium profeſſos, fervidis votis continuæ fœlicitatis progreſſum divinum numen oraſſe. Quare increſcente reformati populi per provincias zelo & ſimul multitudine jus publicorum exercitiorum Ordines & Matthiam Archiducem modeſtè petitum, ac ut rem divinam in poſterum facturis, anguſtis privatarum ædium conſeptis, templa ac fana aſsignarentur. Libellus ſupplex iſtiuſmodi erat.

Libellus eorum ſupplex, ad Matthiam & Ordines.

QVINQVAGINTA *ante annos*, SERENISSIME ARCHIDUX, *P.C. majores noſtri ſanctionibus Pontificum, & iſtorum temporum caligini ſe exemere. Quibus corrigendis, etſi* ALBANO *&* REQUESENTIO *regnantibus ad aſperrima & deteſtanda remedia provocatum, ita fato quodam cum illorum crudelitate noſtra pietas increvit. Octodecim & ultrà hominum millibus* ALBANI *furoribus & noſtris ſacris litatum. Cæteros miſeratio numinis & ſua fœlicitas ſævitiæ ſubduxit fecitque, ut peregrinis in terris genuinum colendi numinis ritum profiteremur. Ita deſertâ patriâ externis gentibus noſtra ſacra, ac religiones deteximus & quidem tanto majore zelo, quanto gravius in nos fortuna & aſperitas temporum deſæviebat. Sic dum relicta domi pignora bellum, vaſtationes, ſupplicia affligebant, nos exilia toleravimus. Inde artium decora & ſimul commercia alio terrarum tranſlata, adnitentibus Hiſpanis, ut ſo-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ut ſolitudine florentiſſimis provincijs inductâ, majore licentiâ graſſarentur. Neque aliud Auſtriaci inſtitutum fuit, quam ut violatæ pollutæque religionis prætextu, eundem ſæviendi modum exequeretur noſque Deum & patriam ſemper reveritos, falſis accuſationibus attaminaret. Cujus conſilia etſi tardante fato non proceſſerint, hoc tamen effecere, ut nobis iniquos procerum affectus fecerint teterrimâque defectione ſubſecutâ, Remp. divulſerint. Quare metuendum eſt, ne invaleſcente diffidentiæ malo pejora naſcantur & ne noſtra ſocietas, noſtrum Fœdus Gandavi & alibi ictum, in diſcordiam ac ſeceſſionem vertatur. Eâ vero per AUSTRIACUM *procuratâ hoſtium res ſecundæ, nobis vero adverſæ erunt. Itaque neceſſum eſt, ut poſitis in medium odijs, promiſcuas religiones toleremus, quas terrenis poteſtatibus & ſerviendi conditionibus natura rerum exemit. Quippe civile in Fœdus coire, pacem colere etiam diſſociati religionibus poſſumus, modo noſtræ fidei is fructus ſit ut patriæ ſerviat. Cujus amore tracti noſtris afflictionibus diu remedia oravimus, illorum conſilijs præpedita, qui aut labi nos in omnem inſolentiam deſperatione rerum volebant reſcindendiſque Fœderum ſacris unâ religione ſocietatem Belgici Friſicique populi ſtare. Hoc vero moliendo, ut conſenſum generis humani, ita exempla veterum ſæculorum confundunt, quæ priſcis ſub Imperatoribus conſcientijs libertatem illæſa pace publica indulſiſſent. Non dicendum de priſcis temporum ætatibus, poſtquam tanta recentium ubertas, ut noſtram quoque ad memoriam pervenerint. Sic Gallijs, ſic Germaniæ poſt diuturna & inteſtina bella pax illuxit, tamdiu extorris & proſcripta quamdiu dominantibus conſilium defuit ea ferendi quæ divinitus darentur. Ita reputa, Sereniſſime* ARCHIDUX, CAROLO V. *Cæſare, obturbatum imperium non aliâ tranquillitate quam toleratæ religionis deſediſſe. Volente velut fato, ut tanti Cæſaris majeſtas ſuâ opinione faſtigium fortunæ & ſubactarum gentium aſſecutâ, hoc ſolo caducæ ſortis moneretur, neque imperandum eſſe mentibus, quæ divino imperio regerentur. Sic* FERDINANDUM *avum, ſic* MAXIMILIANUM *patrem divæ memoriæ jam cælo redditum, latam & diſcordem ſenſu Germaniam rexiſſe, ut religiones populi per Imperium ferret, unâ ruiturum. Quin ſpecta* RUDOLPHUM *fratrem, ſic Hungariam, ſic Bohemiam ordinaſſe, ut quia uno voto non poterat, pluribus viveretur. Neque aliter Gallias inteſtinis bellis feſſas & velut cum anima luctantes reſpiraſſe, quam promiſcuâ per omne regnum religione indultâ populoque opinionibus diſcordi ad civilia obſequia retracto. Cogita ſic Othomannicam domum, ſic Africæ Regulos, ſic Pontificem ipſum Latio imperare. Quin tanto æquius erit nos indigenas noſtram fidem noſtra ſacra in publico profiteri. Itaq; hoc cavebitis, Sereniſſime* ARCHIDUX, *P. C. ut omnium rerum, quæ è diſſidijs ſacrorum religionumque obvenere certa oblivio ſit, quo conſilijs hoſtium conjuncti obſtemus patriamque per diſcordias perituram concordia tueamur. Id ſi faciatis, dabimus operam ut majoribus quam antè officijs nos Reip. obligemus, cui inſervire noſtræ mentis & voti ſumma eſt. Hoc vero ſi non aſſequamur, perſtabimus tamen in propoſito pietatis patriamque etiam cadentem amplexi, labentem ſpiritum divino cultui & ſaluti publicæ mancipabimus.*

CIƆ. IƆ. LXXVIII.

Hæc Provinciarum REFORMATI.

Mox Bolſverdij è Friſijs nomine Nobilitatis ac municipalium ad eundem MATTHIAM hunc in modum ſcripſere. *Bolſverdiorum libellus ſupplex.*

cIɔ. Iɔ. LXXVIII.

TVRBIS ac miſerijs noſtris, quas tot per annos perpeſſi ſumus, non aliæ cauſæ ſubfuerunt, quam quod aſperrimis regis PHILIPPI *Edictis adverſati profiteri religionem vetiti ſumus noſtris mentibus delectam. Nec eâ tantum ſervitute noſtrâ calamitas ſtetit cæterum adacti ad ceremonias rituſque noſtris conſcientijs adverſos, nec privatis ſacris tuto interesse, nec patriâ frui potuimus. Inquiſitum quippe in nos aſperius & nullius in Deum, in patriam criminis reos ſola accuſatio morti aut exilijs deſtinavit. Nunc vero, quoniam divino numini terminum præfigere iſtis temporum furoribus placuit, ac Gandavenſi fœdere conſcientijs tranquillitatem, ſecuritatem noſtris fortunis ac poſſeſſionibus largiri, hoc unum noſtris votis ac deſiderijs relictum eſt, ut religionem, quâ ut antè in patriâ ita poſt exilio animos imbuimus, publicè & nullo metu profiteamur. Reprimere quippe fervidos ſpiritus, nec noſtræ poteſtatis eſt nec conſcientiæ patiuntur, hoc ſolo etiam fœlices, quod divortio ab erroribus temporum facto lumen acceperint cœlo infuſum. Et quoniam habendis cœtibus privatæ domus pares non ſunt, templa ac fana à majoribus noſtris divino cultui dedicata, aſſignari noſtris exercitijs petimus, ac ut miniſtri noſtri ſacris operati cenſu publico alantur. Nobis quoque poſteris liberalitas majorum & privatæ opes pijs uſibus collatæ tandem ſubſerviant noſque firmiore ſacrorum nexu colligati, hoc quicquid ævi per turbas & inquietudines diu actum, honeſtâ quiete & tranquillitate mentis expleamus.*

Neque abſimilia Harlingani.

Quippe populus, velut laxatis ſpatijs & alienatâ mente, ut faſtidio priſcorum rituum, ita deſiderio novæ religionis accendebatur ægriuſque ferebat:

Mutato in melius Reip. ſtatu ſerviles animas domeſticis ſacris aut antiquis ſuperſtitionibus alligari. Sic ſcilicet Cæſaris ac PHILIPPI *Edicta, ſic* ALBANI *arma & ſanguinolentiam, ſic proſcriptiones atque exilia pertuliſſe, quo molliora fato tempora darentur omneque adverſæ fortunæ ſolatium à ſtabiliendâ religione & cultu numinis inciperet. Non negligendum eſſe id boni per ſervilem patientiam aut turpem ſocordiam, quod occaſionem horrendæ tempeſtati dediſſet & quo ſolo æquitas cauſæ & fœlicium armorum etiamnum ſtet. Ejus obtentu, interceſſiones Cæſarum ac Regum oraſſe foreque fœdiſſimum, ut in ſpem libertatis per auxilia Principum erectæ gentes faſtiditis diutius ſuperſtitionibus ſerviant veraque religio à ſummo rerum mentibus infuſa & lacertos fato latius motura privatis parietibus ac conſeptis ædium circumſcr ibatur.*

Leoverdiorum petitio

Leovardij quoque & in ijs reformatæ religionis primarij antiſtites annuas miniſtris ſuis penſiones ex bonis Eccleſiaſticis Lalainium oravere aut ut Præſule Bergumano morte extincto ſexcenti carolæi qui ei decernebantur, reformatis miniſtris aſſignarentur. Quæ à Joanne Ayſma, Tiallengo Wikelio, Popkone Roorda, Petro Arentio, Joanne Arentio, Franciſco Joannis ſignata approbataque poſt à Lalainio, Burgalæ in caſtris agente, tum ipſis Ordinum Deputatis incrementa reformatæ religioni attulere.

De novo Senatu per Friſiam dicto introducendo actum.

Mox novo Senatui introducendo dies dictus miſſique Ordinum Friſiæ nomine ad Igramum Achlenium nuper Præſidem Senatus, qui claves

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ves Baſilicæ poſcerent ſigillaque publica obſignandis actis impetrarent. CIↃ. IↃ. LXXVIII
Sed Achlenius, ſivè ægritudine adverſæ Fortunæ, ſivè recuperandæ dignitatis ſpem alens mandatis Ordinum ſe oppoſuit Antiſtiteque Clarecampenſi Gerardo Jacobi provinciæ tum Deputato nequicquam urgente munimenta Senatus & veteris imperij non niſi de voluntate Matthiæ Gubernatoris ſe traditurum aſſeruit. Quare Heſſelo Ayſma Legato Antverpiæ agenti impoſitum, apud Matthiam Archiducem eâ de re agendi curandique, ne cœptæ res & bono Fœderis inſtitutæ tergiverſatione ac contumaciâ exautorati Senatus præpediantur. Unde reſcripto Gubernatoris decretum, Ut claves, ſigilla, judiciales libri & quicquid in ſecreto Curiæ aſſervaretur, Ordinibus aut eorum Delegatis cederet augurandique Senatus ſolemnitas priduano Eid. Jul. die inciperet. Ita Franciſcus Eyſingha, Joannes Verſterveranus, Gyſbertus Aernſma, Fecco Rhala legum periti in poſſeſſionem Senatorij muneris miſſi.

Dies introductioni dictus.

M. Heymannus ſcribit à Deputatis provinciæ, Gerardo Jacobi Præſule Clarecampenſi, Docone Martna, Serapio Galama, Goſlico Hiddama, Barthio Idzaerda & Eraſmo Douma, de mandato Lalainij, in Baſilicam regiam ductos, comitante urbis magiſtratu, quem Lalainius in caſtris ad Campos agens celebrandis honorandiſque illius Ordinis auſpicijs delegerat. Idem addit ſub conditione & ne juris dicundi ac fori munia vacarent, in poſſeſſionem dignitatis miſſos, dum de prioris Senatus crimine aut innocentiâ Matthias Gubernator & provinciarum Ordines cognoviſſent.

Quare poſtero die in loco judicij idem Senatus & pro tribunali deſedit Joannemque Verſteveranum virum oris facundi verba facere juſſit.

Verſteverani novi Senatoris Oratio.

Quippe non privatâ ambitione, non affectuum lubidine, non odio prædeceſſorum arduum moleſtumque judicandi munus in ſe recepiſſe, cæterum procerum ſuffragijs compulſos lubricum tribunal & præcipitia fori ingreſſos dicundo juri ſacramentum feciſſe. Placuiſſe ſcilicet patribus & poſt Archiduci juſtitium exui & intermiſſa amoto Senatu judicia repeti. Igitur conſcientiæ rationem habituros daturoſque operam, ut cultâ jurejurandi religione, officia judicum præſtent.

Tum judicium de more prolatum bimeſtribuſque fermè ferijs ardente Seirio lites ſtetêre.

Plures novi Senatores electi.

Leges tolerandis per provincias religionibus à Matthiâ & concilio Status ſcriptæ.

Poſt Gubernatoris Matthiæ reſcripto plures eligendi poteſtate Delegatis Ordinum factâ, Heſſelus Ayſma, Douwo Burmania, Barthius Idzaerda Juriſperiti in Senatorium ordinem cooptati eorumque nomina Matthiam ad Gubernatorem tranſmiſſa, actis publicis inſerta. Mox tolerandis per provincias religionibus à Matthia Auſtrio & concilio Status leges ſcriptæ, ne modeſtia ſupplicantis populi veterem ad contumaciam & diſſoluta morum iſtâ Reipub. infantiâ rediret.

Ijs reſcriptum fuit,

Vt omnium injuriarum quæ è diverſitate religionis poſt Pacificationem Gandavenſem natæ eſſent, oblivio foret. Religio libera inturbataque eſſet. Romana Catholica, ut per Hallandiam & Zelandiam, ita reliquas provincias ad-

cIↄ. Iↄ. LXXVIII *mitteretur. In Reformatâ idem valeret iſtique profitendæ ſi 1000. familiæ ſe dediſſent, locus aſsignaretur. In privata domeſticaque religionis exercitia nemo inquireret, ſingulis libertas & pax eſſet. Alienos cœtus turbandis conventibus nemo frequentaret. Religioſi bonis ſuis, exceptis per Hollandiam & Zelandiam, quos Pacificatio Gandavenſis excluſerat, liberè fruerentur, dum aliter per Ordines generales ſtatueretur. Famoſos libellos nemo confiœret aut vulgaret. Conciones moderatæ eſſent. Miles teßeram religioni non uſurparet. In cauſis matrimonialibus jus Pontificium valeret. Locis publicis ac ſacris ægri ac ſcholares utriuſque religionis promiſcuè reciperentur. Dies feſtos è præſcripto Catholicæ Romanæ religionis colerent, Eſu carnium abſtinerent. Utriuſque religionis publicorum munerum ac dignitatum capaces eſſent. Iudici legitimo quiſque ſe ſiſteret. Accuſationes licitæ forent, nemo temerè litigaret. Leges ac ſtatuta ab utriſque modò patriæ amantibus perſcriberentur. Ii jus dicerent, politiam & oppida curarent. Nemo jus dicentibus curantibuſque publica moleſtiam crearet. Edictis, mandatis & reſcriptis* MATTHIAE *Gubernatoris &* CONCILII STATUS, *univerſi ſingulique parerent. Iuri patrio hæc ſtatuta non derogarent. Quæ ferè, à* MATTHIA AUSTRIO & CONCILIO STATUS *Antverpiæ* XII. *Iul. in acta relata & per Friſiam menſe ſequenti publicata.*

Notat M. Heymannus publicato Leovardiæ Religionis Edicto à reformatæ religionis miniſtro XIII. Auguſt. in Jacobæorum fano habitam concionem fuiſſe populumque ab Anno cIↄ. Iↄ. LXVI. ad intermiſſa ſacra haud pridem ab exilio redeuntem audiendis ſermonibus ſua deſideria innovaſſe. Idem addit, ex pacto Magiſtratum inter & Jacobæos inito, ita conventum fuiſſe recenteque Edicti reverentiâ & ſimul memoriâ, ſtabilem in religione concordiam etſi, ut memorabo, non diuturnam moderatis partibus oſtentaſſe,

Unde partes inter diſſidia & civiles diſcordiæ.

Sunt qui tradant, recrudeſcente poſt defectionem Auſtriaci bello, religionis diſſidium civili tum maxumæ concordiæ obfuiſſe indignantibus Pontificijs, ex Statuto Ordinum & Matthiæ Gubernatoris Reformatam profitentibus fana ac ſacella aſſignari populumque jure & ſi fato licuiſſet, ſub unius Principis imperio connexum communione publicorum locorum modeſtis ſacrorum exercitijs intereſſe. Ita factum eſſe, ut Magiſtratuum ex Pontificiâ factione contumaciâ inritata plebes templa ac fana occuparet ejectoque ſacerdotum cœtu & ſublatis Pontificum ſacris, negato ex pervicaciâ beneficio per vim frueretur. Inde aſperatis religionibus inimicitias concivium natas animoſque ante fœdus Gandavenſe concordes & Hiſpanorum dominationibus infeſtos extrema conſilia ac ſæpe arma induiſſe. Tum fora ac circos excubijs obſeptos adverſaſque partes civitatibus ac oppidis expulſas, meliore illorum causâ quorum validior fuiſſet. Sic ex civili diſcordiâ incerta & lubrica Magiſtratuum imperia profluxiſſe, adeò invalidâ autoritate ut moderata ſuadentium non proficeret. Deinde validis populi rebus & amotis partium Ducibus, ne tum quidem hoc fati beneficium civilem concordiam iſti temporum ætati obveniſſe, criminantibus adhuc Pontificijs, Philippi proſpera publicam ſervitutem, res fœderis ſecundas oppreſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

oppreſſionem Romanæ religioni comminari. Itaque frænandis ſeditio- CIↃ. IↃ. nibus urbes paſſim præſidijs emunitas, magis ex civilium furorum quam LXXVIII. hoſtilis potentiæ metu, cujus incrementa non tam ex magnitudine Philippi quam inteſtinâ diſſenſione profluxiſſe clariſsimi Scriptores annotavere. Adeò difficile erat, etiam aſperrimis temporibus & affectâ tam graviter libertate, publica odia publicis utilitatibus poſtponere populumque opinionibus diviſum & fovendis pertinacem ſalubritate legum coërcere. Eædem quoque decreto Ordinum reliquas in provincias miſſæ, pro temperie civilium animorum murmura aut aſſenſum inquieti populi invenere, etiam tum criminantis provinciarum Ordines leviſsimæ ſocietatum externarum famæ auſcultantes ſubdolis Principum artibus fortunam publici fœderis exponere. Quippe alij Germaniæ & Anglorum auxilia, alij Galliarum ſocietatem in Alençonio regis fratre, immodeſtius affectabant patrociniaque religionibus & privatis ſimul affectibus ervidiſsima per ſtudia quærebantur.

Indignante Eliſabethâ Anglicâ fluctuantes provincias & ſuo regno innexas propioribus Galliarum fœderibus implicari.

Eliſabethæ ad Galliæ regem litteræ.

Quare non diſsimulatâ æmulatione ad Henricum III. Galliæ regem litteras dedit, quibus obteſtabatur, *ſuâ in populum Belgicum inclinatione non imaginem imperij, non ſuſpectas pactiones involvi, cæterum eo ſpectare, ut divulſæ à* PHILIPPO *provinciæ ad Principem ſuum redeant ipſaq; regnum ſuum procuratâ vicinæ gentis quiete firmet. Igitur ferre non poſſe dubijs temporibus Angliæ incommodo provincias Galliarum ſocietatibus arctius obſtringi, quarum ſecretum ſtabiliendæ per Belgicam dominationi inſervire poſſet, fato ſuo & adultis hoſtium viribus, manifeſtâ cum imbecillitate luctantem. Cæterum* HENRICUS *Rex fraterna non ſua conſilia cæptæ actioni obtendebat, quæ non prenſandis imperij occaſionibus, ſed conciliandæ Regem inter & ſubditos paci inſtitueretur. Rediturum quippe ad ſaniora* PHILIPPUM, *ſi ſenſerit, populum externis auxilijs ſublevari eſſeque qui non ferant, gentem extingui olim Burgundicæ domui & vicinis ſuis fidam.*

Legatorum Eliſabethæ ad Ordines querela.

Legati quoque Eliſabethæ ad Ordines miſsi, offenſum reginæ animum obnuntiavere, velut ferentis indignius reciproca Belgicæ & Anglorum fœdera medio in curſu rerum Gallicis artibus interverti. Igitur de remittendo in Germaniam Caſimiro, de renuntiando fœdere multa acerbè afferebantur, excuſantibus Ordinum Delegatis *ultimâ neceſſitate ad implorandam Gallorum ſocietatem compulſos, lubrica provinciarum fatalibus legibus permiſiſſe. Quippè Alençonium mobilis juventæ & ut principes ferè ſolent, gloriæ avidum, quæ è bello ſperetur. Potuiſſe eum repudiatâ aut retardatâ ſocietate in partes Auſtriaci tranſire, hoc tantum quærentem, ut oſtendat regiam indolem otij ac torporis impatientem tractandis armis deſtinari. Igitur non Angliæ, non Galliæ, non Germaniæ, non ullarum gentium rationem habitam, modo hoc ageretur ut in anguſtum redactis auxilium adeſſet. Ruinæ proximos alieni fulcimenti eguiſſe.*

Ordinum Delegati reſpondent.

Creditum fuit rerum peritis Ordines, ut ante Eliſabethæ ſocietatem amplexos, ita Alençonij reſpuere noluiſſe, parandis majoribus auxilijs & ne Belgicæ imperium, per æmulationes concertantium Principum, in unius arbitrium & ſimul dominatum concederet.

Cum Alençonio Ordines conveniuns.

Ita pacatis ægrè Eliſabethæ Legatis cum Alençonio conventum.

cIↃ. IↃ. LXXVIII. *Vt decem peditum Gallicæ gentis, equitum duo millia ſuo ære & ſtipendijs haberet eaque Ordinibus provinciarum in trimeſtre pro auxilijs forent. Pace quoque cum* AUSTRIACO *aut ipſo rege intrà menſem Auguſtum proximum factâ, tria peditum millia, quingentos equites ſecuritati provinciarum aleret præſtitorumque auxiliorum ratione Defenſor Belgicæ libertatis diceretur. Fœdus cum* ELISABETHA, NAVARRAEO, CASIMIRO *alijſque procuraret belloque ſocijs Ordinum inferendo abſtineret. Conventio hæc rata, & perpetua foret* ORDINESQUE *niſi bellum in causâ Religionis ſit, reciprocis auxiliorum pactis* ALENÇONIO *ſe obligarent. Belli potior adminiſtratio* ALENÇONIO, *ſi ad exercitum eſſet, permitteretur, eo alibi agente, Ordinum Duci cederet. Civile Reipub. regimen penes* ORDINES *aut eorum Præfectos pro more eſſet.* ORDINES & ALENÇONIUS *nulla fœdera præterquam utriuſque aſſenſu inirent. Novum Principem aut Protectorem electuri* ORDINES ALENÇONIUM *cæteris anteferrent eâque de re finito bello intra trimeſtre conventum agerent. Tria quoque oppida Queſnacum, Landrechios & Baveſium pignori & reficiendis ſaucijs* ALENÇONIO *aſſignarent. Reliqua oppida trans Moſam ſita, & per Alençonium expugnata, ſi exempta Fœderi fuiſſent, Alençonio & hæredibus, Fœdere comprehenſa Ordinibus cederent, dedititia utriſque obvenirent. Pignori vero data liberatâ apud Alençonium fide & reſtituto ære ad Ordines redirent.* ALENÇONIUS JOANNEM AUSTRIACUM *hoſtem declararet daretque operam, ne Gallicis auxilijs quoquo modo* AUSTRIACUS *juvaretur. Pacem cum Hiſpano & cum ijs, qui iſtarum partium forent, præterquam communicatis conſilijs,* ORDINES & ALENÇONIUS *non ſancirent eaque honeſta & utilis foret. Oppida* ALENÇONIO *aſſignata ſuis legibus & militari ab* ALENÇONIO *diſciplinâ haberentur, ne Gallici præſidij inſolentiâ per querimonias provincialium novum fœdus ac ſpecioſa conventio infirmaretur.*

Indignante nequidquam populo Friſiaco.

Hæc XIII. Aug. ſignata ac in Friſios poſt miſſa Societati Germaniæ æquiores, non læto rumore mobilem populum affecere.

Indignantem nec falſo *ſe alienis arbitrijs (quippe per ſuperioris Belgicæ Ordines ea res acta dicebatur) in novos dominos & ſuis moribus ſæpè contrarios transferri exutumque priſcis ſocietatibus nova per fœdera, nova ſervitia & clientelas Principum accipere. Sollicitata Germaniæ & Anglorum auxilia minimâque Tranſ-rhenanarum gentium ratione habitâ, ſuperaddi quæſitis ſocijs Principem, Germanicæ Anglicæque ſocietatis æmulatorem & Pontificiâ religione ſuperſtitioſius imbutum. Neque placuiſſe Legato provinciæ novarum rerum molitiones antiquis ſemper Burgundiæ ſocietatibus velari Galliæque Legatos prenſando fœderi, mutuas Galliæ Belgicæque gentium cognationes, communia inſtituta tacitis in Trans-rhenanos odijs allegaſſe. Sic ſcilicet, ut antè prævaricatione* MAXIMILIANI *atque* CAROLI *Cæſarum, (qui incrementa Burgundicæ domus damno Romani imperij quæſiſſent) à Germaniæ antiquiſſimâ ſocietate ſeparatos, ita nunc ab eadem longius divelli Friſioſque ſpecie fœderum & conventionum externis imperijs ſubeſſe,*

Scribit F. Nicolaus, Staurios ſolenni ſacramento ſocietatem Auſtriaci tum ejuraſſe ſignatiſque eâ de re actis, communnem concordiam machinationibus partium oppoſuiſſe.

Igitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ. LXXVIII

Auſtriacum inter & Ordines de pace actum, ſed fruſtrâ.

Igitur quantum ægritudinis ex Auſtriaci defectione & Gallico Alençonij fœdere habebatur, tantum econtra gaudij percrebeſcens pacis fama credulis mentibus adferebat, quam Legati Cæſaris, Galliarum & Angliæ allaturi provincijs credebantur. Ferebatur quippe Auſtriacus ejus ineundæ mandatum ex Hiſpaniâ accepiſſe Gemblacenſiſque victoriæ gloriâ, velut egregio fine, belli initia & mox incerta clauſurus. Cæterum Ordines certam pacem, nec dolis involutam Legatos poſcebant, *ac ut ſolidâ conventione æterno ſilentio memoria priorum rerum obſignaretur. Acta quoque & decreta Ordinum,* MATTHIAE *Gubernatoris, &* CONCILII STATUS *rata eſſent,* AUSTRIACUSQUE *Belgicæ finibus exceſſurus, ocyus oppida, caſtella, commeatum fœderatis provincijs reſtitueret.* MATTHIAE *quoque* AUSTRIO *imperium prorogaretur Ordinumque jus & ſimul Gaudavenſe Fœdus integrum foret. Religionis negotium proximo Ordinum conventu definiretur bonaque per Burgundiam ex Gandavenſi conventione dominis ſuis redderentur. Captivis utrinq; dimiſſis,* BURANUS *ex Hiſpaniâ in Belgicam remitteretur,* MATTHIAQUE AUSTRIO *imperio cedente, provinciarum Præfectus à* PHILIPPO *rege aſſenſu* ORDINUM *crearetur. Fœdere quoque, ſi quod cum* AUSTRIACO *iniretur,* ANGLIAE REGINA, DUX ANDIUM, NAVARRAEUS, *ac* CASIMIRUS *comprehenderentur.*

Arma partium denuo ſtrepunt.

Econtra Auſtriacus ſuſpectis dilationibus conventionem trahebat ſpecioſumque pacis deſiderium apud Legatos obtendens bellum meditabatur. Quare irritis fæcialium ſtudijs & infructuoſâ Rudolphi Cæſaris, tum Galliæ Angliæque regum interceſſione, arma partium ſtrepuere, quæ circa Iſalam flumen perdomandis Auſtriaci per Trans-Iſulaniam præſidijs Georgius Lalainius circumferebat. Ordinum vero caſtra in finibus Brabantiæ ad Rimenantum poſita conciendis colligendiſque auxilijs, quæ Caſimirus Elector ad duodena millia in interiora provinciarum conducebat.

F. Nicolaus ſcribit, eum haud procul Friſiorum finibus v. Jul. octo equitum millia & quadraginta peditum ſigna Drentinos per agros duxiſſe eundemque exercitum, etſi perarmatum & ſtipendijs gravem, procerum ſpei & conditioni temporum non ſatisfeciſſe.

Auſtriacus Ordinum caſtra tentat oppugnare.

Auſtriacus quoque cum exercitu in propinquo gloriæque majoris ſpem alens ſe ad prælium parabat. Igitur Ordinum caſtra etſi multo opere vallata, oppugnare cum omnibus copijs conſtituit, quæ Italicis auxilijs auctæ triginta armatorum millibus adæquabantur. Rebus quoque gerendis Alexandrum Farneſium, Octavium Gonzagam equitatui præfecit reliquiſque proceribus, quos peritiſſimos belli & Philippi militiam diu ſecutos in comitatu habebat, alia caſtrorum munia & Legionum regimen aſſignavit. Quare ordinata acie Prid. Kalend. Aug. puggnæ conſilium inijt præmiſſiſque, qui prætentarent, reliquum exercitum recto itinere confertim progredi juſſit.

Stratagema Boſſuvij adverſus Auſtriacos.

Boſſuvius vero, qui partes Ordinum cum imperio tuebatur, re per exploratores cognitâ quo inſultum ſuſtineret, caſtrorum latera validioribus prætenturis munivit diſpoſitiſque excubitoribus, qui de adventu hoſtium ſubindè nuntiarent, ſexcentos ſchlopetarios per inſidias collocavit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXVIII. cavit. In primâ quoque acie conſtitutis demandavit ut ingruente Auſtriaco pedem referrent ſignoque fugæ aut ſimulati pavoris dato, eum circâ locum gradum figerent, quem ſchopetarijs aſſervandum præceperat. Igitur impetu per Auſtriacum in caſtra Ordinum facto qui in fronte exercitus erant tamdiu ex condicto receſſere donec Auſtriacus in fœderatorum equitum ordines & quidem levis armaturæ provectus eorum virtute ſiſteretur, quos Boſſuvius egregio Ducis exemplo ſaucijs fatigatiſque ſuffectos ad dimicandum hortabatur.

Fortiter quippe pugnando manes ſociorum qui ad Gemblacum occubuerant, ulturos conſulturoſque ſuæ & ſimul publicæ incolumitati, quam in illorum dexteris illius diei fortuna poſuiſſet. Reſpicerent patriam, conjuges, liberos & potiorem privato pignore libertatem, quam AVSTRIACVS *provinciarum hoſtis primum dolo poſt armis impetiſſet. Itaque honeſtius forè generoſa virtute benignitatem fati laceſſere, quam aut fuga aut ignavia victos immodeſti victoris lubidini ac ſævitiæ ſervire. Sic quippe cum ſocijs contra datam fidem actum mactatoſque victimarum ritu fortes viros præclara corpora poſcenti patriæ & furoribus hoſtium immolaſſe. Voluiſſe ſcilicet, exemplo ad mortem & ſimul gloriam præire tacito voto, quo ſuperſtites imitarentur.*

Auſtriacus magna clade repulſus, Quare Auſtriacus ab exercitu fœderato, cujus ordines luxare annitebatur, tandem repulſus, magnâque ſuorum clade acceptâ ſimulque ſauciorum agmen trahens in fines Namurci ſe recepit, ubi Gabriel Cerbellion regio ſumptu validam jam antè munitionem exſtruxerat. Octo horarum prælium fuiſſe autores tradunt ipſoſque pugnantes, velut ipſo Solis æſtu imflammatos, acriore pugnâ conflixiſſe. Sic vulnus Gemblacenſi prælio Fœderi illatum clade hoſtium tum penſatum ipſeque Auſtriacus jam antè fortunâ intemperanter uſus & fiduciæ velut certus, cum fatorum legibus acerbâ mentis ægritudine expoſtulavit.

Exactiones tributorum per Friſiam repetitæ. Mox inritâ apud Friſios novarum Collationum ac Vectigalium lege, exactiones tributorum repetitæ decretumque à Matthia Gubernatore, Vt menſtruo ſtipendio fœderatis copijs pendendo æs in mutuum à locupletibus ſub uſurâ peteretur creditiſque in publicum pecunijs omne juris beneficium adverſum fiſcum & quoſcunque creditores valeret. Hoc etiam additum, ut publicarum Collationum cenſus pignori eſſet actioque in eum retardatâ ſolutione competeret. Cæterum ut omnia apud populum anguſta è diuturno bello erant, ita invalida pignorum cenſebantur, non ceſſante Matthia Gubernatore ultimæ neceſſitatis legem exigendis pecunijs allegare. *Vltimâ neceſſitate flagitante.*

Luſtrandum ſcilicet exercitum eſſe qui niſi ſtipendia accipiat, nec ſub ſignis nec ſacramentis retineri queat. Ita diſciplinam militiæ exuturum laxaturumque fræna licentiæ, quo oſtendat ſe animam, ſe ſanguinem, ſe virtutem & pericula non partium ſtudijs ſed ſtipendijs obligaſſe. His ſacramenta, his fidem ſtare, ſi deficiant, ex juſto milite transfugam aut deſertorem facturæ. Neque poſſe ſolis Belgicarum provinciarum nervis omne belli momentum trahi neceſſumque eſſe, ut trans Rhenum populi olim jure Principis, nunc ſacramento fœderis ſocij & fertilium terrarum cultores ſubſidia afflictis locent. Niſi aut mavelint Friſii ſub illorum dominatum recidere, quos exleges & hoſtes habuiſſent, aut auxiliarem Imperij ac Galliæ exercitum ſpectare, ſacrilegijs &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

& provincialium ſpolijs ſe paſcentem. Ita patriam, ita dulciſſima pignorum CIↃ. IↃ. *intuerentur, ac ſi aſpici non niſi cum miſeratione & cura queant, quâ caven-* LXXVIII. *dum ſit, ne quid oppreſſa & ſenſim ſe erigens libertas, ne ſociale jus quid patiatur.*

Igitur conquirendis exercituum ſtipendijs Friſij in menſem XXXII. M. Groningenſes & Omlandi XX. Tranſiſulani XIII. Drentini & Tencteri VI. Carolæorum M. pendere rogati, adeo efficaci Matthiæ præſcripto ut decreto æri omne ſubſidium offerrent. Hoc vero volebant Friſij, ut Matthias Gubernator de commodiſſimo corrogandæ pecuniæ modo diſponeret & aut è penſionibus Biltanorum ac Vectigalium agrorum, quæ XL. M. æquarent, anticipandis divenditiſve maritimis Biltæ agris aut cœnobiorum prædijs reditibuſque publico applicatis, petendum decerneret. Cogi ſcilicet Biltanos poſſe, ut penſiones ad Martini & Petri ad Cathedram ſolvendas extemplo colligant, urgente publicâ neceſſitate quæ legem non ferret. Neque abſonum eſſe, diſtrahi maritima & Biltano littori novâ alluvione adjecta aut paciſci cum cœnobiorum rectoribus, ut ſuſtentandæ vitæ annuum nacti, jure & poſſeſſione monaſticorum bonorum cedant luxuique & malis moribus applicata publicos in uſus & ſubſidia provinciæ converti ſinant.

Itaque illuſtri ad Rimenantum clade fractis Auſtriaci viribus, qui auxilia ſuis etiam trans Rhenum ac circa Iſalam, deſtinaverat, Lalainius Camporum urbe captâ, caſtra Daventriam movit, quæ tribus Germanicæ legionis cohortibus tenebatur. Fœminarum quoque & ſcortorum non minor numerus, tanto parciore ſenſim annonâ, quanto pluribus nutriendis deſtinaretur. Quare præſidium inſtantis obſidij metuens & quo proviſis populi commeatibus pro arbitrio uteretur, civitatem exarmavit & ne pronis in partes Ordinum civium animis Lalainius per interna auxilia juvaretur. Is quippe novâ munitione per Gualterum Hegemannum, haud procul ingreſſu Velaviæ extructâ, auxiliares Hollandorum copias ad urbem præmiſerat reliquoſque pedeſtrium copiarum ductores Vlietium, Vedam, Oenonem Grovenſteinium, Hermannum Olthovium & Cornelium Gallum propero itinere ſubſequi juſſerat. Unde præſidiarij necdum firmatis caſtris impreſſionem in obſidentes fecere, quos patentibus adhuc campis expoſitos, non lorica caſtrorum ſed arma & virtus tutabantur.

Lalainius caſtra Daventriam movet.

Eamque obſidet.

Igitur præſidiarij in urbem retroacti, auxilia mox petiere, miſſo ad Auſtriacum Joanne Frederico Schonavio viro nobili & cohortis Tribuno, qui de ſtatu urbis referret. Sonnoius vero, qui pro Lalainio rem gerebat, munitis juſto opere caſtris, Noricam verſus turrim, quæ urbi propugnaculum erat, ſuffodi cuniculos juſſit Geldricaque ac Tranſiſulaniæ auxilia conduci in caſtra præcepit. Quare & obſeſsi civium ope ac imbellis turbæ, intuta mœnium objecto vallo & adverſis cuniculis firmavere. Sonnoius econtra, muri parte quæ Noricæ turri proxuma erat, machinis disjectâ, ope foſſorum terream molem caſtris præduxit propiuſque ad urbem ſuggreſſus ſibi periculum creavit. Quippe eruptione per præſidiarios factâ, ut foſſorum plurimi trucidati ita impedimentum ducendo operi injectum, inſimulato ab invidis Sonnoio quod officio providi ducis defuiſſet. Sed evictâ invidie vir egregius

Obſeſſi auxilia Auſtriacum rogant

cIↄ. Iↄ. LXXVIII & ſui conſcius cœptis inſtitit, Noricæque turris ſummitatem tormentorum ictibus disjecit.

Obſeſſorum in obſidentes eruptio.

Quamobrem obſeſſi ex periculo animos capeſſentes, alto ſilentio vix orto die prima in caſtra perrexere trucidatiſque vigilibus, & plurium cæde editâ pugnantes fortiter & poſt multitudine ſuccreſcentium copiarum obruti intra urbem regreſſi. Meilander vir fortis & egregiè dimicans iſto conflictu ex obſeſſis confoſſus eſt. Tradunt autores tantam famuli erga Meilandrum fidem fuiſſe, ut conſpecto cadaveri eximiâ in dominum pietate ſe ſuperinjecerit percuſſoremque admiſerit. Mox novis fœderatorum auxilijs, quæ Joannes Cornputtius, Joannes Bonga è Friſijs cæterique auxiliarium cohortium Tribuni ducebant, obſeſſæ civitatis res arctatæ, anguſto ſenſim commeatu & quod inani auxiliorum & ſolvendæ obſidionis ſpe diſcors civitas traheretur. Quippe miles ſacri nec profani abſtinens ſua in commoda ac luxum privatas res vertebat inteſtinâque diſſenſione & ſimul externa vi attritæ vires lacerabantur.

Obſeſſi denuò auxilia petunt.

Quare Julius Dekama nuper Friſiæ Senator, Daventriæ tum agens ad Hectorem Dekama & Petrum Boymerum Colloniam Agrippinam litteras dedit, quibus de auxilijs ocyus mittendis moneri Auſtriacum petebat. Adhæc robuſto præſidio ſterilem annonam cauſabatur, urbemq; arcto caſtrorum ambitu obſeptam civium ac militaris præſidij diſcordiâ debilitari.

Obſeſſi, audito de Auſtriaci morte rumore, languent.

Cæterum Auſtriaci morte, etſi incertis adhuc rumoribus vulgaretur, præconcepta auxiliorum ſpes elanguit, firmatâ veri fide quod per caſtra & fœderatum exercitum ovationum militarium ſolennia ac velut funebres ludi illius è terris exceſſui decernerentur. Quippe collucentes paſſim caſtrorum ignes viſebantur horrendiſque machinarum fragoribus motus aër repercuſſo intra urbem murmure audiebatur. His accedebat, quod proſerpens lues cælo miſſa graſſari per ejus exercitum ferocius diceretur, credentibus obſeſſis iras ſyderum & contagem ſupernis influentijs motam promiſcuâ importunitate deſævire. Itaque Lalainius rudi tyronum manu, quam Schonavius jam antè ad Auſtriacum miſſus collegerat, diſſipatâ confluentibuſque in caſtra novis auxilijs oppugnare urbem conſtituit machiniſque muralibus opportuno loco diſpoſitis laxatiſque vallum urbis & ſimul edita concuſſit.

Obſeſſi deditionem faciunt æquis legibus.

Unde obſeſsi deficiente adhoc alimoniâ & difficili commeatu deditionem fecere, delectis è Magiſtratu qui ab æquo victore leges acciperent. Iis conventum fuit, Vt ſupinis ſignis, nullo damno urbi aut agris dato, præſidiarij oppido ac finitimis excederent deductiq; Boeckholtum in fines Imperij, adverſum Ordines intra trimeſtre ſtipendia non facerent. Obſides quoque ſervandis pactis utrinque dati Lalainiuſq; amoto præſidio urbem victor ingreſſus perdomatæ Tranſ-Iſulanorum provinciæ inſignem gloriam tulit.

Auſtriacus peſte correptus, moritur.

Igitur Auſtriacum cum adverſis fortunæ luctantem & velut vitæ pertæſum peſtilentia invaſit. Cujus mali cum breviſsimos circuitus medici monerent, de extremis ſuis cogitare occœpit omniqne ſacrorum ritu qui moribundis ex præſcripto Romanæ Sedis decernitur, celebrato, Kalend. Octob. deceſsit, ſurrogato ei à prætorianis

&

& mox univerſo exercitu Alexandro Farneſio. Scribunt Albanum, cIɔ. Iɔ. LXXVIII
cujus militarem gloriam ſuo ingenio ac peritiâ armorum obſcurare annitebatur, magnæ in aulâ regiâ gratiæ, æmulatorem ei fuiſſe, quo retardatis belli ſubſidijs & ſimul Philippi mandatis, cum ipsâ mole rerum juvenile & procax ingenium tabeſceret.

Notat Cambdenus Rateliffum & Greium Anglos ſtipendio Auſtriaci militantes à profugis Anglis decretæ in Auſtriacum cædis inſimulatos fuiſſe inditoſque vinculis odio Anglici ſanguinis & ut arguebat Auſtriacus, gravitate ſceleris, quod Valſingamus reginæ actuarius ſuaſiſſe dicebatur, ultimo ſupplicio affectos. Etſi traditum memoriæ ſit proſcriptos Anglos & regno extorres crimen aliquod Eliſabethæ aut illius aulicis affinxiſſe, quo meritæ proſcriptionis probrum & exilij tædium innocentium & gentili ſanguine placarent.

Auſtriaci cadaver in Hiſpaniam deportatum.

Mox Auſtriaci cadaver differtum odoribus regiâ funeris impensâ, Namurcum & poſt in Hiſpaniam deportatum, juxta Caroli Imperatoris Mauſolæum terræ inlatum eſt. Itaque pro affectu animorum mœror, luctus per caſtra & exercitum viſebantur, indignantibus Legionibus eundem Auſtriacum Cæſaris filium, fratrem regium, magnarum rerum ſpes & exordia verſantem, ipſo ævi flore immaturo funere occidiſſe. Ita ſcilicet illuſtrium votorum conatus interverſos velut invidente fato, ut regium decus aſſequeretur formatumque primis juventæ annis animum & ſimul deſiderium regij faſtigij expleret. Creditum fuit eum Tunetani regni non obſcuras ſpes jam antè agitaſſe illuſtrique ad Echinadas victoriâ elatum paria fraternæ fortunæ aut certè majora concupiviſſe. Quare de antiquæ Carthaginis celebritate regioque per Africam dominatu multa effatum, haud diſſimulante Philippo ſocium & conſortem ſe potentiæ non ferre. Igitur in Belgicam regundis pro Philippo provincijs miſſum, Guiſiorum per Galliam auxilijs ſollicitatiſque Mariæ Scoticæ nuptijs, Angliæ regnum affectaſſe, non antè repreſſâ juvenilis animi inexplebili cupiditate, quam inclementiam fati præſentiens repentinâ morte raperetur. Notat Nobiliſſimus ſcriptor Sixtus Hemmingha, poſitiones cœli illius fortunæ conveniſſe, certoque artis præſagio, ut vitæ ei curſum, ita ſimul terminum fatali horâ indicaſſe.

Finis Libri Quarti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

P. WINSEMI Hiſtoriarum LIBER QUINTUS.

cIↃ. IↃ. LXXVIII.

Auſtriaci ad Præfecturam totius Belgicæ provectio.

ALEXANDER FARNESIUS ab exceſſu IOANNIS AUSTRIACI belli imperator obviâ legionum fide ſalutatus, meliorem ſuiſpem per provincias vulgabat, credulis pleriq; eundem Farneſium primis vitæ annis, gubernante Margaretâ matre, familiaritate virorum Principum Belgicæque nobilitatis uſum ſui imperij rationem populi moribus afformaturum. Quippe anteceſſores per Italiam aut Hiſpaniam alio ſub cœlo aut ſydere educatos, magis ſuarum gentium ingenijs quam Belgicæ innutritos, domeſticam indolem externâ conſuetudine non emollijſſe, quam Farneſius facili ætate, tanquam naturæ bona, longâ ex converſatione induiſſet.

Diverſæ conjecturæ de causâ mortis Auſtriaci.

Cæterum de Auſtriaci morte, etſi divinum quiddam ſubeſſet, quod in peſtilentiâ à maligno ſtellarum influxu ortâ deprehendi clariſſimis medicorum proditum eſt, diverſum diſſerebatur, cum eſſent, qui ægritudine animi extinctum opinarentur, eumque ſpiritu vitali indignatione adverſæ fottunæ exhauſto, cum excelsâ & regiâ indole gerendarum rerum & ſpem vitæ poſuiſſe. Præterquam enim quod rupti fœderis imaginem conſcientia repræſentaret, ultro inquies & fœditate fuſi ſanguinis ſe exercens, ita & hoc accedebat, quod generoſæ menti præconcepta ſecius procederent, ipſaq; in Philippi fratris aulâ gloriæ & ſimul magnitudini ſuæ ſerviturâ, virorum principum & fraternâ æmulatione evaneſcerent. Sunt qui tradant eum occupandæ Belgicæ ſpe quoq; animum clam paviſſe, feruntq; ab Aurantio interventu legati perſuaſum in momenta temporum & majora virium rejeciſſe. Quæ Philippo fratri non ignorata, frænandæ immodeſtæ cupidini longiore morâ vileſcebant.

Indignatio Auſtriaci.

Igitur Auſtriaco, datis ad Principes viros litteris, ne iſta quidem diſſimulabantur, expoſtulanti acrius ſe inter patientiam & ludibria jactatum tam odio & ignavia ſuorum quam vi hoſtium perire. Neque aliud reſtare, quam ut horum armis obſeſſus ferro viam & ad extrema aperiat, omniaque regis & ſua fortunæ committendo amputatâ manu, aut jugulum præbeat aut beneficio fugæ ſervetur. Quæ præter alia, cum indignatione effuſa oppreſſum angoribus & deſperatione rerum principem animum indicavere. Adhæc repetita inter provin-

cIↃ. IↃ. LXXVIII. vincias fœdera, quæ ſimulando ne quidem profeciſſet, hoſtem ex ſocio per omne tribunal etiam titulo regis proclamatum, neq; redituꝛum in gratiam ijs artibus quibus occupari aut ſtare imperium poſſe cæcâ cogitatione & juventæ lubrico præconceperat.

Denique provinciarum opes magis invaleſcere, ærarium vectigalibus & collato ære ſublevatum, arma & conſilia hoſtium externis ſocietatibus atq; auxilijs firma, & quidem eorum, qui ſuis regnis ſolam pacem ex Philippi bello ſperent, & qui everſo regis imperio accidi quoq; potentiam velint, incrementa non niſi cum pernicie ſui habituram. Poſtremo arcium & caſtellorum dubia præſidia, infida munimenta eſſe, quæ ſi exiſtant, vel tunc maxumè deſutura, niſi obſequio firmentur, quod principatui alienum arma & ferociam pro virtute induiſſet. Quæ ægritudini conciliandæ ex adverſis apud Auſtriacum ſuborta, Alexandri Farneſij ſucceſſoris gloriæ atq; fœlicitati ceſſere.

Abbatis D. Gertrudis gloriatio de ejus morte.

Reidanus tradit D. Gertrudis Abbatem cauſariâ Auſtriaci morte gloriatum non dubiam propinati veneni ſuſpicionem ſuis familiaribus injeciſſe, quaſi patriæ & Philippi interfuiſſet percuſſore aut pharmaco tolli, qui libertatem impugnando jus inſuper ac mandatum ſui regis privatæ ambitioni poſt habuiſſet. Itaq; Auſtriaci funus nec regi luctuoſum nec libertati habitum, innuentibus prudentioribus, eum vitæ ſervatum ſubſecutis provinciarum ſeceſsionibus peritè uſurum fuiſſe, ſuæq; potentiæ fundamenta ex diſcordiâ populi ſtructurum. Mihi animus res pro libertate aut dominatione geſtas juſto opere enarrare procul gratiâ & odio, quæ in partem admiſſa clariſsimorum ſæpe Scriptorum judicia & ſimul gloriam fœdavere. Externas cum provincijs ſocietates infirmatâ fide ruptas, & auxilia libertati ſcripta venalibus ſacramentis corrupta. Seceſsione partium bello proviſum & poſt fœderum ſocietatem infidâ pace aut eius ſimulatione tardatam. Domi populum civili concordia ex novo fœdere colligatum, & rationes gerendo bello ſocijs ſcriptas. Inde tributa nec ſine diſceptationibus reperta & ſalubre ferè conſilium, etiam ſub primâ libertate, ſolâ æmulatione turbatum. Mox provincialium diſſenſiones ex periculis & metu ſanatas, dirutisq; per provincias caſtellis ſtabilitam remp. defectione rectoris concuſſam. Diverſos præliorum rerumq; exitus, & partium fortunam trahendis rebus variantem. Poſt Philippo imperium mutatis ſacramentis abrogatum, libertatemq; fœderatis provincijs validiſsimâ armorum tempeſtate aſſertam.

Diſſidia religionis ergò.

Igitur ab exceſſu Auſtriaci ſuperiorum provinciarum pace diſcordijs virorum principum affectâ diſſidia quoq; religionibus quæſita quarum libertati illi maxume adverſabantur, qui ſuâ nec ſine ſuperſtitionibus imbuti unam retineri, & quidem à majoribus receptam è re Principis arbitrabantur. Alijs placebat priorum temporum caliginem fato detectam hominum oculis ſubmovendam cultuſque divinos manifeſtis erroribus depravatos, cum ipsâ indecentis regni immodeſtiâ tollendos. Reliquis quibus moderatius & pronum paci ingenium erat, mitiora ſuadebantur, haud malè indicantibus civili lege ſtare populi etiam diverſa ſentientis concordiam poſſe & communi libertatis cupidine ferendas religiones, legum auxilio coïturas. Cæterum turbulentis concionibus impulſa plebes, ultro partium fæcunda, diſſidijs rectorum trahebatur, armiſ-

que & ſeditionibus infeſta, reverentiam fœderum, cum regiæ dominationis ſuperbia exuerat. Quæ omnia Alexandro Farneſio regium per provincias imperium capeſſenti commodo & uſui evenere, & quod externorum Ducum æmulatione exercituum quoque ſtipendia morâ & per ignaviam conſumerentur. Unde Caſimiri, etſi Eliſabethæ ſacramento ac ſtipendijs evocaretur, gloria atque autoritas imminutæ etſi palam conquerentis Maximilianum Heninium cum imperio gerendis Ordinum rebus præfectum ſuæ aut Reginæ dignitati non ceſſiſſe. cIↃ.IↃ. LXXVIII *Caſimiri indignatio & ſtomachus.*

Itaq; Aurantij & Ordinum quoque ipſorum odio ardens reputanſq; Alençonium Gallicis auxilijs ſubjutum ſuæ famæ obfuturum, inertiâ ſe & militem tabeſcere paſſus eſt.

Econtra Alençonium infirmata conventio & prærepta gloriæ ſpes urebat, indignantem ex pacto pignori data Ordinum, non ſuis præſidijs attineri, ſeque regij ſanguinis ac potentiæ Principem, ſubjuvandæ Belgicæ validum aliorum Ducum nominibus inſeri. Neque Eliſabethæ Anglicæ animus idem cenſebatur offenſo Caſimiro & quod Alençonij à cujus ſocietate jam antè provincias averterat, jus ac dignationem muliebri vehementia ac ſimul fragilitate tueretur. Quamvis eſſent qui ſcirent aliquid amori in fœmina dandum eſſe, qui reginæ animum ultro ex ſexu imbecillum, occultis illecebris exercerent.

Cambdenus ſcribit Eliſabetham hoc tempore commendato ab Aſtleia, quæ reginæ à cubiculis, Roberto Lyceſtrio graviter commotam fuiſſe, quaſi infra dignitatem regiæ majeſtatis eſſet, hominem ſuis honoribus auctum ſocium tori atque regni aſciſcere regiumq; ſanguinem, & ex potentiſſimis Principem, quo Andinum deſignabat, novæ & ſuâ ex aulâ nobilitati poſtponere. Ita provincias dubia principum fœdera ac auxilia, civiles & procerum diſcordiæ extenuabant, quæ nullâ ratione aut lege coërcitæ ſua vi effrænes publicas in ſeceſſiones ex privatis diſſidijs eruperant: Unde omnia in conſeſſu Ordinum turbida atque anguſta ſpectabantur, non diſſimulantium quantæ molis eſſet externis potentum ſocietatibus ſatisfacere, & ſpectare ſocios mutuas vires & ſacramenta fœderum lacerantes. Adhæc validiſſimum exercitum & fraudatis ſtipendijs & Ducum per diſcordias tabidum, civitates atque oppida contrarijs præſidijs obnoxia, ſocios reges atque Principes ex jure ſocietatum læſos, denique regias vires nullâ diſciplinæ remiſſione ſolutas ſpirante adhuc & halante animam Auſtriaco ſub militare Farneſij imperium & fidem regis conceſſiſſe. *Provinciarum periculum ex diſſenſione fœderatorum.*

Itaque premente Ordines ſuprema æris inopia, quo ſolo civitatum præſidia, commeatus ac ſtipendia parari oportebat, Matthias Auſtrius poſtrid. Kal. Octob. Antverpiâ ad Sixtum Hellemum, Julium Botnia, Goſlicum Hiddama & Henricum Jarichium litteras in Friſiam dedit, conquirendis per provinciam tranſmittendiſque Antverpiam pecunijs, quarum ſummam ſuppleri præturarum ac urbium ſyngraphis in VII. Oct. menſis diem poſtulabat. Alias ſcilicet metui poſſe ut formidabilis hoſtium exercitus qui in ipſis provinciarum viſceribus hæreret, progreſſum facturus ſit, fœderato exſangui & in defectiones ac turbas ituro, niſi nutantis diſciplinæ robur commeatu & ſtipendijs firmetur. Mirari ſe tam ſupina procerum ingenia tam obtuſa, ut præſens diſcrimen *Math. Auſtrius ſtipendia militibus Friſios petit.*

cIɔ. Iɔ. LXXVIII

men non ſpectent, aut ſpectando diſsimulent culpabili ſocordiæ aut ſecuritatis vitio, quæ omnem metum imminentis ruinæ ſuſtuliſſet. Miſerari certè ſe humanæ caliginis quam non patriæ morientis cura non hoſtilium furorum exempla detergerent, convulſura haud dubiè clariſſimi fœderis ſocietatem cum iſto collato ære tot gentium armis ſtipendia parentur. Itaq; timendum poſt ut provinciæ, quos ſtipendiarios putent, hoſtes habeant, obviam egeſtatem & inſolentiam militaribus omnibus aucturos.

Diſſenſio in Friſiâ ſuper reſtituendo veteri dominatu.

Quare per Friſiam, etiam regio Senatu amoto & Tranſiſulaniâ Lalainij armis in fidem receptâ, ne partium quidem odia & reliquiæ ceſſabant, urgentibus nonnullis reſtituendum Philippi Senatum, aut retinendum laudatiſsimum Burgundiæ Principum morem eſſe qui ſenatorium ordinem ſtabiliendæ integritati peregrinis judicibus & rectoribus provinciæ miſcuiſſet: Quorum dominationem econtra illi reſpuebant, qui externæ opis aut conſilij egere provinciam non arbitrabantur, repreſſaque peregrini Senatus autoritate, quod benignitas temporum induliſſet, reip. & judiciorum regimen ſuorum ingenijs committendum. Neque enim bonæ mentis aut prudentiæ vacuos provinciales eſſe quos non pro ſocijs, ſed veluti ſervis herili imperio externæ poteſtatis ſuperbia habuiſſet. Itaque & æs alienum ſuperiores per provincias conflatum exſoluendium Friſijs decreviſſe, ac ſi patrimonium iſtius populi externis creditoribus diripiendum exponeretur, ipſaque provincia Valonum & Germanicis ſtipendijs obſtricta liberandis ſuis & ſimul externis nominibus ſufficeret. Ita Boſſuvianæ legioni cenſum vectigalem pignori aſsignatum, quod ne ijs quidem ultima rerum neceſsitas permiſiſſet, qui jure dominij poſsidebant. Neque enim Ultrajectinos quorum ſtipendijs Boſſuvius militaſſet, laturos fuiſſe, ut Philippi creditoribus ſuo ex cenſu intacto regio ſatisfieret, quem olim per Friſiam ſuo Gubernatori tutandis provincialibus majorum liberalitas conceſsiſſet. Tantum abeſſe ut Boſſuvius Ultrajectinorum in finibus res gerens obligare Friſios potuerit, aut aliquo jure Drentinos per agros in aliena & Lalainij præfectura legionem exigendis ſtipendijs ſpargere, quæ Lalainius exſolvendis cohortibus ex ærario provincialium obtinuiſſet.

Cæterum iſtos fructus peregrinæ dominationis atq; autoritatis fuiſſe, ſed quæ non aliunde quam vitio Friſicæ gentis increviſſet, cum exterorum viliſsimi quoque Senatoriam ad dignitatem protruſi magno cultu & aſſentationibus habiti animos atq; ſpiritus ex ſervitijs populi ſuſtulere. Quod etſi Saxonica conventione majores prohibuiſſent, ita cum imperio Principis introductum eſſe, qui judiciorum vim cum ipſa libertate occupaſſet. Nunc vero Gandavenſi Fœdere in integrum reſtitutos eniti debere, ne qui peregrini in remp. ac tribunalia adſciſcantur, quos Groningenſium, Trans-Iſulanorum, atque Drentinorum cura atque conſuetudo ab omnibus honoribus excluderet. Itaque factum eſſe, ut Drentini coram Lalainio in caſtris ad Daventriam & provinciæ legato Carolo Roorda effati ſint, ſe cum Groningenſibus ac Trans-Iſulanis in ferendis tributis ac indictionibus paria facturos, alienos à Friſiorum ſocietate, quod peregrinis dominationibus regerentur. Quæ,

quam-

quamquam ex vero dicta, pudore legatum ſuffudiſſent, ita emendanda cIↃ. IↃ. LXXVIII temporum & ſimul vitia gentis eſſe, ne peregrinos revocando in ignorata vicinis nationibus mala, ſupplicia ac ſervitutes recidat. Neq; enim gentium trans-Lavicam atque Iſalam flumina ſanguini neque per Drentiam, quicquam, præterquam in Friſijs detractum eſſe, quaſi ita decretum eſſet, ut Principis & exterorum ſævities ex libertate populi ſe efferaſſet graviuſq; ſervirent, quos omnium gentium, præterquam proprijs imperijs, clariſſimi majores exemiſſent. Tantâ cum acerbitate peregrinæ dominationis reducendæ conſilia ſubvertebantur.

Remotis exteris Senatores indigenæ creati.

Itaq; dicundi juris poteſtas indigenis facta, prioribuſq; Heſſelus Ayſma Præſes, Barthius Idzaerda, Douwo Burmania Icti omnes, ſuperadditi qui ſupremo per Friſiam judicio atq; tribunali præeſſent. Mox conſtitutis judicijs ad Ordines generales è primariâ nobilitate Doco Martna & Renicus Camingha Antverpiam miſsi. Eorum mandata erant:

Legati è Friſiâ ad Ordines Generales.

Ut de caſtellis regijs provincialium fideï committendis de reſtituenda libertate, de confirmando judiciali Senatu agerent eoque beneficio impetrato octodecim aureorum milliâ & quingentorum ſubſidia bello & ſocijs provincijs offerrent. Hoc quoq; eorum mandatis additum erat, ut promovendæ actioni è conſeſſu Ordinum delegatum poſcerent, qui de ſingulis referret & ut apocham numerato æri acciperent. Friſijs quoq; ſicut ſocijs provincijs jus eſſet in Concilio Status & collegio rationum aliquem ex ſuis delegare, quo æqualitate juris gauderent, qui ſocietate fœderis colligabantur.

Denique poſtularent legati, ut quicquid æris Lalainius tam tuendis provinciæ finibus, quam promovendis Camporum & Daventriæ obſidionibus ex ærario ſumpſiſſet, id apud Ordines generales Friſijs in ſolutum cederet, idemque Lalainius nullo Ordinum generalium aut ſtatuum Friſiæ decreto munitus adminiſtratione & uſu publicarum pecuniarum prohiberetur. Quibus mandatis litteræ quoque ad Ordines generales & Matthiam additæ, per quas de ſuâ in ſocios fide atque liberalitate teſtabantur. Ita ſcilicet omnem pecuniam, quæ conquiri potuerit, delegatis ſuis perferendam credidiſſe, quo proſperitas fœderis, ex quo reſtitui in integrum populus Friſicus deberet, ſubſidiario ære etiam in tantâ rerum omnium anguſtiâ præjuvaretur.

Quæ vitio injuriæ liberalitatis & ex ſtudio recuperandæ libertatis nata, hoc impetrare jure ſocietatis debuiſſet, ut ſuum reciperet. Quippe trecenta millia Valonum legioni, cui Robleſius præfuiſſet, proxumis penſionibus decreta & nonaginta millia Germanicis cohortibus aſſignata publicæ egeſtatis cauſas, quam ipſum mare terrarum inundationibus auxiſſet. Ad hæc tribuno legionis Chriſtophoro Schenckio quinque millibus ſubventum, multa occupandis Camporum & Daventriæ civitatibus collata, ſacrum æs & ex patrimonio Cuneri Epiſcopi ac cœnobiorum corraſum à Lalainio qui cum Hauræo ærario regis propoſitus eſt. Thuanus interceptam annonam & commeatum Caſimiro à civitatibus Friſiæ ſubminiſtratum, intacto regis ærario, quod in provinciæ uſus ex carolinâ converſione converti deberet. Igitur metui poſſe, ne ex ſuâ in ſocios propenſione damnum ſentiat, publicuſque creditor conceſſa actione provincialium res impigneret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ. LXXVIII

Diſſenſio in Friſiâ,

Quibus malis & hoc accedebat, quod agrarij oppidaniq; vetere tum diſcordia exercerentur, publiciſque provinciarum ſociarum indictionibus Friſia gravaretur. Quæ quanquam in ſpeciem receptæ permulcendis illorum ingenijs qui acrius ſervitium noſtrâ ex libertate aucupabantur, ita diſſenſionibus quoq; provincialium remedium adhibitum, quæ à Caroli Philippiq; ævo fotæ paucos antè annos vix cum ipsâ libertatis infantiâ eruperant.

Quia ſoli agrarij ſuffragia uſurpabant indignantibus oppidanis.

Quippe ſoli adhuc agrarij conſeſſus, & ſuffragia uſurpabant, indignantibus è contra oppidanis, jus utrique populo commune ex cupidine dominationis ſubverti & ſeparari ex privatâ æmulatione quos publica ſocietas tot ſæculorum ætatibus junxiſſet. Itaque conventum ut quartam reip. ac conſeſſus partem oppidani in proxumum comitium conſtituerent deque tributis & oneribus provinciam ſpectantibus pari ſuffragiorum jure cum agrarijs deliberarent. Hoc etiam additum ut quicquid ex commeatu Caſimiri copijs conceſſo oppidanis competeret, id ex collationum publicarum ære præſtaretur, deductis octo aureorum millibus quæ theſaurarius regius neceſsitati publicæ elocaſſet. Hæc à Gerardo Iacobi, S. Galama, Goſlico Hiddama, Barthio Idzaerda pro agrarijs, ab Adio Lamberti, Douwone Sixma, Gellio Sibæo, Abbæo Douwonio, Simone Pottero & Cornelio Jacobæo pro oppidanis ſignata. Reperio in litteris Barthij Idzaerdæ ad Carolum Roordam qui in comitatu Lalainij tum erat, datis, corrogandi ſubſidiarij, de quo dixi, æris neceſſitatem iſti bono occaſionem tum dediſſe agrarioſq; à Balduino Loæo theſaurario regio ſuper præſtandâ cautione compellatos, non niſi admiſſis in remp. oppidanis, beneficium ærarij & crediti æris obtinuiſſe. Adeo quæ ex collatione tributi diſcordiam auctura videbantur, propter ſpem diſſidentium concordiæ ceſſere.

Cauſa ſopitæ diſſenſionis inter agrarios & oppidanos,

Cæterum mihi actorum fidem introſpicienti, dubium non eſt iſti actioni Mandatum Matthiæ Gubernatoris interveniſſe, Ordineſq; tam agrarios quam oppidanos ex conventione anni 1524 pro recuperandis dominijs ut vocabant regij, Matthiam Gubernatorem ultimâ rerum neceſſitate ſollicitaſſe. Hoc etiam poſtulatum invenio ut creditoribus regijs uſuræ in annum ceſſarent, Ordinibuſque ex violatæ conventionis actione in dominium cenſumq; Principis & ſimul Eccleſiaſticorum prædiorum jus aſſignaretur. Deïn ut Germanorum cohortes turbidæ & per munitiones diſpoſitæ à Senatu regio olim conſcriptæ & publicis provinciarum ſacramentis auctoratæ ab Ordinibus provinciarum Belgicæ exſolverentur Gerardoque Gramaio exautorandi poteſtas ſicut in miſſione cæterarum eſſet conveniendiq; de ſtipendijs, quæ ex ærario provinciarum Belgicæ non ſuo peti æquiſsimum eſſet. Poſtremum erat, ut Matthias Gubernator tam ad Ordines Friſiæ, quam magiſtratus oppidorum de poſsidendis caſtellis ſcriberet, volentibus Ordinibus caſtella ſtabiliendo Principis dominatui erecta, Ordinum majeſtati repreſsâ principatus inſolentiâ cederent.

Ordines jubent novas copias conſcribi.

Tum lubricis ſuperiorum provinciarum rebus, & haud procul Rheno ac Agrippinenſium finibus regio milite conducto de novis quoque copijs conſcribendis Ordines & Matthias Archidux cogitavere, poteſtate Gunthero Suartzenburgio factâ, qua tria equitum Germanorum millia

ſuo

mutui ære, provinciarum ſacramento autoraret. Cæterum apud legiones vagas ac oberrantes, tribunos equitum inſolentes & exemplis offenſos, multa difficilia proponebantur, cum & eſſent, qui cautionem ſtipendijs poſtularent & ut Matthiæ, Ordinum ac provinciarum fides ſolemnibus tabulis, etiam ſub jure pignorum, interponeretur. cIↄ. Iↄ. LXXVIII.

Quod quanquam Ordines & Matthiam ureret, qui ſuſpicioſis legionibus implicari provincias indignabantur, ita tamen omne publicum privatumque pignori datum cautumque ut ſacramentis ſtipendia quovis tempore, etiam ſub repreſſaliorum, ut loquuntur, pactione, provincijs præſtarentur.

Quarum nomine, ut clarorum virorum memoriæ hoc detur, in conſeſſu Ordinum generalium I. Baro Merodius, Ph. Hornius, Richardus Merodius, Rolandus Rickius, Ioannes Ægydius, W. Hagius, H. Blomaius, Fredericus Boimerus, Iacobus Imannus, Carolus Rhinius, Provinius, I. Goulartius, L. Sommanius, T. Offegnius, A. Muſſartius, I. Vlietius Bieſſartius, I. Warckius, Carolus Bom-kerckius, Dionyſius de Capella, B. Liebartius, Florentius Hermelius, Heſſelus Ayſma, Hajo Manningha, & Joannes Rengerius tum fuere.

Qui ut affectis provinciarum ærarijs mederentur promovendas ad indictiones Magiſtratuum primos hortabantur, quo tributa imperij & rerum firmamenta in uſum ac conſuetudinem perducta tractu temporum invaleſcerent. Sed nutriendis ſimultatibus acris multitudo & licentiâ ſolutior omne moleſtum atque difficile aſpernabatur, interque dubia actorum interpretamenta libertati indulgens, fraudum ingenio imperia Ordinum & vim indictionum eludebat. Quare colligendis pecunijs deſtinati metu popularium turbarum, ne rigorem quidam ſcriptarum legum retinebant, quæ per oppida & præturas ex indiſcretâ juriſdictione & verborum ambiguitate litibus ac diſceptationibus involvebantur. Itaque factum eſt, ut alibi uſæ receptæ, alibi exoleſcerent, paucorumque ex contumaciâ aut ſocordiâ vis edictorum dedignatione parendi ſubverteretur. *Indictiones ac tributa urgentur.*

Reperio in actis iſtorum temporum, Bolſuardios etſi introducendis in civitatem indictionum legibus induſtrios, de ſuorum criminationibus & immodeſtia onerum apud præſides rationum provinciæ queſtos, præter civium damna terra ac mari inlata, immunitatem, aut contumaciam vicinorum municipiorum ſuæ impotentiæ obtendiſſe. Adeo difficile eſt legem ex neceſſitate latam conditioni temporum aptare pauciſque in exemplum immunitatis opiniore aut ingenij vitio peccantibus, omnium modeſtiam imperare. Hoc vero maxumè eoſdem Bolſuerdios premebat, quod præter res quas uſus conſumeret, corpora quoque & perſonas civium publico cenſui egeſtas aut avaritiâ Ordinum ſubjeciſſet, quas in libertate natas ſervilibus oneribus conditio naſcendi eximeret. Quibus criminationibus per eos fomenta ſubminiſtrabantur, qui ex diſcordijs civium, ex Ordinum ſeceſſionibus nova commoda, antiquas dignitates ſperabant, populumque in ipſo libertatis ortu ſervitij pertæſum regias ad partes exuto fœderis obſequio rediturum. *Inde Bolſuerdiorum querelæ.*

Quamobrem Lalainius non ignarus quantis artibus partium odia per provinciam tegerentur, datis VI. Non. Oct. ad præſidem Senatumq; litteris, *Lalainius comitia Friſiæ indicit ob indictiones.*

cIↄ. Iↄ. LXXVIII teris, convocari ad VIII. Eid. Octobr. Ordines, præſcriptumque ad diem regio adhuc Philippi nomine uſurpato, adeſſe frequentes juſsit quo de poſtulatis Ordinum generalium ſuis ex Legatis cognoſcerent. Itaque dicto die præter Friſiæ Ordines Cortenillius & Gruterus cum mandatis adfuere. Iſta habebant; Ut communibus Belgicæ indictionibus locum in provincia facerent, ſingulasq; in cereviſiæ, que 12. ſtufferos excederet tonnas binos penderent. Ut mille & quingenti carolæi ſignati æris, commeatus & pulveris tormentarij ſex laſtæ præſtarentur.

Heymannus addit de fœdere quoq; cum Geldris, Hollandis & eorum Socijs ineundo propoſitum in eodem comitio fuiſſe, innuente Grutero (nam is verba faciebat) ſociali fide per Flandriam & Arteſiam lubricâ inferiores provincias propriore concordiâ connectendas. Quæ quamvis in incertum adhuc dicerentur, ſpe conciliandarum provinciarum necdum excuſſa, ita tamdiu protracta, donec anno ſequenti, ut memorabo, fœdus apud Ultrajectinos ictum, non ſine animorum motu invaleſceret.

Decreto Ordinum Generalium permittuntur Friſijs ſuâ caſtella.

Igitur legatorum ſtudijs, qui Antverpiam advenerant, effectum eſt, ut Senatus ordinum Belgicæ cogeretur, Matthiaſq; Gubernator auguſti conſeſſus princeps & Aurantij Conſilio ſubjutus, perrogatis ſententijs permittenda civibus caſtella decerneret. Quare litteræ ad Leovardiæ, Harlingæ & Stauriæ oppidorum Magiſtratus hunc in modum datæ.

P*ETIERE Ordinum Friſiæ Legati, ut caſtella poteſtatis veſtræ faceremus. Quod cum veſtro bono & amovendis ſiniſtris ſuſpicionibus ſpectet, ita de Conſilio* A U R A N T I J *Principis & ſuffragationibus* O R D I N U M *generalium conſtituimus atque ſanximus, ut in manus veſtras caſtella traderentur. Vos quoque arcium cuſtodiæ veſtro ex corpore deligeret is dum de diruendis abolendiſque decretum perſcribatur. Itaque rogamus & pro autoritate noſtrâ decernimus, ut caſtellis regundis aſſervandiſque viros fidos & patriæ amantes præficiatis & qui parati erunt nobiſcum & cum Ordinibus generalibus pro majorum libertate & causâ publicâ fortunas, corpora atque animas impendere. Quod ſi feceritis & certi eſſe ac ſecuri amoto ſuſpicionum metu poteritis, dum admunitis veſtris oppidis deſtrui caſtelli & ſolo æquari publica autoritas & occaſio præceperint. Atque id veſtro bono ſancitum credite.*

Litteræ 8. Eid. Oct. ſignatæ à M A T T H I A Gubernatore & in Friſiam ocyus miſſæ. Similes quoque ad Præfectos arcium datæ, quibus eaſdem tradere civibus eodem decreto jubebantur.

Igitur Renico Cammingha legato Antverpiam progreſſo, qui ex fiduciarijs ſuis ſubſidia & affectum gentis anguſtis provinciarum rebus offerebat, omniâ in lenius mutata decretumque imprimis. Ut Caſtella Leovardiæ, Harlingæ atque Stauriæ oppidorum peregrinis commiſſa provincialibus traderentur arciumque Satrapæ à Magiſtratibus è corpore civium creati illarum cuſtodiæ vacarent, dum ipſa oppida munitionibus circumducta ſecuritatem populo feciſſent.

Litteræ vero Archiducis ad Magiſtratus oppidorum ejuſmodi erant.

ORDI-

ORDINES Friſiæ petiere ut veſtræ poteſtatis caſtella faceremus. Nos vero, quo illorum poſtulato & veſtris commodis amovendam ad inofficioſi de nobis ſuſpicionem ſatisfieret, de conſilio AURANTIJ *Principis ac Ordinum Generalium id lubentes indulſimus ſanximusq́, ut veſtri juris ac arbitrij eſſent. Quapropter rogamus & pariter mandamus gubernatorio nomine, ut iſtiuſmodi Satrapas arcibus ac caſtellis præficiatis, quorum fides apud vos probata erit & qui nobiſcum ac Ordinibus generalibus parati erunt bona, corpora atq; vitam libertati & ſaluti publicæ impendere. Atque hæc valebunt quo ſecuri malorum eſſe poſſitis, dum permunitis oppidis veſtris caſtella diruantur.* cIↃ. IↃ. LXXVIII.

Litteræ quoque ſeorſim ad Satrapas & præſidiarios Harlinganæ arcis datæ, quibus caſtello cedere de voluntate ſuâ & Ordinum jubebantur. Eæ Antverpiæ VIII. Eid. Octobr. ſignatæ.

F. Nicolaus ſcribit Matthiæ Gubernatoris litteris Stauriam perlatis Magiſtratum urbanum Gulielmum Petræum concivem ſuum Satrapam arci præfeciſſe, publicâ omnium lætitiâ cuſtodiam caſtelli & ſimul urbis diu vim & inſolentiam externi præſidij paſſæ rectori civico committi. Cætera quoque per oppida plebes gaudio immodeſta ex novæ libertatis indulto licentiam acuebat. Itaq; Leovardiæ factum eſt, ut VII. Eid. Octob. Iulij Dekamæ Senatoris regij, qui à fugâ Senatus Daventriam conceſſerat, hortum ſuburbanum, amænitate & cultu celebrem, cæderet locumque tanquam in ſpeciem inſidijs peropportunum, odio magis domini quam ex metu periculi vaſtaret. Scriptores tradunt magnitudine ſuâ ſeptem agri jugera complexum frugiferarumque arborum comptâ ſerie conſitum antiqui decoris pulchritudinem repentinâ fœditate mutaſſe. Mox furore populi necdum ſedato, per urbem ipſam partium fœcundam templa ruinis atq; ſpolijs fœdata, ſtatuæq; & imagines ſacrarum ædium ornamenta tanquam obnoxia ſuperſtitionibus viſentium oculis ſubmota. Heymannus addit, ex Hocano diſtrictu, qui urbi in ortum ſolis æſtivum eſt, tempeſtatem emanaſſe populumq; illius oræ præ cæteris aut turbidum aut zelo religionis correptum templorum cultum & quietem urbis conturbaſſe. Itaque Nyhovæ & Prædicatorum fana enormius direpta librique rituales per vicos ſparſi ac diſcerpti pro animorum captu miſerationi aut ludibrio fuere. Adeo verum eſt Religionis odium, cum deſinere ex lege & mandato ſupremæ poteſtatis debuiſſet, à proclamatâ pace civilem magis immodeſtiam efferaſſe.

Dekamæ hortus Leoverdiæ ſuburbanus per inſolentiam diruitur.

Etiam ſpoliantur inibi fana.

Interim Lalainius, quo novi fœderis negotium promoveret, litteras ad Ordines dedit, quibus petebat; Ut ad Eid. Octobr. legatos Ultrajectum mittant, quo inter ambigua temporum illa in civitate habendo conventui deſtinatâ, de præconcepto ocyus fœdere conſultarent. Sed anguſtia temporis & per omnia domi præſertim inter agrarios turbida ſalubre Lalainij conſilium præpediebatur. Igitur Georgio Grutero Icto legato ſuo in Friſiam ocyus remiſſo, ut ad XIV. Kal. Nov. adeſſent, præcepit, excuſantibus modeſtè agrarijs in tam arduo negotio cautius deliberandum eſſe, neque præcipitandas conſultationes, quas ſicut omnia rerum opportunum temporum ſanaret. Unde protracti apud Ultrajectinos conventus fama mox in Friſiam perlata tanto gratius accepta, quanto magis publicæ utilitates privatis ex æmu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ. LXXVIII

lationibus tardabantur. Itaq; Oppidani, acribus in novum fœdus ſtudijs, ſuo ex corpore legatos, creavere deſignatis Julio Bottniâ Oldermanno Franequerenſium & Douwone Sixma Conſule, qui legatione fungerentur.

Oppidani novi fœderis ſtudio legatos deſtinant Vltrajectum,

Illis in mandatis datum erat. Ut Ultrajectum ituri Hollandis, Zelandis, Ultrajectinis, Geldris, Zutphanienſibus, Trans-Iſulanis & provincijs Præfecturæ Lalainij ſubjectis ſeſe jungerent fœduſque facerent, cæterum ſub hac conditione, ſi ſuperiorum provinciarum ſeceſſio propiorem concordiam & ſocietatem harum gentium poſtularet. Hoc etiam additum, ut de formulâ fœderis ad Matthiam Belgicæ Gubernatorem, Principem Aurantium & Generales Ordines referretur firmatumque illorum aſſenſu & ratihabitione vim atque efficaciam juſti fœderis ſortiretur. Hæc Leovardiæ IX. Kal. Non. ſigillo Leovardienſium & manu Jarichi Wopconij pro ijſdem, pro Eloſtanis à Ieltzone Galama pro Doccomienſibus à Cornelio Jacobi, pro Snecanis & Slotenſibus à Gyſberto Oenæo, pro Worcumianis ac Hindelopijs à Douwone Petræo, pro Harlingenſibus Nicolao Folkerſio ſignata. Quæ cautè & prudenter reperta, ut ſanandis provinciarum ſeceſſionibus erant, ita ſanctionem Belgici fœderis non abolebant, modeſte cenſentibus oppidanis vetera fœderum ex novis non tollenda & quæ non violari præterquam ſociali defectione Friſiæ gentis intereſſet.

Invenio in actis iſtorum temporum, morte cujuſdam Stintiemæ Prætoris & aggerum à Feenhusâ ad Clivum promontorium præfecti, quendam Sibrandum Benckenium pro ſucceſſione obtinendâ apud Lalainium vehementer neq; damnatis artibus laborare, interventuque Caroli Roorda provinciæ ad Lalainium legati arcitum dedecus repulſæ & ex vitiatâ patriâ lege ignobilem contemptum reportare. Id namq; voluerat Benckenius, ut nullâ præviâ trium nominatione & jure populi faciendis nuncupationibus antiquato, Lalainius præfecti poteſtate de prætoriâ dignitate aut Saltem ejus proviſione diſponeret, ſoluſque aulicorum gratiâ & fiduciâ ſui imperij nixus, ſolenni ritu & autoritate Collegij ſpretâ, beneficia petenti aſſignaret. Regerente Roorda Legato retinendos curioſè provinciæ mores eſſe, neque clam & contra jus publicum elargiendas dignitates quas conferre Præfectus non jure, violatâ jurisjurandi religione, nec quiſquam accipere niſi perduellis & exlex poſſet. Obtinuiſſe ſcilicet conſuetudine ac ſtatutis majorum ut vacantes Præturæ à loco proxumis adminiſtrarentur, dum defuncto ſucceſſorem electio populi & collegij autoritas ſuffeciſſet. Itaque factum eſt, ut Lalainius ſe nihil contra datam fidem aut juris publici ſanctionem acturum coram Legato teſtaretur ſeque provincialium legibus reverenter habitis privatæ potentiæ aut aucupandæ dominationis ſtudia commodis populi poſtpoſiturum. Quæ à Legato ad VIII. Viros perſcripta animum viri patriæ amantis naſcenti reip. commendavere.

Tantum abeſt, inquiebat, *(nam id litteræ habent) ut pignerare officium homini improbo & legirupæ voluerim, qui mavelint reliquum vitæ in exilio agere, quam ferre privilegia populi neglecta aut imminuta trangreſſoribus legum cedere, quos patriâ ſuâ & honoribus indignos majeſtatis crimen & fœdiſſimi ambitus feciſſet. Cui rei Deum advoco, qui conſcientiæ meæ & navatæ pro rep. operæ teſtimonium dabit. Itaque & veſtrum erit, jus publicum &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

& privilegia cum gloriâ majorum parta conſtanter tueri, ne hoc libertatis noſtræ ortu antè eorum uſu privemur, quam in poſſeſſione adempti juris benignitas temporum locaverit. Quod certè fiet P. C. *ſi aditum ad remp. iſtiuſmodi legum ruptoribus faciamus, quas connivendo ad turpia & per incuriam ante perdemus quam recuperatæ ſint. Et cogitate quanta id cum infamiâ, ſi eveniat, vicini & poſteri veſtri agnituri aut dolituri ſint, ſi videant vos providentiæ munere malè uſos obviam libertatem fœdis moribus & ſervili indulgentiâ attaminaſſe. Quæ à me ſcripta ſcitote ab illo viro, ab illo animo profecta, qui poſt Dei cultum primis in bonis libertatem habeat, quam ſanguine & vitâ ſancire patriæ amantium eſt.* CIↃ. IↃ. LXXVIII.

His de morte Auſtriaci ad VI. Nov. Oct. ſubjunctum, & illuſtrium virorum funera longâ ſerie connexa, Reuxium, Fonckenbergium, Mondragonium, Scharenbergium, Detrionem, Aſſonvilium & Bertium humanis exemiſſe. Robleſium quoque olim Friſiæ Gubernatorem ex litteris Baronis Hohenſaxij Arnhemo datis mortalitatem impleviſſe Binſiumque Alençonio deditum Gallorum auxilia ſecundis initijs honeſtaſſe. *Illuſtrium virorum funera.* Tum jura ac beneficia, quæ anno LXIII ex ſanctionibus Pontificum rex Philippus indulſerat, novis Epiſcopis & Archiepiſcopis decreto Matthiæ Gubernatoris & de voluntate Ordinum abrogata, quo primæ civilium turbarum cauſæ & inter principem populumq; ſerendis diſcordijs & mox armis repertæ ex jure fœderum paci atq; concordiæ ſervirent. *Beneficia Epiſcopis & Archiepiſcopis abrogata.*

Formulâ Edicti MATTHIAE Gubernatoris hæc erat:

CUM Hiſpanorum conſilijs atq; factionibus per has inferiores provincias novi Epiſcopatus atque Archiepiſcopatus erecti, illiſq; dignitates canonicatus, præbendæ, divinæ penſiones & alia beneficia, officia bonaq; tam ſæcularia quam Eccleſiaſtica aſſignata ſint, per vim magis quam conſenſum Ordinum & populi cujus intereßet, contra privilegia provinciarum & jus ſcriptum nihil ſtatui. Cumq; pacificatio Gandavenſis ejus ratihabitio, jura, privilegia, conſuetudines atq; ſtatuta tam provinciarum quam civitatum reſtitui ſanxerit, Ordineſq; generales illas bonorum & dignitatum acquiſitiones & ordinationes infirmari jam ante diverſis actorum indicijs fecerint, ita hoc ipſo decernunt, ut omnes dignitates, beneficia, decimæ, penſiones, per Epiſcopos aut Archiepiſcopos acquiſitæ aut uſurpatæ de facto ceſſent habeanturq; in poſterum nullæ & inefficaces, ſalvo tamen jure ſupplicandi, quod unicuiq; læſo liberum erit. Hæc Antwerp. Prid. Kal. Nov. MATTHIAE manu ſignata.

Itaq; evenit ut quod ante annuum Friſiæ Ordines per Sceltonem Tiardam, Nitzenium & Tatmannum legatos poſtulaverant, provinciâ tum obtineret, patrimoniumq; ſed contra jus ac fas quæſitum cœnobiorum rectoribus & ut poſt memorabo reip. gerendis rebus aſſignaretur. Mox Rennebergius XVI. Nov. die comitium Leovardiæ ordinavit, ſub eâ cautione ut nulli ad conſulendum admitterentur præterquam qui in patriæ & optumatum partibus erant & qui eas vivâ voce in comitio profeſſi externæ dominationis odia amore libertatis induiſſent. Itaque in Auſtriacum & Hiſpanos deteſtationes innovatæ, quibus neque illi eximebantur, qui conditionibus temporum ſerviendo odia ac amicitias partium ſuſpectis ſimulationibus velabant. *Comitia Leovardiæ indicuntur quibus ſimulatores diſſimulatores prohibentur.* Igitur de Ultrajectino fœdere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXVIII

dere, de recipiendis indictionibus ac agendo cenſu repetitum, urgentibus Rennebergij legatis ut poſtulatis decretum perſcriberetur, temporumq; dilationibus prolata maturatæ conſultationes definerent. Cæterum omnia partium plena lentis deliberationibus trahebantur. Quippe Gandavenſium motus jam antè ex diſſidio religionis orti (poſt direptas ditium cœnobiorum opes & Pontificios ritus turbidæ civitati damnatos) plurimos ſponte mobiles etiam per Friſiam oſtendebant, Erantque qui ex ruptâ per Flandros & Hannonios religionis pace, occaſionem impellebant defectionibus, bello materiam captarent.

Hoſtes Patriæ lætantur ob Gandavenſium motus.

Quare legiones ex ceſſantibus ſtipendijs ultro ægras Ordinumq; generalium imperijs coutumaces, Montinio Lalainioq; ducibus ſollicitatas & involutas ſeditionibus lætabantur, ipſoſq; Gandavenſes Caſimiri auxilijs ſubjutos Ordinum Exercitum diſtractis copijs extenuaſſe. Caſimiro quoque æmulationem & mox invidiem conflatam, quod à Matthiâ Gubernatore ac Ordinibus Belgicæ è Germaniâ ſpecie auxiliorum evocatus, ſuo magis ingenio quam ex mandatis Ordinum diſcordias & arma partium ſubminiſtratis copijs foviſſet. Deniq; Aurantium ſopiendis diſſenſionibus & ſiſtendæ vi Gandavum profectum ex immodeſtis civitatis moribus à turbido ſtatu parum ad concordiam profeciſſe, omniaque in urbe ſanciendo provinciarum fœderi jam ante deſtinata arma & bellum comminari. Infeſta ſcilicet Gandavenſium in Hannonios cæteroſque vicinos ex religione odia eſſe, neque Ordinum imperijs aut partibus ſatis æqua, qui haud dubiè vaſtandis Flandriæ terris ſeditioſas Montinij legiones incitaviſſent. Neque diſplicebat quod Alençonius nulla Ordinum legatione, aut æquitate conditionum emolliretur, fideiq; per Ordines læſæ vulnus alius exercitus miſſione Montinianas partes præjuviſſet.

Pontificij Leoverdiæ redeunt ad publica ſuæ religionis exercitia.

Itaque Pontificij erectis animis Leovardiæ ad exercitia ſuorum rituum rediere, ſacriſque ad Nyehovam pro more celebratis prædicatore quoque reſtaurandos ad cultus impulere. Quare vergente Novembri per illos campanum æs pulſatum, reſq; divina pontificio ritu peracta ne triumphalibus quidem ob expugnatam Daventriam ovationibus interrupta eſt. Heymannus ſcribit Iulium Dekamam Senatorem cum Germanorum præſidio, quod captâ urbe exceſſerat, in Germaniam abijſſe magnæq; rerum mutationis per Friſiam & vicina ægritudine tactum, externa locorum patriæ deſiderio & ſuorum conſuetudini prætuliſſe.

Numeroſus Exercitus Ordinum.

Tradunt Scriptores viginti equitum, peditum quadraginta milliâ in exercitu Ordinum tum numerata ſtipendiorum inopiâ & per diſcordias ducum attabuiſſe. Everardus Reidanus decem & quatuor millibus equitum, triginta quinque millibus peditum cenſum notat, eundemque reprimendis Turcarum armis validum ſolo procerum velut diverſa pro concipientium diſſenſu & ex impulſo Ordinum ærario ſpem virtutis & gloriæ fœdâ ignominiâ mutaſſe. Idem addit novies centena milliâ nummûm in menſtruum æs aſſignata, provinciarum vaſtatione aut egeſtate ſemeſtri ſpatio mediam menſtrui æris partem non æquaſſe. Itaq; factum eſt, ut florentiſſimus provinciarum Exercitus caſtra moveret, externiſque legionibus ad continendam fidem diſcretis provincialium copiæ in hyberna ac præſidia conducerentur. Cæterum Exercitu per præ-

præſidia aut opportuna locorum diſtributo, alia malorum ſubnaſcebantur. cIↄ. Iↄ.
Quippe Caſimiri ſuſpectis actionibus, quas Angliæ legatus Daviſonus tanquam Reginæ mandatis & datæ fidei adverſas, Ordinum & provinciarum rebus damnoſas exagitaverat, etiam hoc accedebat, quod Andinus de deſerendis provincijs clam agitaret ipsâq; Gandavenſium civitate adhuc impacatâ Montinij & hoſtium partes acceſſione virium regiæq; Philippi gratiæ invaleſcerent. LXXVIII. *Variæ difficultates in Belgicâ abortæ.*

Igitur Caſimiro in Angliam profecto pro retinendo in provincijs Andino laboratum, velut plurimum intereſſet, regij ſanguinis principem à provinciarum ſocietate non alienari, qui funeſtiſsimos Galliarum motus optumo remedio & laudabili exitu pacaſſet. Neq; enim nuda auxilia ſpectanda eſſe cæterum curandum ut tanto interceſſore ſeditioſi & defectores in fidem Ordinum redeant, pacemq; provinciæ ſicut fratris regnum, illius moderatione & interventu accipiant. Cæterum Andinus etſi conciliandis partibus omne ſtudium polliceretur, præcipuam ſui diſceſſus cauſam per Legatum hoc modo expoſuit. *De Andino in annum 1579. vergente Ian. Pro retinendo Andino laboratur.*

ABIRE à vobis ORDINES, *quorum ſocius atq; amicus veneram, animus non fuit. Cæterum quoniam à fratre Rege jam pridem revocor, exigentibus regni turbis, fratris Regis imperio & ſimul deſiderio matris obſequi cogor. Quibus & hoc accedit, quod intelligam eſſe qui meæ præſentiæ non egere provincias cenſeant, tanquam paci obſtem quæ cum* PHILIPPO *Hiſpano in gratiam redire vos faciat. Igitur actione pacis irritâ habebor & iſti impedimentum & bello conſilium attuliſſe. A quo quam alienus ſim principem animum teſtem habeo, neque aliud voto cupio, quam ut in tali pace ſtatu res veſtræ collocentur & meis non egeant. Quas ipſas amore veſtri ac miſeratione veſtris quoque poſthabui paratus pignori à vobis data, ant armis meis parta ultro redhibere. Neque ijs tantum in ſummâ neceſſitate vos juvi, qui nullo dominationis aut potentiæ ſtudio medium me inſuper diſcordijs inter vos & defectores ingeſſi, præter morem ambitioſorum principum, quibus provinciarum res anguſtæ ac diſcordes commodo ac uſui ceſſiſſent.*

Addebat Legatus ut interim principis ſui beneficia ſerio expenderent & quò animo provincijs excederet, qui ſuâ autoritate eas maxumè præjuviſſet. Id vel ipſis diſsimulantibus cæteros Principes & vicinos agnituros Ordinumq; gratitudinem cum beneficijs Andini collaturos. Poſtremum petijt ut Ordines ratione ſuarum rerum habitâ illius amicitiam ac ſocietatem religioſe colerent, in cujus poteſtate eſſet damna pro beneficijs reponere.

Reidanus tradit, Eliſabetham Angliæ Reginam datis litteris vehementi quoq; indignatione apud Ordines expoſtulaſſe, quod Andini beneficia non agnoſcendo, nec reſpectum tanti principis, nec ſuorum pactorum habuiſſent. Itaq; avertendis à Belgicâ tam Andini quam aliorum principum animis & pro exemplo fore. De ſe teſtari illâ ex actione (etſi aliud ſiniſteriore famâ ferret) voluptatem non hauſiſſe neq; ejus animi & morum eſſe, ut ex injuriâ Regis Galliarum filio ac fratri inlatâ gaudium ſenſura ſit. *Eliſabetha indignatur ob injuriam Andino illatum.*

Quod velum etſi Eliſahethâ ſuæ indignationi præferret, tamen erant qui crederent illam ab Andini connubio non alienam multum perſo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↃ. IↃ. LXXVIII

næ & regio ſanguini ex affectu amoris dediſſe. Iſti fini Simierum hominem Gallum & Andini familiâ diu uſum urgendo reginæ matrimonio in Angliâ reliquiſſe, quo ſcenicos & aulæ mores, ſupra quam multorum conditio ferret, edoctus facili ad omnia ingenio muliebre quoque pectus amatorijs artibus expugnaret. Igitur Ordines allevandis Reginæ & Andini offenſionibus honeſtiſſimâ legatione inſtitutâ Eloſtum Flandriæ oppidum cum præſidio obtulere, de cæteris facile conventuri ubi more recepto quiſque ad provincias de arcanis rerum retuliſſet.

De Andino ponenda in annum 1579.

Iſta erant, ut ſi Andinus, ſicuti ante conciliandis Gandavenſibus & Valonibus operam navaret, ſi copias Gallicas ab ijſdem Valonibus revocaret, religionem utramq; ex pacis publicatæ formulâ, quantum occaſio & quies publica permitteret, per provincias ſtabiliret aut ſtabilitam confirmaret, paxque cum rege Hiſpaniarum intra Kal. Mart. proxumas fieret, Andinus pro autore pacis, tranquillitatis & ſalutis publicæ haberetur. Ordines quoque Provinciarum teſtandæ gratitudinis & quo Andini beneficia ſolenni & anniverſariâ agnitione recognoſcerent, ſtatuam ex ære celeberrimis in locis Antverpiæ & Bruxellis æternæ Andini & maſculorum hæredum memoriæ erigerent. Legatos quoq; pro ſtatu Ordinum ex Eccleſiaſticis, nobilitate & civitatum Magiſtratibus die conſtituto ad Andinum mitterent, coronamque ex oleæ ramulis contextam cæteris cum donarijs offerrent quæ centena millia æris prætio æquarent. Pacem vero ſi ante Kal. Martias æquas conditiones regi Hiſpaniæ offerendo non obtinerent, regem tanquam à pace & incolumitate ſuarum provinciarum alienum & juriſ-jurandi immemorem, jure ſuo excidiſſe declararent, provinciales ſacramentis exſolverent, deliberarentq; quibus modis deferri Andino principatus Belgicæ poſſit.

Andinus haud facilè mitigatur,

Cæterum Andinus etſi ſecus ſimularet, injuriæ memoriam atq; ſenſum ex oblatione principalis gloriæ ac imperij non exuerat, tanto magis validâ veteri indignatione, quanto ſecretius principe animo & cum modeſtiâ tegeretur. Igitur oppidis, quæ præſidio copijs ſuis aut pignori acceperat, Ordinibus provinciarum traditis curatoq; ne Gallica auxiliâ Valonum in partibus manerent provinciarum finibus exceſſit.

Invenio in archivis abiturienti Andino, qui tum Montibus Hannoniæ erat, dubium adhuc animum apparuiſſe illumq;, etſi pronis auribus de affectu Ordinum ex Carolo Gauræo cognoviſſet, conſilium tamen decreti in Galliam itineris non mutaſſe.

Iulius Bottnia provinciæ noſtræ Antverpiam legatus in litteris VII. Kal. Ian. datis, ſcribit ſe ex Secretario Andini, quo cum divertebat, de ejus primum abitu intellexiſſe Andinumq; rectâ ad Quintini fanum, quod ad ſabim flumen eſt, itinere facto ſuo diſceſſui turbatum Galliæ regnum obtendiſſe.

Turbæ Gandavenſium pacatæ.

Itaque quantum ægritudini ex conſilio Andini provinciæ acceperant, tantum gaudij pacatæ Gandavenſium res adferebant, quod populus ultro inquies & ex diſſidio immodeſtior ex recepta pace & utraque religione in civilem concordiam redijſſet. Hoc vero paci ſuſpectum erat, quod captivos jam ante cuſtodiæ datos conventio non liberaſſet, diſcordiq; temporum ætate vinculis inditi ſqualloribus carcerum, etiam factâ conventione, conſumerentur.

Quare

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Quare pro ijs dimittendis etiam, ab Eliſabethâ Anglicâ litteræ peten-te reginâ, ut captivi judicio ſiſterentur, legibuſq; provinciæ damnati aut abſoluti culpam criminum aut innocentiam miſſione vel pœnâ exſolverent. Litteræ Eliſabethæ in archivis repertæ III. Kal. Ian. datæ. His ſubjungebat regina ut ſatiandis Valonum & Gandavenſium factionibus Ordines porro incumberent pacemque provincijs à diſcordiâ partium curarent. *CIↃ. IↃ. LXXVIII.*

Mox convulſæ per Friſiam Sedis cenſu & dignitate imminutâ Rennebergius de amovendis Epiſcopi Canonicis agitavit, penſioneſque ex proventu Sedis aſsignatas interverti reddique cœnobijs juſsit. Sed Matthiæ Gubernatoris reſcripto monitus, ne ambgiua temporum ultro odijs expoſita acerbioribus factis atq; decretis inritaret, ducentos florenos aureos Canonicorum alimentis dari fecit, dum illorum otio de ſubſidijs vitæ autoritas patrum diſpoſuiſſet. Controverſiam quoq; de Leppæo aggere, qua Ooſtergoæ partem à Sylveſtribus diſterminat, regio jam antè Senatui commiſſam, difiniri per Deputatos Ordinum voluit, forique munia, velut ex interregno & per diſcordias novi veteriſque Senatus compedita, ad judicia Ordinum transferri. Itaque per eorum apparitorem audiendam ad Sententiam Vitum Pibonis Abbema tanquam cauſæ actorem & cum eo Leovardios, Idardios, Tietzerckios, Utingeranos una cum Nicolao Iſelmudeno viro Nobili citari juſsit judicioque ferundo V. Decembris diem præfinivit. Cæterum quid pronunciatum fuerit, in indigeſtis illorum temporum actis non invenio. Hoc tantum obſervo, æmulationes jam antè inter optumates & Senatores regis exercitas iſti rei occaſionem dediſſe, conſentibus patribus accidendas provincialium lites & ſimul Senatorium numerum eſſe, aggerumque controverſias allevandis fori moleſtijs arbitrijs Ordinum aut Delegatorum permittendas. *Acta Friſiæ.*

Tum Rennebergius VI. Eid. Decembris à Matthiâ Gubernatore evocatus provinciâ Antverpiam celerrimo itinere contendit, ingraveſcentibus ſenſim inter illum & optumates ſuſpicionibus, quod bona patrum conſilia trahendo ſecreta & in pectus demerſa ſuis non populi commodis reſervaret. Igitur ne Ordinum generalium & Matthiæ Gubernatoris animum malis artibus inſtrueret Iulius Bottnia, ut ante dixi, Antverpiam cum mandatis confeſtim miſſus, tum obſervandis Rennebergij actionibus, tum ut legatos regij Senatus ſecretiore ad huc cuſtodiâ clauſos mole criminum & ſuſpectorum conſiliorum oneraret. Itaque conſulto Uſkenio, qui Antverpiæ negotia provinciæ quoq; pro Trans-Lavicanis curabat, hoc effectum dedit, ne 21. menſis, qui dies iſti actioni tractandæ dictus erat, cuſtodiâ liberandi pronunciarentur, ipſiuſq; Rennebergij ad diverſa reſpicientis conſilia non procederent. Unde Rennebergius, quod ſuſpicionibus gravaretur, acribus verbis in legatum invectus eſt, proque caſtellis regijs retinendis, quorum diruendorum causâ legatum Harlingæ diu egiſſe objiciebat, acerbè locutus beneficiorum ſuorum memoriam excidiſſe patribus criminabatur. *Rennebergius Patribus Friſiæ ſuſpectus ad Math. Auſtrium contendit.* *Rixæ Rennebergium inter & legatum Friſiæ.*

Itaque (inquiebat) quos ego juvi, ab illis mihi malè rependitur, regerente & petente Legato, ut ſi in illis eſſet, ſacramento exſolveretur, ne pro patriâ loquendo vocis libertatem cum publicâ amitteret. Qua-

CI͝Ↄ, IↃ. LXXVIII re recepto in gratiam legato omne invidiæ onus in Heſſelum Ayſmâ Iureconſultum à Rennebergio rejectum, factumque eſt, ut conſcientiæ teſtimonio & conſtantiâ Legati evictus Rennebergius reip. ſe addiceret. Quod vero ad fœdus Ultrajectinum attineret, in eo nihil agi poſſe coram legato obteſtabatur, niſi copiâ fœderis à Joanne Naſſovio Geldriæ Præfecto ad Matthiam Gubernatorem tranſmiſsâ.

Reliqua quoque Legati mandata communicanda Gubernatori ſuaſit, ne derivatas ultro in ſe ſuſpiciones tergiverſando aut mandatis ſatisfaciendo manifeſtioribus odijs implicaret. Legatus vero pro diruendis caſtellis Ordinum generalium mandatum implorabat, ac ut Matthias Gubernator cautione de non præjudicando admiſsâ datam fidem principalibus promiſsis interponeret. Itaque libello ſupplici de ſiniſtris Rennebergij in remp. ſuſpicionibus conceptis quædam inſerta delegatique Aldegondius & Leoninus ex conſeſſu Ordinum, qui regij per Friſiam Senatus cauſam & mandata legati examinarent. Cæterum per abſentiam Aurantij Principis omnia tardius expediebantur; Unde factum eſt, ut rebus etiam neceſſarijs moræ necterentur, dubiaque quarundam provinciarum fide ſingularum jus aut illius curandi ſtudium evaneſceret. Boſſuvius, qui cum imperio Exercitum Ordinum duxerat, fato tum functus ſequiorem belli & reip. fortunam ſua morte afflixit.

Mox percrebeſcente fama binas militum cohortes in provinciam inruiſſe, Deputati Ordinum de removendis decrevere, poteſtate Doconi Martnæ viro nobili & collegæ factâ, qui de causâ inruptionis cognoſceret, dubijſque temporum & ſuſpecta ſacramenta populationibus ac licentiæ venditantes excedere finibus cogeret. Quod etſi etiam à Caroli Cæſaris per Friſiam Gubernatione præfectorum provinciæ officium fuiſſet (quos prohibendis Præfecturâ ſuâ externis copijs majores noſtri ſpeciali mandato & ſub jurisjurandi religone adegerant) ita per abſentiam Rennebergij Antverpiæ agentis finium tuendorum curam Delegati Ordinum ſuſcepere, ne terrarum limites olim gentibus ſacri, tum agri atque villæ vaſtationibus hoſtium ac ſuſpectarum legionum exponerentur. Quæ ideo ſiniſterius quoque Deputati Ordinum interpretabantur, quod Rennebergius jam pridem inofficioſi inſimularetur gloriamque prioris imperij & fiduciam patrum ſuffectis ſuſpicionibus minuiſſet. Mandati tabulæ Epæi & Eraſmi Doumæ, Barthij Idſaerdæ, Dirici Fogelſangij, Douwonis Syxmæ & Gellij Sibæi manu ſignatæ. Quas ipſas hoc etiam maxumè prægravabat, quod Senatui regio, qui Leovardiæ domeſticâ adhuc cuſtodiâ attinebatur, judicia ac defenſiones detuliſſet, Matthiæque Gubernatoris mandatum, agente apud Gaudavos directore rerum Aurantio, admittendis Senatorum patrocinijs impetraſſet. Itaque reſcripto in Friſiam miſſo eundi Antverpiam Senatoribus veniam fecit, Petroque Frittema viro nobili ac Senatorio, Joanni Damero Senatori ac à fiſci advocato legatis commeatum procuravit. Hoc etiam cavit, ne quis manum legatis injiceret, nevè moleſtiam crearet, paciſque publicæ ſponſionem interceptâ ſecuritate ſubverteret. Reſcriptum Rennebergij XIII. Kalend. Ianuar. Antverpiæ indultum.

Itaque per Friſiam procerum animi ſicuti ſuperiores per provincias, ut antè

ut antè contectis æmulationibus, ita tum diſcordijs diſſociabantur. cIɔ. Iɔ. LXXVIII

Mox repoſcendis ab Epiſcopo tabulis permutatione agrorum inter Epiſcopum & Achlenios Lunckerkioſq; cœnobitas ſcriptis Doco Martna delegatus, petente Pompeio Roorda Eccleſiaſticorum bonorum quæſtore ut tabulæ præſtarentur. Quibus exhibitis parante abitum delegato Epiſcopus pro annuâ penſione ſuſtentandæ vitæ obtinendâ legatum ut intercederet oravit, qui pridem in dignitate & affluentiâ rerum conſtitutus reliquium ævi, quod brevè eſſet, procul contemptu egeſtatis tranſigeret. Quæ quanquam Delegato Martnæ viro prudenti & humanitatis artibus imbuto ultro commendata, quo vir Pontificio & regio cum diplomate in provinciam miſſus ab extremis fortunæ abeſſet, ita Delegatus criminabatur Epiſcopum mandatis Ordinum non paruiſſe, juſſumque luſtrandis templis cæteriſque Epiſcopalibus ceremonijs abſtinere antiquam poteſtatem odio Ordinum & concitandis turbis exercuiſſe. Igitur ſuadere Epiſcopo ut in poſterum ab hujuſmodi poteſtate uſurpandâ ceſſet, ne ſecus faciendo læſæ autoritatis publicæ ſeveritatem experiatur.

Epiſcopus Legati inter ceſſionem petit pro annuâ penſione.

Cæterum Epiſcopum, quo inanis ſolatij fallacem eventum præveniret, veteriſque fortunæ memoriam alens conſtantiæ gloriam etiam in adverſis retineret, pauca delegato regeſsit teſtatuſq; SE (verba ſunt) IN MANIBUS HOMINUM ESSE, retinendæ nihilominus poteſtatis non difficilem fiduciam ſumpſit. Itaque juri meo (inquiebat) renuntiare, & ſuperſedere obeundis ſacris miniſterijs in animum non induxi, niſi jubear illorum mandato quorum autoritatem & beneficium meis factis obtendo. Quæ ab Epiſcopo præſentibus præſule Achlenio, Iacobo Cronenburgio, Goſuino Foppio & Ludovico Foxio actuario publico, delegato Martna repoſita cauſam magis Epiſcopi & poſt Ordines exacerbavere. Hæc Nonis Ian. facta.

Epiſcopi audacia.

ANNO cIɔ. Iɔ. LXXIX.

Tum pacatâ Gandavenſium urbe & ſimul inquietudine, conciliandis Valonum diſſenſionibus omne ſtudium adhibitum, quo provinciarum Belgicæ corpus jam antè innovatis tot fœderum rogationibus connexum, compoſitis partium diſcordijs coaleſceret. Cujus boni ſpem etſi alerent qui concordiæ & paci conſilium ſuggerebant, ita erant qui ſimultatibus innutriebantur regique & Romanis ſacris fervidè ac ſerviliter dediti, Ordinum imperijs & licentiâ religionum offenderentur. Ita quod extirpandis civilium animorum odijs inventum credebatur ſerendis uſurpatum eſt, eo provectâ infelici diſcordiâ ut apertis ſeceſſionibus pararetur. Cui malo à præcipuis autoribus Epiſcopo Atrebatenſe & Ioanne Norcarmio (qui ſpiculatorum Philippi per Hiſpaniam ductor incertas conditiones pacis haud pridem attulerat) cæteriſque fomenta ſubminiſtrabantur, quanquam mihi actorum fide deprehenſum ſit, ipſum quoque Farneſium Limburgi agentem, dignitate regij imperatoris vix acceptâ, mobiles Valonum animos rumpendis provinciarum fœderibus & conventionibus ſollicitaſſe. Igitur ſecretis illorum conventibus quos faciendis ſeceſsionibus agitaverant, regis ſui commodum includebat, quaſi in eo poſitum eſſet, ut repudiatâ provinciarum ſocietate, imminutam Philippi & Romanæ ſedis autoritatem obtendendo, de novâ cogitarent. De ſe vero fidem faciebat, nihil

De conciliandis Valonum diſſenſionibus agitatum fruſtra.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXIX. magis gratum ſibi acceptumque eſſe poſſe, quam ſi in cultu Romanæ religionis, in obſequio Regni perſeverent, alioſque inſtigando opimos conſiliorum fructus regis commodum, ex ſe gloriam atque decus expectent. Itaque evenit ut fidem legatis Ordinum datam violando à ſocietate provinciarum deſciſcerent, fœduſque clandeſtinum VIII. Eid. Ian. Attrebati ictum recepto omnium Belgicæ nationum fœderi obtruderent. Quod quamvis ſuperficie tenus intuendo à religionis odio & diverſis in Philippum regem ſtudijs profectum diceretur, tamen fato magis accidiſſe mihi veriſimile eſt tantamque rerum perturbationem, cum humanâ ope & conſilio perſanari nequierit, immutabili providentiæ neceſſitate infœlicibus provincijs obveniſſe.

Præſertim cum ea mutationum omnium his in terris lex atq; conditio ſit, ut à ſupernis tanquam cauſis proficiſcantur ſtellarumque motibus aut influentijs aſcriptæ fati magis, ſupra aſtra adſurgentis ineluctabile imperium, quam humanæ voluntatis arbitrium agnoſcant.

Fœdus Valones inter & Parmenſem ictum. Igitur Hannoniæ, Arteſiæ ſociorumque fœdere continebatur, ut juſtum legitimumque eſſet, Romanæque Religionis & Philippi regis cultum atque obedientiam, denique pacis apud Gaudavos ictæ fidelem obſervantiam includeret. Hoc etiam additum, ut iſtud fœdus promiſcuæ religionis tolerandæ decreto (quod IV. Eid. Iul. Antverpiæ perſcriptum erat) adverſum eſſet, unaque religio majorum traditionibus & autoritate Romanæ Sedis fulta per provincias & in Philippi ditionibus doceretur.

Cui probibendo Ordines fruſtra incumbunt Quibus attemperandis etſi egregiâ animorum moderatione & illuſtium virorum legationibus Ordines generales intercederent, ita econtra illorum ſtudiâ pronis odijs accipiebantur, regerentibus Hannonijs & eorum ſocijs Ordines eoſdem primos fœderum ruptores ex religionis pace diſcordiam ſeviſſe remediaque civilibus malis quærendo incremento ſuffeciſſe. De ſe vero teſtabantur, Gandavenſe fœdus veneratos pacem tam diu coluiſſe, dum novitate rerum & religionum offenſos à ſacramenti & pactorum oblitis non malus animus, ſed avitæ religionis & regiæ majeſtatis reverentia divulſiſſet. Quamobrem eſſe, quod Ordines generales Dei judicium, regis Philippi iram, præſentis ævi damnationem, apud poſteritatem infamiam exſpectent, quod fœdéra, quæ ſanguine potius & morte ſanciri debuiſſent, violando, fovendis partibus & earum ſtudijs, nova & à Gaudavenſi conventione aliena etiam diſtrahendis provincijs repperiſſent.

Ad quæ Ordines generales: Nihil magis unquam ſibi curæ fuiſſe, quam ut fœdus Gandavenſe ſartum inviolatumque caverent, cuius ea prima & potiſſima lex eſſet, ut indiviſas provincias præſtaret mutuaque ad auxilia præter patrij juris quod violatum erat, reſtitutionem exterminandæ peregrinæ genti obligaret. Cujus fœderis religione ne exſolvi quidem adhuc vellent, parati datam conventioni fidem non ore tenus ſed facto adſtruere. Sed religionis diſcordiâ, cujus Auſtriacus autor fuiſſet, impulſos Arteſios primos ſocietatem exuiſſe, quod ſcire eos crederent quos conſcientiæ teſtimonium redargueret. Se vero non inani gratiæ ex Hiſpaniâ petitæ, non Eſcovedi malis artibus aliquid daturos, laturoſque ut provincias ſanctiſſimo Gandavenſi fœ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ſi fœdere colligatas paucorum levitas ac defectio diſſolvat. Ideo cum Hollandis Zelandiſque eadem conventione depactos ne religio civilis vitæ vinculum & conciliandis diſſenſionibus efficax, ſeminandæ diſcordiæ reperta diceretur. Quare monere Arteſios cæteroſque, ne Catholicæ religionis ſtudium ſuperſtitioſius retinendo amittant & cum eâ dulciſſimæ pacis poſſeſſionem, quam ſolam præſtare religio poſſit, cum civili concordiâ peritura. Hanc Arteſios ſocioſque amplecti debere ac ſua potius, quam externa conſilia ſequi & quidem eorum, quorum vires ex domeſtica provinciarum ſeceſſione habituræ incrementa eſſent. Hæc cum cæteris v. Non. Mart. ſcripta.

cIↃ. IↃ. LXXIX.

Hoc vero per Friſiam Deputatos Ordinum urebat, quod Rennebergij interceſſione Senatus regius velut libertati reſtitutus animos efferret, ſacraque & conciones frequentando ad intermiſſa rei divinæ officia cum ſui invidiâ redijſſet. Quare ijdem & rationibus provinciæ præfecti per ſuos ad Achlenium Præſidem miſſos copiam decreti popoſcerunt, libellumque Senatus fœdis & haud dubie falſis criminationibus aſperſum unâ cum reſcripto Gubernatoris oſtenderet. Cæterum Achlenius præſes, læſæ dignitatis indignatione & quod auguſti conſeſſus primatum privatâ ac diu ſuſpectâ cuſtodiâ vertiſſet, libellum petentibus negavit, eorumq; non intereſſe ut de eo cognoſcerent, acribus verbis reſpondit. Dein interrogantibus, num collegialiter, ut vocant, ac univerſi conſeſſus nomine obtuliſſent, idem ex vero conſtanter affirmavit, coactoque Senatu Emskerckium & Heymannum Curiæ regiæ actuarios exhibere libellum unâ cum reſcripto urgentibus Deputatis fecit. Igitur innuebat Senatus non ſecreta ædium, non domeſticum limen egreſſos, in templo ac cœtu comparuiſſe, quam ut veniâ à Gubernatore provinciarum impetratâ, audiendis ſacris ſermonibus ſe darent, animoſque ægritudine ex injurijs temporum correptos fœlicis verbi ſolatio allevarent.

Deputati Ordinum Friſiæ indignantur Rennebergium cum Senatu regio conſuſurrare.

Heymannus ſcribit Deputatos cenſoria tantum & veteri, etiam ſub Carolo ac Philippo uſurpatâ poteſtate inſtructos, habendis legum rationibus præſediſſe, in ijſque eo anno Doconem Martna, Epeum Douma Hallenium, Laſium Iongema, Diricum Fogelſangium Juriſperitum, Eraſmum Douma, Barthium Idzaerda jureconſultum, Gellium Sibæum Conſulem Leovardienſium, & Douwonem Sixma Conſulem Franequerenſium fuiſſe. Siriacum quoque Haerſma, Oedſium, Arnoldium, Gellium Broerium & Ioannem Ayſma provinciæ rationes & ærarij ordinem adminiſtraſſe.

Mox à Rodolpho II. ejus nominis Cæſare in provincias Belgicæ Otto Henricus Suartſenburgius cum mandatis miſſus, prætentandis Ordinum & Aurantij animis, quos ab ineundâ cum rege Philippo pace amplæ fœderum ſpes & externæ ſocietates, tum præcipuè diffidentia debilis in regem fidei alienabant. Itaque Legati in diverſa locorum commeantis induſtriâ & ſollicitudine nihil omittebatur, quod validum atque utile faciundæ paci eſſet, cuius auſpicium Philippi quoque litteræ in provincias & ad civitates miſſæ detectâ ſollicitatione morabantur. Sed maxumè Arteſijs ſocijſque ob inſtitutas à cæteris provincijs defectiones grates clàm actæ, quamvis famâ & communione ſecretorum non inhiberet, quin in plures etſi Philippi æmulos emanarent.

Suartſenburgius à Rudolpho II. in Belgicam ablegatus ad conciliandam pacem Regem inter & ſubditos.

Lit-

cIↃ. IↃ. LXXIX. Litteræ hujuſmodi erant.

Litteræ Philippi Regis ad Arteſios eorumque ſocios.

INTELLEXI cum gaudio quo pro conſervando Arteſiæ comitatu feciſtis cum pulſâ hæreticorum & pravâ religione imbutâ neque à ſeditionis crimime immuni multitudine, Romanæ Religioni ſtabiliendæ animos atq; conſilia impendiſtis. Cæterum quoniam metus adhuc ab oppreſſione hoſtium, & Aurantij præſertim principis imminet, dabo operam meis auxilijs ut ab illo vos liberem, onuſque belli, quod grave vobis ferundo erit mea ſubſidia levent. Igitur omne, quod à Deo conceſſum meæ poteſtatis erit, polliceor regiâ fide, ſubmovendis ſiniſtris ſuſpicionibus caveo, me ab Hiſpanorum conſilio vos liberaturum. Quos quoq; alio terrarum faceßere aut revocari faciam, modo videro repreſſum Aurantium in ſua rediJſſe. Neque aliud interim peto, quam ut in Romanâ religione & eâ obedientia perſeveretis, quam ſacratiſſimo Cæſari vos & Majores præſtitiſtis. Igitur vos ipſi & noſtrum in vos affectum & veſtra commoda circumſpicite, hac præſertim tempeſtate, qua de imperio & ſimul regio faſtigio nos dejicere Gallorum conſilia moliuntur. Quæ aut ſi ſint inter vos, qui foveant, aut qui ſuarum rerum incurioſi negligant, in ſua damna proni atque proclives, teſtor extra culpam ejus eſſe, qui bellum coactus ſuſtineo. Inter arma tamen quæ gero, voto pacem complector, cujus certiſſima ſpes affulſura eſt ſi in meo obſequio duretis. Interim ad cccaſiones quasq; gerendarum rerum attenti eſtote, neque ſinite negligi elapſuram è manu fortunam, cujus rationem jam antè minus vos habuiße, & ego rex non diſſimulo & quotquot boni inter vos ſunt, non ignorant. Qui de affectu meo regio quo certi eſſe queant, experimentum abundè ſenſuri ſunt, modo hoc agant, ut Lamotij conſilio locum faciant, de quâ in poſterum ſalute ſolliciti ſint.

Litteræ III. Jan. Mantuæ Carpentanorum Philippi manu ſignatæ ac in Friſiam poſt perlatæ pro animorum ſtatu odia aut gratiam invenere.

Aurantius ſummâ ope nititur placare Andinum & ſimul Arteſios Hannoniosque.

Econtra Aurantius Gandavi adhuc huc agens & de mitigando Andino & pacunda Arteſiæ Hannnoniæque defectione laborabat, non ſine vanâ mentis & fiduciæ interpretatione optumæ paci propediem locum fore, & quæ omnia diſſenſione aut bello depravata aut amiſſa reparare aut reſtituere queat. Sed quippe confectum per Arteſios ac Hannonios fœdus, Andinus ob mortem fratris revocabatur, offenſionem ex arte tegens, pacis negotio non ſerviebant ei quod de deſerendis quoque provincijs cogitans vim alicujus imperij ex antiquâ conventione præferret. Itaq; affectus & velut juris antiqui argumenta ſpecioſis litteris præferebantur, quamvis indigniſſime haberet Ordines Belgicæ Suartſenburgio Cæſaris legato urgente, plus Cæſari & Germaniæ quam Galliæ regno & ſuo principatui deferre.

Itaque datis ad Ordines XV. Kal. Febr. per Prunicauxium legatum litteris increpando commonuit ne quam pacem, quam Suatzenburgius proponebat, cum Hiſpano, niſi ſe conſulto ex formulâ antiquæ conventionis facerent Cæſariq; ejus ſanciendæ poteſtatem factam ſe petente revocarent. Neque Ordinum Generalium decretis Arteſij eorumque ſocij ſuffragabantur qui pertinacem ſui fœderis, de quo dixi, ſententiam profitendo Philippi regis plus gratiæ quam antiquo ſociorum fœderi dabant aſperumq; & breve remedium hærenti ut ajebant, in viſceribus ſuis malo flagitabant. Quo negato ſtatuturos de ſua Salute re-

regerebant, poſtquam alienâ deſtituti propriæ & ex ſe petitæ medicinæ uſum implorare poſcenti miſeriæ cogerentur. Ita omnia præter Aurantij opinionem infida publicum bellum ſpectabant. CIↃ. IↃ. LXXIX.

Vergente Ianuario menſe.

Quamvis actorum fide probatum ſit Matthiam gubernatorem & Aurantium principem de conſilio Status & Ordinum generalium æquiſſima quæque Montinio & ducibus partium aliena à religionis pace poſtulantibus, vergente Januario menſe obtulerint. Cæterum conſilia procerum confundens fortunâ & velut crudæ bellorum tempeſtatis avida multis in civitatibus civilia & præſidiorum arma commiſcebat, diſſidioque ſacrorum templa ac fora partium conflictibus deſtinabat. Itaque motus Antverpiæ & Neomagi exitio domeſticæ pacis ortos optumi quique ominabantur, Hiſpanoſque expugnatâ Carperiâ arce ſuperbas & per Cliviam ac Iuliacenſium fines ſparſos, Geldriæ oppidis ac munitionibus certiſſimas obſidiones comminari. Sed communem provincialibus metum Rudolphi Cæſaris ſollicitudo & deſiderium Belgicæ pacis allevabat & quod Otto Henricus Suartſenbergius Imperij legatus modo ad Ordines, modo ad Alexandrum Farneſium regiæ militiæ imperatorem commeando animos, etiam fato aut ſponte diſſidentes ad ſtudia pacis ſollicitaret.

Conſilia Aurantij & procerum confunduntur motibus inteſtinis.

Hoc vero Ordines nonnihil urebat, quod Farneſius totum negotium de mandato & exemplo Philippi regis deferri arbitrio Cæſaris vellet, aliâque ſub conditione etiam honeſtâ & ad pacem ſuaſoriâ omnem conventum aſpernaretur.

Arbitrium pacis Cæſari Rudolpho offertur à Farneſio & Ordinibus.

Itaque decreto Antverpiæ xv. Kal. Februarij perſcripto declararunt à Farneſio ſe molliora & ſervitura paci ſperaſſe, cæterum relatione Suartſenbergij auditâ, difficultates quaſdam pacis actioni injectas offendiſſe. Tamen ejus amore & in regem fide, paratos eſſe Cæſari cognitionem rerum & judicium deferre, modo æqua eſſent, quæ Farneſius poſtularet & Cæſar tantæ molis tædium non defugeret. Quare legatum ad Cæſarem ocyus miſſuræ, qui de ſuo in pacem affectu eum edoceat & quam optent funeſtam belli tempeſtatem optumæ & æternæ pacis novâ ſerenitate ſedari. Neq; aliò Rudolphi optumi Cæſarum conſilia ſpectabant imperatoriâ voce coram Belgicæ legato, mox miſſo ad Ordines decreto, fidem facientis nihil magis illi poſt ſuſceptam Romani imperij & tanti regiminis molem curæ fuiſſe, quam ut Belgicæ cæterarumque ditionum miſeriæ & calamitati ſubveniretur. Itaq; de illius remedio cum principibus Imperij multum conſultaſſe, quibus ut & ipſi Cæſari viſum eſſet, belli mala non niſi maturatâ pace perſanari poſſe. Sed moræ rerum alia quædam, velut malo, ut loquebatur, fato interveniſſe, quæ ſalutari procurandæ pacis conſilio facile emendarentur. Igitur ſe Cæſarem neq; labori, neq; ſumptui, neq; moleſtiæ parciturum, facturumque ocyus ut turbis per provincias quies, bello pax ſuccedat. Eum in finem ſupremo Curiæ ſuæ Mareſchallo Ottoni Henrico Suartzenburgij Comiti per unum ex purpuratis ſuis Danielem Printſium in mandatis dediſſe, ut de Ordinum voluntate cognoſcat deq; eâ ad Cæſarem referat. Et quamvis ipſe de Ordinum ad pacem inclinatione interea certior factus ſit, ita tamen ſe metuere, ne Alençonij & Caſimiri cum Ordinibus res remoram paci aut armiſtitio facturæ ſint.

CIↃ. IↃ. LXXIX. Igitur Matthiam Archiducem Belgicæ Gubernatorem & ipſos quoq; Ordines de amovendis Alençonij & Galliarum copiarum incommodis monuiſſe, minuendis Philippi regis ſuſpicionibus, quas ex Alençonij ſocietate hauſiſſet. Se vero totum in eo eſſe, ut non habita Farneſij aut Ordinum cunctatione & arma utrinque ſiſtat & locum conventui Coloniam Agrippinam deſignet, legatoſq; ſuos iſtiuſmodi mandatis inſtruat, quæ ditionum Belgicarum tranquillitati ac uſui cedant. Sperare ſe Deum pacis autorem iſti concilio interfore, niſi divinæ benignitatis curſum præpoſteræ conditiones morentur. Nam id paci non conducere, quod Ordines, niſi intra trimeſtre actio cœptæ pacis definiatur, de revocando Andino cogitent. Neque enim laturos Cæſarem & Romani imperij Electores, externum principem in finibus Imperij aut ijs provincijs conſtitui, quas non ſeparari à Rom. imperio Cæſaris & Philippi domuſque Auſtriacæ intereſſet. Sed hoc neceſſum eſſe ut Ordines ſuæ ſalutis & incolumitatis rationem habeant, & ne pernicioſa conſilia exitio patriæ ſuæ deſtinata in præcipitando pacis negotio tueantur. Oportere rationem temporis & ponderoſæ actionis haberi & aut non præfiniri diem, aut præfinitum proferri ne Matthiæ Gubernatoris & Auſtriacæ domus exiſtumatio injuriam ex tam odioſis conditionibus ſentiat. Quin eorum potius qui evocandi in Belgicam Archiducis autores fuere, officij eſſe reliquos apud ſocios hoc effectum dare, ut & cætera ſua mandata valeant, de quibus Suartſenbergius ſereniſſimum Archiducem docturus ſit. Itaque huic fraternam integerrimamque mentem, illi Cæſaris gratiam & propenſum animum deferre.

Cæſar Coloniam Agrippinam conventui & urgendo pacis negotio deſignat.

Mox RUDOLPHI litteræ ad Ordines ſubjunctæ hunc in modum.

Reverendi Illuſtr. Gener. & cæt. Fideles & Dilecti;

COGNOVIMUS ex conſiliarij noſtri ac ſupremi Curiæ Mareſchalli Comitis SUARTSENBERGII *relatione vos concordiæ deditos non pacem ſolum, ſed armiſtitium inſuper arti temporis flagitare. Quod conſilium majeſtati noſtræ quam maxumè placuit. Cæterum quoniam* FARNESIUS *ab illo alienior eſt, remque ad* CAROLUM *Arragonium Caſtrenantium deferri curavit, dabimus operam, ut eidem Arragonio regis* PHILIPPI *Legato ejuſdem vobiſcum conſilij autores ſimus. Interim Alexandrum Farneſium Parmæ principem per litteras commonemus, ne moroſum iſti negotio ſe præbeat, quod facilè promoturus erit ſi* ANDINUM *Gallicis cum copijs excedere Belgicâ, reliquaque mandata vim ac robur habere faciatis, quæ Legato ac Oratori noſtro Suartſenburgio commiſimus. Et quoniam nobis cura eſt, ut pacis actio quam primum celeretur, locum Coloniæ ad Rhenum legatis noſtris,* PHILIPPI *atque veſtris præſcripſimus, de die quoque deliberaturi ut eum quoq; ocius bono publico præfiniamus.*

Litteræ Praga XVI. menſis datæ & Rodolphi Cæſaris manu ſignatæ.

Trajectum ad Moſam ab Ordinibus negligitur.

Reperio in actis provinciæ Melchiorem Suartſenbergium præſidium Trajecti ad Moſam cum imperio agentem, velut obſidionis ſollicitum, auxilia & commeatum Ordines generales tum petijſſe, deque eorundem Ordinum tarditate & incuria queſtum, funeſtum provincijs & ſibi ipſi fatalem civitatis caſum prævidiſſe.

Mox

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Mox Ordinum ad Rodolphum II. litteræ miſſæ. cIↄ. Iↄ. LXXIX.

Literæ Ordinum Gen. ad Rodolphum II

N*IHIL ſtudij, laboris atq; moleſtiæ* IMPERATOR AUGUSTE, *à nobis prætermiſſum eſt, quod & conciliandæ cum* PHILIPPO *Catholico rege noſtro & quidem æquis conditionibus, paci conduceret & ſemel provincias à bello liberaret. Igitur Oratorem tuum* Ottonem Henricum Suartſenburgium *rogavimus, ut ex præſcripto mandatorum tuorum ad* Farneſium *iret, cumque illo de conditionibus pacis conferret. Quod cum ab eo factum eſſet, poſt menſem iſti legationi inſumptum, rettulit, Farneſium non aliâ conditione paciſci velle, quam ſi totum negotium, quod à Catholico Rege factum erat, tuo arbitrio permitteretur. Quod ſubterfugium pacis tanto magis admirationi nobis fuit, quod ex Oratore jam antè accepiſſemus, Regem noſtrum Catholicum non alia ratione negotium hoc, quam ad intercedendum, tuæ majeſtati detuliſſe & quæ ipſa non vellet, veteriore onere, aut mandato ſe gravari. Interim ut majeſtati tuæ, atque adeò terrarum orbi de noſtrâ in pacem propenſione & præſtandâ Regi Catholico obedientiâ teſtaremur, modo juſto & moderato imperio nos regat, fidem facimus; nos totam pacis actionem tuæ ſententiæ permittere, ſi quod Orator tuus cavit, medium te ex litterarum tuarum formulâ 22. Dec. dat. conciliandis partibus geras. Hoc vero maxumè cupere nos ſcias, ut antè Kal. Mart. proxumas totum negotium terminetur, ne morâ eluſi incerta auxilia quærere cogamur & actionem deſerere cum Andino cæptam, cui Kal. Martiæ præfinite ſunt. Quod ipſum ex Legato Archiducis Matthiæ Antonio Lalainio Morvillerio te accepiſſe non dubitamus. Quamobrem,* Imperator Auguſte, *quod facturum te confidimus, etiamnum rogamus, ut reip. noſtræ ſecuritas, Status, dignitas atque ſplendor tibi curæ ſint & ut ea reſtituantur, quæ dolo aut per vim amiſſa ſunt. Quod beneficium nos tuæ majeſtati quoque acceptum feremus, id voto complexi, ut Deus Imperio tuo deſideratam nobis pacem & fælicitatem largiatur. Antverp.* VII. *Kal. Febr.*

T. Cæſ. Majeſt. devinctiſſimi.

Ord. & Status Provinc. Belg.

Inſerendâ de Andino.

Invenio ex litteris Caroli Roordæ XV. Kal. Febr. ad Deputatos Friſiæ Daventiâ datis Andinum diſceſſus ſui cauſam in morbum regis fratris, qui morti proxumus ferebatur, rejeciſſe, etſi eſſent qui crederent ex detecto ſecretiore conſilio pudefactum & velut fortunæ ſuccenſentem allevando animi morbo Galliam repetijſſe. Cæterum Condæi ſubſiſtens & à legatus ſalutatus, ne tum quidem conſilij certus ſpectabatur, ita variâ & mutabili mente ut locum cuſtodiæ corporis & præſidio idoneum poſcens, de reditu cogitaret. Sed regijs litteris per Guadagnium Præſulem & ab ipsâ matre ſollicitatus nobiliſſimâ juventute, quam in comitatu hebabat, præcipuos in Galliam præmiſit datiſque *VI. Kal. Febr.* Condæo ſupremis ad Ordines litteris eoſdem valere, deque affectu principis animi certos eſſe juſſit. Hoc etiam ſubjunxit, ut quoniam Ordinibus Belgicæ novam legationem ſui in gratiam inſtitui placuiſſet, eam gratam ſibi acceptamque fore, non ſine certâ ſpe in finibus Provinciarum & Galliæ agenti offerri adhuc poſſe. Adeo generoſæ & na-

cIↃ. IↃ. LXXIX. tæ ad magnâ indolis conſilium ſecretâ erroris confeſſione vincebatur.

Aurantius de ineundo inter provincias novo fœdere cogitat,

Igitur Andino in Galliæ fines provecto ac ſuſpicione defectionis Valonicæ magis validâ Aurantius præveniendis ulterioribus malis, de maturando inter provincias inferiores novo fœdere cogitavit, non ignarus correptam odio aut gratiâ provincialium multitudinem facilè in partes trahi animoſque diverſis opinionibus & ſtudijs imbutos velut tempeſtate quadam aut æſtu gravandis ſeceſsionibus impelli. Quippe Hannoniam & Arteſiam exemplo præiſſe reliquoſque aut ſocietati eorum inligatos, aut imprimis faciles, peculiari animorum morbo, vetere diſciplinâ ſuperſtitioſius imbutos, in majorum ſacris ſuam & publicam provinciarum ſalutem atque incolumitatem collocare. Neque Hollandiam & Zelandiam etſi ſocietatem ex communi periculo induiſſent, tanto armorum oneri & regiæ potentiæ parem, quæ tanto major futura ſit, ſi Auſtriaci morte & ſucceſsione Farneſij peritiſsimi belli & legionum Ducis refecta, inteſtinis quoque diſsidentium provinciarum defectionibus ſubjuvetur. Itaq; expedire Geldriam hoſtium armis maxumè expoſitam & recentium malorum ſenſu ad huic ingemiſcentem Hollandico Zelandicoq; fœdere allevari, ex quo iſtæ nationes ea commoda quoq; accipere queant, quæ poteſtatis hoſtium facta, magna ad res proſperè gerendas momenta allatura ſint. Quippe Rhenum, Moſam, Vahalim & Iſalam flumina provinciarum olim ſub Romano imperio munimenta, firmitati iſtarum terrarum ceſsiſſe, quarum adhuc ripas lato & patiente navium alveo perſtringentia torrentium aquarum vis emuniret. Friſios quoque, etſi longius diſsitos, ubertate ſoli & nato ad libertatem ingenio fœlices ſocietati Hollandicæ innectendos, ſubvectandis in vicina commeatibus, quos fertiliſsimis terris editos aut apertum mare aut latiſsima æſtuaria præſtarent. Denique nihil magis ſecuritati rerum, quam ſanctionem utiliſsimi fœderis conducere, quod diſcretis provinciarum opibus viribuſque vinculum ac robur daturum ſit.

Et hoc negotium Fratri Ioan. Naſſovio committit.

Itaque negotio fratri Joanni Naſſovio, qui Geldriæ præfecturam ſuſceperat, commiſſo selectiſque per Friſiam, qui profutura fœderi curarent, conventum Gorcumi ad Vahalim flumen Ordinum Hollandiæ Zelandiæq; indixerat. Ibi Naſſovius verba faciens inter cætera de promovendo imprimis fœdere propoſuerat, ac ut Friſij ad adeundam neceſſarij fœderis ſocietatem honeſtis rationibus ſollicitarentur. Sed per iſtam provinciam cruda omnia & ſalubribus conſilijs necdum excocta reperiebantur, ambiguis provincialium & ſimul præfecti ſtudijs, quæ regij adhuc nominis & Romanæ religionis profeſſione velata, pleroſque ut imperitam multitudinem ſolent, ſuperſtitioſius & in ijs potentiſsimos quoſque ad alia trahebant. Itaque omne debile ac infirmum non niſi lento remedio curabatur, quod ingruentis periculi moles non ferebat, indiviſaſque Belgicæ gentes, etiam populo Friſico ſuæ libertatis & ſimul fœderis incurioſo, hoſtium furoribus exponi. Quanquam actis perſcriptum ſit, Hollandiæ Zelandiæque legatos Aurantij & Ioannis Naſſovij conſilium, quod ſollicitandos Friſios ſuaſerat, approbaſſe decretoque caviſſe, Ut Friſij in communionem præconcepti fœderis adſciſcerentur.

Cui ſanciendo conventus ad IV. Eid. Ian. Ultrajecti indictus, ubi Ioan-

Ioannes Naſſovius fraterni conſilij & fœderis auſpex cœteris cum legatis ſe ſiſtebat. Quorum prudentiâ & feſtinatione conſcriptum & in acta relatum, cauſam initæ ſocietatis & ſimul formam hunc in modum expreſsit: cIↄ. Iↄ. LXXIX.

Cauſa & forma novi inter Provincias Fœderis.

QVANDOQVIDEM deprehenſum eſt à tempore pacificationis Gandavenſis, (quæ mutuæ fidei Belgicæ provincias ad pellendos finibus Hiſpanos cæteroſque peregrinos obligaverat) eoſdem Hiſpanos cum Ioanne Auſtriaco cæteriſque fautoribus, nihil aliud molitos eſſe, & etiamnum moliri, quam ut eaſdem provincias tyrannicis ſuis dominationibus ac perpetuæ ſervituti ſubijciant, fœdus Gandavenſe infirment aut ſubvertant, earundem provinciarum certiſſimo exitio, miſſis eum in finem clam ad diverſas civitates litteris, & in Geldriam armatâ manu irruptione factâ. Eâ de cauſâ Geldriæ, Com. Zutphaniæ, Hollandiæ Zelandiæque Comitatuum, Vltrajecti & Friſiorum Omlandiæ inter Amaſum & Lavicam Ordines neceſſarium duxerunt, in arctius & ſpecialius fœdus condeſcendendi, non ut anteacti fœderis vim & efficaciam ſolverent aut reſolvi curarent, cæterum ut illud robur acciperet, adverſumque omnia incommoda & conatus hoſtium provinciæ ſuæ defenſionis certæ forent. Igitur ad amovendam graviorem inter provincias ſeceſſionem, ſalvâ Gandavenſi conventione & Rom. imperij jure, ijdem Ordines per delegatos mandatis ſuorum inſtructos definierunt ſanciveruntq́;. I. Provinciæ in fœdus coëunto. Illud firmum, indiviſum perpetuumq́; maneto. Teſtamenta, codicilli, donationes, ceſſiones, permutationes, emptiones, pacis aut matrimonij pactiones non infirmanto. Provincijs, oppidis, provincialibuſque ſingulis immunitates, ſtatuta, conſuetudines omniaque ac ſingula jura integra ſunto. Ea adverſum oppreſſores, etiam quoscunque jure aut armis experiuntor. Controverſias inter provinciales ex eorum cauſâ natas, ordinaria judicia aut arbitrorum compoſitiones dirimunto. Socijs inter cedendi jus eſt. II. Provinciæ adverſum quoſq́; etiam regij nominis prætextu utentos, auxilia & ſubſidia mutuum conferunto. Iſta ex icto apud Gandavum fœdere, aut recepto Matthiâ Gubernatore, aut reducendâ Romanâ Catholicâ religione, aut ob motus ab anno cIↄ. Iↄ. LVIII. *ortos, aut huius fœderis ſanctionem non ceſſanto. Vnius diſcrimini commune auxilium ſubvenito. III. Idem adverſum exteros, inquilinoſque Principes, provincias, civitates vim aut injuriam inferentes paratum eſto, cæterum de eo Ordines generales pro re natâ cognoſcunto. IV. Defendendis quibuſque provincijs oppida cæteraque loca limitanea muniunto. Sumptuum partem mediam provinciales, alteram ſocij feruntο. Novæ munitiones impendio omnium provinciarum extruuntor. V. Impenſarum ſubſidia tributa ſunto. Ea è vino, cereviſiâ, terendo frumento, ſale, aureo, argenteo ſericoque panno, animalibus cornutis atque quadripedibus, agris ſeminato, mactato pecore, equorum boumque venditione aut permutatione, dein ex rebus libræ ſubjectis habento. Formulam communi ſuffragio concipiunto. Cenſus regius deducto ære alieno ſubſidiarius eſto. VI. Collationes, pro rerum exigentiâ tuendo fœderi eiuſque oneribus de communi conſilio intenduntor remittuntorq́;. Alijs uſibus quam publicis non ſerviunto. VII. Limitaneæ cæteræque urbes, ubi neceſſitas exiget, provinciarum arbitrio, de conſilio Præfecti provinciæ præſidium recipiunto. Provinciæ ſtipendia danto. Centuriones militeſque, præter ſacramentum fœderi dictum, urbi quoque aut pro-*

vinciæ pigneranto. Id in formulâ militaris Articuli ſcribitor. Præſidium diſſciplinæ pareto. Civibus agrarÿſque damnum aut vim non facito. Eorum onera in collationibus ferto. Provinciæ præſidiale æs pendunto. VIII. *Habendis in promptu auxilÿs intra menſem provinciales ab* anno XVIII. *in* LX. *deſcribuntor. Cenſu capitum acto, quod provinciarum ſecuritati ſerviat, primo conventu fœderati Ordines ſtatuunto.* IX. *Ordines generales pacem aut inducias non faciunto, bellum non ſuſcipiunto. Tributa non niſi de conſilio provinciarum ordinanto. Earum ſuffragÿs, ſi præponderent, dum aliter ſtatuatur, pro more ſtanto. De bello, pace aut tributo, dicidentibus Præfectis provinciarum ſubveniunto, qui ſi diſcrepent, alios arbitros adciſcunto, litem terminanto.* X. *Provincia, oppidum fœdus aut ſocietatem ſine ſociorum conſenſu cum vicino Principe aut gente non facito.* XI. *Externus Princeps populuſvè in fœdus aut ſocietatem de ſuffragio provinciarum recipitor.* XII. *Monetæ uſus ac valor, ex formulâ de eo concipiendâ, par ac unus per provincias eſto.* XIII. *In causâ Religionis Ordines Hollandiæ Zelandiæque ſuo arbitratu agunto. Reliquis fœderatis provincÿs ab edicto religonis (à Matthiâ Gubernatore de ſuorum conſilio & Ordinum generalium decreto) promulgato non recedere liberum eſto. Pace publicâ de ſingulorum privatorum jure ac fortunis cavento. Conſcientiæ nullam vim ex Gandavenſi fœdere faciunto.* XIV. *Cænobitæ cæterique Eccleſiaſtici bona ſua, uti poſſiderunt, ita poſſidento. Reliquis, qui durante bello, deſertis cænobÿs in Hollandiam Zelandiamque aut ex his alias in provincias ſe contulere, alimenta præſtantor.* XV. *Eadem eccleſiaſticis ex æquâ causâ ordinem ſtatumque vitæ mutare cupientibus, dantor. Reliquis vero à tempore ſcripti fœderis monaſticam vitam profeſſis & deſerentibus nullum beneficium obvenito. Religionem & habitum ſeligere cuique liberum eſto. Cænobiorum rectoribus pareto.* XVI. *Diſſenſiones inter provincias ſeorſim natas, reliquæ aut ÿ qui iſti actui deſtinabuntur, ſananto. Omnium vero provinciarum controverſias intra menſem & citius ex æquo Præfecti componunto. Ab ÿs vero, quæ aut Provinciæ, aut delegati earum, aut præfecti definierunt, nulla provocatio eſto.* XVII. *Provinciæ exteris Principibus aut populis, occaſionem belli non danto, exteris inquiliniſque jus dicunto. Id prolatum cæteræ ex proprio provinciarum jure & conſuetudine corrigunto.* XVIII. *Provincia in præjudicium alterius ſine communi decreto tributum aut navale vectigal, non imponito. Æqua omnibus onera ſunto.* XIX. *Fœderati eorum autoritate quibus iſta competet Vltrajectum citati ad diem dictum, qui in citatorÿs litteris niſi res ſilentium exigat, exprimetur, inſtituendis conſultationibus ſe ſiſtunto. In omnibus ſuffragiorum pluralitatem ſequuntor. Abſentium ratio non habetor. Qui comparuerunt, bono publico rem definiunto ac obſervanto. Iſti abſentes (niſi ſecus rei gravitas exigat, etſi illa moram non ferat) parento. Aliter repetitâ citatione certum ad diem evocantor, niſi compareant ſuffragandi jus, niſi ſcripto id tranſmiſſum fuerit, amittunto. Reliqui, quod ex uſu erit, ſanciunto.* XX. *Fœderati de ſingulis, quæ aut provinciarum commodo, bono aut detrimento cedent, ad proxumos perſcribunto. Iſti reliquos provincÿs evocanto.* XXI. *Fœderati dubiâ hoc fœdere comprehenſa concordibus ſuffragÿs deciduntо. Iſta ſi diviſa ſient, præfecti provinciarum componunto.* XXII. *In conditionibus fœderis ſi quid mutandum aut addendum fuerit, id in poteſtate fœderatorum eſto.* XXIII. *Leges fœderis ſartas tectas provinciales præſtanto, ni-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ſi faciant, eorum qui infringent, perſonæ & bona ubivis locorum, apud quemcunque etiam judicem detinentor. Nullâ juris exceptione aut beneficio fruuntor. Generali renuntiationi, niſi ſpecialis præceſſerit, locus non eſto. XXIV. *Præfecti provinciarum tam præſentes quam futuri, Magiſtratus & ſupremi officiales provinciarum, oppidorum & partium in leges fœderis & earum fidelem obſervantiam juranto.* XXV. *Idem collegia & ſodalitates in oppidis viciſque faciunto.* XXVI. *Acta fœderis ritè concepta Præfecti & Magiſtratus ſupradicti ſigillis muniunto, ſuâ & actuariorum manu ſignanto.* CIƆ. IƆ. LXXIX.

Quæ fœderis capita à Joanne Naſſovio Geldriæ Præfecto, Alexandro Tellichio, Ægydio Piekio, Ioachimo Lirano, Alexandro Bentingio pro Geldris. Pro Hollandis G. Poelgeeſt, Paulo Buſio, Regnero Cantio, pro Zelandis Gulielmo Roelſio, Nicolao Blanciæ, Petro de Rijcke & Caſparo Vosbergio. Pro Ultrajectinis ab Antonio Galama à Schora, de mandato Capituli, Jacobo Verhario, Vicedecano S. Petri, de mandato Capituli, Adriano Zuylio, Lamberto à Binchio, F. Utenengio, Reinardo Aſuinio, Bartholomæo Valio, Nicolao Zuilio, A. de Leyden, Lubberto Clivio. Pro Omlandis Egberto Clantio & Eyſone Iarges x. Kal. Febr. ſignata Ultrajecti.

Publicata. IV Kal. Febr. de Curiâ oppidanâ.

Quod etſi 23. Novemb. proxumo apud Ultrajectinos Barthius Idſaerda & Douwo Sixma Legati Friſiorum nomine ſe facturos caviſſent, ita gliſcentes per eam provinciam civilium factionum infœlices diſcordiæ etiam tum morabantur. Quippe alij pro Rege & ejus dominatione, alij pro libertate, ut alibi armis, ita domi odijs & æmulationibus certabant, quas tolli non poſſe, niſi alterutrâ parte ſubverſâ indicia graviſsimæ acerbitatis oſtendebant.

Acerbæ accuſationes adverſus ſenatum Regium.

Quippe Deputati Ordinum libello ſupplice novo Senatui exhibito, in veterem Philippi ſenatum invehebantur, quod is acta & inſtrumenta partium, adhoc conſignatum æs ſupprimendo ſanguine & ſucco obviæ & redactæ ad mendicimoniam paupertatis paſceretur. Itaque otio & luxu gravem & præter hoc aliena limina circumeuntium innocentiam & res ſtrangulantem mandato Senatus coërcendum eſſe, quo libelli & diſceptantium in foro acta, nullo fructu, cum nocte & putredine luctantia partium uſibus & expediendis judicijs ſerviant. Non eſſe credendam ijs controverſi juris materiem, qui dilationibus & minus neceſſarijs tempora trahendo ſuſpecti & dignitatibus quaſi exuti & fori curſum & litigantium commoda morarentur. Quare Senatus, quem præſidere judicijs Ordines fecerant, exhiberi ſibi acta, libros, munimenta reſcripto juſsit, Ordinumque petitioni velut æquiſsimæ & tot innocentium querelis ſubnixæ morem geſſit. Igitur Deputati Ordinum Wigero Mockamæ apparitori Curiæ poteſtatem fecere à vetere Senatu acta & proceſſus litigantium efflagitandi, addito, ut niſi pareat, de eo referat. Cæterum cum alij decorâ animi moderatione etiam in tam aſperâ accuſatione, officia offerendo, alij excuſationibus honeſtis uterentur erant tamen, qui innatam, inſtar morientium ferarum, ingenijs ferociam acuerent injuriamq́; & vim ſibi fieri obtendendo nihil de prioris fortunæ conditione & moribus remitterent.

Annotatum eſt Antonium Lavailium, nuper communicati cum Ioanne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXIX. ne Auſtriaco ſecretioris conſilij ſuſpectum, contumaci ſilentio per indignationem abrupto paucas voces, ſed compreſſo ſanguinis fervore prolocutum, Georgioque Weſtendorpio affectuum immodico multa cum vehementiâ & ex impatientiâ animi ſibi non conſtantis, excidiſſe. Itaq; de injuriâ ſuo & collegarum nomine obteſtatum, quorum interim accuſationibus apud Matthiam Archiducem aliquid antiquæ Senatus dignitati & Regijs mandatis adhuc dantem, non obſoleta patrocinia quærebantur.

Senatus indignatur & patrocinium Matthiæ Archiducis quærit.

Matth. Archiducis æquior eſt Cunero Epiſc.

Unde factum eſt, ut Cunero Epiſcopo etiam abſenti & de reſiduis inſimulato honeſtam octingentorum carolæorum penſionem & mobilia bonorum ſuſtentandæ vitæ aſſignaret, Friſiæq; Ordinibus lege adverſus eundem Cunerum agentibus negotium & velut ex importunitate procedendi invidiam faceſſerent. Quare Friſiæ Ordines Matthiam Gubernatorem ſeriò rogarunt, ne publicis reorum criminibus impunitatem præferret, hominemque ſui Ordinis & quod fœdius morum ac modeſtiæ oblitum odioſo beneficio ſublevaret. Neque enim eam provincialis ærarij rationem eſſe, ut iſtiuſmodi largitionibus reſpondeat, neque id præmij in illum erogandum fuiſſe, quem præſtandis rationibus adminiſtratæ & proſtitutæ fœditer ſedis imparem neglectæ diſciplinæ & frugalitatis incuria feciſſet. Itaque mandaſſe Pompeio Roordæ Epiſcopalium redituum aut mobilium quæſtori, ne quid æris ex illo reſcripto in Epiſcopum conferat, niſi libellum ſupplicem exhibuerit haud dubiè falsâ materiè inſtructum. Sperare ſe Archiducem ex Gandavenſi conventione miſsionem Epiſcopo facturum, ne provinciæ in poſterum oneri ſit, quæ reſtitutionis in integrum indigeat. Quod ad priorem Senatum attineret, illi velut abitum paranti mandatum injeciſſe, ne niſi traditis actis judicialibus cæteriſque partium rebus provinciâ excedat. In eo propoſito ſe etiamnum perſeverare ac rogare interim Archiducem, ut negotium cum Julio Bottnia legato occœptum ratum præſtat.

Ita omnia partium plena & ſignando Ultrajectino fœderi adverſa, procul domeſticæ pacis curâ, per provinciam fluebant. Quæ fatali diſcordiæ malo, velut triſti ſydere, impulſa, nec ſola extra fortunæ diſcrimen eſſe poterat, nec in civilem concordiam pertrahi, ſeligendis Philippi aut patriæ partibus, intra quas ſtabant aut ſtare videbantur noxiarum factionum conſilia.

In Martio ſcribendum ex Chronico fol. 641.

Itaque plurimos fama ſolemnis ſacramenti Carolo Cæſari & Philippo filio præſtiti & ſimul recordatio afficiebat, quarum utraque retineri integra non poſſet, ſi novo & ſeceſſionem à Rege facturo fœderi Ultrajectino ſubſcribant. Quod etſi ſuperficie tenus inſpectando non præferret, tamen id arcanum arctioris ſocietatis interpretamentum eſſe, ut regis populique diſſidijs fomentum ſubminiſtret. Cæteris vero patriæ nomen imperio principis reverentius videbatur, quod vi & armis ſubnixum excuſsâ principalis ſacramenti memoriâ ceſſaret. Neq; iniquum & à gentium moribus alienum eſſe repellere quæ nocerent aut ſanguinis pretio empta triſte ſervitium minarentur. Id liberos, id conjuges, id ſacra & domeſtici liminis religionem implorare, ut quam longiſſime arceatur, nec animorum ſecretum ſubeat efferati regis veneratio. Coëundum potius, ſicuti armenta ſolent, ad feræ incurſum eſſe, quo ſi animi ſuo fato non poſsint, dexteræ ſaltem & vires repellen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

lendis hoſtibus jungantur. Manere poſſe ſuum cuique de divinis ſenſum, ne conſcientiæ provincialium ſerviant, quas liberrimas, ut illarum opifex legeſque humanæ, ita maxumè Ultrajectini fœderis ſanctio voluiſſet. Cæterum reparandæ libertatis curæ mutuis odijs & novarum partium affectatione turbabantur, cum eſſent, qui in Hannoniæ Arteſiæque fœdere omnem publicæ ſalutis ſpem collocarent, quod & à Gandavenſi conventione non abiret & Philippi jus atque majeſtatem tueretur. CIↃ. IↃ. LXXIX.

Montinius & alij defectores gloriantur Friſiam quoq; à ſuis partibus ſtare.

Itaque factum eſt, ut Montinius alijque defectores proclivem partibus ſuis Friſiam jactitarent omnemque illum tractum à Flevo, Rheni oſtio, in Lavicam flumen protenſum, cum Arteſiâ, Hannoniâ, Inſulis, Duaco & Orchijs coiturum. Quaſi interjectis tantis terrarum ſpatijs, quæ Geldri, Hollandi, Zelandi & Ultrajectini tenerent, auxilia Friſijs ab illis gentibus proficiſci poſſent, quæ ſedibus, linguâ, moribus diſcretæ polliceri ſibi nequirent non duraturi fœderis fidem. Adhæc agros trans Lavicam ſitos & ad Amiſi fluminis ripam procurrentes Ultrajectinæ ſocietati innexos, neque ipſum mare, etſi adeundis gentibus patens, apertum credi poſſe, quod Hollandiæ ſociorumque claſſibus infeſtatum, ne commercia quidem cum Arteſijs aut Hannonijs Friſiorum populo permiſſurum eſſet.

Sed omnes iſtas difficultates factionum amor & cæca cupido amovebat. Quibus Leovardiæ attemperandis 23. Februarij menſis, uſurpato Lalainij etiam abſentis nomine, poſtulantibus Renico Cammingha & Adio Lamberto Deputatis Ordinum ſupremus Curiæ Senatu datis in omnem provinciam litteris à quo Lalainius alienior erat, comitium ad IV. Non. Martij indixit. Cui rei occaſionem quoque commodabat, quod ad fœderis Ultrajectini ſocietatem Friſij ferventius tum ſollicitarentur & quod rex Philippus, prout ante factum erat, perſcriptis Mantuæ Carpentanorum VII. Eid. Febr. ad Ordines Arteſiæ litteris, Gandavenſe fœdus & inter Ordines Belgicæ poſt ictum, dein perpetui Edicti nomine habitum regiâ ratihabitione ſe firmaturum polliceretur.

Lalainius etiam inclinat ad defectionem.

Quæ vana & ſpecioſa regiæ gratiæ oſtentatio in animum quoq; Rennebergij quam maxumè ſe infuderat. Igitur quo moram fœderi Ultrajectino per Friſiam injiceret, more priorum temporum, vocari ad Comitium Regi ac Romanæ religioni addictiſſimos voluerat, ac ut in Ordinum cœtum, plenâ cum agendi decernendique poteſtate admitterentur, quos ſuis conſilijs ac ingenio faventes ſecretâ familiaritate exploraverat.

Legati Vltrajectinorum urgent fœdus ſuum in Friſiâ.

Ipſe poſtero die. III. Non. Mart. magno comitatu urbem ingreſſus, quo comitij rebus præſideret, alitas diu inter potentiſſimos quoſque ſimultates aulicis artibus nutriebat. Ibi procerum conventui Anſonius quoque Galama & Florentius Thinnius Ultrajectinorum legati interfuere. Verbiſque ad populum pro more factis, ad amplectendam ocyus Ultrajectini fœderis ſanctionem præfervidis ſtudijs hortabantur.

Omnem ſcilicet prolatationem conditioni temporum inimicam repetebant, feſtinandumque eſſe, ubi pœnitentiæ ex morâ metus eſſet. Diffindi ſcilicet & diſſolvi provinciarum fœdera & validiſsimos quoq; prout animus aut ingenium eſſet, novis rebus ſtudere denique in anci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIX. piti remp. ex procerum diſsidijs & per arma hoſtium eſſe, quorum incommodis ſubvenire poſſet concordia fœderis vires bello, occaſionem paci factura.

Igitur maturanda ocyus conſilia bono ceſſura, ne per conſulentium incuriam aut ex intempeſtivis partium ſtudijs animos ſumat prævalentis & ſuperbi hoſtis immanitas. Infeſtari Geldriam, vaſtari Cliviam & ad Rhenum agros, neque aliud metuendnm eſſe, quam ut, velut ſecundo amne ferox & nulli rei abſtinens Philippi exercitus deſcendat, majore impetu, ſicut exeuntia in mare flumina ſolent, Friſiorum agros & extrema littorum petiturus. Atqui auxilia nulla aut non niſi imbecilla ſi id eveniat, ad manum eſſe, neque ſubminiſtrari à ſuperioribus provincijs poſſe, quas aut arma, aut bello pernicioſior potentum diſcordia fatigaret. Depugnari ſcilicet in ipſis Brabiantiæ viſceribus & jam eo infœlicitatis perventum ut vicinos ſuos, quos ſocios habuiſſet, hoſtes timeat. Novo fœdere, ubi vetera ceſſarent, parandas vires eſſe. Hæc Ultrajectinorum Legati.

Igitur provincialium quiq; qui in partibus libertatis cenſebantur, poſt aliquot dies acerbis altercationibus inſumtos, hunc in modum reſcripſere:

Et prævalent in comitijs.

QVandoquidem nos Delegati cum plenâ poteſtate ſtatuendi definiendique repræſentantes agrorum oppidorumque, Friſiæ Ordines, de mandato RENNEBERGIJ *Præfecti convocati ſumus & ejuſdem nomine propoſitum ſit, ut Delegatos ad diem* IX. Kal. *Decembr. proxumum Vtrajectum mitteremus, conſultandi cum Legatis Geldriæ, Zutphaniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Vltrajecti, Friſiæ, Tranſiſulaniæ, Groningæ, Omlandiæ, Drentiæ, Tubantum & Lingæ ſuper articulis arctioris fæderis, ea de re conſcriptis & in acta redactis. Et næ propterea delegavimus D. Barthium Idſaerda & Douwonem Sixma cum plenis mandatis agrariorum oppidanorumque, per quos fædus illud ſignatum eſt, eâ tamen conditione additâ, ut ab Ordinibus Friſiæ firmaretur approbareturque. Ita nos infra ſcripti, pro qualitate noſtrâ, conſiderantes quam neceſſarium fædus ſit, & quam expediat illud ipſum ex actis præcedentibus ad finem perduci, delegavimus & delegamus Barthium Idſaerda, & Gellium Sibæum Conſulem Leovardienſium Vltrajectum eundi, condeſcendendique cum ſocijs in Fædus* x. Kal. Feb. *perſcriptum & poſt publicatum. Hac tamen cautione interpoſitâ, ut Legati curam gerent, ne provincia in cauſâ tributi ſupra cæteras & plus quam æquum eſt, gravetur, tam ratione quantitatis quam aliter. Hoc etiam cavebunt, ne provincia tributum in fædere expreſſum ante pendere cogatur, quam vicini noſtri in idem fædus adſciti ſint. A fædere vero ſignato cum ſocijs conſultabunt & definient, ut Legati Antverpiam ad conventum Ordinum generalium cum iſtiuſmodi mandatis mittantur, prout de communi conſilio conducere cenſebunt.*

Actum Leovardiæ IV. Eid. Mart. Iulius Bottnia pro Franequerenſibus, Meinardus Wigerius & Ioannes Ayſma pro Leovardienſibus, B. Loo, Doco à Martnâ, Renicus à Cammingha, S. Galama R. M. prætor Baerderanus, Laſius Iongema, Diorræus Annij pro Snecanis, Douwo Sixma, T. Aylva, Sixtus Bottnia R. M. Prætor pro Wimbritſerijs, Carolus Roorda, Popko Roorda, Vitus Cammingha, Juſtus Ockingha, B. Idſaerda, Scipio Meckmans, Sixtus Sceltama pro Dongrijs occi-

occidentalibus, Juſtus Herama, Tiallinghus Wikelius, Jorritius Hania, Auco Edonius pro me & fratre Oenſo Edonio, Otto Herama R. M. prætor Rauerderhemus, Doco Ayſma, Otto Sualue, Sibrandus Camminghа R. M. prætor pro territorio Leovardienſi, Epo Douma Hallemius, Oeno Grovenſteinius, Pibo Vitus Abbema, Joannes de Verwou, Orichius Doyem cum prætore Galama pro Baerderanis, Joannes Petri Sannes, R. M. prætor pro Stellinguerfijs occidentalibus, Hyeronimus Winterius pro ſe & ijſdem. E. Herama, Regnerus Idſius cohortis ductor pro Geeſterlandis, Johannes Hottingha, Wibrandus Roorda & Arnoldus Annij Paſtor in Jeſlum pro Ferverderanis. CIↃ. IↃ. LXXXIX.

Cæterum poſtero die, qui III. Eid. Mart. erat, præpollentibus infirmando priori decreto partis adverſæ ſuffragijs reſcriptum hoc modo.

Frisij fœdus Vltraiectinum repudiant.

O*Rdines Friſiæ de voluntate* RENNEBERGIJ *Præſidis provinciæ Leovardiæ ſolemniter congregati, auditâ propoſitione per Reverendos Nobiles & eruditos viros* Antonium Galama *Vicedecanum Vltrajectinum ac Præpoſitum Northuſanum &* Florentium Thinnium *Iureconſultum, Ordinum Vltrajectinæ Diocæſeos Advocatum, ex fiduciarijs litteris facta, quo ijdem Friſiæ Ordines Vltrajectinum fœdus approbarent reciperentque. Decernunt ex ſingulari in legatos propenſione & affectu, quod grates imprimis legatis agant, pro ſuſceptâ moleſtiâ, Declarantes intereà, ſe Gandavenſi fœderi & ſecutæ unioni obligatos, quibus abundè hoſtis repelli & conſervari ex præſcripto fœderis poſſit novi Fœderis auxilio non egere parati, quod huc uſquè experimento oſtendiſſent, Gandavenſem conventionem omnibus viribus etiam cum vitâ atque animâ tutari. Rogare ut Ordines iſtarum provinciarum quæ arctiore fœdere ſe obligaſſent, id reſponſum humaniter interpretentur confidantque pacificationem & ſecutam Vnionem ratam facturos culturoſq; amicitiam atq; ſocietatem cum vicinis provincijs, cui rei fidem publicâ relatione facere Legati poſſent.*

Hæc III. Eid. Mart. in acta relata, ac nomine Ordinum manu Henrici Heſſelij Præſulis Doccomienſium, Livij Wijtſma, Ottonis Vincentij, Hectoris Henrici Elinxma, Sixti Emingha, Upkonis Tallumij ſignata.

Qui mox libello ſupplice ad Lalainium miſſo, & decreti ſui copiam & voluntatem expoſuere, haud dubiè apud benignum iſtius conſilij interpretem, qui omne ſcribendi novi fœderis ſtudium, quod jam antè profeſſus erat, manifeſtâ ejus invidiæ & indecorâ levitate mutaverat. Libellum, ut eorum nomina, qui in partibus fuere, recenſeam I. Bouricius, Nicolaus Laudenſis in Hemelum Abbas Stauriæ, Gerardus Iacobi Abbas Clare-campenſium, Paulus Coſterius Foſverdienſium, Thomas Groningenſis Floridi campi, Riquinius Groningenſis Gerriconis cœnobij, Henricus Keſſel Doccomienſium, Rudolphus Pauli Faber Paſtor Tzumarumanus, Gellius Ilſtanus Commendator in Hoſpitali, Hubertus Scœffius Commendator in Nes, Ioannes Biſtemius Prior in Thabor, Ioannes Antonius Prior Novi Cœnobij, Melchior Germanici Ordinis apud Slotenſes Commendator, Wibrandus Schenichanius prior Cruciferorum apud Snecenſes. Iarichus Bottnia, Hector Albada, Oeno Wijtſma, Iacobus Hornius, Oedſius Arnoldius, Elco Heringha, Ioannes Roorda, Isbrandus Slotius Prior in Aengium, Herco Ianconius, Syriacus

cIↄ. Iↄ. LXXIX. Donia, Menno Emingha, Hero Ockingha, Tiepko Gerbranda, S. Hottingha, Wopko Tallumius, L. Ockingha, Ado Heringha, Sybrandus Iacobi, Cornelius Rudolphi, Mecco Taeckema, Sixtus Emingha, Sibo Peima, Douwo Sirxenius, Marcus Jenſma, Siuckius Peima, Edo Alma, Ritsko Folckertius, Herco Lauwema, Ioannes Hanſonius, Siriacus Bootſma, Titius Keinſius, Livius Wijtſma, Mercus Lauwius, Broërius Hoytema, Hotzo Henrici Aelſma paſtor Wolſemius, Mello Ioachimi, Nicolaus Lauwius, L. Ielgerſma, Heſſelus Emingha, Tetardus Dockum, Renicus Tetardus Talma, Nicolaus Iacobæus, Hinno Iarichius, Olpherdus Ioannis, Hector Wibenius Wirdumanus ſignavere.

Alij Friſiorum ad fœdus Vltrajectinum inclinant.

Adeo ut mihi iſtorum temporum conditionem expendenti falsò exiſtumaſſe non videantur, Friſiorum pleroſque à fœdere Ultrajectino alienos, magis in Arteſiæ ſociorumque conſilia tanquam vetera & uſu recepta, quam in novas vicinarum gentium ſocietates inclinaſſe. Quamobrem à fœderis Ultrajectini amantibus libellus quoque ſupplex formatus ac Rennebergio exhibitus, quo & memoriam ſignati per Legatos fœderis innovabant ſerioque obteſtabantur, ſe nihil in iſtâ actione, præterquam de præfecti conſilio, egiſſe. Interim rem arbitrio Ordinum relictam, per abſentiam Præfecti in ſuſpenſo manſiſſe, recuſantibus Ordinibus tantæ molis negotium ſine conſultore & arbitro ſubire. Igitur datis ad fœderatos Ordines Ultrajectum litteris in adventum Præfecti diſtuliſſe, non ſine ſpe aut fiduciâ hoc ipſum comitium iſti negotio ſerviturum. Præſertim cum ſcripto & ore tenus conficiendi fœderis deſiderium præfectus non diſſimulaverit; Atqui experimento ſe deprehendere, non ſocordiâ tantum in promovendo Ultrajectino fœdere, ſed morâ & pervicaciâ peccari, nonnulloſque ex agrarijs, procul comitij lege privatis damnatiſque coïtionibus animum præfecti & conſilia invertiſſe. Igitur non potuiſſe ſe deeſſe ſuis officijs, quin Præfectum de imminentibus periculis hoc belli incendio monerent; Neque enim hoſtem ignavum, neque inopem virorum aut Ducis eſſe, qui ſi in Friſiam aut vicina irruat, provinciam auxilia non ex Brabantiâ aut ſuperioribus provincijs, ſed vicinis habituram. Didiciſſe Lalainium expugnandis Camporum aut Daventriæ civitatibus occupatum, quam paucis auxilijs ſe & ſocios præjuverint & quam Geldriam furoribus hoſtium permiſerint, ſua damna & incommoda è tarditate auxiliorum expertam. Adeo verum eſſe, patriæ iniquos deprehendi, qui iſti fœderi adverſi ſint, quod reprobare illos tantummodo ſciret, quibus volupè futurum ſit, libertatis & omnium rerum ruinâ ſe paſcere. Non ignorare præfectum, quibus autoribus ſtet publicæ ſalutis mora & quam importunitatem profeſſi ſint, qui Harlinganum quoque conventum nuper habitum factioſis conſilijs diſturbaverint. Igitur ſe rogare Lalainium, ut prioris conſilij & decreti tenax, plus conſcientiæ ſuæ quam aliorum importunitati aut gratiæ tribuendo, fœdus Ultrajectinum probet, ne apud ſocios levitatis vitio Friſij traducantur & ne revocare ea videantur, quæ ipſi etiam præfecto in adeundo fœdere Harlingano comitio placuiſſent. Hæc in acta relata ac ab Epæo Douma Hallemio, Docone Martna, Epone Herama, Mei-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Meinardo Wigerio, Douwone Sixma, Ioanne Ayſma, Joanne Martna cIↃ. IↃ. LXXIX.
pro Corniumanis, Wilcone Holdingha, Broërio Heſſelio, Haione Cammingha, Wibrando Roorda, Sixto Scheltama, Ioanne Bonga, Iaricho Hottingha, Oenæo Grovenſteinio, Juſto Ockingha, Martino Schonbergio, Edzardo Glinſio, Frederico Fervovio, Orichio Doiemo, Ottone Sualue, A. Hercama, Tiallengo Wikelio, Pierio Auconio, Hieronymo Winterio, Laſio Iongama, Barthio Idſaerda, Iulio Botnia, Gellio Sibæo, Diorræo Annio, Bennerto Roorda, Renico Cammingha, Sibrando Cammingha, Vito Cammingha, Docone Ayſma, Arnoldo Annij paſtore Ieſſumano, S. Galama, Sixto Botnia, Vlpio Aylua, Foppio Grovenſteinio, Tiallengo Sixma, Ioanne Fervovio, Iuſto Herema, Ottone Herama, D. Roorda, Iulio Ayſma, I. Sannes, Aucone Edonio, Iacobo Tiebbæo & Tetardo Tetardio ſignata.

V. Cl. Carolus Roorda ſcribit, utrique libello ſtudio aut incuriâ Lalainij reſcriptum denegatum, monaſticamque vitam profeſſos & Robleſij ætate in dignitatibus conſtitutos & lege exautoratos, iſti conventui, tanquam communi & libero interfuiſſe. Eoſdem quoque rebus ſuis diffiſos, libellum ſupplicem clam conſcriptum & per tabernas conquiſitorum ſcripturâ ſignatum, in comitio non protuliſſe repudiatâque comitiorum conſuetudine & procurationum ſolemnibus, ex vitioſo quoque & corrigendo legibus inſtrumento, novos Deputatos abrogatis prioribus creaſſe. In ijs Gerardum Jacobi Antiſtitem Clarecampenſium & Heſſelum Emingha Ooſtergoos, Joannem Roorda & Diricum Fogelſangium Weſtergoos, Eraſmum Douma & Regnerum Idſium Sylveſtres fuiſſe, eorumque poſtremum, velut dignitatis ex ætate incapacem, favore magis aut gratiâ, quam ſuo merito & prudentiæ gloriâ evectum. Legationibus quoq; extra provinciam obeundis Commendatorem Snecanum, Eraſmum Douma & Diricium Fogelſangium delegaſſe, comitiumq; reparandis iſtâ ætate rebus & communi concordiæ inſtitutum, publicâ ſeceſſione fœdatum. Cæterum illorum autoritate, qui pro fœdere Ultrajectino ſuffragati erant magis validâ, prioribus Ordinum Deputatis dignitates continuatæ factumq; eſt, ut quod evehendæ parti adverſæ repertum credebatur, invidiæ & exitio egregio providentiæ miraculo cederet.

Et prævalent.

Itaque Lalainius haud dubie animi æger & offenſionem alens, quod bene deſtinatis præter ſpem excidiſſet Vollenhovam Idib. Mart. profectus eſt, ubi comitium Trans-Iſulanæ gentis ordinaverat.

Igitur Vollenhoæ agens, ubi annonæ defectu hoſtilem exercitum divexari intellexerat, legem de commeatu tulit, vetuitque ne quid frumenti, navi, aut curru hoſti ſubminiſtraretur, & ut omnium mercium profeſſione præmiſſa, conſtitutis inſuper in quaque civitate, qui luſtrandis navibus præeſſent, Senatorijs viris doloſæ frumenti Rhenum verſus aut Iſalam ſubvectiones, amiſſione mercium, navium, atque curruum punirentur.

Heymannus ſcribit Lalainium illo comitio de menſtruo 20000. millium tributo legioni præſtando propoſuiſſe & ut in quodque cereviſiæ vas bini ſtufferi ex Cortevillij legati, qui id ante rogaverat, conſilio penderentur. Dein amovendis generalium collationum oneribus & redimendo quorundam Daniæ mercatorum ære decem millia carolæorum

Lalainius Trans-Iſulaniæ comitia indicit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIX. in menſtruum tributum decreta, eïque penſitando 3. Stufferi cum quadrante à florenis aureis petiti. Igitur provinciales Paulo Gellio ærarij tribuno ocyus id deferre juſſi, ne equitum peditumq; copias in Friſiæ finibus agentes & ſtipendiorum avidas æris aut inſolentiæ cupido in interiora provinciæ propellat. Id actis commiſtum ac XVII. Kal. April. manu Baudemontij Graphiarij Curiæ ſignatum. Cæterum diſcordi comitio & procerum animis aut à regis dominatione aut ſuâ libertate alienis, ne tempeſtiva quidem ſubſidia debili ærario præſtabantur. Cui malo, etiam hoc incommodum accedebat, quod illo publico provincialium diſſidio, oppidani quoque cum agrarijs diſſentirent, infælicisque comitij concordiam, non tam regia ac religionis odia, quam antiquæ & tum renovatæ æmulationes morarentur.

Oppidani libellum ſupplicem offerunt Rennebergio & queruntur ſe à comitijs prohiberi.

Itaque Lalainio ordinandis provinciæ rebus Leovardiæ adhud commoranti oppidani libellum iſtiuſmodi exhibuere.

NON ignorare te cenſemus, Præfecte, quantâ agrariorum importunitate exerceamur, quibus & animus & conſilium fuit nos & à reip. conſtituendæ communione arcere & jure ſuffragiorum privare. Cum hoc velint, ut civitates & oppida partium ac diſtrictuum jus ac conditionem ſequantur. Et quanquam, ſi quid tale à majoribus traditum ſit, infirmare nobis propoſitum non eſt, ita lubenter aſſentimur, modo antiquæ conſuetudini, tam in exercendæ poteſtatis, quam ſuſtinendo onerum jure acquieſcant. Sed affectibus ſuis nec modum ponunt & ex lite lites ſerunt, etſi ita conventum ſit ut Deputati quoque ex oppidanis crearentur, quartamque reip. partem jure conventionis conſtituerent. Et ſic quidem præſtructum concordiæ fundamentum credebamus, noſque poſſeſſione juris noſtri nunquam dimoveri ex formulâ pactionis potuiſſe. Præſertim cum tributa noſtra, quorum immunitate ac exemptione majores noſtri fruebantur, ſubſidio provinciæ & ipſorum quam maxumè agrariorum ceſſerint. Sed iſtius beneficij memoria langueſcente, onera, quibus initium apud nos dedere, augent & à commodis reip. nos excludunt, præmiſſâ denuntiatione non laturos ſe in collegij publici cætu noſtros delegatos conſidere, aut publicarum litterarum ſecreta, ex uſu antiquæ inſcriptionis, ad nos perferri. Itaque factum eſt, ut nec ad comitium citati ſimus, nec Matthiæ Gubernatoris, nec Ordinum generalium, aut Vltrajectinorum litteræ ad nos pervenerint & quidem ſiniſtris eorum artibus inverſæ, qui veteres controverſias ex novâ & pernicioſa æmulatione refricantes paci, qua maxumè egemus, impedimentum obtrudunt. Igitur quoniam & comitio intereſſe & conſulere de publicis in commune prohibemur, ne impendia Præfecte & contemptum feramus miſſionem petimus, ac ut ſinas nos in noſtra, quando publicis arcemur, ſine invidia uſurpati juris redire. Obteſtamur nihilominus propalam nos jus noſtrum vel frementibus agrarijs tutaturos, ne, quæ ſeparari non poſſunt, emolumenta amittendo, onera & incommoda feramus. Itaque tributorum exceptione nos tuebimur, daturi operam ut oppida noſtra tuo auxilio ſubiuti adverſus hoſtium incurſiones, omniumque injuriam tuta atque munita præſtemus. Interim ne ſerendis diſcordijs fovendiſque proni & à pacis ſollicitudine alieni videamur, parati etiam num ſumus judicium experiri, modo hoc quod ſperamus, æquitati noſtræ detur, ut quartum reip. membrum habeamur, nihilque omiſiſſe, quod paci & ſaluti publicæ expedire tua prudentia cenſebit.

Ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Ita pro Franequerenſibus Iulius Bottnia, pro Leovardienſibus Meinardus Wigerius, Joannes Ayſma, pro Ilſtanis & Snecenſibus Upco Franciſcius & Diorræus Annius, pro Bolſuerdijs Rinckius Cornelius, pro Staurijs Gerardus Wipkonius, pro Doccomienſibus Cornelius Ludolphi, pro Hindelopijs & Slotanis Wopco Douwonius, pro Worcumanis Gajus Jouconius, pro Harlinganis Cyprianus Ruardus & Cornelius Coninxius ſignavere. cIↃ. IↃ. LXXIX.

Hæc XI. Mart. Lalainio exhibita, ac ut in manus agrariorum mox perferrentur cum reſcribendi mandato, à Lalainio ſignata.

Igitur AGRARIJ reſcripſere:

IUS majoribus noſtris quæſitum, Præfecte, pertinaciter tueri in animum induximus, neque ferre, ut præter religioſos, nobiles & agrorum proprietarios jure, ſocietate atque titulo Ordinum gaudeant. Præter hoc volumus, ut oppidani præturis in quibus ſiti ſunt, ſe ſubijciant tributaq; noſtrum ad exemplum præſtent. Quæ ſi recuſent, obteſtamur & nos, alicuius oneris debendi reos nos non eſſe.

Cæterum Lalainius edixit: Ut oppidanis in iſtud tempus confidendi ſuffragandique in comitio poteſtas eſſet, eorumque ſuffragia, velut à membro quartam provinciæ partem conſtituente profecta, rata firmaque eſſent. Ita lis non dirempta, ſed ſuſpenſa manſit, donec adulta æſtate, velut movente bilem Sirio, cum ipſo cœli æſtu recrudeſceret. *Oppidani à Lalainio admittuntur ad comitia.*

Mox Barthius Idzaerda & Gellius Sibæus Ultrajectum, profecti, ſalutatiſque pro more fœderatarum provinciarum legatis inter Lavicæ & Flevi amnium oſtia Friſios ſitos Ultrajectino fœderi ſociavere. *Friſia jungitur fœderi Vltrajectino.*

Igitur in conſeſſu ex provincijs delegatorum acta hoc modo ea de re perſcripta:

ANNO cIↃ. IↃ. LXXIX. X. Kal. April. *Comparuerunt Vltrajecti in conſeſſu Deputatorum fœderatarum provinciarum, Delegati oppidorum Leovardiæ, Snecæ & Franequeræ, cum mandatis quoque prætorum & quorundam ex nobilitate Friſicâ, declararuntque ſe viſitatis examinatiſque actis fœderis ex formulâ procurationis* XII. *Mart. ſcriptæ, fœdus illud approbare ratumque habere, addita promiſſione, ſe ſicut reliquos fœderis ſocios operam daturos, ut in omnibus ſinguliſque rite obſervetur. Quæ Leovardienſium, Snecenſium, Franequerenſium, prætorum & nobilitatis nomine cauta, ac à Barthio Idſaerda & Gellio Sibæo ſignata.*

Cl. Franckena in diario ſuo notat III. Eid. Mart. Friſios in fœdus receptos, ſolitq; defectionem verſus occidentem VIII. Kal. April. conſpectam, magno metu civiles animos conterruiſſe.

Reperio in actis publicis Petrum Emskerckium regij ſed loco moti Senatus actuarium Franciſco Baudimontio ſucceſſori litem tum moviſſe, eumque pro obtinendo reſtitutionis beneficio vehementer & acerbè agentem innocentiæ ſuæ teſtimonium reſcriptum comitij obtinuiſſe. Id Henrici Keſſelij Doccomienſium Præſulis, Martini Nitſenij & Upconis Talumij manu Idib. Mart. ſignatum. Ita invidiâ aut ex merito dignitatibus ejectos aliorum importunus favor & ſuffragatio *Lalainius & tribunalia Iudicum fictis fatigantur accuſationibus.*

cIↃ.IↃ. gatio commendabat, patrociniaque pro animorum ſtatu, aliquando
LXXIX virtuti, nonnunquam improbitati ex ſtudijs partium quærebantur. Itaque criminationum materies fictis inverisque accuſationibus facta, tribunalia Iudicum & Lalainij præcipuè aulam fatigabat, eorum inquietâ malignitate, qui incertis rumoribus multum dando inimicorum injuriam ex magnitudine præcipitis famæ æſtumabant.

Hoc vero Pontificij ſiniſterius interpretabantur, quod provinciæ nomine ad Ordines generales ſcriptæ litteræ inconſultis Friſiæ Ordinibus dicerentur, atrocemque provincialibus, velut tributa non niſi demolitis caſtellis & amoto regis Senatu detrectantibus, injuriam manifeſto mendacio inuſſiſſe.

Quare litteris ad Lalainium datis teſtandi in patriam & ſocios affectus, excuſationem ignorantiæ obtenderunt aliosque nomine ac mandato Ordinum malè uſos enormes calumnias gravandis partibus repperiſſe.

Quod ad caſtella regia attineret eius opinionis ac conſilij ſe eſſe, ut ſalvâ regiæ majeſtatis autoritate ſubverti aut ſolo æquari non queant, tum demum confuſionem & diſcordias factura ſi munimentis exuantur. Igitur rogare Lalainium, ut caſtella regij imperij præſidia integra aut inviolata præſtet, aut de ijs ita diſponat prout paci & ſaluti provincialium conducere videbitur.

Hæ Riquinij Groningenſis Præſulis Gerriconis cœnobij, Nicolaî Laudenſis Stauriæ Abbatis, Pauli Coſterij Foſverdici, Henrici Keſſelij Doccomienſis, Sixti Tiallengij pro Florido Campo, pro Ooſtergois Herconis Iouconij, Herconis Louwemæ, Gellij Ilſtani commendatoris in Hoſpitali, pro Weſtergois Hotſonis Henrici Æxmerij, Sixti Eminghæ, Renici Bardij manu ſignatæ.

Cometa in Belgicâ viſus paulatim defecit. Buntingius in Chronologiâ ſuâ notat Cometam obſcurum pallidumque menſe Octobri à Solis occaſu viſum, circa hujus anni initium orientalem factum, ſparsâque in ortum comâ, ex cæleſti motu circumactum caudam verſus ſeptentrionem porrexiſſe oculiſque ſenſim ſubmotum, velut manifeſtâ tabe ſui luminis defeciſſe. Cujus diſparitioni magnam adhuc in res humanas poteſtatem tribuebant, qui illius, velut diri ſyderis exortu, ſuperſtitione aut metu perculſi ſua mala ad conſpectum comatæ facis, tanquam fatalem cauſam referebant. Itaque ſubſecutam æſtatem imbrium copiâ meſſi noxiam, mox autumnum nimio cœli humore, putredine & exinde peſtilentiâ gravem curioſi talium etiam defecto ſyderi imputabant, & quod ruptâ velut omnium rerum fide, etiam in tanto fœderum concurſu, infœlicibus provincijs deſiderata pax exularet. Quæ etiam armis ſilentibus, non levi diſcordium acerbitate per Friſiam fatiſcebat, ita impulſis velut ardentiſſimo ſydere, odijs ut civilis vitæ conſuetudinem vix paterentur.

Itaque regio Senatu ſuarum partium fiduciâ quaſi in comitio prædominaretur, animos erigente, ne fœderati quidem ea negligebant, quæ prægravandis adverſæ partis fautoribus reperiebantur.

Qui Ultrajectino fœdere ſuſpecto, cauſæ defectionem apud Matthiam Gubernatorem Ordineſque generales tum moliebantur, miſſis Antverpiam Petro Frittema viro nobili & legum doctori & Ioanne Dimero Senatoribus regijs, qui graviſſimas accuſationes, apud æquiſſimos, ut

reban-

rebantur, Pontificijs judices ex occultâ gratiâ elevarent. Quare ex Ordinum generalium conſeſſu, in quo Heſſelus Ayſma vir eximius Friſiorum nomine tum conſidebat, Elbertus Leoninus & Lieſeltius legum ſcientiâ clari cum Sillio Ordinum actuario examinandis reis delegati; quorum crimina actis publicis inſerta nullâ diſſimulatione aut conniventiâ proponebantur. CIↃ. IↃ. LXXIX.

In iſtis præcipua erant.

Crimina Senatui regio objecta.

I. *Quod Senatus à Philippo rege per Friſiam conſtitutus Gandavenſis pacis, vnionis & perpetui edicti decretum ſuppreſſiſſet, ejuſque copiam Friſij immiſſis in Baſilicam ſagittarijs prædicto Senatui extorſiſſent.* II. *Quod idem edictum non legitimè aut pro more vulgaſſet.* III. *Quod pro captivo Robleſio apud Auſtriacum interceſſiſſet.* IV. *Quod in Lalainio Præfecto recipiendo mandatis Ordinum ſe oppoſuiſſet.* V. *Quod novas copias Renici Dekamæ & Arnoldi Gemenij tuendis partibus ſine Decreto Ordinum autoraſſet.* VI. *Quod munitionem Ooſtmahornæ, ne præſidium Ordinum admitteret, ſuo retinuiſſet.* VII. *Quod Ioannem Auſtriacum hoſtem declaratumpr Gubernatore habuiſſet.* VIII. *Quod Matthiæ Archiducis gubernationem non approbaſſet.* IX. *Quod Hiſpanorum partes fovendo tranquillitatem provinciæ obturbaſſet.* X. *Quod Wibio Goutumano aditum cum cohorte ad Leovardienſe caſtellum feciſſet.* XI. *Quod ad Auſtriacum, Viglium, Lamotium, Bolſuerdienſes odioſas & ſuſpicionis plenas litteras dediſſet.*

Ad quæ Senatus Delegati ſub juramenti cautione Philippo regi præſtitâ reſponderunt.

Reſponſa Senatus regij.

Gandavenſe fœdus, quam primum perlatum in Senatum fuiſſet, Senatui placuiſſe, tertioque Eid. Januarij acceptum, hybernaque tempeſtate & ex ſcribendarum formularum copiâ prolatum, III. Kal. Febr. vulgaſſe. Quod ad ſagittarios in Senatum miſſos attineret, id ſe ignonorare, neque aliam locum recitando iſtius fœderi edicto delegiſſe, quam, quem promulgandis actis publicis conſuetudo deſtinaſſet. Robleſij vero captivitati & cuſtodiæ non ultro, ſed precibus mœſtiſſimæ uxoris exoratos, patrocinium apud Auſtriacum commodaſſe; poſtquam regi Philippo placitum fuiſſet eum cum imperio in provincias ablegare. De ipſo Robleſio nihil vero aliud cognoviſſe, quam quod in militum odia ex retardatis ſtipendijs incidiſſet, neque præterea eſſet, quod gravioribus eum ſuſpicionibus inligaret. Lalainio vero, recturam provinciæ adepto, ut ſe oppoſuerint tantum abfuiſſe ut ſtipendiâ illius copijs ocyus procuraverint & quidem iſtâ liberalitate, ut proxumas ſeditioni cohortes exſoluto ære pacaverint. Quod ad conſcriptum militem ſpectaret, id autoritate & de conſilio Robleſij factum eſſe, poſtquam in poteſtate Senatus non fuiſſet, ſine regis mandato dilectum copiarum aut miſſionem inſtituere. Neque Senatui de Renici Dekamæ cohorte in fide retinendâ conſtitiſſe, neque in cauſâ munitionis Ooſtmahornæ aliud feciſſe, quam quod abſente Robleſio, cujus vicarium imperium Senatus gerebat, copias collegerit præſidiumque loco impoſuerit. Non diffiteri interim Senatum, quod denuntiationem Ordinum Friſiæ Deputatis, ut ab obſidione iſtius munitionis deſiſterent, fieri curaverit, poſtquam ignoraſſet Senatus mandatum Ordinum generalium aut Præfecti iſti negotio

cIↄ. Iↄ. interveniſſe. Præſertim cum Lalainius præſente Indeveldio, Achlenio
LXXIX. Senatus præſide & quibuſdam Deputatis palam Renico Dekamæ in mandatis dediſſet, ne munitionem illam præterquam ſibi aut mandatorio dederet. Auſtriacum verò à tempore proclamati edicti pro Gubernatore Philippi non habuiſſe, neque Matthiæ Archiduci obedientiam negaſſe, quominus ex illius præſcripto ac imperio provincia formaretur. Itaq; non paci, non tranquillitati regionis unquam defuiſſe, neque occulta cum Joanne Auſtriaco conſilia communicaſſe, quæ pernicioſa provinciæ aut ejus ſtatui fuiſſent. Denique cum Wibio Goutumano regiam arcem clam occupante nihil rei aut conſilij habuiſſe, qui in caſtellum inſcio Senatu irruiſſet. Igitur delegaſſe Senatum Popconem Romboutium & Ioannem Dimerum Senatores, qui de irruptione cognoſcerent. Cauſam iſtius facti Mareſchallo Mattheneſſio aut Doconi Martnæ non ignoratam, ipſiusque Wibij confeſſione detectam, ſecretis conſilijs ſubfuiſſe. Poſtremum Viglij Zuichemi conſilio non niſi pro re natâ & quod Friſiæ clariſſimos natales deberet, uſum Senatum fuiſſe, neque ſcripſiſſe ad Lamotium, niſi ut Valonum præſidium, quod Buſtamantio Harlinganæ arcis Satrapæ manum injecerat, iſtius Lamotij, à quo pendebat, interceſſione pacaretur. Neque Bolſuerdios alioſque rebellionis in Regem, niſi ante Gandavenſe fœdus inſimulaſſe, uſitato vocabulo, quo deſciviſſe à Philippo ſtylo temporum arguebantur. Cætera viliora aut ſæpè repetita mole magis quam argumento offendebant. Igitur Archiducis Matthiæ & Leonini Liefeltijque delegatorum decreto accuſationis acta Frittemæ & Dimero ad reſcribendum communicata, ne præceps judicium aut innocentiam illorum gravaret, aut immodeſtiæ criminum parceret. Qui etſi eadem fere eluendis accuſationibus proferrent, ita interceſſionem pro Robleſio datis ad Auſtriacum litteris ſuſceptam, elevabant quod in tantâ & tam ſubitâ mutatione rerum, neque quid agerent, neque quid deliberarent, ſatis expendiſſent perculſis & velut ſtupore contectis animis, quod Robleſium provinciæ Præfectum ſui conſeſſus principem militaris licentia ſpreto imperio vinculis indidiſſet. Quod ad Auſtriacum attineret, eum regio mandato provincijs Gubernatorem datum, reprimendæque Hiſpanicarum legionum inſolentiæ in eaſdem provincias miſſum & populi adhuc gratiâ tum florentem præteriri per illa liberandi Præfecti deſideria non potuiſſe, quum Senatus litteris reſalutaretur quas ejuſdem dignitati adſcripſerat. Quippe ſuis VI. Novemb. Anno. cIↄ. Iↄ. LXXVI. datis regias ſubjunxiſſe, Philippi mentis interpretes & quibus affectum boni Gubernatoris prætuliſſet, qui recognoſci à Senatu teſtatione publici officij debuerit. Denique Philippi regis & Auſtriaci litteras de mandato Concilij Status Bruxellis Leovardiam perlatas non vano judicio novi principis & procerum conſenſu rationem provincialis imperij tum ſtetiſſe. Igitur Robleſium quoque Præfecti loco Concilio Status tum habitum, etſi mutato repente temporum ſtatu, quem prævidere ſolertia Senatus non potuerit. Quæ de præſidio Leovardiæ fovendis partibus inducto objecta erant, ita diluebantur, quaſi ex uſu facta eſſent, ne Valonum cohortes ad imperia & juſſa præfectorum contumaces & ſeditionibus proxumæ æris inopiâ aut prætextu, Leovardiam urbem Senatus & procerum

rum ſedem direptione & inſolentiâ vexarent. Eo metu actum Senatum modeſtius præſidium ſuæ & civium ſecuritati ordinaſſe, cum eadem fortuna Bruxellenſium ac reliquarum urbium iſtâ legionum tempeſtate fuiſſet. Itaque teſtabantur ſe durante civilium bellorum aut diſſenſionum incendio nihil feciſſe, quod Gandavenſi fœderi, Unioni & Reip. adverſum exitioſumque fuiſſet. Igitur neque hoc commeritos eſſe, ut ſuſpenſo judicandi officio, dignitatibus exuantur, quod illi immodeſtè urgerent, quorum malities approbatam etiam nupero comitio Friſiæ Ordinibus integritatem falſis & ex invidiâ repertis criminibus oneraret. Rogare interim Archiducem & Concilium Status Regij, ut æquitati patrocinando Senatum & Graphiarium à diu intermiſſis fori officijs in integrum reſtituant, neque ſinant Senatum abſolutâ regij imperij poteſtate præditum, integritatis ſuæ ampliſsima profeſſione fraudari. Libellus quoque Matthiæ Archiduci in Legatum Ayſma, velut publicæ cauſæ privata odia miſcentem acerbior oblatus, officium æqui judicis implorabat, & ut innocentiæ Senatus expedito judicio ſubveniretur. cIↄ. Iↄ. LXXIX.

Cæterum actore legato & vetera repetebantur, & nova gravandis accuſationibus non deficiebant prodentibus ſe magis magiſque delegatorum ingenijs, quod acerrima defenſione exoleſcere ſenſum injuriæ non ſinerent Ordineſque Friſiæ ſuæ liti, tanquam publicæ implicarent. Igitur delegatis Frittema & Dimero Antverpiæ hærentibus, multa adhuc onerandæ criminum famæ adferebantur, Matthiæque Gubernatoris animum fœcundis argumentis inſtruebant. Qui novorum Legatorum è Friſiâ adventu cognito, in quibus Gellius Illſtanus commendator Neſſanus, & annalium ſcriptor, Eraſmus Douma & Diricius Fogelſangius erant, reſcripto ad libellum ſupplicem Prid. Non. April. à delegatis Senatus exhibitum dato, explorandas legatorum voluntates decernebat quo provinciæ in veterem Senatum propenſionem aut odium cognoſceret. Cæterum Illſtanus cæterique legati, id à mandatis ſuis alienum regerebant, publicæque cauſæ deſtinatos, privatæ cum Senatu actionis invidiem reſpuere. Ita res in ſuſpenſo, non ceſſantibus interea altercationibus, manſit, donec invaleſcente Ultrajectino fœdere, in majora odia erumperet.

Gravatiſ Senatu regius novis criminibus.

Mox Cunerus Leovardienſium Epiſcopus privatæ apud Bergumanos cuſtodiæ mancipatus, per apparitores juſſu novi Senatus Wigerum Mockamam, & Boccatium Douwonem ſpiculatoribus publicis ſtipatos more captivi Leovardiam pertractus eſt, quod ſecretam cum Gaſparo Robleſio conjurationem inijſſe ſuſpicioſis indicijs diceretur. Cæterum eodem die à Senatu dimiſſus, & in Bergumanos veterem ſeceſſum expendendis ſuarum rerum rationibus, tanquam honeſtam cuſtodiam amotus eſt. Arnoldus Gemenius & Vibius Cruſius diuturniore quoque cuſtodiâ liberati.

Cunerus Leov. Epiſcopus captivus Leovardiam abducitur.

Heymannus notat VIII. Eid. April. phaſma quoddam ſpecie hemicycli apparuiſſe, aliudque à pluvio arcu, velut ſoli oppoſito & depreſſiore, verticale cœli punctum tenuiſſe. Quæ phænomea, ut ſolent, ex naturæ cauſis, aut fulgore roridarum nubium ſæpe orta, prodigiorum oſtentui imbecillibus ingenijs æquabantur.

LXXIX. Mox Lalainius Vollenhovâ in Friſiam regreſſus menſe Aprili aſſumptis in comitatum Verſteverano & Rhala Senatoribus aggeres marinos, qui à Feenhusâ ad Lavicæ oſtium Friſico littori prætexuntur, ocyus luſtrari fecit, quo hybernis tempeſtatibus aut continuo æſtu continentem lambente arroſi aut diſjecti novæ molis aggeſtione ſuſtinendis fluctibus firmarentur. Legatis vero, quos cum mandatis è Friſiâ Antverpiam miſſos memoravi, à Matthia Gubernatore haud levia & à temporum conditione aliena proponebantur. Iſta erant.

Legatis Friſiæ haud levia & à temporum conditione aliena proponuntur à Math. Arcbid.

I. *Vt provinciæ aut earum Legati pro obſervando aut deſerendo Gandavenſi fœdere ſententias exponant.* II. *Vt provinciæ defectioni proxumæ ad antiqui fœderis ſocietatem reducantur, eoque innovato firmatoque, de rebus pace bellove neceſſarijs in commune conſultetur.* III. *Vt provinciæ ex jure iſtius fœderis pendendis intendendisque pro re natâ publicis collationibus, ſalva nihilominus uniuscuiuſq; provinciæ immunitate, ſe obligent.* IV. *Vt tollendis de religione controverſijs certa & ſyncera pax & conventio ſcribatur.* V. *Vt provinciæ ocyus Delegatos autoritate & prudentiâ ſpectabiles patriæ fidos ad conventum Ordinum generalium mittant.* VI. *Vt provinciæ pacem faciendo, eam ad præſcriptum Ordinum generalinm firment.* VII. *Vt militari diſciplinæ, juris & æqui obſervantiæ, in promptu ſtipendia tributaque habeantur, Matthiæque Archiduci, Ordinibus & Præfectis provinciarum ſua autoritas conſtet.* VIII. *Vt durante pacis actione, de belli ordine, de formando exrecitu, liberandâque ab Hiſpanorum obſidione Trajectenſium ad Moſam civitate cogitent.*

Quibus, Matthiæ Gubernatoris & Ordinum nomine ab Elberto Leonino legum peritiâ & eloquentiæ artibus claro nonnulla addebantur.

Tributa oneribus paria poſcuntur.

Conveniſſe ſcilicet ſe, non inſtituendis novorum Principum inaugurationibus, quæ lætiora majorum ætati fortuna obtuliſſet, cæterum quærendis malorum remedijs, in quæ Hiſpanorum, hoſtiumque vis aut inſolentia infœlices provincias perduxiſſet. Deliberari pro conjugum atque liberorum vitâ atque ſanguine, pro declinandâ duriſſimâ ſervitute, & omnium rerum ruinâ quam diſcrepantium in conventibus ſuffragiorum diverſitas propè intuentibus minaretur. Sed iſti ſubveniri poſſe, ſi quiſque quam in patriam affectus eſſe debet, tam de onere belli ferundo, & ſimul ſubjuvandis ſocijs cogitet, quos in ultimo diſcrimine conſtitutos infœlix miſeratio ſpectaret. Hac ſolâ viâ ad pacem perveniri poſſe, quam utilem & bonam habere, non niſi ſuperatis hoſtibus aut niſi eorum vires æquaveris poſſes. Fine belli pacem æſtumari, quam honeſtam obtinere Ordines nequirent, præterquam ſociâ Trajecti ad Moſam urbe, hoſtium caſtris cinctâ, libertati reſtitutâ. Atque ut id fiat & rerum & gloriæ gentis intereſſe, quæ non ſiverit Albani ac Requeſentij ætate tabeſcere ærarium gerendis armis efficax.

Poſtquam verò illius incuriâ & inopiâ laboratum, res infœlicius ceſſiſſe, quas ſeorſim Belgicæ & trans Rhenum Friſiorum gentes olim magnâ cum laude ſuis cum hoſtibus geſſiſſent. Igitur opprobrio & infamiæ fore, conjunctis tanto numero & nexu provincijs non vires, ſed conſilia defuiſſe, ſocioſque pro ſalute publicâ, pro conjugum ac liberorum incolumitate pugnantes, denique ipſam remp. fatiſcentem & occaſui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

occaſui proxumam opportunis & ad manum auxilijs non ſublevaſſe. cIↃ. IↃ. LXXIX.
Cæterum ſalubriter & pro ægerrimi provinciarum corporis ſtatu præſcripta imbecillior natura reſpuebat, cum eſſent, qui afformanda numeroſiſſimi exercitus ſtipendijs tributa; velut aſpera & modum excedentia, à ſuis quique provincijs averterent. Ita cum ſingulas deſiderati tributi faſtidium aut averſatio occuparet, univerſæ ſubſidijs deſtituebantur.

Sed per diſſidia provinciarum omittuntur

Erant quoque qui novum tributi genus declinando, vetera & ſub Albano decimæ centeſimæque nomine reperta commendarent, debilique & velut emorienti ærario extrema ope ſubveniendum. Alij vero, etſi potentiâ & opibus validi, ex erogandi æris cauſa indemnes præſtari cautione à ſocijs volebant, ijs quoque minus ad ſociorum pericula affectis, quos Moſa aut Rheno hoſtilibus caſtris preſſo, extra diſcrimen poſitos vana ſecuritatis humanæ opinio faciebat. Sed occulta fati vis, quæ ad ſeceſſiones & arma trahebat, quaſi cauſam aut prætextum quærens, ut conſilij, ita provincialium concordiam morabatur, poſtquam ita conſtitutum videretur, ut Hannoniâ & ſuperioris Belgicæ tractu à cæteris avulſo, inferiores quoque provincias, quæ ad Oceanum vergunt, Ultrajectinum fœdus combinaret. Ita evenit ut magnum illud & regi etiam Philippo formidabile Belgicæ corpus diſſolveretur, belloque in tot annos exituro infauſta initia perdundis rebus ſolers fortuna præſtrueret. Igitur Bolſuerdiâ, Doccomio, Harlingâ alijſque oppidis à fœdere adhuc Ultrajectino excluſis fœderati Ordines Ultrajecto litteras ad eaſdem civitates miſêre, quibus ad novi fœderis communionem ſpecioſis rationibus ſollicitabant. Imprimis verò commonebant, ne provinciali concordiæ ex ſe validæ adverſarentur & ne Friſij occaſionum ſegnes & ſua commoda negligendo ſoli palantes & mutuis ſocietatibus deſtituti, inteſtinis diſſenſionibus diffluerent. Cæterum omnem illum fœderis eventum partium adhuc æmulatio tardabat, non ceſſante Senatu regio tum præſulum & earum partium interceſſione, gravem illum & regiæ dominationi mancipem ſpiritum invaleſcenti fœderis potentiæ objicere. Quibus & hoc accedebat, quod Lalainius litteris ſuis VI. April. datis, fœderis Ultrajectini receptionem ſegniter frigidèque habuiſſet, neminemque ſe iſti retinendo impulſurum fidem feciſſet. Igitur inter regij Senatus & provinciæ legatos, Antverpiæ commorantes, novæ partium acerbitates recrudeſcebant, urgente Heſſelo Ayſma legato, ut acta exercitæ Senatoriæ examinationis ad Deputatos Friſiæ perferrentur, ipſique Lalainio provinciæ præfecto communicata cognitione ſolemnis judicij determinarentur. Hoc vero reſcripto Matthiæ Gubernatoris cautum eſt, ut intra bimeſtre, poſt exhibita Deputatis Friſiæ & ejuſdem provinciæ Præfecto acerbæ litis inſtrumenta, negotium definiretur, omnique dilatione ac morâ ceſſante finem haberet.

Defectores fœdus percutiunt.

Cæterum fortuna, ut ſolet, ſerendis diſcordijs inſolens potentum conſilia corruperat. Igitur fœdus à defectoribus VIII. Eid. April. ictum. Eo cautum ut religio Catholicâ Romana haberetur, regi ejuſque præſidi obſequium eſſet; Hiſpani peregrinique Belgio ex formula Gandavenſis fœderis excedant, id niſi rex ratum præſtaret, à fœdere recedendi liberum foret. Quod ad D. Eligij montem haud procul à Re-

 cIↄ.Iↄ. giaco in Attrebatibus ſcriptum Ordinibuſque provinciarum, etſi aliud
LXXIX. ſimulantibus, communicatum, velut triſtiſsimi caſus obnuntiatione pro-
Reſponſum Ordinum ad defectores. na paci ingenia affecit. Itaque reſponderunt ſe illorum ſtudiâ in retinendâ majorum religione, ac præſtando regi obſequio probare, cæterum hoc velle, ne ſpecioſis Hiſpanorum deceptionibus nimium fidant, circumſpectique & prudentes priorum temporum exempla pro recentibus expendant. Notam ſcilicet Ferdinandi Albani immaniſſimi Ducum perfidiam fuiſſe, atque Hyeronimum Rodam illius artis magiſtrum diſſimulaſſe, quæ perjurij nomine olim traducta, ſpeciem prudentiæ & virtutis illam apud gentem induiſſet. Adhæc Norcarmij acta non aliunde quam ab illius diſciplinæ profeſſione petita, quæ licentiam fraudi faceret crederetque poſſe Principes augendæ dominationi obligatos utilia honeſtis anteferre. Denique Eſcovedi ingenium doli prudens nihil aliud principi ſuo ſuaſiſſe, quam ut provinciarum vires ſeceſſionibus debilitaret, potentiamque Ordinum concordiâ validam mutuâ diſſenſione attereret. Igitur ſe Deum rogare ut ſanam & introſpiciendis Hiſpanorum artibus ſagacem mentem ijs donet, quo pervideant quantum inter illorum conſilia & curas libertatis interſit & quam expediat in commune conſuli, quod diviſum, fragile & infirmum factura diſceſſio eſſet. Se quidem Legatos Coloniam petente Cæſare miſſuros, hortarique ut idem faciant, ſi forte diu deſideratæ pacis fœlicitatem divina benignitas promittat.

Thuanus ſcribit, Ordines generales nummum æneum Egmondani Hornijque reciſa truncis oræ vultuſque exprimentem refricanda veterum memoriæ tum cudiſſe, tutiuſque bellum ſimulata pace honeſtâ & ad continuanda arma efficaci inſcriptione ſuaſiſſe. Quod iſti fini factum prudentiores quique interpretabantur, quo antiquæ crudelitatis & perfidiæ exempla in memoriam revocando præſentis ævi ingenia à ſuperſtitioſo regiæ fidei cultu atque veneratione deterrerent. Indignatura haud dubiè, ſi expenderint, Belgici ſanguinis Principes & regi ex ſocietatis Burgundicæ jure fidiſſimos inexorabili regis ſævitiâ formidata hoſtibus & tot vulnerum notis interſtincta corpora deteſtandis carnificum miniſterijs proſtraviſſe. Econtra Farneſius alimenta provinciarum diſſenſionibus ſubminiſtrabat, regiſque Philippi animum pacis cupidiſſimum oſtentans, quo eas fœderibus exſolvendo regis obſequio inligaret, civilibus morbis, velut optuma diſcordantis Belgicæ remedia, triſtem & non profuturam medicinam præſcripſit. Iſta erat ut ſolius Catholicæ Romanæ religionis exercitia eſſent, indictoque reformatæ repudio aut ſilentio, Philippi imperia paternis aſſimularentur. Quippe ea provincialium juramento & ejus religione firmata, tum divinis humaniſque legibus ſubnixa ſubverti non poſſe, certiſſima ſolidæ pacis fundamenta, quæ ſubſterni lubricis rebus & ruinam minantibus nulla cunctatione deberent. Ordinum eſſe de ſtatu & voluntate provinciarum ocyus referre, quo rex agat, quod è re ſua videatur. Atqui Ordines ſua in regem & pacem ſtudia laudabili reſponſo repetebant: Sic Auguſto menſe elapſo, advocatis Cæſaris, Galliæ & Angliæ regnorum legatis cum Joanne Auſtriaco colloquia inijſſe, in medio curſu rerum Philippi interventu ſubverſa. Tum Philippum cœptam cum Auſtriaco actionem

Farneſius alimenta diſſenſionibus Belgarum ſubſternit.

nem Cæſari detuliſſe, quanquam auguſtum imperatoris judicium ipſi cIɔ. Iɔ. Ordines non defugerent Suartſenburgio Cæſaris Legato ad Farneſium non LXXIX. ſemel miſſo, quo de regis ſui mente teſtaretur. Sed dilationibus, aut ſiniſtris artibus uſum Farneſium pacis actionem traxiſse, cui inanem affectum, ut & rex Philippus, præferret. Quippe Philippum repudiatâ & ruptâ Gandavenſi conventione, cujus ſervandæ deſiderio provinciæ tum tenebantur, alienatis interea animis offerre, & quidem ita, ut conditionum iniquitas vim atque efficaciam iſtius fœderis tollat. Neque enim Caroli Cæſaris imperium neque memoriam gratam eſſe apud eos præſertim, qui edicta fœdiſsimi rigoris ſub illius dominatione promulgata non ignorarent. Sed doloſis conſilijs ſerenæ pacis actionem involvi; cui ſubmittere modo ſincera ſit, ſe Ordines parati etiamnum eſſent, ſed ita ut Cæſaris Legato poteſtas fiat ocyus aliquid agendi ſtatuendique quod ex uſu futurum ſit.

Mox de conventu mittendiſque Coloniam legatis conſultatum, quo actione pacis maturata induciæ ſaltem ſiſtendis armis ſciberentur ipſeque Farneſius, qui ad Trajectum Moſæ caſtra poſuerat, agris viciſq; depopulatis, ſociæ civitatis obſidio decederet. Unde Ordinum nomine Philippus Crojus Dux Arſchotanus, Joannes Lindanus D. Geertrudis, Fredericus Hyperius Marolius abbas, Concilij Status Senator, Buccho Ayta D. Bavonis Præpoſitus, Caſpar Schetus, Adolphus Metkerckius Equites & Conſiliarij Ordinum. Adrianus Mylius LL. Doctor & in Curiâ Hollandiæ Senator, Bernardus Baro Merodius, Adolphus Goeranus, & Aggæus Albada Delegati, profectioneque vergente Aprili inſtitutâ ad IV. Non. Maï. Coloniam advenere: Ubi Rudolphus Cæſar, pacis auſpex, feſtinando negotio legatos ſuos præmiſerat. In ijs Jacobus Trevirenſium, Gebhardus Colonienſium Præſules, Romani imperij Electores, Julius Wirceburgenſium Epiſcopus, Warnerus Gymnichus pro Juliacenſium & Cliviæ Duce, ac Otto Henricus Suartſenburgius fuere, Joanne Baptiſta Caſtaneta Roſſanenſium Præſule à Gregorio XIII. ejus nominis Pontifice Romano Coloniam præmiſso. Philippo vero Regi Carolus Arragonius Caſtrenantius pro Legato erat, qui poſt Maximilianum Longevallium, Joannem Fonckium, Chriſtophorum Aſſonvilium & Urbanum Scouwenburgium ab epiſtolis in conſilium adſcitos, regiæ Philippi majeſtatis ſecreta mandata attulerat. Igitur conventu inſtituto, ſalutatiſque Imperij & Cæſaris legatis, & de actorum ſuorum formulâ utrinque edoctis, Matthiæ & Ordinum cæterique mandatarijs Aggæum Albadam juris-conſultiſsimum, Senatorio patre apud Friſios editum, in Germaniâ tum agentem interpretandis actis ſententijſque delegere, & qui eruditæ vocis, qua pollebat, facundia titulo Oratoris in relationibus procerum præeſſet.

Legati Coloniam ad paciſcendum ablegati.

Albada ſcribit ſe Friſiorum nomine & benevolentiâ, Legatis etiam ad tractandam pacem dictis adjectum fuiſſe, honeſtâque tenuitatis ſuæ excuſatione Dei gloriam, reip. utilitatem ſuis in actionibus Deputatis Ordinum commendaſſe. Et quanquam eas ipſas in graviſsimis negotijs fœlices & ſecundas Deus voluiſſet, ita id proſperi in hac actione in his Belgicæ miſerijs polliceri ſibi non poſſe, quod eas expiandæ criminum moli providentiæ æquitas Belgicis terris intuliſſet. ſe autem ſperare divinæ

cle-

cIɔ. Iɔ. LXXIX. clementiæ remedium quæ ſola reddendæ paci par atque auxiliaris eſſe poſſit. Se interim etſi otio ac quieti dare breviſsimum ævi maluiſſet, non defuturum interim officio, daturumque operam, ut de ſingulis, quæ Friſiam ſpectarent ſuis ex litteris cognoſcant. Litteræ IV. Maï datæ.

Quæ omnia quanquam conciliandis animis, actiſque inſtituta viderentur, Philippo Croio Arſchotano legationis principe pro ſanciendâ pace verba faciente, ita ſuſpectam paci fidem faciebat, quod Caſtrenantius Philippi legatus armiſtitium aut inducias detrectaret, ipſeque Farneſius regij ad Trajectum exercitus imperator à bene cœptâ obſidione, & fœlicibus militiæ rudimentis abſtinere gravaretur. Cui diffidentiæ malo & hoc accedebat, quod fama aut ſuſpicio icti XVI. Kal. Iun. inter Farneſium & Arteſios fœderis coloniam emanaret, Gulielmuſque Aurantius datis ad Arſchotanum litteris, conſilia Farneſij ciendis civitatum provinciarumque defectionibus valida non diſsimulato indicio detexiſset. Itaque quam maxumè legatos Ordinum offendebat, quod Farneſius etſi jure mandati deſtitutus pacis quoque negotio ſe interponeret, Regiſque legato Caſtrenantio Philippi mandatis alligato veniam aut licentiam trahendæ actionis & negandi armiſtitij feciſſet. Econtra Caſtrenantio Philippi mandatorio diſplicebat, quod in Matthiæ Ordinumque mandatis Joannis Auſtriaci, etſi fato functi, tum ipſius quoque Regis ingenium paci adverſum traduceretur, eademque mandata omni comperendinatione amotâ ſex ſeptimanarum breve & finiendæ actioni incommodum tempus præfinirent. Præter hoc indignabatur Caſtrenantius Farneſium ampliſsimâ gerendarum per Philippi ditiones rerum poteſtate inſtructum malè uſurpatæ autoritatis inſimulari criminantibus Ordinum legatis, reliquaſque Belgicæ provincias cum Farneſio fœdus non depactas, tacitæ in Philippum rebellionis & occulti criminis redargui. Quæ ſingula ut animos confidentium procerum, ita negotium pacis diſtrahebant. Ad quam quoque perveniri non poſſe illi ominabantur, qui exemplis temporum eruditi præſtrui inducias redimendo bello & permulcendæ animorum immodeſtiæ volebant. Reperio In actis provinciæ Legatis Coloniam ituris, præter mandata quæ ſcriptores evulgavere, Matthiam Gubernatorem & Ordines caviſſe, ut niſi conventui intra condictum tempus finem rex imponeret, jure principis excideret, populoque Belgico libero & ab externi imperij cultu ſoluto ad quorumvis Principum fœdera atque ſocietates aditus pateret. Quæ duriora & haud dubiè ab animo regiæ iniquitatis conſcio profecta pacis tamen actioni non ſerviebant.

Hæc etiam volebant.

I. *Vt omnium anteactorum venia eſſet, Rexque* PHILIPPUS *acta* MATTHIAE *& Ordinum ratihabendo, æquo cum Brabantiâ jure reliquas provincias haberet.* II. *Vt Hiſpani, Itali, Burgundiones, Germani, Galli, Angli, Scoti in Belgio militantes intra ſex Septimanas proxumas provincijs excederent,* FARNESIUSQUE *oppida à tempore occupatæ Namurcorum civitatis, cum omni commeatu bellico reſtituat, eaque præſidio ex inquilinis & Ordinum partes ſecutis de conſenſu Ordinum firmet.* III. *Vt ijdem inquilini, præter juramentum regi dicendum, patriæ quo-*

quoque & provincijs fidem præſtarent, conventioneque Colonienſi comprehenſis morem gerant. IV. *Vt captivi nullo ære aut lytro, niſi qui id depacti ſunt, dimitterentur, Comeſque* BURANUS *contra privilegia & univerſitatis & Brabantiæ* ALBANO *regnante Lovanio abductus, in Belgium revocaretur.* V. *Vt ſingulis in ſua per provincias etiam per Burgundiam, Luxenburgum, Hollandiam, atque Zelandiam bona reſtituerentur, provincialibuſque utrinq; in Belgium redire, regi & patriæ fide datâ jus eſſet.* VI. *Vt Gandavenſis conventio rata firmaque haberetur, ſtatuſq; religionis tam reformatæ quam Auguſtanæ confeſſionis, prout eſſet, ita per provincias foret.* VII. *Vt* MATTHIAE *Archiduci Præfectura Belgij continuaretur, ejuſq; morte aut exceſſu, rex* PHILIPPUS *non niſi ſui ſanguinis Principem & in Belgio conſtitueret, & qui in acta Matthiæ Gubernatoris juraret.* VIII. *Vt Præfecti provinciarum, oppidorum, arcium, cohortium, ij quoque qui in concilium Status aut rationum cooptantur, inquilini forent, ijque in acta fœderis, jura & immunitates Belgicarum provinciarum jurando, contra facientes ſub pœnâ perjurij deferrent.* IX. *Vt* REX *Ordinibus pecuniam in bellum per eos erogatam decies centena aureorum coronatorum millia reſtitueret, Ordinumque ſyngraphas ex cauſâ defectionis* AUSTRIACAE *& violato ſacramento liberet.* X. *Vt Angliæ regina & Andium Dux hoc ipſo fœdere comprehenderentur, iſtique confirmando, ratihabitio Pontificis Romani, Cæſaris, Chriſtianiſſimi Galliarum regis, Eliſabethæ Anglicæ, Principum & Electorum Imperij, Duciſq; Iuliacenſium peteretur.* XI. *Vt Fœdus ipſum publicâ juris-jurandi religione firmatum intra Bimeſtre aut citius* PHILIPPUS *rex ſignaret.* CIↃ. IↃ. LXXIX.

Quæ XVI. Kal. Iun. perſcripta, & à Trevirenſi Cancellario legatorum Cæſaris Oratore exagitata præfractæ atque aſperæ iniquitatis inſimulabantur.

Trevirenſis inſimulat legatos Ordinum præfractæ iniquitatis, ſed illi ſcripto ſuam cauſam aſſerunt.

Itaque ſcripto Legatis Imperij XXI. Maï. exhibito hunc in modum diſſerebant.

V*T multis poſtulatis & jus cauſæ noſtræ & vos arbitros gravaremus, animus nunquam fuit. Ita enim cenſemus non longe quærendam eſſe diuturni & infelicis belli cauſam, quam aut è religione aut ex autoritate Regis enata diſſenſio dedit. Ac divino cultui tam regem quam populum adſtringi ſcimus, neque humanæ poteſtatis aut legis aut commodi eſſe, eam vi aut armis imperare. Itaque Gandavenſi & poſt Bruxellenſi conventione religionis Edicta ſuſpenſa aut reſciſſa manſere, tacitâ interpretatione, ut quiſque ex præſcripto conſcientiæ Deum coleret. Nam id deprehendimus, Legati, animos cogi non poſſe vitio mortalis ingenij triſti imperio contumaces. Ita fit, ut ipſa quoque religio, interceptis fidei incrementis, damnum ſentiat rerumque exitus probent nihil profici per eos qui regis nomine ac celſiſſimo imperio abuſi ſuis magis affectibus quam voluntati regiæ indulgent. Quos frænare, quanquam conſilium nobis fuerit, rege ipſo Hiſpaniâ ſuâ clauſo & qui ſalutari ſine manifeſto diſcrimine adeuntium non poſſit, aut velit, ita ſæpenumero remedia noſtris morbis invenimus, cæterum à regis medicinâ & ingenio aliena. Tantum autem abeſt, ut aut impius miles aut diſtrictus enſis donum fidei adferat, quod à cæleſti Spiritu profectum, premi violentiâ aut ſervitute non poteſt. Itaque petimus, ut Religionis libertate atque pace à nobis præſcriptâ & multis gentibus terrarum uſurpata frui ſinatis, quæ & Deo conciliare populum*

cIↃ. IↃ. LXXIX

& ſimul regi poſſit. Quod vero ad autoritatem Regis attinet, eam ex conventionum jure, ex pactorum formulâ deferimus à nullo conſilio minus, quam à reverentiâ regis alieni. Atque ijs terminis Regis autoritatem, noſtrum obſequium atque ſacramentum circumſcribi poſtulamus parati ad iſta quoque animos & conſilia formare, quæ vobis imperatoriæ majeſtatis Legatis & juxta nobis æqua aut honeſta videbuntur.

Itaque iſta nec Cæſari, aut Regi, nec Caſtrenantio approbare ſe poſſe obteſtabatur, quod ea mandatorum ſuorum & futuræ pacis ratio eſſet, ut ſuperſtrui antiquis fœderum conventionibus deberet. In quibus quoque ſi quid ruptum infirmatumque licentia temporum aut error feciſſet, id emendare ſui officij eſſe, quo inter Regem ſubditoſque diſſociatæ res ex priorum actorum fide atque efficaciâ coaleſcant. Quod ad reliqua poſtulata attineret, ea tanquam duriora & paci adverſa emollienda ſe cenſere, cui ſanciundæ hoc imprimis expediret, ut acta Gandavenſis & Bruxellenſis fœderum rata per Ordines haberentur, quo Philippi legatum aſperitate conditionum offenſum paciſcendas ad inducias commoveant.

Conditiones pacis ab Ordinum parte nonnihil lenitæ.

Itaque conditiones in ſpem obtinendi armiſtitij & liberandæ Trajectenſium ad Moſam civitatis nonnihil lenitæ, addito ut à parte Ordinum Gandavenſe fœdus & Bruxellenſis unio valerent, Comeſq́; Buranus ex Hiſpaniâ dimiſſus intra trimeſtre ſpatium Antverpiæ ſiſteretur.

Mox colloquium examinandis conditionibus inſtitutum, quo Ordines actorum nomine, quæ rata caverant, convocationes Ordinum, fœdera & ſocietates demoliendarum arcium aut tributorum decreta, tum edicta regio titulo vulgata, denique collationes beneficiorum dignitatumque tanquam juſtas atque legitimas comprehendi interpretabantur. Neque privilegia alia intelligi, quam quæ ſingulis provincijs indulta fuiſſent, neque aliam religionem, quam Gandavenſe fœdus haberet, aut quas admitti ex decreto Ordinum, pacis publicæ & Philippi regis intereſſet. Poſt Matthiæ Archiducis diploma Cæſaris Legatis exhibitum, maturandis rebus quæ legatorum tarditate expugnando Trajecto, & Alexandri Farneſij belli imperium capeſſentis gloriæ ac famæ trahebantur. Igitur ſociâ Trajectenſium civitate in ultimo diſcrimine conſtitutâ, quam Melchior Suartſenbergius vir nobilis & militiæ impiger cum imperio & ſimul præſidio tenebat, Farneſio inſuper divellendis clam provincijs occupato, de ſignando Ultrajectino fœdere cogitatum, quod arrecta ad Colonienſe fœdus multorum ſpes ſtudio certæ pacis diſtulerat.

Princeps Aurantius Vltrajectino fœderi ſubſcribit.

Poſtquam verò & iſti diffiſum eſt, Farneſioque ipſo belli magis quam pacis incentore, Gulielmus Aurantius Antverpiam reverſus, Ultrajectino fœderi ſubſcripſit illudque ipſum, velut Belgicarum provinciarum incolumitati repertum, neque Matthiæ Gubernatoris autoritati adverſum, ſecretis quoque ab eodem provincijs commendavit. Erant namque, qui Matthiam Archiducem ex formulâ Gandavenſis pacis receptum lædi novo ex fœdere clamitarent, ſerendiſque malis in populum rumoribus ſagaces, ſuo ex ingenio cæteris quoque malitiem affingerent. Inde ſerius ſignatum fœdus ab Aurantio interpretabantur, etſi eſſent in prudentioribus, qui non ignorarent omne novi fœderis conſilium ab eo præfectum eſſe, eumque ſeceſsione ſociali impulſum & ſimul inritatum, ad Ultrajectini fœderis ſanctionem, tanquam publi-

cæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIX.

cæ infirmitatis remedium, confugiſſe. Itaque de Belgicis Friſiorumque trans Rhenum provincijs, quas Sequanæ fontes & Amiſij amnis oſtia terminabant, firma pace conciliandis deſperatio tum inceſsit, creditumque fuit, parte nationum Philippi artibus & ſecretis inlicijs avulſâ, ſolam ſpem incolumitatis Ultrajectino in fœdere relictam. Quippe diſcretis provincijs & ærarium contabuerat & exercituum fides ſolvebatur, qui in omnem inſolentiam vitio quietis & ignaviæ proni, magis imperia Farneſij novi & egregij Ducis, quam diſſidentium Ordinum ſequebantur.

Reperio in actis Heſſelum Ayſma provinciæ Legatum Antverpiæ hærentem de 12000. millibus Carolæorum Friſiorum nomine communi ærario inferendis acerbe conventum, arreſtoque mox preſſum, pro liberandâ legati fide, ut indemnem præſtârent, acribus litteris ſuos provinciales ſollicitaſſe.

Quare firmando per Friſiam Ultrajectino fœderi, reparandiſque provinciæ, quas odia partium attriverant, rebus Senatus juris dicundi ſupremâ poteſtate tum valens petente Lalainio comitium Leovardiæ ad XIII. Kal. Jun. indixit, crudiſque & in diverſa ſciſsis provincialium animis in VII. Kal. proferri fecit. Tanta cum difficultate approbandi Ultrajectini fœderis mandata impetrabantur, quæ traditione majorum interveniente populi ſuffragio firmata, vim comitij exequebantur. Neque enim fœdera inire aut reſcindere, tributum ordinare, bellum aut pacem facere, præterquam populi tum erat, qui mandatarios creando jus nihilominus ſuffragij & ſupremæ majeſtatis retinebat. Inde relationes ad populum dubijs in rebus introductæ, quas certamina dominationis & profuſâ boni moris libertate ſuccreſcens licentia præclaris cum moribus ſecutis temporibus abolevere. Quare componendis per Friſiam diſſenſionibus, urgente Lalainio, qui ab exitu Martij menſis animum fœderi magis addictum oſtenderat, die condicto comitium Leovardiæ inſtitutum, in quo Lalainij litteræ Winſumo è Transſlavicanis III. Kal. Junij datæ, plenius de ejus voluntate & in fœdus propenſione diſcordem populum docebant.

Ius ſuffragij & ſupremæ majeſtatis in Belgicâ penes populum.

Comitia componendis Friſiorum diſſenſionibus & ſubſcribendo Vltrajectino fœderi Leovardiæ inſtituta.

ADVENERE apud vos Vltrajecto provinciarum fœderatarum Legati, quo mandata ſua exponant. Quæ cum paci, concordiæ atque ſaluti veſtræ deſtinata ſint, moneo ac hortor, ut ad mandata eorum arrecti ac prudentes decreta formetis. Ne trahendo publica, aut per incuriam negligendo, quod ſecuritatis aut fiduciæ vitium eſt, eorum auxilijs deſtuamini, qui contermini nobis & effectum rebus anguſtis erga nos profeſſi, adhuc de ſuâ in vos ſalutemque veſtram propenſione abunde teſtantur. Itaque veſtrum erit & veteris in vos ſtudij memoriam evolvere & præſens beneficium amplecti, de cujus fructu plenius vos docturi erunt. Quo facto mihi dubium non eſt, quin animis atque conſilijs veſtris inſinuatura ſe ſit ſollicitæ vetuſtatis cura, quæ concordia res parvas creſcere, magnas ac provectas diſſenſione dilabi monuiſſet. Quare concordiam unicum rerum vinculum & robur vobis commendo & ut ante oculos patriam, conjuges, liberos habeatis. Quibus quam maxumè proſpicietis, ſi quod abſens & gerendis pro patriâ veſtrâ rebus intentus peto, ne quæ mora aut lis decretis veſtris interveniat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ. LXXIX. Creditum fuit Georgium Lalaininm Gulielmi Aurantij, cui multum tribuebat, conſilijs & poſt exemplo evictum minuendis in quas inciderat, ſuſpicionibus aut ſtudium promovendo fœderi prætuliſſe.

Vt etiam in Provinciâ Groningana, ſed fruſtra.

Itaque à bimeſtri ſpatio evoluto ſociandæ fœderi Groningæ in Tranſlavicanos profectus, ubi odia & partes regiæ tum maxumè gliſcebant, Visfleti ad Lavicam comitium gentis indixerat, Groninganiſque per litteras adeſſe juſſis de fœdere Ultrajectino propoſuerat. Qui illegitimo cœtu ac loco ſe convocari regerentes contumaciam veterem ex nuperâ diſſenſione profitebantur, Aurantijque compoſitionem, etſi in ſpeciem approbatam, acrioribus in Omlandos odijs obtegebant. Adeo peculiare hominibus eſt injuriæ minus quam beneficij obliviſci, partiumq; inimicitias publicis officijs obruere. Itaque petierant, ut Lalainius urbem habendis comitijs longâ temporum ætate deſtinatam, juſto cum comitatu intraret ſponſioneque publicæ pacis ſecuritatiſque acceptâ comitio intereſſet. Sed Lalainius, urbi partium validæ & quod nullo aut minimo præſidio teneretur, diffiſus, binas peditum collortes Friſiâ evocavit, quas Bartholdus Entenius vir bello acer, veteri in urbem odio & nuperi carceris reminiſcentiâ Lopperſemum, Dammonam, Farmſumumque duxit. Quæ res Groninganos valde exaſperavit agrariæque nobilitati, velut arma repetenti odium dedit.

Quare Pompeius Ufkenius vir elegantis judicij & qui in partibus libertatis diu fuerat, ad Groninganos ablegatus, honeſtaque nequicquam excuſatione uſus, quod de voluntate Regis Ordinumque id fieri affirmaret, civiles & Magiſtratuum animos, quibus ſedandis mittebantur, illo reſponſo irritavit. Quippe addiderat rerum omnium & infœlicijs patriæ diſcrimen id poſtulare, poſtquam exploratum eſſet, omnem per oram fœderi inſidias ſtrui, clandeſtinaque hoſtium conſilia præſidio armorum amovenda.

Ad quod tamen vi adiguntur.

Mox Dammonam verſus, quam Fivela amnis modico alveo interluit, tres cohortes per Lalainium ductæ, impediendis Groningenſium commeatibus, qui Delphzylæo portu, quem Amaſus flumen facit, recepti Fivelæ navigabili amne Groningam ſubvehebantur. Ibi agens, parandis militi ſtipendijs & ne populationibus agros infeſtaret, colligendo collationum tributo per Omlandiæ pagos quæſtores conſtituit, Ordinumque generalium indictiones egeſtate æris & ut publicam imperij autoritatem ſanciret, ratas eſſe juſſit. Tum Hovetmannis fidei ſuſpectis juris dicundi poteſtatem abrogavit, eorumque edicta, præterquam ſuâ manu ſignata, vicinum per agrum recipi vetuit. Decem quoque peditum ſigna, ductore Entenio in Selverdicum cœnobium immitti fecit, populatiſque agris & omni ſuburbano pecore abacto Winſumum communivit. Ipſe Euſumanâ in arce validiſſimâ ordinandis porro rebus deſedit, Dammonamque prohibendis Groninganorum eruptionibus vallo foſſaque circumduci imperavit. Cæterum cingendæ aut oppugnandæ urbi impar latiſſimo mœnium ambitu operumque firmitate validæ, nihil grande ac magnum geſſit, niſi quod Groninganos caſtra rudia & nulla lege circumſcripta infeſtantes retro ageret, ruſticamque præfecturæ veteris ad Amaſi ripam ac Dullarti ſinum procurrentis plebem in ſua redire irrogatâ grandi mulctâ compelleret. A cujus fugâ, unâ cohor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cohorte præſidio relictâ, Groningani erectis vexillis portis effuſi haud procul Selverdico cœnobio aciem inſtruxere, collatiſque cum Lalainio ſignis ſuo magis metu, quam vi hoſtium in urbem compulſi ſunt. Deſiderati ex ijs præter ſaucios, haud pauci & duæ quoque virgines, quæ ad numerum quingentarum cuſtodiendis tormentis deſtinatæ muliebri planctu ac ejulatu res Groninganorum ordineſque turbabant. Igitur de dedendâ civitate ab illâ levi clade conſultatum, miſſis in caſtra Lalainij Jacobo Hildebrando, Gulielmo Ubbena, & centurione civico Vinckeburgio, qui æquis conditionibus urbem ſe tradituros nuntiabant. Quibus impetrandis Regnerus Aſſevinius, Loeſius Harius, & Regnerus Cantius fœderatorum Ordinum Legati opportune intervenere, Groninganique fide datâ & accepta partibus Ordinum generalium & Matthiæ Gubernatoris ſe permiſere. Conditiones hæ erant. CIↃ. IↃ. LXXIX. *Deditur Groninga.*

Vt Groningani Matthiæ Archiducis, Concilij Status & Ordinum generalium decretis parerent, præſtandiſq; pactis, dum inter eos Ordineſq; conventum foret, obſides darent. Militem ſuo ſacramento ac ære autoratum miſſum facerent, eoque facto Lalainius copias abduceret, munitiones ſolo æquaret. Captivis utrinq; Lalainius & oppidani veniam facerent, pecuſque abactum oppidanis reſtitueretur. Oppidani de cæteris cum Lalainio amicè tranſigerent, id ſi fieri non poſſet, lege ageretur. Matthiæ Archiducis edicta rata eſſent, vis utrinque ceſſaret. Lalainius Groninganos in fidem ac tutelam reciperet, ij pactis conventis, ſub pœnâ detentionis bonorum, ſtarent. Id ſi non facerent, à vicinis etiam per arma ad præſtandum compellerentur. *Conditiones deditionis.*

Ea Winſumi in Traſlavicanis VIII. Eid. Ian. acta.

Quare Bolſuerdij perſpecto Lalainium, qui iſtius rei diu conſilium traxerat, in partes novi fœderis propendere, adultâ nocte Senatum haberi conſultarique ſuper adeundo fœdere fecerunt, quo Ordinum fœderatorum deſiderijs ac Lalainij litteris ſatisfacerent. Cæterum diſſidentibus ex religione animis & civitate ultro diſcordi, parum profectum, urgentibus nonnullis Concilium juratum, velut tuendæ adverſus Senatum plebi à majoribus inſtitutum in partem publicæ deliberationis adhiberi. Quod cum ægre pontificij quique à reliquo Senatu obtinerent, Rinckius Cornelius Senatus Præſes, clavibus ſcriniorum & ſigillo urbis projecto diſceſſionem ſe facturum in Senatu pronuntiavit, fœduſq; Ultrajectinum ſuæ conſcientiæ, ſacramento Senatus, paci Gandavenſi, tum ſaluti publicæ adverſum deteſtatus eſt. Sed validiore illorum ſuffragio, qui pro Ultrajectino fœdere, tanquam præſidio libertatis certabant, Ordinum fœderatorum Lalainijque litteris benigniter reſponſum, poteſtate Jacobo Simonio Conſuli facta, qui mandato ſenatus fæderi ſubſcriberet. Igitur Bolſuerdiâ in fidem receptâ Rinckius Cornelius claves portarum, ſigilla, cæteraque Senatus & imperij munimenta Heſſelo Livio collègæ tradidit, depoſitâque cum Douwone Epæo conſulatus dignitate Curiâ exceſſit. Unde civium murmura, mox inconditæ voces erumpebant, interque omnem licentiam & immodeſtos diſcurſantis populi mores conſtituta civitas ſpectabatur. Qui, minus grato Magiſtratus imperio, ne in ſeditionem erumperent, mandato ſupremi per Friſiam Senatus novi civicis cohortibus à Magiſtratu centurio- *Diſſidia Bolſuerdiæ ſuper Vltrajectino fœdere.* *Prævalent veræ Religionis aſſeclæ.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIX.

nes creati, qui poſtulante neceſſitate populari immodeſtiæ ſubvenirent. In ijs Joachimus Jacobæus, Suffridus Petræus, Petrus Vibenius, Valerius Petræus omnes amantes fæderis fuere. Quo facto cives Pontificij proſtitutâ oris libertate, cædes exſiliaque comminati, majore licentiâ egere, moreque furentum per urbem acti majoris periculi metum Magiſtratui injecere. Quare ſupremo Senatu, cui Lalainius Winſumi in Omlandiâ agens, omnem curandarum rerum poteſtatem conceſſerat, in conſilium adhibito, Sibrandus Richæus vir acer & eloquens fiſci provincialis procurator Bolſuerdiam miſſus. Ubi collato cum Magiſtratus actuario ſecreto ſermone in oppidanam Curiam mox conceſſit, populumque ſigno per præconem dato pro Curia frequentem adeſſe juſſit.

Tum Magiſtratuum nomina, quos Senatus ſupremus pacandæ urbi, & mutandis in melius rebus nuncupaverat, in publico recitata, adactique ad ſacramentum Heſſelus Ayſma, Franciſcus Jacobæus, Petrus Vibenius, Joannes Romckenius, Theodorus Occonius, Joannes Harmannus Conſules, Nicolaus Joannis, Jarichus Hero Senatores.

Igitur xv. Kal. Iul. Magiſtratus dicundo juri tribunali præſedit, concilioque jurato ritè & ex uſu temporum conſtituto, centuriones cohortium ſacramento obligavit, urbiſque præſidium diſponi juſſit. Dein minuendæ Pontificiorum licentiæ, qui ſolennes amburbiorum ritus adhuc exercebant, ad ſupremum Senatum ſcripſit, convocatiſque in ædem Prædicatorum fidei conſortibus Ruardum Acronium hominem Friſicæ gentis Alcmariæ in minoribus Friſijs tum agentem, docendis ſacris delegit.

Leoverdiæ porta Divæ Matri ſacra exſtruitur.

Annotatum invenio I V. Non. Iun. portæ ampliſſimæ validiſſimæq; quam Leovardiæ urbi in occidentem D. Matri illorum temporum religio dedicaverat, fundamenta jacta fuiſſe, Adiumq; Lambertum, Meinardum Wigerium & Gellium Sibæum, conſulari imperio autoratos, curationem novi operis collegarum decreto accepiſſe.

Comitia Leoverdiæ prorogatæ.

Igitur durante Comitio, quod Leovardiæ indictum, Cl. Franckena in ephemeride iſtius anni prorogatum in Kal. Junias notat, urgentibus Regnero Aſſuinio, Loeſio Hario, & Regnero Cantio Ordinum Fœderatorum legatis colloquium pro Ultrajectino fœdere repetitum. Quod etſi ijs maxumè reprobaretur, qui regiæ dominationis etiam ſeneſcentem potentiam venerabantur, ita erant & in patriæ partibus, qui ſiniſtrâ fœderis ſuſpicione gravarentur, curioſique, ut hominum ingenia ſolent, & ad futura ſolliciti omne ex Ultrajectinâ ſocietate naſciturum diſcrimen expenderent.

Quippe præter tributi & generalium indictionum onus, à quo ferundo alieni erant, & quod grave ac moleſtum provinciæ fore occulto animorum præſagio ominabantur, ita maxumè metuebant, ne juris antiqui poſſeſſione iſto ex fœdere exuerentur, clariſſimæque Friſiorum genti & tantorum temporum libertati novâ aliquid conventione decederet. Quæ quanquam eorum juſta ſollicitudo renovaret, qui antiquas Principum gentiumq; cum Friſijs pactiones in animos & memoriam revocabant, ita præcipuè nuperâ ſuperioris Belgicæ, quam Gandavenſe fœdus ſocieverat, ſeceſſione, tanquam crudo adhuc vulnere offendebantur.

Nihil ſcilicet tam ſanctum atque firmum eſſe, quin temerare ſociales diſ-

ſenſio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ſenſio audeat, cum fides aut ex queſtu, aut ex potentiæ augendæ ſtudio, aut CIↃ. IↃ.
humani ingenij imbecillitate rapta religionem fœderum auferret. Coïviſse Gan- LXXIX.
davi cum Belgicæ ac Burgundiæ provincijs, quas à ſuis terris, atque finibus morum diverſitas, legum atque libertatis gloria ſecreviſset, quo Philippi & ſuorum injurijs, qui imperium ſuum armis magis quam pace tueri maluerat, communis nationum concordia occurreret. Atqui clariſſimi & ſolemniter icti fœderis infamiâ diſſolutam ſocietatem, ut ante ex religione odia, ita bella atque ſanguinem ſpirare, levitate illorum qui veterum & præſentium faſtidio, ac libertatis ſenſu excuſſo probroſa ſervitia ejurata Hiſpanorum dominationis adijſſent. Sed eam rerum humanarum fragilitatem & inconſtantiam eſse, ut eodem loco eas ſubſiſtere fortuna, aut mortale conſilium nolit, nova diſſidia haud dubie novo ex fœdere ſeminaturum, niſi expulſa gentibus ſola fœderum tutrix fides redeat, & in patriarum legum amplexu firmetur nutantis reip. imbecillitas. Matthiæ quoque provinciarum Gubernatori jus atque autoritas conſtet, factura ſue periculum ſi provincias & oppida illius imperio ſubducat nova & niſi ex æquitate ſanciatur, non duratura ſocietas.

Itaque Legati fœderatarum provinciarum, ſanandis Friſiorum crimi- *Friſii ab*
nationibus, fide datâ conceptiſque verbis caverant: *indictionibus generalibus eximuntur.*

Ne in Vltrajectinum fœdus recepti ex eodem fœdere ad ferendas indictionum generalium leges tenerentur, & ut tributa communi provinciarum decreto ordinanda, æqualia ſocijs forent. Ius quoque Friſicæ genti peculiare integrum inviolatumque maneret, Matthiæque Gubernatori, etiam ex hoc ipſo fœdere, confirmata autoritas eſſet.

Quæ per Regnerum Aſſuinium, Loefium Harium & Regnerum Cantium Kal. Jun. ſignata, animos Friſiorum recipiendo fœderi perpulere.

Itaque poſtero die, qui IV. Non. erat, ab oppidanis in æde prædicatorum ſolemniter & pro more congregatis fœdus confirmatum, ac *Oppidani in Friſiâ amplectuntur fœdus Vltrajectinum.*
à Julio Bottnia Oldermanno, Georgio Henrico Conſule pro Franequerenſibus, Henrico Jarichio & Joanne Joannis nomine Adij Lambertij qui abſens erat & iſti rei mandatum acceperat pro Leovardienſibus, Nicolao Horatio, Petro Livio pro Snecanis, Jacobo Suffridæo & Franciſco Jacobæo pro Bolſuerdijs, Bonnone Petræo & Jeltzone Galama pro Ilſtanis, Regnero Olpherdio pro Staurijs, Gulielmo Sippio pro Slotanis, Joanne Boëtio & Douwone Abbæo pro Worcumanis ſignatum.

Igitur ſignato per oppidanos Ultrajectino fœdere, Weſtergoi palam diſcordes pro recipiendo aut repudiando eodem fœdere conſultavere. *Et Weſtergoi non ſine altercatione.* Erant namque qui Matthiæ Gubernatoris ſententiæ totum negotium deferrent, fœduſque Ultrajectinum, modo à Gandavenſi & Bruxellenſi Unione tum religionis concordiâ non diſſentiret, amplectendum pronuntiarent.

Itaque obteſtabantur niſi de eo caveretur, fœdus ſe non probaturos, habituroſque rationem mandatorum ſuorum, quæ violari non poſſent. Ita Sixtus Bottnia & Joannes Suffridæus pro Wimbritſerijs, pro Wonſeranis Janco Oſinghа, Jarichus Gulielmius presbyter, Renicus Suffridæus Baerdius, pro Hemelumolpherdijs Hinno Jarichius & Renicus Hiſſius reſcripſere.

Hoc etiam additum à poſterioribus, ut, ſi fœdus adeundum foret, præ-

cIↄ. Iↄ. LXXIX. præturæ ſuæ & diſtrictui, in cauſa tributi, ex inundatione terrarum ſuarum & ſecutâ egeſtate parceretur, & ut è pecorum paſtu aut ſeminatis agris natâ indictione omiſsâ, tributum quoque floreni aureï non intenderetur.

Contra purâ fœderis aditione pro Menaldumæis Foppo Grovenſteinius & Scelto Siricius, pro Baerderanis Serapius Galama & Orichius Doiemus, Poppo Burmania & Oeno Regnerius pro Hennardijs, Hobbo Baerdius pro H. Waltingha aut Frederico Offenhuſano Franequerenſij tuebantur, opponentibus ſe Heſſelo Hania, Tito Regnero Baerderanis, & inter Hennardios Sixto Popma Iure-conſulto & Gerlaco Riſpenio, è Barranis Cornelio Gabinio, qui conditiones fæderis, tanquam à Gandavenſi pace & cæteris pactorum formulis differentes repudiando, decreto nuperi comitij, quod fœdus abrogaſſe dictitabant, immodeſtiâ ſermonum patrocinabantur.

Itaque Serapius Galama Baerderanus prætor contumaci adverſariorum importunitate excandeſcens, id vero alienum & manifeſtæ falſitatis ajebat, fœduſque Ultrajectinum à patriæ amantibus approbatum, non niſi paucorum, qui ſecretos contra leges conventus habuiſſent, præpeditum aſſerebat.

Hæc in acta relata & Non. Jun. legatis Ultrajectinis exhibita. Tantam in animis acerbitatem aut ſollicitudinem Ultrajectini fœderis diſceptatio injecerat. Cui malo quorundam ſuſpicio aut cura fomentum aliquod ſubminiſtrabat, cum eſſent qui fidem facerent, provincias Ultrajectino fœdere & ſimul ære ex alieno creditoribus nexas Friſiæ provinciam ex jure ſocietatis gravaturas.

Quamobrem à Legatis cautum. Ne æs alienum oneri eorum aut damno, qui in præſens fædus adijſſent, cederet, & ut omni debito liberando quod jam ante natum eſſet, fides antiquæ obligationis interveniret. Igitur Ordines Friſiæ ſpectatâ Legatorum integritate, & ne comitium quod in octiduum prolatum criminabantur, majore provinciæ impendio traheretur, ijs qui in parte adhuc adverſâ erant, colloquium atque arbitros componendæ diſſenſioni obtulere, ſub hac obteſtatione, ut oblatam æquitatem reſpuenti culpa retardatæ aut ruptæ pacis imputaretur, ſuæque innocentiæ teſtimonium tam fæderatarum provinciarum quam Trans-Iavicanæ, qui comparuerant, gentis legati acciperent. Id prid. Non. Jun. factum ac à Docone Martna, Douwone Sixma, Jancone Oſingha, Barthio Idzaerda pro fæderatis provincialibus ſignatum.

Provinciæ Vltrajectinum fœdus amplexæ, ſingulis certam æris ſummam gerendo bello ſtatuunt

Igitur fœdere icto & à Friſijs, ut ante dixi, per Barthium Idzaerdam & Gellium Sibæum Ultrajecti ſignato, menſe Junio modus tributi per provincias conſtitutus, conventumque ut Geldri quovis menſe 40000. Hollandi 83000. Zelandi 17000. Friſij 24000. Ultrajectini 12000. Tranſiſulani & Lingenſes 23000. Groningenſes 6000. Omlandi 12000. Drentini 6000. Carolæorum penderent, æriſque corrogati ſubſidium gerendo bello ſerviret.

Reperio in actis iſtius conventus Sibrandum Hiddium Geeſterlandiæ nomine in comitio tum agentem, collatam legitimo more à Sylveſtribus Deputati dignitatem Barthio Idzaerdæ aſſeruiſſe, ejuſque rei fidem ab actuario Ordinum Isbrandio perſcriptam vim mandati habuiſſe.

Lit-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Litteras quoque ab Ordinibus generalibus in Friſios Antverpiâ miſ- cIↄ. Iↄ.
ſas, quibus de ſubſidiario ære ocyus mittendo ſolvendæ Trajectenſium LXXIX.
obſidioni cæteriſque neceſſarijs hortabantur. *Litteræ ab Ordinibus Generalibus ad Friſios de ſubſidiario ære.*

Quippe præter publicarum collationum pecuniam, centeſimæ quoque æs ſuſtinendis belli oneribus poſcere coactos ſolutam ignaviâ & ex ſtipendiorum morâ exercitus diſciplinam comperiſſe. Neque aliud ſupereſſe, quam ut Trajecto ad Moſam per vim expugnato reliquas quoque civitates hoſtium armis exponat magnis rebus adverſa ſalubris conſilij cunctatio. Se verò Deum, conſcientiam generis humani & provincialium fidem pro ſuâ innocentiâ obteſtari, quæ ex indignatione inſtantis periculi diſſimulare non poſſet ſecundarum rerum impedimenta alijs autoribus ſtare. Atque hoc inde eſſe, quod ſui conſeſſus autoritas provincialis imperij prætenſo majeſtatis jure arctetur, quod non velit, iſtis à ſuo conſeſſu proſpici, in quibus feſtinato opus ſit, & quibus mederi relationum tarditas non poſſit. Itaque ſiſti ſe ad triſte mentis patriæ ſpectaculum, poſtquam illius oſtentatio movere illorum ſanguinem atque animos non poſſet, qui res ſuas atque corpora amovendis externis ſervitijs conſecrare ſaluti publicæ juſta devotione debuiſſent. Interim ſperare ſe meliora & ex magnitudine præſentis mali emendata conſilia, quo ſubvenire emorienti reip. poſſit neceſſarij ſubſidiarijque æris maturitas.

Mox decreto Ordinum prid. Non. Ianuar. perſcripto & per Arnoldum Hardervicenum, Douwonem Nyenhuſium & Ludovicum Foxium actuarios publicos ad Præſules cæteroſque adverſæ partis perlato reſponſum eſt. *Reſpondent Ordines Friſiæ Weſtergoï.*

Id moris apud majores ſuos in comitijs obtinuiſſe, ut ſuffragiorum ratio haberetur, quæ quo plura eo validiora fuiſſent.

Et quoniam in cauſâ Ultrajectini fœderis, (ad quod cònſtringi nemo jure poſſet) & ut nulli conſtringerentur Lalainius voluiſſet, ita conſcientiæ ſuæ ductum ſecutos ſtatuiſſe, quæ plures decreviſſent. Quare obteſtationem Ordinum tanquam inefficacem & cum patrijs legibus pugnantem ſe habere, quæ comitiorum & ſuffragij jure oppidanos prohibuiſſent, neque prætores admitterent, quibus ex actis fas non eſſet, ſicuti neq; privatis, ſolemni comitio intereſſe. Itaque id reſponſum de quo actuarij referebant, Ordinibus minus gratum & acceptum firmandis partibus animos accendit.

Unde poſtero à Weſtergoïs decretum.

Vt rationum magiſtri dignitate atque munere ſuo cederent, Ordinumque Deputati provinciæ rationibus præeſſent. Pecunias quoque publicas rationariorum incuriâ ſegnius in ærarium perlatas, inferri in idem ærarium ocyus curarent, eaque poteſtate Ianco Oſingha & Orichius Doyemus fungerentur. Vt eorum mandatis ſignandis Foppo Grovenſteinius & Goſlicus Hiddama vacarent, ijſdemque Deputatis fas eſſet in gravioribus cauſis binos ternoſve è Weſtergoïs in conſilium adhibere, decernereque quod ex uſu ſit. Et quoniam fœderatorum Ordinum legati fidem feciſſent, ſe de menſtruo 24. millium tributo, quod Friſijs impoſitum erat, paciſci ac tranſigere non poſſe, Deputatis ijſdem jus atque poteſtas facta eſſet, delegandi Vltrajectum, qui cum Carolo Roorda Legato Vltrajecti agente conſilia communicent, deque juſto & æquali cum Socijs tributo

 tributo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXIX. *tributo paciſcantur, eiuſque remiſſione ſocijs indultâ, idem beneficij Friſijs obveniret. Lucæ Iargæo provinciæ actuario Antiſtitum Ordini addicto Eco Iſbrandius in dignitate ſuccederet. Id actis inſertum, & Foppij Grovenſteiny, Sixti Bottniæ, Oenonis Rinſij & H. Bardij manu ſignatum.*

Quibus aſſentiuntur Ooſtergoï & major Sylveſtrium pars

Quo Weſtergoënſium decreto à fœderatis Ooſtergoïs & majore Sylveſtrium parte, quæ cum oppidanis fœderi Ultrajectino ſe obligaverat, approbato, ijdem Ooſtergoï Scipionem Meckmannum & Renicum Cammingham cognomento Majorem Deputatos creavere, eorumque mandatis ſcribendis Doconem Martnam & Tetardum Aylvam delegavere. Hæc à Joanne Martna Corniumano & Broerio Heſſelio perſcripta. Neque Sylveſtibus pax quoque & quies tum erat.

Quippe Deputatis cum rationum magiſtro per eos, qui Præſulum Ordini favebant, extra comitij locum conſtitutis Barthius Idſaerda, Joannes Sannius, Sibrandus, Hiddius, Auco Edonius & Feico Tatmannus de mandato ſociorum ſe oppoſuere, reſciſsâque electione & damnatis actis obteſtatione uſi, publicarum rationum curam Deputatis permiſere. Ea Non. Jun. facta.

Comitia Friſiæ turbida.

Quæ dum Leovardiæ in comitio turbido & exitiali provincialium diſcordiâ ſciſſo fiunt, per Heſſelum Ayſmam legatum apud Antverpios adhuc agentem libellus ſupplex Deputatorum Friſiæ nomine MATTHIÆ Gubernatori hunc in modum oblatus.

Libellus Supplex Matthiæ Archiduci à Legatis Friſiæ exhibitus ad cohibendum Epiſcopum & Senatum regium.

ANNUS & ultra eſt, Sereniſsime GUBERNATOR, quo hoſti per Friſiam addictos vinculis dari, ac dignitate moveri & loco imperaſti. Hac tamen cautione additâ, ut finito hoc ipſo quo exagitamur bello, jure cum ijs ageretur. Quo mandato fretus LALAINIUS Friſiæ præfectus Epiſcopum & Senatum ceſſare ab Ordinarijs officijs juſſit, eâque de re ad te rettulit. Et quanquam iſtius facti atque decreti ratio firma & immutata eſſe debeat, tamen loco moti reſtitutionis in integrum beneficium imploravere, ac ut eos, etiam machinationum hoſtilium convictos, tribunalibus atque dignitatibus redderes. Quod cum à tuo decreto alienum eſſet, ſanxiſti, ut cauſæ actorumque cognitio LALAINIO ac Deputatis Friſiæ permitteretur. In quam proficiſci perferendis actis noſtræ occupationes, quibus hic detinemur, & impedita itinera non ſinunt. Igitur petimus, ut mandato tuo, quod ſcripſiſti, robur addas, Epiſcopumque ac Senatum durante hoc bello, judicio prohibeas. Fiſci quoque apud Friſios procuratori poteſtatem facias ex actis cæteriſque in quæ inquiri faciet, adverſum eoſdem agendi, aut proferri ſinas diem cognitionis, quo LALAINIUS belli & pacis rebus expeditis, vacare judicio & commiſſis mandatis poſſit.

Quare reſcripto Matthiæ cognitionis dies in bimeſtre prolatus ejuſque reſcripti denuntiatio Wilhelmo Mennenio apparitore, Ioanni Smeiero procuratori exautorati Senatus facta.

Tum lite fæderis necdum ſopitâ Feico Tatmannus Utingeranorum Prætor pro Barthio Idſaerda, in Deputatum à Sylveſtribus communi ſuffragio electo, teſtimonium dixit, manuque Econis Isbrandij ſcriptum, frænandæ adverſariorum importunitati referri in acta fecit. In quæ illorum quoque nomina, qui convellendo Ultrajectino fæderi ſuffragia ac conſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

conſilia commodaverant, relata, inſtruendæq; poſteritati quo illorum cIɔ. Iɔ.
temporum motus & factioſas coïtiones cognoſcat, archivi provinciæ LXXIX.
inſerta hoc Ordine recitabantur.

In quibus è territorio Leovardienſi Heſſelus Emingha, Heſſelus Feitſma & Renicus Tetardius, è Ferverderano Nicolaus Lovius, Laurentius Buwo presbyter, è Dongrijs occidentalibus Nicolaus Cleſſenius, ex orientalibus Elco Mockama, Wigerus Gabinius, pro pagis quibuſdam Collumani territorij Edo Alma, pro Octopagicis Livius Ielgerſma, pro Dantumanis Oeno Wijtſma prætor & Tiepco Goſlingha, pro Tietzerkijs Oedſius Arnoldus, pro Smallengijs Erco Arnoldius, pro Raverdijs Ado Heringha & Otto Botteſius, pro Idardijs Biuco Edſardius fuere. Inter Weſtergoos Titus Regnerius, Heſſelus Hania, Hanſo Roorda, Tiepco Gerbranda, D. Sixtus Popma LL. Doctor, Gerlacus Riſpenius & Cornelius Gabinius nominati. In Sylveſtrium numero Kempo Hajonius Opſterlandus, Heyno Abelius ex Stellinguerfijs orientalibus, Ulpianus Godofredus Scoterlandus, Gellius Broërius Haskeranus, Euco Tetardius Lemſterius, Foppius Douma & Ansko Meinius Donieverſtallenſes perſcripti. Cæterum Opſterlandis, Stellinguerfijs occiduis, Scoterlandis, Utingeranis, Geeſterlandis cæteriſque multitudine ſuffragiorum primis & fæderi unitis illorum, quos recenſui, partibus boni in comitio exitus non fuere.

Quippe præter procurationes quas plenâ agendi poteſtate firmatas, oppidani exceptis Hindelopijs ad ſignandum fœdus attulerant, etiam ex Ooſtergoïs Octopagici, Tietzerkij, Collumani, Smallengij, Dongrij plerique è Weſtergoïs Winbritſerij, Hemelumolphardij, Baerderani, Menaldumæi & Franekerenſis territorij, è Sylveſtribus Opſterlandi, Stellinguerfij, Utingerani, Lemſterij & Geeſterlandi mandata præferebant, reliquoſque & in ijs presbyteros eoſque dubios & vacillantes, aut immodeſtiâ partium ſuſpectos, concordibus ſuffragijs ſuperabant. Quibus & hoc accedebat, quod ſemiplenis mandatis inſtructi velut accisâ agendi poteſtate priorum cauſam præjuvarent, metuque majoris periculi in illâ converſione rerum coorto, ſilentium profiterentur. In eorum numero ex Idardijs, Roordahuſani, Frenſij, Idardij, Warregaï, Leovardienſis territorij, Dantumani, Ooſtergoi; Barrani, Hennardij, Wonſerani, Weſtergoi; Donieverſtallenſes & Haskerij Sylveſtres cenſebantur.

Igitur fœdere per Friſiam cum Geldris, Hollandis cæteriſq; provincijs per pleroſque percuſſo, cæteri qui ſpecie tuendæ apud Gandavum ictæ pacis firmandis Philippi partibus utebantur, retro citroque cum Farneſio ſecreta communicabant, multique etiam ex ipſo Ordinum generalium conſeſſu, aut qui militaribus dignitatibus pollebant odio, ut creditum fuit, Ultrajectini fœderis à libertatis patrocinio alienabantur.

Factiones & res dubiæ per univerſam Belgicam.

Inſertum actis invenio, Carolum Gauræum Equeſtri Ordinis virum, præclaris legationibus ad Andinum nuper functum, clandeſtinam à partibus Ordinum defectionem tum paraſſe, datisq; ad primatem litteris & in vetere quod Philippo regi præſtitiſſet ſacramento & fœderati exercitus ſeditione ſibi placuiſſe.

Carolus Gauræus ad Hiſpanos deficit.

Unde Antverpiæ & ſimul Coloniæ, ubi pacis negotium tardius procedebat, aſſerendæ regiæ parti arcana conſilia fabricata, quæ quo

cIↃ. IↃ. LXXIX. majore vehementiâ incaleſcebant, majore quoque impetu acta promiſcue vulgabantur.

Reperio in litteris Gelliæ Aylvæ nobilis fœminæ, erat ea Gemmæ Burmanniæ uxor, ad Renicum Cammingha Coloniâ datis, eum de inſtantibus periculis monuiſſe, & ut dignitate regijs per Friſiam officiarijs abrogatâ novi & nuper creati in poſſeſſione ſuorum munerum o극cyus locarentur. Quippe eſſe Coloniæ, qui de reſtituendo vetere Senatu cogitent, & qui expugnato ad Moſam Trajecto irruptionem Friſiæ comminentur. Gellium quoque Tetardium opificio vitriarium Coloniæ tum in exilio agentem, eadem patri ſuo per litteras approbaſſe fratrique ut evitando, quod Friſiæ immineret, periculo Coloniam feſtinaret, conſilium dediſſe.

Publicatio fœderis Vltrajectini Antverpiæ multos offendit.

Ayſma ſcribit fœdus Ultrajectinum prid. Eid. Iun. Antverpiæ cum religionis Edicto publicatum tacitâ offenſione nonnullorum animos perculiſſe, eoſque novi fæderis odio & recitatione correptos Senatu abſtinuiſſe. Quæ faciendis ſeceſſionibus reperta Ordinum ſocietatem ultro ex impulſo ærario debilem, tanquam natis in perniciem exemplis, infirmabant. Itaque eveniebat ut feſſis Trajectenſium rebus auxilia non ſuppeditarentur, equeſtreſque copiæ ex inopiâ ſtipendiorum ignaviâ contabeſcerent. Ipſe etiam Caſtrenantius, notante Albada, tardius poſtulatis Ordinum reſponderet, actaque etiam Kalend. Iun. perſcripta in ſpem expugnandi Trajecti ſerius traderentur. Ijs cavebat.

Caſtrenantius negotium pacis ſpe expugnandi Trajecti tardius urget.

Ut omnium anteactorum veniâ reſtitutoque patrio jure peregrinæ legiones exautorarentur. Inquilini civitatum atque caſtellorum præſidijs præeſſent omnique exercitu dimiſſo, ceſſante armorum uſu, intermiſſa aut bello impedita commercia refloreſcerent. Vectigalia & indictiones gravandis provincialibus inſtitutæ tollerentur, & ut quique uti poſſediſſent utrobivis locorum, ita res ac bona ſua poſſiderent. Functionibus ac dignitatibus, exceptis perduellibus, cæteri reſtituerentur ijque ex inquilinis eſſent. Captivis venia fieret, Buranus Belgio redderetur, Hollandiam, Zelandiam & Ultrajectum, vicario imperio teneret. Acta Matthiæ & Ordinum, quamvis legitimæ poteſtatis & juris defectu laborarent, rata eſſent proque legitimis haberentur, exceptis quæ juris regij fuiſſent. Magiſtratus lege & recepto more crearentur. Catholica Romana religio ſola haberetur, cæteris ab eâ alienis jus intra quadriennium proxumum fieret provincijs excedendi, bonorum adminiſtrationem quibus velint demandandi. Obedientia regiæ majeſtati, tanquam naturali & legitimo principi ex formulâ Carolinæ conventionis & Philippi regis præſtaretur. Regij ſanguinis princeps & regendæ Belgicæ par in provincias mitteretur. Ei civitates, oppida, fortalitia unâ & cum regis patrimonio & cum omni commeatu Ordinum traderentur. Gandavenſe fœdus integrum foret, cætera pacta, conventa, fœdera, ſponſiones inritæ eſſent. Regina Angliæ & Andinus Colonienſi fœdere comprehenderentur. Pontifex cæteriq; principes ad hanc conventionem delegati ſartam tectam præſtarent. Idem ſub religione jurisjurandi rex faceret, ejus acta archivis publicis infererentur. Ab Ordinum parte idem fieret.

Ad quæ eorum Legati reſponderunt. Certam pacis ſpem jam pridem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIX.

Legati Ordinum ſpem omnem pacis iniquis Caſtrenantij poſtulatis interrumpi queruntur.

dem ſe concepiſſe, ſed eam novorum poſtulatorum, quæ Caſtrenantius feciſſet, iniquitate convelli. Neque enim eam Gandavenſi aut Bruxellenſi pactis convenire, neque alia eſſe, quam quæ Ordinum, ſi de ijs referant, animos, velut talium impatientes, exacerbare queant. Æquiora ſcilicet Bredano conventu, Aurantio ac ſocijs oblatos, quæ illi reſpuiſſent, qui ſoli bellum tum ſuſtinebant. Igitur petere ut Cæſaris legati regium Philippi melius inſtruant, faciantque quam ocyus, ut molliora & ad pacem factura proponi curet. De Aurantio additum; Nam id mandatarij Cæſaris quæſiverant, ejus ſpeciale mandatum cum id commune includeret, Colonienſi actioni non requiſiviſſe, facturos ut id habeant ſi viderint certiora ad pacem judicia ſe oſtendere. Mox de inducijs ſanciendis nullo item exitu collocutum volentibus Cæſaris mandatarijs, ut Caſtrenantij poſtulata, velut æquitati innixa legati Ordinum approbarent, eoque armiſtitium aut inducias, velut emollito rege paciſcerentur.

Albada Friſiorum legatus & orator ſcribit, Ordinum Legatos obtinendis inducijs, etiam inclinante Junio, æquiſſima quæque regijs imperatorijſque mandatarijs obtuliſſe, iniquitateque adverſariorum ad deſperationem pacis actos plus regiæ tamen venerationi, obtinendo armiſtitio quam ſuis mandatis dediſſe. Hoc namque ſcribente Albada, metuebant, ne jus ſuum pertinacius aut immodeſtius tutando impedimentum pacis actioni injicerent, ipſumque Romanum imperium, tanquam Auſtriæ domui & Philippo magis æquum acerrimâ libertatis defenſione in odium fœderati populi convitaretur.

Econtra hoc legatos clam urebat, quod Caſtrenantius paternum Philippi affectum ſpecioſâ prædicatione offerret, ſervatoque poſtulatorum rigore & ne ab ijs recederetur cavendo, alienum à pace animum oſtenderet.

Itaque ſtabiliendæ æquitati conditionum, quas jam ante obtulerant, hunc in modum ſcribebant.

Exhibito ſcripto Legati Ordinum docent Mandatarios Cæſaris iniquitatem poſtulatorum Caſtrenantij.

LEGES ad quas provocavimus, Mandatarij Cæſaris, tum pacta & conventiones noſtræ ſunt & ſemper fuere. Quas antiquare aut imminuere, nec regi aut Principi olim fas fuit, neque etiamnum licet. Vt de Tributis non dicamus, in quibus edicendis, ut modum retinere coactus Rex eſt, ita in ejus poteſtate nunquam fuit ſine Ordinum conſenſu ea intendere. Atqui nec dignitates, nec beneficia non niſi ſub conditionibus conferebat, quas multum aberat, ut Prorex aut Præfectus, Senatus aut Legionum Tribuni violarent. Quare ubi illorum fæditate & imperio, omne quod pro jure noſtro ſtabat, oppreſſum aut infirmatum eſt, divino atque humano jure impulſi arma cepimus, ſub quibus corporum noſtrorum, rerum atque juris tutela haberetur. Nam alias obſequium Regi tanquam legitimo principi nunquam detrectavimus, neque ut faciamus animum induximus, cæterum volumus, ut imperio ſuo, quod legibus noſtris atque conventionibus inligatum eſt, populum ſuum regat. Vnum verò eſt, quod deberi Regis gratiæ poteſt ut religionis libertatem ex uſu temporum indulgeat, cum aliam à pontificiâ profitentibus nihil concedi velit, quam ut mitiore pœnâ corrigantur, aut patriâ ſuâ ac poſſeſſionibus ejecti, deſertis propinquis & omni amicorum ac rerum ſolatio de-

cIↄ. Iↄ. LXXIX.

deſtituti; exilia tollerent. Quæ cum dura & planè inhumana ſint, ita brevibus de jure noſtro impræſentiarum teſtamur, cui tuendo Deo coram & terrarum orbis gentibus abundè pares ſumus. Quo ipſo etſi regem revereri & colere obligamur, ita non ignoramus, quid principem inter & vaſallos intercedat. Nos de ſingulis quæ rex Philippus propoſuit ad provincias & de religionis poſtulato imprimis referemus, quo ſi pertinaciter ſtare rex velit, infructuoſa omnis Romani imperij ad pacem interceſſio erit. Quod ad inducias attinet, parati ſumus eas ſancire & quidem hac lege, ut in ſpem futuræ pacis liber utrinque commeatus ſit & ut ſepoſitâ omni lite atque vi mutua provincialium ſocietas habeatur. Hæc XIII. Kalend. Iul. ſcripta.

Cui petitioni etſi ultro Caſtrenantius adverſaretur, ita tum offendi ſe durioribus Ordinum mandatis aſſerebat, ſpecioſo obtentui, quo urbem, vigilijs & cæde feſſam Farneſius vir gloriæ imprimis appetens, rudimentis militaris imperij adjiceret. Quippe addebat ſuæ poteſtatis non eſſe de obſeſſa urbe paciſci, Alexandro Farneſio cum exercitu & imperio res Philippi gerente. Itaque inter cavillationes relationesque fæcialium tractâ actione, Alexander Farneſius collectis quas poterat copijs urbem oppugnare conſtituit, quo toleratas trimeſtribus caſtris difficultates egregio victoriæ exitu & cum incremento principis famæ leniret.

Trajectum Moſæ decimo hoſtium inſultum capitur.

Cæterum novies cum jacturâ ſuorum repulſus, dum obſeſſi ſomnolenti & exangues reficiendis ſomno viribus ſtudent, decimo inſultu ſuæ eam poteſtatis fecit. Ad quam expugnandam extenuatum præſidium, à Farneſij parte, nox & recentes copiæ juvârunt. Igitur urbe capta in promiſcuam cædem itum, donec tandem inanis clementiæ exemplum editurus Farneſius abſtineri cædibus juſſit. Suartſenburgius præſidij ductor, qui res præclarè & in exemplum geſſerat, cum pleriſque ſuorum occubuit.

Hiſpanorum ſævitia in expugnatâ urbe.

Tradunt hiſtoriæ occupatâ ab Hiſpanis urbe, mulierum puerorumq; ejulatus per ſpacium mill. paſſ. auditos, fugientemque inermium turbam aut Moſæ amni immerſam, aut gladijs hoſtium expoſitam, velut civitatis funeri, communibus exequijs interfuiſſe. Ita Trajectum ad Moſam in finibus Eburonum Brabantiæq; ſitum à trium menſium obſidione expugnatum, promiſſorum auxiliorum ac Colonienſis (de qua dixi) pacis infœlices cruentoſque fructus accepit.

Aggæus Albada in litteris ad Deputatos Friſiæ XIII. Kalend. Iul. Coloniâ datis, ſcribit præcipuum diſſenſionis argumentum in Romanæ religionis exercitio tum ſtetiſſe, illudque velut grave & cum armis natum ab infælicibus provincijs beneficium præcipuè pacis amoviſſe. Quæ per ipſam quoque Friſiam lubrica adhuc & exilis, ex Ultrajectini fœderis amore aut odio animos ac conſilia ſejungebat.

Itaque ab Albada Legato viro patriæ amantiſſimo multa ſanandis diſſenſionibus ſuadebantur, quas domeſticâ pace ac civili concordiâ componi removendis quam maxumè inſtantibus intereſſet.

LITTERAE erant.

CUM

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIX.

Litteræ Albadæ viri Patriæ amantiſſimi ad Friſios.

CVM dolore diſcordias veſtras intellexi, propterea quod occaſionem & cauſam dare poterunt totius patriæ noſtræ ruinæ. Nec tamen arbitror ex vobis quenquam eſſe, qui Hiſpanos in patriam noſtram reducere cupiat, vel qui arma unus in alterum propter religionem ſuſcipere cogitet. In eâ enim re vos omnes prudentiores eſſe judico. Conſiderare ergo vos velim diſcordias veſtras non alio ſervire poſſe, quam ut occultis veſtris hoſtibus, qui ab Hiſpanorum partibus ſtant, viam præparetis, qua facilius vos invadant & opprimant. Hoc ut ſcribam neceſſitas me cogit, qui ſciam exercitum jam contra vos deſtinatum eſſe, & niſi Deus conſilium eorum ac propoſitum impedierit ac perturbaverit, non diu erit quin intra limites veſtros hoſtium veſtrorum exercitum habituri ſitis. Quamobrem amanter vos rogo, ut mutuam concordiam & amorem inter vos foveatis & colatis. Hac unâ re hoſtibus veſtris ſuperiores eſſe poteritis, ab Vnione reliquarum & maxumè vicinarum provinciarum ne vos ſeparetis. Plura per litteras ſcribere non audeo, ſed ut iſtud ſcribam & petam magnæ me cauſæ movent. Bene valete viri optimi & patriæ amantiſſimi. Coloniæ 19. Iun. 1579.

Similes litteræ ad virum nobilem Renicum Cammingha, qui in Deputatis tum erat, ab eodem legato datæ.

Legati Vltrajectini referunt ad Ordines generales quid effecerint in Friſiâ.

Itaque ſoluto quem menſe Iunio habitum memoravi, apud Friſios conventu, Regnerus Aſſevinius, Loefius Harius & Regnerus Cantius Ultrajectum regreſſi, præſidente Joanne Naſſovio Geldriæ Gubernatore, de ſingulis per Friſiam actis relationem inſtituerunt. Iſta erat: Rennebergium reliquamque Friſiam, & in eâ Bolſuerdios, Staurios, Worcumios, Ilſtanos Weſtergoos, & ex Ooſtergois plurimos Ultrajectinum fœdus approbaſſe proque menſtruo 24000. tributo ſolvendo fidem interpoſuiſſe. Hac tamen cautione additâ, ut, ſi quota tributi plures per provincias remitteretur, idem Friſijs beneficium eſſet quæ in acta decretorum fœderis Ultrajecti XIV. Kalend. Jul. relata.

Reperio in actis, Matthiam Gubernatorem de præſtandis quoque Ordinum generalium ærario tributis Friſios pendendis militum ſtipendijs tum monuiſſe, ac ut, quod ante ad VI. Iun. factum eſſet, quam ocyus legatos Antverpiam mitterent, plenis mandatis & agendi poteſtate inſtructos. Fœderatos quoq; Ordinum Ultrajecti commorantes ſubſidia popoſciſſe, ac ut Friſij tributum ex fœdere promiſſum defendendis provincijs & ſeorſim fœderatis præſtarent. Adeo ſuperioris Belgicæ defectio & Colonienſis pacis infida ſpes novarum rerum deſideria cum faſtidio veterum accenderat.

Lalainius acceptis obſidibus Groningani intrat.

Mox Georgius Lalainius (nam ita indigitatum tum reperio) acceptis ex pacto Groningenſium obſidibus caſtra Groningâ movit, obſideſque Campos in orâ Iſalis amnis ſitum oppidum ablegatos haberi in custodiâ fecit. Tum incerto an urbem armis victam ſed fidei dubiam intraret, diverſa conſilia ſe obtulere, cum eſſent, qui cenſerent ejus præſentiæ turbidam & partium fœcundam civitatem egere, omniaque præſentis præfecti imperio diſpecta fœlicius proceſſura. Alijs placebat non committendum eſſe infidæ civitati provinciæ rectorem, & quem eo loco providentia rerum poſuiſſet, ut in ejus ſecuritate omnium ſalus, in periculo diſcrimen conſtitueretur. Sed fiduciæ ex ijs

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIX. quæ prævalerent certus urbem intravit, verſo in proſperum omen ingenio, quod memoratum annalibus diem ſuo ingreſſui fortuna reſervaſſet. Erant namque qui vetuſtorum curioſi recordabantur, Mariam Caroli Cæſaris ſororem eodem, qui Joanni Baptiſtæ ſacer eſt, die Groningam adveniſſe, Florentiumque & Maximilianum Buranos tum Joannem Lignæum Arenbergium Caroli ac Philippi præfectos civium feſtivitate exceptos illum diem, tanquam principum inaugurationibus, ſolemnem inſigniviſſe. Igitur arrectæ ad magnâ indoli haud difficulter perſuaſum, id ſecundis rebus & ad lætiora indicium eſſe, quæ extrema adverſitate penſare fortuna laborabat.

Lalainius Groningæ omnibus ritè ordinatis in Drentiam rebellem exercitum ducit & Coverdiam munit.

Quare Groningæ Magiſtratu conſtituto & ad fidem adacto, tum religionis pace per edictum promulgatâ, reformatæ exercitijs D. Walburgis ædem & Prædicatorum fanum aſſignavit, Ordinatiſque pro temporum ſtatu apud Groningam rebus ſigna per Drentiam movit. Jam enim quatuor legionis ſuæ cohortes Drentinorum finibus ejectas acceperat, illumque populum, velut paludibus & ingenio ſoli ſitum, omnem inſolentiam reprimendis Ordinum partibus exercuiſſe. Igitur legione haud procul Slochtero, vicus in Frædoualdijs eſt, per foſſam ducendis paluſtribus aquis facilem tranſmiſsâ, novâ quoque Oenonis Groveſteinij nobilis Friſij cohorte tum tribus tormentis campeſtribus quæ Leovardiâ adduci curaverat, validior, medios Drentiæ per agros exercitum duxit, verſuſque Coverdiam, olim Vacciforum in Hiſtoriâ Wilhelmi Hedæ nominatam, quam Entius Satrapa cum imperio tenebat, iter intendit. Quo in fugam abrepto & omni vicino municipio in fidem accepto, muniendi, quod ibi erat, caſtelli mandatum Cornputtio dedit, Oldenzelamque & Linganos imperata facere juſſit. Sed contumaciâ ſatraparum & Linganæ plebis Pontificijs ſacris ferventius imbutæ nihil actum, diſſimulante Lalainio minus ad famam, magis moleſtiæ fore, ſi per inculta & fœda paludum uligine loci fractum itinere & moleſtijs militem neglectâ magnarum rerum occaſione duxiſſet. Quæ res ſubſecutæ defectionis ſuſpicionem in Lalainio auxit. Igitur Cornputtius talium ſolers caſtellum, quod vetuſtate aut ruinâ collapſum cernebatur, multiplici muro latiſſimiſque foſſis præcinxit, Coverdiamque erecto ex arte opere communiri fecit. Quo necdum confecto triſte mox incendum illuxit, tertiamque ædificiorum partem fortuito igne abſumpſit. Itaque firmata Coverdia Lalainio magnam apud fœderatos Ordines gratiam conciliavit. Quorum propterea decreto factum eſt, ut militare ejus imperium augeretur, quatuorque cohortes ſexcentorum equitum conſcribendi poteſtatem acciperet. Igitur litteris ad Friſiæ Ordines IX. Kal. Iul. datis de eo monuere, & ut fertilem virorum provinciam ac vicinos agros equeſtribus delectibus permitterent. Lalainius quoque una cum Friſiæ & Omlandiæ Delegatis iſti negotio tanquam imprimis neceſſario ocyus vacaret, fidoſque & fœderi ſocios militaribus dignitatibus præficeret. Hic etiam addebant, ut præter lancceariorum alam, ſclopetariorum quoque cohors inter cæteras legeretur, & ut æs, autorandis copijs deſtinatum, in promptu eſſet. Unde Ailco Onſta, Reinſuoldius, Aſingha, Entenius & Dodo Larius ex Tranſlavicanâ ac Drentinâ nobilitate ducendis cohorti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

hortibus delecti, quæ ex agrario populo ex perturbatione temporum in- cIↄ. Iↄ.
quieto & ad bellum facili nullâ difficultate conducebantur. LXXIX.

Mox Lalainius litteris Deputatorum quas Renicus Cammingha, Ianco Oſingha, Douwo Sixma, Scipio Meckma & Gellius Sybæus collegarum nomine ſignaverant per Orichium Doihemum collegij legatum in Friſiam & Leovardiam Tranſlavicanis evocatus, ducendis illorum ingenijs qui novam fœderis Ultrajectini ſanctionem ſeditioſis per Friſiam conſilijs obtendebant. Igitur Leovardiæ hærens, ubi Heſſelus Ayſma legatus Antverpiâ cum literis & mandatis Ordinum generalium advenerat, de habendo populi inter Flevum & Lavicam comitio deliberavit, copiasque equeſtres ex inquilinis collectas armari ocyus fecit. Heſſeli vero Ayſma mandata hæc erant. Ut 12. millia Carolæorum liberandis Trajectenſibus decreta ocyſſimè exigeret, decemque & octo aureorum millia menſtruum tributum communis Belgicæ provincijs impetraret.

Sed Friſij exſolutum æs ac ad Ultrajectinos tranſmiſſum ſolvendæ Trajectenſium obſidioni fidem faciebant, cum honeſtâ obteſtatione miſerrimæ urbis caſum ſuæ moræ non imputandum. De reliquo tributo, quod in menſem poſcebatur, reſpondebant, ſe necdum ſtatuiſſe, magnitudine onerum fractos & enerves, qui decimeſtri ſpatio octoginta millia aureorum ſocio ærario intuliſſent. Eſſe ſibi provinciam anguſtis finibus clauſam, quam præter rapinas & inruptiones hoſtium, militum centurionumq; ſtipendia & avarities exhauſiſſet. Nihilominus teſtandæ in ſocios fidei conventum propediem habituros facturoſq; quod ſuarum virium ſit. Id IV. Kal. Iul. perſcriptum.

Cui rei grave quoque impedimentum injiciebat, quod fœderati Ordines datis Ultrajecto VI. Non. Iul. litteris menſtrui 24000 carolæorum tributi Friſios commonerent, Pontificiorumque per provinciam importunitas indicendo populi comitio & colligendis ſubſidijs obeſſet. Quæ Senatus regij, qui Leovardiæ adhuc ſecretiore vita & ſimul cuſtodia procul foro & judicijs agebat, clandeſtinis conſilijs interverſa fœdere Ultrajectino nexos acerbioribus odijs accendebant. Itaque plebe turbidâ, & Magiſtratu urbis actionibus Senatus inritato, Philippi Senatus ante ſolis occaſum excedere urbe & ſimul provinciâ juſſus, miſſis actuarijs publicis, qui decreta perferrent.

Senatus Regius Leovardiâ excedere juſſus.

Sunt qui tradunt obnuntiationem titulo proſcriptionis factam, Senatuique regio tam urbe à Magiſtratu, quam provinciâ de mandato Collegij interdictum. Mox in cives immodeſtiâ partium & expulſi Senatus commiſeratione exacerbatos idem ſtatutum, Vibiuſque Cruſius, Wibrandus Goutumanus, Pompeius Gabinius, & Suffridus Petræus urbe ac municipio ejecti. Addunt Scriptores Valonem quoque hominem importunum & ſtipendia ſub Gaſparo Robleſio meritum, eadem pœnâ multatum, reliquoſque Pontificios metu ſui ac terrore exempli evictos ex adverſis temporum inquieta ingenia & immodeſtiam morum repreſſiſſe. Quare altius per urbem paſſim ſilentium, Pontificijque dolore & ſimul irâ ex proſcripto Senatu jam ante accenſi promendis in publicum ſeditioſis vocibus abſtinuere. Quippe Magiſtratus in ſecreta coïtionum & domeſticos cœtus accuratè inquirebat, diſpoſitiſque per

cIɔ. Iɔ. ordinaria loca vigilibus ſpiculatore, tanquam exploratore utebatur.
LXXIX. Ferunt per noctes quas ſubluſtres Cancrinus dies & æſtivi ſolis fulgor faciebat, conventus adverſarum partium quoque obſervatos, ne tenebrarum aut noctium arcanâ opacitate prona turbandæ civitati conſilia tegerentur.

Senatus ab Ordinibus conſtituti autoritas creſcit.

Creditum fuit Senatorias domos extruſis habitatoribus deſertas mærore & exinde indiguatione plurimos affeciſſe & quod præter iſtarum ædium ſolitudinem eidem ruinæ regij Senatus actuarios & ex apparitoribus quoſdam mutatio temporum involuiſſet. Itaq; amoto Philippi Senatu, regiæ per provinciam factionis & ſimul imperij poſt præfectum principe, tervor quoque turbulentorum civium per urbem elanguit, novuſque Senatus, quem Ordinum autoritas, antiquato Burgundico ritu, dicundo juri præfecerat, in tutiſſimâ judiciorum poſſeſſione collocatus eſt. Igitur civili concordiâ Leovardiæ & alibi per provinciam auctâ Georgius Lalainius poſt Groningam Coverdiamque in fidem receptas, magnarum porro rerum ſpes atque deſideria agitabat, quo ſecundo fortunæ vento provectus incrementa gloriæ ex ulteriore conſiliorum ſucceſſu acciperet. Sed tardâ tributi collatione tenue ærarium, quod in bello primum eſt, bene deſtinata ſubvertebat, ejuſque inopiâ gerendæ res omiſſæ curſum majoris famæ & anteactæ proſperitatis fœlicem impetum morabantur.

Ærarium in ordinem redigitur.

Itaque Ultrajectum profectus, ubi & Joannes Naſſovius Geldriæ rector tractandis fœderis negotijs advenerat, de redigendo in Ordinem ærario conſultatum, multoque ſermone in conſeſſu repetito conventio tributi inita. Eâ cautum fuit:

Vt provinciæ fœdere comprehenſæ, die conſtituto tributi quotam ad ærarium perferrent, negligenteſque aut contumaces creditum æs cum uſuris præſtarent. Iſti rei perſonarum, rerum & actionum obligatio interveniret, ex eâque contumacium perſonas ac bona diſinendi alienandique citra juris actionem jus ſocijs foret. Damnum, quod ex detenſione aut venditione bonorum naſciturum eſſet, contumaci provinciæ aut quæ in morâ foret cederet, neque ante audiretur, quam conſignatum æs cum uſuris præſtitiſſet. Quæſtiones ex divenditis intra fœderatas provincias bonis natæ, præfectorum arbitrijs definirentur, contumacibus, aut negligentibus nullum juris aut fori beneficium eſſet. Menſtruum tributum ad centena nonaginta bina aureorum millia ſupportaretur, eique Geldri quadraginta, Hollandi octoginta, Zelandi viginti, Friſij viginti quatuor, Vltrajectini duodecim, Omlandi ſedecim millia ex pacto præſcripti fœderis penderent. Præfecti provinciarum conventionem ratam facerent, contumaces pendendum ad tributum cogerent. Fœderati de ſingulis ad ſuas quique provincias referrent, intraque tres ſeptimanas, aut menſem proxumum de mandato caverent.

Hæc in acta relatâ, & Ioannis Naſſovij Georgij Lalainij, A. Boinenbroeckij, Gerardi Lonij pro Geldris, pro Hollandis Botzelarij, P. Buſij, Wilhelmi Stopij, A Madij, Regneri Cantij, Theodori Ioannis Lonckij, Franciſci Maelſonij, pro Zelandis Iacobi Valckij, Pro Friſijs Caroli Roordæ, Ioannis Ayſmæ, pro Ultrajectinis Gerardi Knopij, Regneri Aſſevinij, Ioannis Dreunij, Florentij Thinnij, pro Omlandis E. Iargæi manu III. Eid. Iul. ſignata. Re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Reperio in actis provinciæ Carolum Roordam & Ioannem Ayſmam, cIↄ. Iↄ.
Delegatos difficultatem apud Lalainium ſignandæ conventioni moviſſe, LXXIX.
Lalainiumque ut proxumo Friſiorum comitio ratam præſtaret, ſcripto obligaſſe. Quippe metuebant, ne ex illâ tributi conventione majeſtatis poſtularentur, eamque ſine ſpeciali mandato populi, aut cautione Præfecti approbatam ex invidiâ facti comitium populi reſcinderet. Igitur vulgato per Alexandrum Farneſium Arteſiam Hannoniamque Philippi partibus aſſertas pro vocando Franciſco Alençonio Andium Duce conſultatum, arrectis in ſpem conventionis multorum animis, quod Andinus ſpecioſis cum mandatis Henricum Guſerium Bonivetum legatum in provincias miſiſſet.

Quorum non ignarum, qui Coloniæ tractandæ paci adhuc ſubſiſtebant, Ordinum mandatarij interceſſionem ad pacem legatos Cæſaris oravere, ne ut omni morâ commodiſſimi temporis abruptâ actioni exitum maturarent. Offerri ſcilicet ab Andino honeſta & profutura auxilia referebant, quæ tanto magis valitura eſſent, ſi communicatos cum Eliſabethâ Anglorum reginâ amores fœlici matrimonio expleverit. Eſſe namque eo loco ſecreti affectus indicium, ut ſpem conjugalis tori promittat, arcanisque jam antè internuntijs commiſſum hominum famæ ſe commiſerit. Itaque fieri poſſe, ut Andini fortunam & ſimul vires poſthabere regio Philippi juri incipiat, cujus exercitus in omnem inſolentiam effuſus exacerbet magis animos ultro ex Philippi & Præfectorum imperio à veteri dominatione alienos. Quibus poſt addebant, infirmari priorum fœderum ſanctiones & damnatis Ordinum actis de ijs ipſis ab omni dignitate removendis cogitari, ac ut regius ſatelles, & aulæ miniſter res ac honores gerat, quæ ſtante principum imperio ipſi Ordines aut eorum beneficiarij jure legitimæ poteſtatis uſurpaſſent. Itaq; pro eo tuendo non ante laboraſſe, quam Præfectorum licentia omnem regendi modum tranſmigraſſet, & cum ipſo legum excidio liberrimam gentem tributariæ onere multaſſet. Cum novis judicijs conſtitutis viliſſimi & imperitiſſimi quique ad publica officia ære aut gratiâ protruſi venalem remp. fecere, Ordineſque provinciarum, cum ad legum auxilia non poſſent, ad juſta arma provocavere.

Ordines reſpiciunt ad Andinum.

Sed Philippi regis jus alibi examinandum eſſe, qui hoc ſcire debuiſſet, imperia, etſi ſummo majeſtatis jure ſubnixa, ſerviendo exerceri omnemque principatum regundo populo datum, principes quoſque honeſtis imperandi rationibus obligaſſe. Igitur moderatione aliquâ pacem cogitanti opus eſſe, ac ut opinionem quæſiti juris leniat, qui injuriæ excepit. Cæterum acerrimo religionis Romanæ argumento regem ac legatos ſtare, quod mitigari exemplo Germaniæ deberet, quæ privata exercitia ſecus ſentientibus indulſiſſet. Non eſſe conſcientijs denuo imperandum, neq; reſuſcitanda Philippi edicta tanto ſanguine fœdata.

Albada in litteris prid. Eid. Jul. in Friſiam datis, ſcribit regium mandatarium de unâ religione articulum pertinacius confirmaſſe, quo Philippus Romanæ religionis curâ & ejus tuendæ ſollicitudine gratior provinciales Pontificios à reformatis cæteriſque ex inſtituto Farneſij & Hanoniæ Arteſiæque gentium divelleret. Idem addit Cæſaris quoq; mandatarios de Philippici Legati pertinaciâ teſtatos, eumque in mitigando

Mandatarius regis religionis Romanæ exercitium maximè urget.

cIↃ. IↃ. LXXIX.

religionis articulo inexorabilem & præfractum omnem Colonienſis & ſimul domeſticæ pacis ſpem præcidiſſe. Neque enim Pontificios in armis adverſus regem perſeveraturos, neque laturos Hollandis, ſocioſque ut ſuæ religionis exercitio exuantur. Ita fieri non poſſe, ut in concordiam coaleſcat antiqua & à Philippo refricata animorum civilium diſſenſio. Quare ab Ordinum mandatarijs legatis Cæſaris objectum, quod plus regij mandatarij aut Philippi gratiæ, quam ſuis arbitrijs & interceſſorum æquitati dediſſent.

Albada notat ſe Comiti Suartſenbergio Legato Cæſareo ſoluto iſtius die conventu, id in os exprobraſſe, eundemque Suartſenbergium fiduciâ loquentis pudefactum leniora mandata obtuliſſe.

Itaque per Ordinum Legatos poſtulatum, ut ſibi de ſingulis ad provincias referendi mandatarij Cæſaris poteſtatem facerent & ut interea temporis arma ad bimeſtre differantur. Cujus boni certum Albadam tum præconcepiſſe in ejus litteris ad Ordines Friſiæ XII. Kal. Auguſti ſcripti reperio. Hoc vero cavebat, ne Friſij delinimento militaris otij ſegnitiem induerent, armiſque ceſſantibus civilem & domeſtici fœderis concordiam luxarent. Quam Upſterani curante Hepcone Fockenio prætore Ultrajectino fœderi ſociati, reliquique ex Sylveſtribus etſi ex Colonienſi fœdere ancipites, in molliora conſilia perducti. Cui rei proſperandæ etiam hoc faciebat, quod Carolus Roorda & Joannes Ayſma fœderatorum Delegati in Friſiam Ultrajecto adveniſſent, fœderiſque ſanctionem & ſimul commoda incertis temporum nata dubijs ingenijs commendarent. Eorum mandata erant, ut pro Julio atque Auguſto menſibus reſiduum Tributi, quod 25000. aureorum æquabat, Friſios poſcerent, pecuniamque autorandis equeſtribus turmis decretam pro quotà tributi mille & ducentos carolæos impetrarent.

Quare Lalainius etſi Ultrajecti hæreret, litteris IX. Kal. Aug. perſcriptis comitium ad VIII. Eid. Aug. haberi fecit, Ordineſque plenis cum mandatis, quod res moram non ferret, adeſſe frequentes juſſit.

Præſules Cœnobiorum turbas movent.

Cæterum omnem comitij progreſſum cænobiorum Præſules morabantur, ſuæque immodeſtiæ, ut ante obſervantiam Gandavenſis fœderis, ita tum reprobatam religionis pacem obtendebant, itaque Clarecampius Antiſtes in cœtu commotior primas iſtius ordinis & cœnobij opibus (etiam ex plebeio genere magnos ſpiritus gerens religionis pacem) impugnabat, ſocioſque ſui conſilij Hiddingium Gerricomij Præſulis legatum atq; ipſum Docomienſium præferebat. Unde Leovardienſis territorij mandatarij remiſſioribus ab Ultrajectino fœdere, & ſimul tributo animis è Ferverdijs, Dongrijs orientalibus, Dantumanis, Octopagicis quoſdam concitavere, tributique moleſtiam pecori gravari florem aurei exactione agrarium populum indignabantur. In ijs Menno Scheltema, Nicolaus Laurentius è Ferverdijs, è Dongrijs Wigerus Gabinius, è Collumanis Edo Alma & I. Ridderſma, è Dantumanis Martinius Bootſma & Upco Buma, ex Octopagicis Haio Gerbranda fuere. Econtrâ è Ferverdijs Epo Douma, Igo Goſlingha, Wibrandus Ailva, Poppo Feitſma, Tieſſo Boëtius pro Feddino Albada & Arnoldio Annio presbytero Jeſlumano, è Dongrijs occidentalibus Vibius Scettema, Siuckius Humalda, è Collumanis, Scipio Meckama,

Mar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Martinus Schonenburgius pendendum tributum è jure Ultrajectini fœderis recipiebant, reliquiſque Ooſtergoï, in quibus Tietzerckij, Idardij & Raverdij erant, ſcriptis obteſtationibus adverſabantur. Erant namque qui oſtenderent accidi tributum ex egentiâ rerum non poſſe, ultimæque legi, quæ exceptionem non pateretur petentibus ſocijs ſe obligaſſe. Trahendum ſcilicet collato ære bellum eſſe, cui pendendo ſe ultro offerebant, qui alijs etiam mandatis diſtracti privatas facultates & earum impendia ſaluti publicæ offerebant. Neq; minoribus contractionibus Weſtergoï exercebantur, donec autoritate Lalainij & interventu Senatus langueſcerent. Creditum fuit, Lalainium quod iſti rei Ultrajecti ſe interpoſuiſſet, vehementius interceſſiſſe, tributumque tanquam ſalubre ſui imperij ſubſidium durioribus ingenijs imperaſſe. cIↃ. IↃ. LXXIX.

F. Nicolaus tradit poſt longas altercationes, quadraginta octo aureorum millia ſtipendijs militum & promovendo fœderi decreta libellumque ſupplicem ad Aurantium principem recuperandis cænobij Mariengardenſis reditibus, quos à Matthia Gubernatore clam Canonici obtinuerant, per Heſſelum Ayſma remiſſum.

Scribit Heymannus inclinante Julio horrendam tempeſtatem emerſiſſe, præterque virum Dreſumi in Dantumanis fulmine percuſſum, pecora quoque circa Ooſtmahornam littus paſcentia cœleſti igne icta. *Horrenda tempeſtas in Friſiâ.*

Tum præſidente Adio Lambertio conſule in Leovardiæ civitatis jus, quod cudendæ monetæ habuerat, publicè inquiſitum, iſtique rei teſtimonium à ſenioribus civium in Senatu dictum. At Doccomij inter Magiſtratum ac primores oppidi de Ultrajectino fœdere diſceptatum, à quo poſt reliquos urbium Magiſtratus in fœdus adſcitos, Doccomienſium Senatum Pontificiorum immodeſtia abſtraxerat. Cui malo fomentum addebat, quod Cornelius Lutenius Conſul, ad comitium provinciæ miſſus, mandato Senatus ſignandum fœdus diſſuaderet, populique conſilio vanis & fallacibus ſermonibus effugia captaret. Igitur primores civitatis, præterito Magiſtratu non diſſimulando quæ agerentur, Ultrajectinum in fœdus recepti, additâ obteſtatione. Ut quod contra dictum aut factum à Senatu eſſet, id paci publicæ & commodo civitatis adverſum haberetur. Id prid. Non. Auguſti in actum relatum ac à Tacone Ailva, Suffrido Vrielſma, Henrico Bra Medico, Joanne Marſemio, Herone Sixti, Tiepcone Vibio, Sibrando Ripkenio, Tiebbone Jelgerio, Henrico Joannis, Georgio Franciſci, Andræa Edonio, Sixto Joannis, Franciſco Franciſci, Bernardo Luneburgio, Romberto Ofkenio, & Wibrando Hermanno ſignatum. Quod in comitium provinciæ, quod tum habebatur, perlatum, oppidanorum, qui cum agrarijs diſſidebant partes, ex concordiâ recepti fœderis firmavit.

Igitur poſt longas in conventu Ordinum diſceptationes, quæ ex menſtruo tributo fiebant, decretum, ut negotium arbitris ex ſupremo Senatu Joanni Verſteverano & Fecconi Rhalæ permitteretur, ijque cum Lalainio præfecto controverſiam tributi definirent. Cautione tamen addita, ne quid juri oppidanis in causâ ſuffragij quæſito illo judicio decederet. Ita pro Leovardienſibus M. Wigerius, Joannes Ayſma, pro Bolſuerdijs Petrus Vibius & Jacobus Jacobæus, pro Franequerenſibus Julius Bottnia Oldermannus & Regnerus Franciſci, pro Snecanis Ni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIX. colaus Aitſonius, Olpherdus Franciſci, pro Harlingijs Gerbrandus Goſſius, cum Vibio Joannis, pro Doccomienſibus, Jacobus Gabinius, pro Worcumijs Hiddo Jarichius & Epco Meius, pro Staurijs Jacobus Edſius & Albertus Florentius, pro Ilſtanis Bonno Petræus, pro Slotanis, Simon Potterus IV. Eid. Aug. ſubſcriptores.

Pontificij agros per Friſiam infeſtis graſſatoribus implent.

Quo die à Feicone Tatmanno Utingeranorum Prætore fœdus Ultrajectinum approbatum reperio, Pontificioſque ſerendis per provinciam diſcordijs & ſeditionibus occupatos, agros paſſim infeſtis graſſatoribus impleviſſe. Quare frænandæ prædonum inſolentiæ remedia petita, volentibus, agrarijs ut agris ac villis prædo amoveretur, Lalainiuſque procurandæ paci publicæ recepto ritu præſidia cohortium per cænobia diſponeret. Neque enim loca illa, ut ajebant, tot flagitijs & tantâ impietate profanata eximenda moleſtijs eſſe, & habendos melius provinciales, qui fœdere nexi, liberos, conjuges, bona atq; corpora ſaluti publicæ obligaviſſent. Paſſim ſcilicet cædibus & rapinis provinciam ſterni, non alijs autoribus, quam qui ſigna & ſacramenta mentientes, aut Pontificum ſacris innexi certiſſimum confuſionis inſtrumentum populares diſcordias ſeminarent. Ab ijs intra urbem comitiorum turbas inſolentiam & rapinas per agros excerceri fierique ut ſperatæ libertatis incrementa tardius adoleſcant. Mitti clam per provincias, qui regis & Hiſpanorum res gerant, Farneſiumque inter arma libertati minacia, exploratorum quoque ope invaleſcere. Neque enim alio fine Joannem Roordam ex imperio Coloniâ in Friſiam & Tranſlavicanos miſſum, quam ut à fœdere Ordinum plurimos deterrendo regis gratiam & affectum ducendis popularibus animis offerret. Eoſque diſtrahendo concordiam & ſimul vires fœderatæ gentis diſſolveret. Igitur libellus ſupplex Lalainio & Delegatis fœderatorum Ordinum, qui ad conventum VIII. Eid. Aug. indictum advenerant, hunc in modum oblatus.

I*NTELLEXIMVS*, PRAEFECTE *& Delegati* ORDINUM, *nonnullos ex Ooſtergois, ac Weſtergois Ordinum nomen mentitos, ſcriptum quoddam evulgaſſe, actis fœderum & religionis paci tum mandatis* MATTHIAE *Gubernatoris*, AURANTIJ *Principis & Concilij* STATUS Ordinumq; generalium *adverſum. Quod approbare cum patriæ leges & noſtra fœdera vetent, ita palam tanquam vitio natam, reſcindimus. Præterquam cujus quod invalidis procurationibus aut ſuffragio publico infirmatis eorum immodeſtia ſtet, ita in illorum poteſtate non fuit priorum temporum fœdera & conventiones, acta & mandata Ordinum ſubvertere. Igitur cum ſolâ Romanâ religione ſtare divinum cultum & exercitia fidei velint, ſocietatis antiquæ vim ac reverentiam tollunt, fœderumque ſolemnium ruptores clandeſtinis conſpirationibus ſe tuentur. In quorum numero & illi ſunt, qui Ioannis Roordæ arcano colloquio inſtructi pacis nomine bellum velant, hoſtilium conſiliorum interpretes. Qui ſerendo falſa & à verò alienâ fœdus Vltrajectinum ex gravitate tributi reſpuunt. Quaſi certè ſub antiquo* PHILIPPI *& inſolentium Præfectorum imperio, inter honoraria & donativa non ſudaverit populi ærarium, cujus exhauſti anguſtia ultimam in egeſtatem florentiſſimam olim provinciam protruſiſſet. Nunc Præter iſta mala, diſſenſiones ac turbas ſeri & hoc agi ut Hiſpaniæ per Friſiam dominationis veſtigia extent Friſijque*

ſiſque vicinis nationibus jure fœderum connexi, repudiatâ Ordinum ſocietate, cIɔ. Iɔ.
regijs rectoribus ſe permittant. Cui malo quo occurri poſſit, petimus Præfecte, LXXIX.
ut turbida & fovendis ſeditionibus exercita ingenia comitio prohibens ſuſpectoſque maleficij & violatæ pacis adſcitis in conſilium arbitris corrigas. Hoc etiam addimus, ut æquali cum ſocijs tributo haberi nos ſacias omniſque inter agrarios oppidanoſque diſſenſio tuo & arbitrorum interventu ceſſet.
Id III. Eid. Aug. perſcriptum.

Notant Scriptores, in Geeſterlandiæ finibus quatuor mangonés ex eodem agro & Donieverſtallenſi coëmendis equis, profectos ab Ordinum equitatu ſpoliatos, unumque glande tranſverberatum natale ſolum ſuo ſanguine imbuiſſe. Igitur Ioanne Rorda Iureconſulto, qui Farneſij negotia in Friſijs clam geſſerat, Groningam profecto, in ejus conſilia à Senatu quoque Groningano inquiſitum deprehenſoque Farneſij arcana illo tanquam internuncio turbandis provincijs geſta, de ejus cuſtodiâ deliberatum. In quam per publicos urbis ſpiculatores pertractus graviſſimas de ſe ſuſpiciones auxit, quaſi omnem pacis publicæ rationem per ipſam quoque Friſiam ſecretis colloquijs conturbaviſſet. Unde à Friſiæ Ordinibus literæ Groningam datæ, quibus petebant, ut ad habendum rei examen legatus provinciæ admitteretur, audiendiſque arcanis Roordæ hoſtiumque conſilijs intereſſet. Quo impetrato legatus Groningam miſſus, ipſeque Roorda civici tumultus & ſeditionis crimine gravatus arctiore cuſtodiâ obſeptus eſt. Qui Groningâ Leovardiam dein in arcem Stauriæ amotus, Woerdano & poſt Rammekenſi in Zelandiâ carcere infauſtæ legationis præmio multatus eſt. Sed Leovardiæ populi comitium, quod in X. Kal. Sept. protractum.

Oppidani nonam tributi Friſiæ partem exſolvere juſſi.

Cl. Franckena notat turbulentis diſſenſionibus ferveſcebat, volente Præſulum Ordine, ne à pacis Gandavenſis conventione recederetur, & ne onera tributi Ultrajectino ex fœdere præſtarentur. Quæ res, cum ſeceſſionem procerum ſpectaret, ab agrarijs, oppidanis Biltaniſq; inter quos diſceptatum erat, tota lis arbitrio Lalainij & Supremi Senatus permiſſum. In eo namq; ſuprema difficultas verſebatur, ut tributum quod in bimeſtre ad 48000 aureorum depacta provincia erat, æquis inter agrarios oppidanoſq; portionibus divideretur, ijque ipſi certâ quantitate tributi pro ratione oppidorum tenerentur. Itaque à Præfecto Senatuq; decretum; Ut oppidani nonam, Biltani 25. tributi provincialis partem penderent, ijque durante bello, ſalvo partium jure, conſeſſum & ſuffragia in comitijs haberent. Agrorum quoque tributum ex floreno aureo peteretur, colligereturque ocyus, ejusque onus proprietarij coloni ſuſtinerent. Pecuniam quoque, ſed ſub deductione coloni in promptu præſtarent, oppidanique modum colligendi per oppida tributi rite perſcriptum in comitio exhiberent, quo à præfecto Senatuque ſtatuatur, quod ex uſu ſit. Id in acta relatum, ac XVIII. Kalend. Sept. ſignatum.

Mox inter oppidanos portio tributi definita ac à Delegatis Senatus Ioanne Verſteverano, Feccone Rhala, Giſberto Aernſma & Sibrando Richæo pronuntiatum, ut ſolvendo millium quadringentorum ſexaginta ſex & 13. ſtufferorum tributo, Leovardij mille quingentos, octoginta ſex

Caro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIX. Carolæos, Bolſuerdij octingentos, quinquaginta Snecani, & Franekerenſes ſexcentos, Harlingani & Doccomienſes quingentos, Worcumij trecentos & viginti, Staurij ducentos viginti quinque, Ilſtani centum & triginta, Slotenſes nonaginta, Hindelopij ſexaginta carolæos 13. ſtufferos bimeſtri tributo præſtarent. Hæc actis inſerta ac Franciſci Bandimontij Graphiarij manu ſignata.

Singulis in Friſiâ oppidis ſua portio pendendis tributis aſſignata.

Cæterum ne hæc quidem præſtandis bello ſubſidijs ſcripta tranſactio duravit. Erant quippe ex oppidanis & præſertim minoribus, qui rata commercia, exhauſtos præſidiorum inſolentiâ cives, quererentur mareq; alibi turbidum & littori infeſtum inopem populum feciſſe. Econtra Leoverdiam pingui ac fertili ſolo ſitam, commercio & opibus, ſicut reliqua majora oppida, florentem, præſtandis tributis parem eſſe, quæ conferre ij in ærarium non poſſent, quos non animus juvandi ſocios ſed facultas deſtitueret. Itaque mitigatâ ſententiâ per ſupremi Senatus arbitros latâ inter ipſos oppidanos rejecta in novos arbitros Meinardum Wigerium, Jacobum Jacobæum, Jacobum Idzium, Econem Isbrandium controverſiâ conventum: ut à Leovardijs mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque, à Bolſuerdijs octingenti triginta, à Franequerenſibus ſeptingenti octoginta quatuor, à Snecanis quingenti viginti quatuor, ab Harlingijs quadringenti quinquaginta, à Doccomienſibus quadrigenti, à Worcumijs ducenti viginti quatuor, à Staurijs centum & viginti quinque, ab Ilſtanis centum, à Slotenſibus ſexaginta, 13. ſtuff. ab Hindelopijs quinquaginta in bimeſtre tributum penderentur. Ita XIV. Kal. Sept. in comitio pronuntiatum.

Igitur æquato inter oppidanos tributo cujus egentiam in tantâ mole ac fœlicitate rerum ſuarum Lalainius non diſſimulabat in agrarios qui Præſulum factiones tuebantur acerrimè invectus laudatâq; civitatum in patriam & libertatem fide proditionis & Hiſpanicarum partium turbulentiſſimos agrariorum inſimulavit. Qui cum mandatis ſuis ſe ſtare modeſtâ excuſatione teſtarentur, deque tributis cæteriſque, quæ majeſtatis jure populum obligarent, relationes ad ſuos inſtituendas objicerent, acrius Lalainij animum pupugere, ut ſolet illâ ætate moderandis affectibus infirmum. Itaque (inquit) hoc inaudio, ſi illi, qui veſtrarum partium ſunt, cum Hiſpanis faciant, ex ijſdem & vos eſſe, quorum tamen conſilia propediem detecturus ſum. Unde proponi quædam redigique in acta fecit, quo de ſingulis interea ſuos docerent, ac ad XXV. Aug. comitio ſe ſiſterent: Acta hæc erant.

Quandoquidem provinciæ quædam contra datam fidem & jus fæderum, deſertâ Ordinum generalium ſocietate, cum Hiſpanis patriæ hoſtibus ſe conjunxerunt, neceſſarium & utile duxi hoc ipſo conventu quædam perſcribere, ſub illâ cautione, ut quique in ſuo diſtrictu, ſigno campanæ dato & denuntiatione ad populum factâ, advocatis inſuper prætoribus & eorum actuarijs poſtulata mea exhibeant, populumque ſuffragij jure pollentem ad decernendum compellant. Hoc etiam mando, ut ad diem Lunæ proxumum denuo ad comitium redeant, & quidem illi, qui patriæ amantiſſimi reprimendis hoſtibus fortunas, vitam atque ſanguinem impendere libertati conſtituunt. Quod ut faciant, plenâ agendi conſulendique poteſtate inſtructos eſſe volo, quo declarent an in generalium

Ordi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Ordinum ſocietate perſeverare, an defectorum exemplo in Hiſpanorum hoſtiumque partes tranſire in animum induxerint. Præter hæc pendendis tributis, comparandis commeatibus cæteriſque rebus tres ſtufferos in ſingulas cereviſiæ tonnas præſtari cupio, & ut de modo è conquirendi tributi pacificè conſultent. Reliquos privata fœdera cum Hiſpanis agitantes & mandata iſti rei adferentes notari, eorumque nomina actis perſcribi volo, quo à me ſtatuatur, quod ex republica ſit. Id XIX. Aug. in acta relatum. CIƆ. IƆ. LXXIX.

Tum Deputatique in annum ex Ooſtergois Scipio Meckama, Renicus Cammingha, è Weſtergois Ianco Oſingha, Orichius Doihemus, è Sylveſtribus Barthius Idſaerda & Auco Edonius, ex oppidanis Gellius Sibæus & Douwo Sixma creati. Eorum mandata erant:

Vt cum Lalainio Rennebergio Regis Hiſpaniæ hæreditarij domini & archigubernatoris nomine Romani imperij per Friſiam omne adverſus jura, privilegia, ſtatuta, conſuetudines tam agrorum quam oppidorum ullo modo introductum, reſcindi facerent, eademque jura ac privilegia adverſum quoſvis provinciæ aſſererent. Gandavenſe fœdus inter Ordines generales & Aurantium Principem cum Hollandis ac Zelandis ictum, deniq; Vnionem generalem & religionis pacem, cum Vltrajectino fœdere integrum curarent, & quidem ex veteri formulâ ne quid detrimenti. Regium cenſum, tuendæ olim provinciæ regi indultum defendendæ Friſiæ applicarent, cœnobiorumque vacantium reditus, deducto ære alieno, ijſdem uſibus impenderent. Omne publicum aggeres, vias, aquarum ductus catarractas cæteraque illæſa præſtarent. Inquirendi in officiales, agendique quod ex uſu foret jus eſſet. Penſio annua, quibus extra urbem domicilium eſſet quadringentorum, reliquis trecentorum aſſignaretur. Salarium non niſi volentibus partibus daretur. Deputatis extra provinciam ire fas non eſſet, quoſcunque vellent ad Archiducem Matthiam, Aurantium, generales Ordines & fœderatos Vltrajectinos ſtabiliendo juri publico ablegare illorum poteſtatis foret. Legati impendio III. *Carol. &* 10. *ſtuff. in diem haberentur. Deputatis comitium indicendi jus eſſet. Ijdem, poteſtate rationum magiſtris nupero comitio abrogata rationibus præeſſent. Exautoratos ob rem damnosè geſtam ad rationes cogerent, eaſque in ordinem & ærarium referrent. Morbo aut gravi causâ, quo minus conventui intereſſe poſſint, impeditis ſubſtituendi ad illum actum quempiam jus eſſet. Deputati mandata quotannis in comitio deponerent, deque ære expenſo ſub actuarij manu commentarium facerent, eumque comitio exhiberent. Tabella quinquaginta carolæorum ſummam excedens, omnium Deputatorum manu ac ſcripturâ ſignaretur. Nemo à conventu, niſi morbo aut aliâ ex causâ præpeditus, & ſub pœnâ duorum aureorum Philippicorum abeſſet. Mandata Deputatorum Ordines rata, ſub indemnitatis & ratihabitionis clauſulâ præſtarent.*

Deputatorum conſeſſui Leges ſcriptæ.

Hoc à Docone Martna, Julio Bottnia, Epone Douma Hallemio, Livio Beiemo, Foppio Grovenſteinio, F. Tatmanno, T. Wikelio, & Meinardo Wigerio III. Kal. Sept ſignata.

Quo tempore Ultrajectino quoque & fœderato conſeſſui novæ leges ſcripta. Iſtæ erant.

Vt etiam fœderato apud Vltrajectinos concilio.

Vt certus numerus Delegatorum eſſet ac è Geldris, Hollandis Friſijs, Vltrajectinis terni, è Zelandis, Antverpienſibus, Gandavenſibus & Iprenſibus

Fff bini

CIↃ. IↃ. LXXIX. *bini legerentur, Ii provincias, civitates earundem ære atque ſumptibus munirent, plenâq; poteſtate definiendi cauſas fœderis acceptâ, conflandi ad 50000. tributi etiam ſine mandato ſuo arbitratu jus haberent. Præfectos provinciarum unum aut plures, qui abſentium nomine in conſeſſu conſideant, conſtituendi jus foret. Provincijs unum quoque menſe & qui cum reliquis conſulant, ex delegatis ſuis revocare liberum eſſet. Qui in conſeſſu delegabuntur procurationum formulis, aut fiduciarijs litteris ritè inſtructi publicæ provinciarum ſaluti ſacramentum dicent, omniaque ſine diſſimulatione aut conniventiâ, odio aut gratiâ ſe facturos, neque evulgaturos conſilia promittent. Iuramenti formula actis publicis insereretur, additoque menſe & quovis die à dicentibus ſignaretur. Conventus ſingulis diebus haberetur, iſque à Kal. April. ad priduanum Octobris diem à ſeptimâ matutinâ in undecimum à Kal. Octobris in Kal. April. ab octavâ matutinâ in duodecimam eſſet. Pomeridianæ conſultationes à tertiâ in quintam deſinerent. Si graves cauſæ poſcerent, convocandi Delegatos Præſidi jus eſſet. Dies Dominicus divino cultui dictus conventum non admitteret, Mercurijque aut Veneris diebus pomeridianus nunquam, niſi exigente neceſſitate, haberent. Præſes collegij, muneri par & moleſtiæ in* XIV. *dies crearetur. Ejus officij foret ſingula proponere, ſententias perrogare, eoque facto ex formulâ ſcripti fœderis ſtatuere, denique in Senatu verba facientibus prompte reſpondere, facereq; quod Præſidis ſit. Qui aliquid in conſeſſu propoſuiſſent, dum quid ſtatutum eſſet, eo excederent. In extraordinarijs conventibus ſi vocati non compareant, nulla eorum ratio, præſidi cum cæteris definiendi, quod ex re, poteſtas ſit. Nulli in conventu, quicquam proponere, præterquam præſidi aut aſſeſſoribus fas foret. Reliqui quod proponi velint, ſcripto Præſidi exhiberent, qui pro re natâ copiam dicendi faciet. Præſes ſuffragia ex ordine colligeret, ea non niſi rogati ferrent, interrumpendi facultas, nulli præterquam ſub pœnâ ſilentij eſſet. In ſuffragijs ferendis unum tantum provinciæ nomine ſuffragium foret. Decreta collegij in acta referri Præſes curaret, eaque majoris momenti viſitanda collegis exhiberet. Præſidi præterquam æquivalentibus ſententijs, nullum & niſi requiſitum ſuffragium eſſet. Illi ordinatè ac benè res gerenti præmium ſtatueretur. Nemo à conventu non niſi de conſenſu collegij abeſſet, legationes, judicia, examinationes partium, non detrectaret, id faciens in poſterum conſeſſu abſtineret. Vacationes & officia Collegij diſtribuerentur. Speciale mandatum rem pecuniariam diſtributuri acciperent. Ij æraria, ſtipendia militum, reliquaſque pecuniæ erogationes curarent, rationes ſeorſim contra quæſtores, reliquoſque publici æris acceptores conficerent. Iſti negotio unus è Geldris, Hollandis & Vltraiectinis præeſſet. Commeatus & annonæ cura uni itidem è Geldris, Hollandis ac Friſijs demandaretur. Militares res, ut recenſiones copiarum præſidia tribunorum officia, ſtrategemata, explorationes munitioneſque locorum è Geldris, Hollandis, Zelandis, Antverpienſibus & Gandenſibus tractarent. Reliquis juris dicundi & politeiæ, tam ſæcularis, quam eccleſiaſticæ adminiſtratio, pacis publicæ, concordiæ, libellorum ſupplicum, reſcriptorum cura committeretur, idque uni è Zelandis, Friſijs, Vltrajectinis, Antverpienſibus & Iprenſibus incumberet. Præſes iſta obſervari operam navaret, rataque ſingula faceret, dum provinciæ ſecus ſtatuiſſent.* Hæc actis inſerta, ac XIV. Kal. Sept. manu actuarij ſignata.

Reperio in actis provinciæ Sigiſmundo Curtspacchio Baroni Trachenbergio & Multio, à civico præſidio manus Ultrajecti injectas, ha-

bitum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

bitumque proterviter & ſex dierum cuſtodiâ, velut hoſtilis conſilij ſuſpectum arctiſſimâ cuſtodiâ detentum interceſsione Hohenloï & Hardecis Comitum ægrè liberatum. Eundem quoque Curtſpacchium enormis injuriæ indignatione offenſum miſsionem Ordines ac ſtipendia poſtulaſſe, editoque publico defenſionis ſuæ ſcripto & ſub ſignaturâ annuli in Friſiam miſſo, ſuæ innocentiæ teſtimonium iſti genti commmendaviſſe.

CIↃ. IↃ. LXXIX.

Curtſpacchius Baro à civibus Vltrajecti ſine juſtâ causâ cuſtodiæ mancipatur.

Creditum fuit eum cum Martino Schenckio, commune quoddam ſecretum habuiſſe, clariſſimoque procerum, qui Ultrajecti tum habebatur conventu, dubiæ fidei indicium ſecreta prodentibus feciſſe. Addit Curtſpacchius ſe à Joanne Naſſovio quod in caſtris hoſtium viſus eſſet, commonitum aut inſimulatum immodeſtam accuſatorum falſitatem egregio & conſtanti veriloquio diluiſſe.

Mox à Friſiæ Ordinibus ſuper modis corrogandi menſtrui tributi in comitio actum decretumque hujuſmodi perſcriptum.

I. *Ex quâque præturâ atque oppido publicâ autoritate delegabuntur, qui locaria immobilium bonorum commentario perſcribant.* II. *Coloni agrorum & ædium tam ſeculares, quam eccleſiaſtici nullo locario, proprium fundum colentes, aut domos inhabitantes, locaria ad exemplum vicini fundi, aut domus ſecundum æſtumationem delegatorum perſolvent.* III *Iis intendendi remittendique tributum ex æquitate poteſtas eſſet.* IV. *Coloni proxumo Septembri ex quovis aureo quinquageſimum ſextum nummum pendent, eumque in locarij rationibus proprietario agri, aut fundi in ſolutum dabunt.* V. *Omnes vectigales, coloni aut inquilini pro locario agrorum aut ædium, familiâque & mobilibus, mediam quinquageſimi ſexti nummi partem præſtabunt.* VI. *Proprietarij agrorum atque ædium tam quinquageſimo cuiuſque aurei nummo, ſalvâ tamen onerum ſoli ratione, quam medio præſtando tenebuntur.* VII. *Cœnobia pro bonitate ſoli & magnitudine ædium æſtumationi Delegatorum ſubjacebunt.* VIII. *In Biltanis idem valeret.* IX. *Mercaturam tam in pagis quam oppidis frumenti, caſeï, butyri, pannorum & ſimilium mercimoniorum exercentes pro æſtumatione bonorum gravabuntur.* X. *Iſti tributo pro qualitate ſuâ honorabiles perſonæ parebunt.* XI. *Legi huic nulla conventio aut pactum derogabit.* XII. *Locaria agrorum ædiumque doloſè profeſſi pœnâ quadrupli bono fiſci corrigentur.* XIII. *Colonis ædium aut agrorum, ſi proprietarij in prædictis locarijs deduci à colonis tributi ſummam nolint, jus deductionis ſalvum erit, ijſq; beneficium ſi velint, retinendæ conductionis, etiam invito domino, in quinquennium prorogabitur.* XIV. *Præveniendis quæſtorum ærarij fraudibus, aut ſiniſtris ſuſpicionibus, quæſtores cujuſcunque æris, etiam non petentibus provincialibus, apocham ſuâ manu ſcribent, expenſaſque in quaque urbe aut præturâ in indicem rationum referent.* XV. *Quæſtor Generalis nullas pecunias publicas, ſine mandato & tabellis tum agrariorum quam oppidanorum Deputatorum ex ærario aſſignabit, earumque proxumo quovis comitio, ſi moneatur, rationes reddet.* XVI. *Qui modus corrogandi æris, in proxumum menſem valebit, dum Ordinum decreto addendum aliquid aut detrahendum ratio tributi exiget.* XVII. *Atque hæc ſingula ſub obteſtatione ſalvi juris erga regium cenſum, Biltanos & vacantium cœnobiorum reditus uſurpandos, rata erunt. Quare* LALAINIUS *Leovardiæ curandis rebus adhuc agens, illam ordinandi tributi ſanctionem tanquam optumam & utiliſſimam approbavit, ſuaque manu* III. *Kal. Sept. ſignari fecit.*

Ratio corrogandi & erogandi tributi in Friſiâ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXIX. Igitur articulis pacis per legatos Cæſaris in provincias & Friſiam miſſis, Colonienſis actio prolata, provinciarumque decreta, tanquam mali exitus præſagio ob duriores & ad pacem minus profecturas lentis deliberationibus involvebantur.

Pacis negotium Coloniæ tardius procedit.

Legatorum Cæſarianorum literæ ad Ordines.

Quibus cum Cæſaris Legati Philippo æquiores & feſtinandis rebus præcipites offenderentur, litteras Antverpiam ad Delegatos Ordinum generalium dedêre. Ijs de Cæſaris Rudolphi affectu, & ſingulari in Belgas propenſione multa præfati ſe Coloniam neglectis privatis & ſimul Imperij rebus contuliſſe aſſerebant, non alio fine ac conſilio, quam ut in viſceribus provinciarum deflagrans bellum bono Chriſtiani orbis ceſſaret. Cæterum Belgicæ legatos & breviſſimi temporis actionem voluiſſe & invalida conficiundæ paci mandata attuliſſe, quæ pleniora à provincijs in ſpem apparentis boni expectabantur. Ab eo tempore nec mandatum plenius allatum, neque litteras ab Ordinibus generalibus Coloniam & ad ſe datas manifeſto indicio, etiam inter arma ſuſpirantem populum deſiderio pacis non teneri.

Quæ res, etſi præcidere omne pacis urgendæ promovendæque conſilium potuiſſet, ita mandato Cæſaris & Chriſtianâ pietate in Belgicæ populum impulſos in bono propoſito perſeveraſſe. Et eo quidem rem deductam, ut in æquiſſimas conditiones Philippi Legatus condeſcenderit, cui nemo ignoraret præſtandam obedientiam, tanquam legitimo Principi eſſe. Ad religionis verò negotium quod attineret, id mitius quoque hoc ipſo conventu, quam Gandavenſi Bruxellenſique fœderibus à Philippi Legato conceſſum, cujus majeſtati, præter priorum fœderum pactiones aliquid ultra extorquere, nec æquum eſſet, nec Belgicæ calamitas pateretur. De eâ cogitandum Ordinibus generalibus eſſe, qui ſcire deberent ſocordiâ aut per injuriam trahi tam utile negotium non debere, neque exacerbari illorum patientiam, qui Belgicæ curam domeſticis rebus quadrimeſtri ſpatio antehabuiſſent. Quæ quoniam ulteriores dilationes non ferrent, ita hortari diligenter nomine Cæſaris ut voluntates ſuas & reſponſa ita forment, ut Cæſari & Romano imperio grata habeantur, videantque Belgicæ populum paci magis quam bello deditum ſuis commodis non defuiſſe. Quibus litteræ ſeorſim ad Friſios hunc in modum additæ.

Et ſeorſim ad Friſios.

QVID à nobis in negotio pacis cum Regis Catholici principis veſtri mandatario actum ſit, haud dubie è legatis veſtris Antverpiæ commorantibus intellexiſſe vos arbitramur. Quibuſcum ſolis etſi communicare conſilia ac res noſtras potuiſſemus, ita Cæſaris mandato obſecuti nihil negligendum duximus quod paci inſerviret. Sed Legatorum veſtrorum tarditate aut mandatorum defectu impedimentum illi injectum eſt, quod facile amovebitur, ſi veſtra autoritate ad promovendum negotium impellantur. Igitur nos hortamur, ut actionis cæptæ pondus diligenter & providè expendatis, ſciatiſque bello hoc, ſi duret, ad tam opportunam honeſtamque pacem præcludi aditum poſſe. Imprimis vero opus eſt, ut reſponſum maturetis, & ut veſtri legati plenioribus mandatis inſtruantur. Id ſi feceritis in tempore, haud dubiè pacem miſerijs veſtris remedium habituri eritis, & quidem tanto certius, ſi Rege veſtro in pacem proclivi, optumi Cæſaris interceſſione ſalubre negotium juvetur.

Hæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Hæ Gebhardi Trevirenſis Archi-Epiſcopi, Iulij Wirceburgenſium Præſulis, Ottonis Henrici Comitis Schuartſenbergij, Ioannis Schonenburgij Præpoſiti Trevirenſis & Werneri Gemnichij manu atque ſignaturâ Non. Aug. ſignatæ. CIↃ. IↃ. LXXIX.

Albada ſcribit Ordines generales datis Coloniam litteris de procurandis inducijs tum monuiſſe, quo manſuefacti otio armorum animi, faſtidio belli dulcedine pacis caperentur. De Philippo rege ait, eum haud dubiè inducijs aſſenſurum, ſi obſequia fidelis populi expenderit, quantiſque Carolo Cæſare in filium principatum devolvente officiorum ſolemnibus egregiâ agnitione ac reverentiâ regiæ imperatoriæque majeſtatis interfuiſſet. Continuatam ſcilicet multis poſt annis Belgicæ gentis fidem, donec ex imperio immodeſti principis & Hiſpanicarum legionum atroci inſolentiâ ſolveretur. Idem addit duriorem æquo Philippum in causâ induciarum ſemper fuiſſe, ægreque ſperari poſſe, ut in melius regiæ menti atque iræ imperet, populuſque induciarum voto excidens ſpem pacis accipiat. Conditiones iſtæ erant, ut durantibus inducijs partes in locis, civitatibus, munitionibus quas poſſiderent, ſe continerent & ut utrinq; liber commeatus, interdictâ tamen conſiliorum communicatione haberetur. Itaq; Albada, Friſicæ gentis cujus legatum agebat, ſententiam exquiſivit copiamque mandati, quo Coloniæ ſubſiſtere legati Ordinum jubebantur, in Friſiam III. Eid. Aug. tranſmiſit.

Iudicium Albadæ de actione pacis, Philippi animo, &c.

Cæterum Cæſaris legatos Hiſpani favor tum præoccupaverat, erantq; qui deſperatione pacis perculſi, exemplo provinciarum quæ defecerant, plus regiæ gratiæ, quam Ordinum fœderi tribuerent. Quæ quoniam Cæſaris, regiſque mandatarios non fallebant, ne induciarum quidem beneficium feſſis laborantibuſque provincijs indulgebant, qui pacis profitebantur. Igitur volebant, ut Ordines à conducendis novis copijs abſtinerent, & ne provinciales propioribus fœderum ſacramentis ac pactionibus ſe inligarent. De rege fidem faciebant, eum idem acturum, etſi aperte proderentur, quæ ab inducijs, aut ſanciendâ pace diſcrepantia externa Philippi arma inteſtinis provinciarum diſcordijs præjuvanda ſuaderent. Adeo belli cupido & ſecretus ardor ſpecie non quæſitæ pacis tegebatur.

Cæſaris legati nimis aperte Hiſpanis ſtudent.

Mihi ex actis ſecretioribus iſtorum temporum veriſimile eſt, Antonium Perenottum Cardinalem Granvellanum in Hiſpaniâ tum agentem, Philippo regi alia à pace conſilia tum inſtillaſſe, magnæque & invidendæ (ut litteræ clam Madrito ſcriptæ habent) apud Regem gratiæ omnem actionem turbido & ſerendis diſcordijs efficaci ingenio corrupiſſe. Planè quaſi fato præviſum eſſet, ut primus civilium turbarum per Belgicam incentor, molliore ſenectâ & longo è Belgicâ exilio non mitigaretur, tantique ſanguinis fœditate & invidiâ coopertus, Philippum quoque regem, etſi ultro immanem, majore ſævitia inſtrueret.

Cardinalis Granvellanus & nodus & mora publicæ pacis.

Quare Friſij acceptis vergente Auguſto à Senatu Groningano litteris, quæ de pace Colonienſi adeundâ & approbandis Philippi articulis habebant, nullâ diſſimulatione doloſæ actionis & pacis reſponderunt: Se Ultrajectino fœderi arctius obligatos ſine ſociorum decreto & voluntate nihil ſtatuere poſſe, facturos alias, quod vicinarum gentium ſocietas atque amicitia poſtularet. Quin (inquiebant) hoc ipſo populi, cui inter-

Friſijs Groninganis Philippo æquioribus maſculè reſpondent.

cIↄ. Iↄ. LXXIX. interſumus comitio decrevimus; Ne quæ pax cum Hiſpano fiat & ut omni ope bellum geramus adjuti ſociorum auxilijs, qui in fide fœderum perſtiterunt. Alias nihil carius ſanctiuſque nobis erit, quam infidis temporum ætatibus noſtra cum vicinis conſilia communicare, quo occulti hoſtium conatus & doloſæ artes vicinarum gentium fide & concordiâ deſtruantur. Iſtæ litteræ VI. Kal. Sept. manu Econis Isbrandi Ordinum actuarij ſignatæ.

Pacis Colonienſis actiones ab Ordinibus abrumpuntur.

Igitur comitio adhuc in Friſiâ durante legati Ordinum Coloniæ agentes, abruptâ induciarum ſpe, mandatarijs Cæſaris & Imperij declaravere, Caſtrenantij regij Hiſpaniæ Legati poſtulata inritandis magis, quam demulcendis ad pacem provincijs eſſe, quæ facile ſpectent, negatis inducijs bellum à Philippo aut ejus Legato decerni. Oriri ſcilicet venturæ tempeſtatis ſigna, regiumque exercitum populandis agris intentum ruinas urbium gentiumque comminari. Quæ ipſæ tamen, quam amore pacis ardeant, Cæſaris Legatos, neque Philippi ignorare, qui haud dubie opinetur plus boni ex civilibus diſcordijs, quam apertâ pace ſuo imperio promitti. Ab eo eſſe, quod dimitti civitatum præſidia poſtulet, quo inermes & inteſtinis diſſenſionibus aut externis furoribus expoſitos in ipsâ induciarum diſceptatione vi aut dolo obtereret. Quod ad mandata attineret, ea vitio non laborare. Quin talia fere eſſe ut ab Ordinum autoritate ac decreto profecta pacem à legatis iniri aut tractari ſine juſtis relationibus nolint.

Reperio in litteris fœderatorum Ordinum Ultrajecto in Friſiam III. Kal. Sept. ſcriptis Articulos à Cæſaris Legatis typis datos & in publicum evulgatos, à fœderatis Ordinibus publico edicto damnatos, quod à mandatis Legatorum Belgicæ alieni in credulum & vero pacis rudem populum ſerendis ſeditionibus ſpargerentur. Itaque petebant, ut Friſij idem edictum per tribunalia & in publico recitari facerent, Caroloque Roordæ ad Aurantium principem cum collegis ablegato, tres Deputatos Friſiæ jure fœderatæ conventionis ſufficerent. His de hoſtium in Brabantiam irruptionibus litteræ additæ, quæ auxilia & commeatum rogarent, ſocijq; juris obteſtatione ſublevanda ad pericula hortarentur.

Ordines deliberant de revocando Andino.

Quare Colonienſi pace ſuſpectâ Ordines generales de revocando, ut dixi, Andino deliberavere. Præterquam enim quod Ordines & Andinum inter antiqua conventio adhuc Andino provincias obligaret, ita eâ cautum erat, ne Ordines cum Philippo pacem à præfinito die facerent, deque externo Principe in auxilium vocando, præterquam Andino tanquam potiore cogitarent. Hoc modo Andinum ne Colonienſe fœdus præcipitaretur, jam ante interceſſiſſe, hoc acerrimè & pertinaciſſimè urgentem, ut pactis conventis ſtaretur. Quibus etſi æmulatio, aut fortunæ humana mutantis arbitrium intervenisſet, tamen reputandum eſſe, cum Galliarum regis fratre cum potentiſſimo principe & regni hærede tractari, & qui irritatus adverſa arma pro auxilijs ex offenſa principalis eminentiæ daturus ſit. Reliquos quoque principes exemplum in Andino habituros, ſi viderint conventiones ſolemni religione ſancitas levitatis Belgicæ vitio diſſolvi. Certè magnos in conducendo exercitu, in commeatibus præſtandis ab Andino ſumptus factos, quibus nihil gratius ac æquius, quam beneficij memoria & repetitio veteris pacti rependi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

di queat. Eo loco, Belgicæ res fortunam ſcilicet poſuiſſe, ut nec pacem è Philippo rege ſperare, nec à Cæſare poſſit & protectoris egeat, qui regiæ Philippi potentiæ ſi non par, ſaltem proxumus ſit. Ineſſe Gallis vetera & cognata ergà Hiſpanum odia, quæ exercere apertius jure Andinæ ſocietatis poſſint, Hannonioſque & Arteſios fœderum ruptores petitis è regno armis infeſtare. Cauſæ ſatis eſſe cur exui jure ac poſſeſſione principatus rex Philippus queat. Præter Albani feritatem & rejectas populi ſupplicationes, Auſtriaci defectionem obtendi poſſe, & ne longè eundum ſit, ipſo quoque apud Coloniam conventu pacis ſtudia ſimulari. Quæ ſi non procedat, deligendum Principem eſſe, qui inclinantis Belgicæ onus ſuſtineat, feſſamque diſcordijs & ex ſeceſſionibus provinciarum perituram libertatem ſub imperium Principis redigat. Atqui ab Andino omne labentium rerum fulcimentum peti poſſe. Hinc obverſa hoſtibus Galliarum latera commeatum hoſtilibus caſtris ſubtractura, illius Belgicæ provincias Philippi armis objectas, quæ poſiturus facilius erit, ſi juratos hoſtes Galliarum populos ſuum in exitium concitari perſpexerit. Conditiones certè magis æquas Cæſarem ac Regem infœlicibus provincijs daturos, quæ incolumitati ſuæ abundè proſpectum credent, ſi Andino veteri libertatis defenſore utantur. Poſſe reprimi pactorum æquitate principalis ingenij ſpiritum, ut intra præſcriptum maneat, modum agnitura augendæ potentiæ cupido ſi bello aut pace abſtineat, ſi diſtribuendi præſidij militaris licentiam remittat, ſi Ultrajectino fœderi robur atque vim addat, cæteraque faciat, quæ defenſoris Belgici imperium patiatur, Ordinum ac reip. majeſtas prohibeat. Igitur petitum, ut è reliquis fœderatis provincijs Legati Antverpiam cum mandatis mittantur, quibus & exui dominatione Philippus & recipi Andinus ex pactorum formulâ poſſit. Sed in vanum omniâ per inferiores provincias dulcedine Ultrajectini fœderis recidebant.

cIↃ. IↃ. LXXIX.

Cauſæ ob quas Andinus debeat recipi à Belgis.

Quippe Hollandi ſocijque ab Albani ætate rectori provinciæ Aurantio obligati, fidem principis tanquam ſui agnoſcebant, ejusq; nomen ex paterno imperio venerabantur. Et erant, qui crederent exturbari legitimo principatu à populo ſuo Philippum, neque tranſiri ad externæ dominationis arbitrium poſſe, ita compoſitâ per provincias parendi imperandique ratione, ut diſſolvi non queat. Ego à Friſijs rem diſceptatam illo tempore non comperio, ſive ob repudiatum ab Hollandis Andinum, ſive quod crederentur, ut antè à Gallicâ ſocietate, ita tum quoque ab Andino alieni, ſuæ plus libertati, quam ex Ultrajectino fœdere aucupabantur, quam externis dominationibus daturi.

Batavi alieni ab Andino.

Igitur Farneſij copijs in Brabantiam ductis, quem atrox & ut creditum fuit per inopiam æris ex ægritudine animi morbus invaſerat, Tranſ-Iſulani à Germanicis Ordinum Copijs vaſtati, quas Sigiſmundus, de quo dixi, Curtſpacchius vir militiæ impiger, & qui opibus ac genere illuſtris ſororum Ligniſentium in Sileſiâ ducis matrimonio tenebat, exigendis, quæ deficiebant ſtipendijs, circa Iſalam & vicina ductabat. Quibus vexatis copias in Lingenſes per Benthemicos fines promovit, ubi fortuito igne tormentario pulveri injecto, abſumptus eſt. Bartholdus quoque Entenius imperato per Drentiam tributo ſtipendia cohortibus flagitabat, nulloq; diſciplinæ metu effuſum in flagitia militem coërcebat. Unde

Farneſius æger ex inopiâ æris.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ. LXXIX. de factum eſt, ut plebs ruſtica arma & audaciam indueret, equitumque cohortes, quas Dodo Larius & Rinſuoudius ducebant, Leoverdiam verſus accepto in prædam commeatu, propelleret. Mox ad Zuytlariam viribus aucta, quo Entenio, qui auxilia reparaverat, reſiſteret, in fugam acta recentis gloriæ & fortitudinis laudem turpi dedecore mutavit.

Tum Entenius agris viciſque Coverdiam uſque direptis tributum 18000. aureorum Drentinis impoſuit. Unde continuis ruſticæ plebis querelis exagitatus Lalainius Drentinis, ut militi, etiam ſuæ legionis, præterquam à ſe mandatis inſtructo, reſiſterent, poteſtatem fecit gratiamque Drentinorum emercando, nonnullis cohortibus, quas conſilijs ſuis adverſas noverat, odium peperit.

Lalainius ad partes regis inclinat.

Iam enim regis gratiâ & magnarum rerum ſplendore pellectus excæcatuſque à Farneſio credebatur, idque tanto firmius, quod mutati in patriam affectus, argumenta à recepta in fidem Groningâ neque vanis ſuſpicionibus edidiſſet. Mox nova tempeſtate Tranſiſulani, Tubantes Salij creatis ex ſe partium ducibus arma odio Ordinum miſcuerunt, actique per obvia, velut rerum deſperatione, cuncta vi atque inſolentiâ fædavere. Quare ab Aurantio principe Philippus Hohenlous reprimendis rebellium armis miſſus, tantæque multitudini impar, non ſine vitæ diſcrimine in fugam actus eſt. Cæterum extenuatis vicinarum urbium præſidijs validior ad Sionis monaſterium, poſt ad Roltam pagum ad internecionem eam cæcîdit, redactiſque ad obſequium Drentinis & accepto à captivis lytro arma, ut traderent, imperavit.

Ficto Funckij nomine Friſij ſollicitantur ad defectionem.

Reperio in litteris ſub ficto Funckij Friſij nomine ad Onuphrium Gryphium Prætorem nuper Utingeranum & cohortis apud Ooſtmahornam præfectum in exilio tum agentem, exules Friſios hoſtium partes ſecutos patriæ ſuæ vehementer tum comminatos fuiſſe, Pontificioſque per Friſiam mutuis litterarum commercijs inſtructos omnia admittendis intra provinciam hoſtibus proditorio conſilio præparaviſſe. Eundem quoque Funckium plures perfugas ſpe largioris ſtipendij è provinciâ ſollicitaſſe, æriſque penuriam regia per caſtra graſſantem, velut in omnium rerum affluente copiâ pelliciendis perfugis excuſaviſſe. Is addit undecim cohortium centuriones ducendis in Friſiam ſignis deſtinatos, in ijſque Julium & Renicum Dekama, Titum Cammingha, Lollium Ockingha, Petrum Boimerum, Petrum à Coverdiâ, Riſellium Stellingurfium, Snaterum, Prengerum & Sampſonium, tanquam belli peritiſſimos cenſuiſſe.

Mox à fœderatis Ultrajecto litteræ in Friſiam datæ. Iſtæ continebant.

Petuntur à Friſijs pecuniæ pacandis Bruxellenſium & Vilvordenſium præſidijs.

Regium Philippi exercitum Bruxellenſibus ſociorum fidiſſimis gravem extrema comminari. Quibus liberandis cum omne provinciarum ſubſidium peti debeat, monere ſe Friſios, ut in menſem pacandis Bruxellenſium & Vilvordenſium præſidijs ſextam partem octoginta millium aureorum præſtent ocyus reſiduumque tributi quod fœderatis deberetur, in ærarium inferant. Alias forè, ut damno & infamiâ provinciarum hoſti dedatur prima fœderum & libertatis altrix Bruxellenſium civitas. Iſtæ litteræ Non. Sept. ſcriptæ.

His accedebat, quod Andreæ Heſſelij Ord. Brabantiæ actuarij litteræ de vaſtatione agri Brabantici apud Cæſaris Legatos quererentur, ulti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ultimiſque miſerijs repentinum remedium inducias aut pacem orarent. CIↄ. Iↄ.
Tardè ſcilicet procedi in eâ actione, quæ feſtinationis egeret & eſſe LXXIX.
Philippi Legatum in præſcribendis conditionibus duriorem quam pacis ſtudia exigerent. Veterem certè principum Philippi anteceſſorum dominationem clementiâ ſtetiſſe, cujus ſpem in ipſo actionis exordio Caſtrenantius præcidiſſet.

Igitur legatis Cæſaris curandum eſſe, ut Caſtrenantij regij mandatarij animum ſuaſorijs ad pacem rationibus emolliant, dentque effectum, ut mitigatâ Hiſpanicæ dominationis ſeveritate moribus aliquid legibuſque Belgicarum gentium donetur. Aliter certe pacem haberi non niſi ſalvo, aut ſaltem admiſſo jure populi poſſe. Quæ cum litteris ad Renicum Cammingha Deputatum determinandis ſuper Colonienſi pace ſententijs tarditatem provincialium increpavere.

Carolus Roorda ſcribit, Friſicæ gentis morâ fœderatos Ordines conferendis tum tributis contumaciam induiſſe, illorumque defectu de Venloa, Wachtendoncko & Gelrâ oppidis perdendis periculum fuiſſe. Pecunias quoque ad 30000 aureorum Lalainio aſignatas excuſationem ulterioris tributi non admittere, nihilque magis utile & neceſſarium firmando fœderi quam parati æris ſubſidium eſſe. Alias Ordines fœderatos poſtulandis importunius ſtipendijs, de mittendis in provincias copijs conſtituiſſe. Ita Geldriæ agros, præſtandis tributis tardos, militari manu preſſos, neque aliud reſtare, quam ut Friſici reliquæque provinciæ agendo cenſui ſocordes Geldrorum exemplo habeantur. Hoc etiam repetebat, ut Legatos è provinciâ Ultrajectum, aut ad Aurantium mitterent, ſupinaque conſilia correctione mali moris emendarent.

Tributa à quibuſdam provincijs non ſatis alacriter penduntur.

Igitur mandatarijs Cæſaris longâ Ordinum per provincias diſceptatione offenſis ab Ordinibus generalibus Antverpiâ Coloniam litteræ datæ, honeſtâ moræ excuſatione, quod in tam arduo negotio ſuffragationem provinciarum deſideraſſent. Neque enim plenâ ſtatuendi poteſtate Legatos Coloniam miſſos inſtrui voluiſſe, eamque eſſe provincialis imperij rationem, ut à multitudinis arbitrio pendeat. In quâ cum opinionibus ſæpè certetur, fieri ut tardius aliquid decernat, publicumque commodum moretur privatorum incuria. Interim grates ſe Cæſaris paterno affectui, & mandatarijs imperij debere licet fato quodam in provinciarum viſceribus hærens malum opportuna remedia non ſanaverint. Atqui id præpeditum eſſe nimiâ Philippi regis ſeveritate, qui haberi clementer populum ſuum nolit: Iſti fini ſcilicet velle, ut dignitatibus ex Gandavenſi pactione eiecti priſtinis honoribus reſtituantur, ad quos per provinciales vincula, cædes, atque exilia perventuri ſint. Ab eo eſſe quod civitates & fortalitia dedi, quod nudari præſidijs velit, ipſoſque inquilinos in remp. adſcitos ſuis dignitatibus atque fortunis privari. Omnia ſcilicet doli, aut inſidiarum plena eſſe. Diſtractos à ſocijs Farneſij artibus Hannonios & Arteſios, ſimulatam externis in Italiam legionibus miſſionem, ſacramenta principum infida & Pontificum diſpenſationibus impunita, eoque deventum eſſe, ut rumpendis fœderibus & ſolvendæ hominum fidei atque ſocietati Romana religio inſerviat. Hanc eſſe ſcilicet, quam Norcarmius ex Hiſpaniâ redux retineri ſolam colique voluiſſet, & ut Philippus Caroli patris

Mandatarijs Cæſaris & Imperij pro impenſâ operâ grates actæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ↃIↃ. IↃ. LXXIV. tris in ſcribendis edictis ſeveritatem ſtabiliendo principatui innovaret. Sed id ne fieret Ordines provinciarum ad mutua fœdera & auxilia confugiſſe, quæ omnium ab orbe condito gentium conſenſus neceſſitati temporum & præveniendæ rerum ruinæ approbaſſet. Atqui ea rite ſervata convelli non poſſe, niſi ſingularum provinciarum decreta, eo quo invaluere modo, ex formulâ ſcripti juris infirmentur. Id ſe Cæſareæ majeſtati per litteras indicaſſe, eſſeque in eo Philippum, ut ex provinciarum diſcordia robur ac vim immodeſto principatui captet, quod ſtare infantiæ ſuæ moribus & rigore antiquæ inquiſitionis velit. Majore certè moderatione attemperanda Philippi poſtulata eſſe, tam ut Buranus Aurantij filius in Belgium redeat, quam ut Angliæ reginæ & Andino tum ipſi Matthiæ Gubernatoris autoritati ſatisfiat. Alias efferandis populi animis obviam tempeſtatem imminere, niſi lenius ac ſepoſitâ diſſimulatione apertius Philippus rex agat, & niſi Cæſar ac Imperij Legati ad id præſtandum regem, aut ejus mandatarium compellant. His addebant decreta ſingularum provinciarum, ſuper pacis negotio, ut perſcribantur ocyus ſe effecturos, Deumque pacis autorem rogaturos ut ſana promovendæ paci conſilia procerum mentibus inſpiret. Hæc Antverpiæ IV. Eid. Sept. perſcripta, ac ad Legatos Imperij tranſmiſſa.

Similes litteræ ad Caſtrenantium Philippi Legatum datæ. Quare maturando ad conditiones pacis quas Philippi Legatus propoſuerat, reſponſo Albada Friſiorum & Tranſiſulaniæ orator litteras in Friſiam expedivit, proque provinciæ decreto obtinendo interceſſit. His pro diruendis per Friſiam caſtellis ſubjunctum, quibus ſtantibus libertatem recuperari non poſſe, neque vanis rationibus oſtendebat.

Itaq; (inquiebat) *ſcire cupio quâ fiduciâ libertatem vos tuituros putetis cum omnes arces apud nos integras relinquatis. An hoc vobis unitæ provinciæ ſuadent?*

Cæſaris Rodolphi literæ ad Ordines.

Cæſar quoque, etſi in Philippum pronior jure affinitatis deprehenderetur, litteras XI. Kalend. Octob. Pragâ Bohemorum ad Ordines dedit, quibus monebat, ut protracti in ſanciendâ pace temporis damnum celeritate conſilij penſarent, omneſque curas amovendo belli incommodo impenderent. Æquiſſima ſcilicet eſſe à Philippo rege avunculo & ſororio ſuis ſubditis oblata quæ niſi acciperent, fidem faciebat, Legatos Imperij ſeptemviros & præſulem Wirceburgium diſceſſum facturos, tædio moræ & damnoſæ perverſitatis, quæ benè cœpta & cum ijs ſpem pacis noxio conſilio diſturbaret. Se quidem Cæſareæ benevolentiæ illuſtre exemplum feciſſe, facturum porro, ſi viderit, Belgas ipſos, declinandæ rerum omnium ruinæ, ſuis commodis non deeſſe.

Mox litteræ in Friſios mittendis Antverpiam cum mandato pacis legatis perlatæ, quo examinatis ſingularum provinciarum ſuffragijs commune quoddam decretum ab Archiduce, Aurantio & Concilio Status perſcriberetur. Cui celebrando litteræ quoque ab imperij mandatarijs ad Ordines generales, ſeorſim verò ad Friſios miſſæ, quæ amoveri cunctationem ac moram provincialis decreti volebant. Eæ à Gebhardo Colonienſe, à Jacobo Trevirenſe Archi-Eſpicopo, Iulio Wirceburgenſium Epiſcopo, Otone Henrico comite Suartſenbergio, Wernero Gemnichio VI. Kal. Octob. ſignatæ.

Alba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Albada ſcribit de regis Galliæ morte rumores hoc tempore Coloniam perlatos, duaſque per Arteſiam arces ab Andino regis fratre odio Hiſpani occupatas. cIↃ.IↃ. LXXIX.

Igitur à ſeptemviris & mandatarijs Imperij dies actioni præfinitus, cautumque ut niſi Ordines decretum provinciale intra proxumum Kal. Novembrium diem procurarent, conditionesque à Philippo rege perſcriptas ratas præſtarent, actio ceſſaret, quæ doli & fraudum expers ſuâ adhuc apud Caſtrenantium Philippi Legatum interceſſione præjuvari firmarique poſſet. Id v. Nov. Octob. perſcriptum. Ita omniâ frivolâ nec pacem facturâ diſceptatione trahebantur.

Quare Ordines fœderati accepto Geldrorum atque Zutphanienſium, quod Arnhemi v. Octob. in comitio perſcriptum erat decreto, copiam ejus in Friſiam miſêre, additâ petitioue, ut ſuum quoque in causâ pacis decretum perſcriberet, poſtulantibuſque Archiduce & Aurantio legatos Ultrajectum dein Antverpiam mitteret in commune conſulturos. Præterquam enim, quod Colonienſis pacis deſperatio, & ſine ſtipendijs ac diſciplinâ Ordinum exercitus Archiducem & Aurantium fatigaret, ita Ultrajectino quoq; fœderi, etiam vix robur adepto, hoc incommodum creabatur, quod inops æris ærarium erogandis cohortium ſtipendijs par non eſſet, rebuſq; per provincias ex vaſtitate, aut ſocordiâ impulſis, ne delectus quidem poſcenti bello ex inopiâ pecuniæ præſtarentur. Cui malo ſanando, tributorum ratio Ultrajecti per fœderatos inita decretumque ut pedeſtribus Friſiorum copijs, quatuordecim aureorum millia, equeſtribus duodecim quovis menſe aſſignarentur, Lalainioq; menſtrui tributi per Friſiam colligendi cura & autoritas demandaretur. Groningenſes quoque Drentinos & Tranſ-Iſulanos Friſiorum ſocios ad præſcriptum ab Aurantio tributum pendendum cogeret, invitoſque & reluctantes imperio, aut ſeveritate coerceret. Cæterum oppidani duarum cohortium, quas Lalainius fœderatorum decreto autoraverat, ſtipendia detrectabant, rati, quod res erat, ſtipendiorum militarium rationem ad ærarij legem formandam eſſe, ne ex onerum mole novæ libertatis faſtidium contumaci ad gravia & ſimul juſſa populo naſceretur. Unde Lalainius emolliendis oppidanis, decretum fœderis, ſuam fidem atque autoritatem conſcribendis cohortibus interpoſitam regeſſit quamque ſecuritatis publicæ in illâ teneritudine ac infantiâ rerum intereſſet, oppida provinciæ munimenta juſtis præſidijs attineri. Joanni quoque Ayſma Ultrajecto, ubi cum Carolo Roorda Legatum agebat, in Friſiam profecto in mandatis datum, ut aſſenſum Friſiorum retinendis in fide ac ſtipendio quatuordecim pedeſtribus & equeſtribus cohortibus impetraret, deque fœderatorum Ordinum voluntate expugnandis per Friſiam caſtellis oppidanum populum doceret.

Pacis deſperatio & res turbidæ in Belgicâ.

Creditum fuit caſtella externa dominationis antiqua præſidia dirui Ordinibus tum placuiſſe, quo majore libertatis deſiderio populus in concordiam exardeſceret, præſidiumque Leovardiæ urbi grave & moleſtum dirutâ arce in finibus provinciæ propellendis hoſtium incurſionibus locaretur. Itaque petebant ut Friſij Bolſuerdios, Snecenſes, Franequeranos, Doccumios, Collumanos cæteroſque recipienda ad præſidia hortarentur, quo Lalainius in Tranſ-lavicanis & per Drentiam

Quare caſtella in Friſiâ ſint diruta.

 res

cIↃ. IↃ. LXXIX. res geſtiorus deſtinatum auxilijs militem commodiſſimâ opportunitate ex illis præſidijs evocaret.

Mox Heſſelus Ayſma Jureconſultus Antverpiam è Friſiâ cum mandatis miſſus.

Mandata Friſiorum de negotio pacis. Iſtæ erant: *Vt provinciarum Belgicæ, & imprimis Friſiæ commodo operam conſiliaque navaret. Vt in Colonienſis pacis negotio, quod Cæſaris Legatis delatum eſſet, ſuum ſuffragium* AURANTIJ Principis, *Fœderatorum & ſimul Hollandiæ Ordinum ſuffragijs, atque decretis afformaret, nevè ab ijs quid diverſum atque diſcrepans faceret aut fieri promitteret.* Mandata XIII. Kal. Nov. Leovardiæ ſignata.

Barthius quoque Idſaerda ad Georgium Lalainium in Drentiam amandatus, qui tractandis Groningenſium & Omlandiæ rebus, cænobio Eſſeno, quod in agro Drentino eſt, audiendis legationibus attinebatur. Igitur Legato ſtipendia ferenti, cujus penuriâ exercitus & Lalainij aula ex principali paratu laborabat, ſui confeſtim copiam fecit, mandataque Legati in Friſiam properantis celerrime expedivit. In cæteris hoc erat. Ut patrimonium ſedis aut Epiſcopi & cum eo annuos reditus provinciæ ærario & uſibus aſſignaret, cenſumque Cuneri otio & luxui uſurpatum militaribus ſtipendijs applicandum decerneret.

Reperio in actis Pompeium Vſkenium virum fœderi impenſe addictum & magnæ apud Lalainium gratiæ, iſti rei omne conſilium navaſſe, Lalainiumque dubium tum & inclinantem, quo aſſenſum faceret, petitis à neceſſitate rationibus permoviſſe. Quod negotium eo quoq; magis maturabatur, quod Archidux Matthias, facilitate juventæ aut imprudentioris conſilij Auſonium Galamam Præpoſituræ Bolſuerdienſis dote & proventu donaſſet, profuſiſſimâq; talium rerum largitione plus privati gratiæ, quam publicæ æris inopiæ, ſubveniſſet. Igitur ea res aliqua cum difficultate primum habita, non ignaro Lalainio, ſe litteris IX. Octob. Vollenhoâ datis, Friſios ad id præſtandum monuiſſe, & ut Auſonium Galamam beneficio donatum in poſſeſſionem ocyus Præpoſituræ citra moleſtiam locarent.

Matthias Archidux Auſonium Galamam præpoſituræ Bolſuerdienſis dote ac proventu donat.

Ayſma ſcribit ſe III. Kal. Novemb. poſt ſalutatos Ultrajecti fœderis ſocios Antverpiam, cum Zutphanienſium, Arnhemienſium & Velaviæ Legatis adveniſſe, reliquarumque provinciarum Legatos & in ijs Hollandos & Zelandos tardius ſe ſiſtentes moram conventui & habendis conſultationibus injeciſſe.

Annonæ caritas in Friſiâ. Reperio in actis annonæ & frumenti caritate provinciam tum laboraſſe, quod æſtas & juxta autumnus imbrium copiâ fœdus ſuffecturam alendis provincialibus meſſem corrupiſſet. Itaque Leovardiâ in urbe populi & multitudinis fœcundâ penuriæ & egeſtati pauperum obviam itum, ſaluberrimo mali peſtilentis remedio, quo ægra plebs & vitiato aëre debilior, ſubſidiario ære uberem refocillandis corporibus victum haberet. Igitur Supremus Senatus in Baſilicâ coactus Magiſtratum centurionesque cohortium ad ſe evocavit, diviſaque in partes ac diſtrictus civitate conferri ſtipem à locupletibus in ſex menſes pauperum ærario juſſit. Hoc vero vetabat, ne oſtiatim alimenta infectis, aut languidis peterentur, ne integræ domus proſerpentis contagij vim ex afflictu noxij ægrorum habitus ſentirent.

Hey-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Heymannus notat Capitulum iſti pauperum ſubſidio duodecim carolæos in menſem ſpopondiſſe, edictumque vergente Decembri ritè & ex uſu formatum in vulgus & per tribunalia tum emanaſſe. cIↃ. IↃ. LXXIX.

Quo fere tempore litteræ Ordinum Friſiæ, quæ decretum pacis habebant, Coloniam ad Albadam oratorem miſſæ prope arcem Blyenbeham à præſidiarijs loci militibus interceptæ, ope ac conſilio eorum, qui Hiſpanicarum partium ſacramentis aut ſocietatibus inligati, Emricæ & Reſæ, tum in plerisq; ad Rhenum locis, patriæ etiam ſuæ commercia & commeatus tabellionum explorandis Ordinum arcanis infeſtabant. *Friſicorum Ordinum literæ intercipiuntur.*

Albada ſcribit eorum plurima è nobilitate Friſicâ fuiſſe, quam odio Ultrajectini fœderis in exitium patriæ ſe tum armaſſe ægerrimus animi querebatur. Itaque erant, qui Farneſium invadendæ Friſiæ tria millia Hiſpanorum militum peterent, eique provinciæ, ſub Regis Philippi imperium reducendæ certiſſimam ſpem offerrent. Quos ideò omnem humanitatis affectum exuiſſe illi interpretabantur, qui non ignorabant, ſine propinquorum cæde ac fugâ, ſine legum & libertatis interitu reſumere dominationem eos non poſſe parricidialibus armis ſubnixos. Igitur fidiſſimæ monitiones patriæ amantium acuendæ ſollicitudinis in Friſiam miſſæ, quæ juſtum exercitum ad XVI. Novembris diem in Friſiæ ac Tranſlavicanorum fines deſtinari neque vanis augurijs ominabantur. Cui malo averruncando concordiam ſuadebant Græcorum exemplo & ex Philippi Comineij clariſſimi rerum ſub Ludovico geſtarum Hiſtorici præcepto, qui odio potentum firmandas gentium ſocietates comprobaſſent. Quas etſi levis aliqua temporum lis aut diſſenſio fatiget, quæ inferiora hæc & mortalia exercens verâ & ſtabili pace cœleſtia donaſſet, tamen commune in rep. conſilium cum ijs conferendum eſſe, quos à patriæ aut rerum ruinâ alienos libertatis affectatio feciſſet. *Male volorum indigenorum machinationes adverſus Friſiam patriam ſuam.*

Hoc vero imprimis volebant, ut mos patriæ & privilegium populi tenaciſſimè in adminiſtratione rerum retineretur liberaque ut vocabant, Statuum electio quaſque in rep. dignitates clariſſimis provincialium conferret. Quos à peculatu aut rapiendis per ambitum honoribus probitatis amor averteret, haud dubiè præmium ſuæ virtuti obſequium populi habiturus. Alias novas in factiones, nova odia erupturas mentes improbitate dominantium irritatas. Id quoq; vel maxumè neceſſarium eſſe, ut juſtitia vigeat, inque ipſarum legum rigore & obſervantiâ & innocentia judicum & reverentia populi quæratur. Quæ quanquam egregiè dicta & ſcripta fatalem iſti temporum ætati diſcordiam non ſuſtulere.

Igitur Heſſeli Ayſma provinciæ Legati Antverpiam adventu in conſeſſu Ordinum generalium ſuper Colonienſi pace, gerendi belli modo, inſtruendis provinciarum præfectis, ordinandâ rep. provincijs ad pendenda tributa militari manu cogendis, applicandâ commeatui bellico in ſingulas cereviſiæ tonnas trium ſtufferorum indictione, novo ſacramento concipiendo, tum de innovandâ religionis pace VIII. Nov. deliberatum, urgentibus Aurantij & fœderatorum Ultrajectinorum legaris infidâ pacis apud Coloniam actione de bello cogitandum eſſe, & ut communis provinciarum Belgicæ reſp. diſſenſione aut ignaviâ collabens majore prudentiâ ac ſollicitudine creſcentibus periculis formaretur. Ayſma tradit mandatorum legatorumque qui ex quibuſdam pro- *In conſeſſu Ordinum Antverpiæ de reformando Reip. moderamine actum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ. LXXIX. vincijs non comparuerant, defectu, nihil plenariè definitum fuiſſe, hoſtiumque pro invadendâ Friſiâ conſilium relationibus tum Colonienſium confirmatum. Itaque petebat ut Friſij ad pericula ſolertes & circumſpecti eſſent, plenioraque mandata maturandis provinciarum rebus, perferri Antverpiam curarent.

Alexander Bentingius Geldrorum Legatus ſcribit ex quaque provinciâ delegatos tum fuiſſe, qui cum Archiduce Matthiâ, Aurantio Principe & Concilio Status ſingula communicarent, eoq; facto, de actis ad conſeſſum referrent. Singularem quoque animorum conſenſum illo conventu, quem ſecundis rebus more mortalium ut antè inclinantem & dubium, ita tum ex adverſis firmum & conſtantem, ingenia procerum idem Ayſma datis Antverpiâ XV. Non. in Friſiam litteris confirmavit, omniumque ſuffragia tractatâ Religionis pace, in admittendo per provincias reformatæ exercitio conveniſſe. Mox de peractâ Barthij Idſaerdæ ad Lalainium legatione Leovardiam nuntiatum, qui è Drentiâ & monaſterio Eſſenæ in Friſiam reverſus Lalainij decretum pro uſurpandis Epiſcopi patrimonio attulerat.

In arctis rebus maxi mus Ordinum conſenſus deprehenditur.

Diploma iſtiuſmodi erat.

Epiſcopi patrimonium Friſiæ cedit.

QVANDOQVIDEM certus ſum Friſiam tam ex crebrâ terrarum inundatione, quam ex continuatione belli & militarium ſtipendiorum penſitatione magnis debitis atque oneribus gravari, haud dubiè cum ipſo bello incrementa habitura, ita petentibus Ordinum Friſiæ Deputatis, Ordinibus Friſiæ pro jure meo omnia Epiſcopalia bona unâ cum Haskerano cœnobio cedo & defero facioque ijs poteſtatem, ut provinciæ uſibus ea impendant, ſub iſtâ cautione, ne ullius juri aut credito quid decedat & ut ex formulâ illius pactionis trasferantur, quâ Cœnobij Wittewerumani res & reditus Omlandiæ agrarijs aſſignavi. Igitur fidem facio me in poſſeſſione iſtorum bonorum prædictos Friſiæ Ordines locaturum daturumque operam, ut ceſſio hæc rata firmaque mea autoritate habeatur. Actum Eſſenæ ſub ſigillo & manu meâ, v. Eid. Novemb.

Lalainij artes & machinationes.

Quæ, quamvis bonâ fide & in ſpeciem veri affectus agi viderentur, ita oſtentui magis & augendæ in eum procerum fiduciæ fieri illi non dubitabant, qui explorata clam Lalainij conſilia ſuæ magis quam Ordinum dominationi ſervire, ex infidis aulicorum actionibus acceperant. Itaque Lalainij juventâ illorum aſſentationibus ſe præbente & ingenio, ſicut mortale plerumque ſolet, cupidine imperij correpto de diſtribuendis per Friſiæ oppida præſidijs cogitavit, quo provinciæ munimentis ſuo arbitratu ſtabiliendæ potentiæ & nova ad conſilia uteretur.

Quare Ioannem Bongam nobilem Friſium à primâ ætate fœderatis armis aſcriptum, cum cohorte Bolſuerdiam amandavit, iſtiq; urbi & ſimul Snecenſium præſidio eſſe juſſit. Cæterum Magiſtratus, qui recipi intra urbem armatos detrectabat, turbidum inſuper populum, & à præſidio alienum ſpectans, militem urbe prohibuit; quem Bonga centurio navigijs vectum ad portam & ſuburbana promoverat. Hoc interim petebat Magiſtratus, ut dum per legatos de Præfecti voluntate cognoviſſent, cohortem in circumjacentes agros & Wonſeranorum fines amoveret, urbemque domeſticæ paci & civili cuſtodiæ relinqueret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ret. Quod conſilium cum Goſlico Heramæ viro nobili & Juriſperito cIↄ. Iↄ.
Wonſeranorum prætori diſpliceret, inſolentiam & rapinas militum metuenti, de mittendis ad Lalainium legatis à Magiſtratu conſultatum, reclamante propalam plebe oppidanâ urbi incorruptam adhuc fidem profeſſæ imponendum præſidium non eſſe. LXXIX.

Quare Franciſcus Iacobæus Conſul, Iacobus Menenius & Petrus Sixſius ad Lalainium qui Vollenhoæ eſſe ferebatur, pacando populo miſſi, mileſq; Bongæ centurionis excedere oppido ab iratâ plebe juſſus, cœnobio Floridi Campi & Oegano inductus eſt. Igitur commeatu intra urbem coëmpto & præſidio cœnobijs gravi litteræ à ſupremo ſenatu venere, qui reverentiâ Præfecti, ſivè ſeditionis civicæ metu, Magiſtratus in recipiendo præſidio contumaciam, tanquam contemptum imperij interpretabatur. Sed Magiſtratus modeſtè factum excuſare, pacem ac concordiam, miſſos ad Lalainium Legatos obtendere, cui per eos ſignificatum eſſet, urbem ſtratis partium odijs quietam præſidij non egere. Qui cum Snecenſium Legatis, quorum & cauſa agebatur, in Drentiam & cœnobium Eſſenum progreſſi colloquium Præfecti petiere, quem moderandis Tranſiſulaniæ & Drentinorum rebus occupatum aulicorum reſponſa ferebant. Igitur triduo per otium conſumpto, legati tandem in ſecretum admiſſi, ubi Lalainius, etſi occupatior, de mandatis Legatorum cognovit, eoſque voce Gruteri, qui eï à conſilijs erat, bono animo eſſe juſſit.

Supremus Friſiæ Senatus reprehendit contumaciam Bolſuerdienſium.

Quare (inquiebat) *hoc tempore præſidÿ immunes eſſe volo, modo jus & æquum civibus veſtris dicatis, omnique religionis diſſenſione ſopita civitatis veſtræ curam geratis. Ad Bongam quod attinet, illi aliud à priore mandatum à me dabitur.*

Quæ ſupremo Senatui XIX. Octob. per Legatos Bolſuerdienſium Snecenſiumque exhibita, Senatus tamen & recipiendi præſidij decretum non immutavere. Igitur ex eodem Snequettus Senator & Sibrandus Richæus fiſci procurator ad Lalainium ablegati, evocatis interea Leovardiam Bolſuerdienſium Pontificijs, qui ante pacati illâ ſupremi Senatus & Magiſtratuum diſſenſione tanquam occaſione turbarum utebantur. Unde concurſu facto reliqui earum partium per urbem Bolſuerdiam acti arma induerunt, teſſerâmq; vigilum fidei commiſſam dari ſibi à Magiſtratu cum immodeſtiâ popoſcere. Sed à Theodoro Occonio Conſule, qui cum imperio civitati tum præerat, repulſum paſſi & in ſua redire juſſi, ſecretos tabernarum conventus repetivere, furoreq; ex vino aut per temulentiam aucto, velut in licentiæ regno, implicatis ad fœdera dextris, obſequia exuerunt. Quare nec Ordinum, nec Magiſtratus imperio ſe teneri inconditis clamoribus jactitabant, urbemque à Lalainio ſuæ libertati permiſſam Hiſpanorum aut Ordinum præſidijs non obligari.

Apud Bolſuerdienſes turbæ.

Quæ res cum maxumâ incommodâ datura civitati videretur, frænandis ſeditioſorum civium moribus à Senatu ſupremo decretum, ut Bolſuerdij ſicut & reliqui oppidani è corpore civium cohortem conſcriberent, illique rectorem è Magiſtratu darent. Unde Petrus Vibenius Conſul ducendæ cohorti centurio creatus, adſcito Sixto Hettenio, qui ferendo ſigno præeſset. Mox ære accepto miles conſcriptus, eoque ad cuſtodiam urbis admoto, diſſoluti mores interquievere.

Sopita Bolſuerdiæ diſſidia.

Quo tempore Aggæi Albada Oratoris Epiſtola de Colonienſi conventu

CIↃ. IↃ. LXXIX.

Albada Friſijs hoſtilem irruptionem imminere præmonet.

tu abrupto in Friſiam perlata. Ea habebat: Imperij legatos VII. viros tarditate Ordinum & petitæ reſolutionis offenſos abitum Coloniâ parare, eſseque nihil expectandum quam ut pace fracta crudele Regem inter & provincias bellum exardeſcat. Itaq; Friſios commonebat, ut ad externam vim, quæ pararetur, repellendam ſolliciti, internis quoque hoſtibus avertendis intenti eſſent, unicoque concordiæ remedio adverſum fortuita & ſimulatas fallaceſque amicitias ſe munirent. Ea 18. Kal. Decemb. Coloniâ ſcripta.

Vt etiam alij.

Cui monitioni robur atque efficaciam addebat, quod Ioannes Ripperda & Joannes Splinterius è Gorâ oppido de decretâ hoſtium in Friſiam irruptione fidiſſimos per exploratores perſcripſiſsent, Philippumq; Regem tres Germanorum legiones ſub Caſparo Robleſio & Bergij filio autorandas Snatero, Prengero & Everardo Coverdienſium nuper Satrapæ ducendas in Friſiam demandaſſe. Itaque in Bremenſium, Oſnaburgenſium Monaſterienſiumque finibus delectus inſtitutos tanto multitudinis confluxu, ut ad feſtum Andreæ proxumum in Omlandiam ac Friſios paratam expeditionem habituri eſſent. Iam enim lanceas, ſclopetos, enſes, thoraces ferreos, omneque genus armorum circa Statloam in agro Monaſterienſi, deſtinatum recenſioni locum comportatum, & quod armandis octo aut novem virorum millibus ſufficiat. In proxumo ſcilicet periculum cerni, eſſeque neceſſarium ut Friſij ad ſua intenti ſint; fidumq; aliquem è ſuis Eſſenum ad cœnobium mittant, qui de ſingulis cognoſcat.

Heſſelus Ayſma Antverpiâ ſcribit Aurantio Principi litteras quoq; de expeditione hoſtium in Friſiam communicatas, Juliumq; Dekamam nuper Senatorem regium, ardore vindictæ tribus ſchlopetariorum millibus adjutum ſubjugandis Friſiorum terris deſtinatum. Igitur præpediendis in Friſiam hoſtium irruptionibus Vederborgum ac Keyſerſuerta ad Rheni Vahaliſq; confluentes à Geldris præoccupata quo tranſitu Rheni amnis hoſtilem exercitum arcerent & ne Friſij ſocij atq; vicini exulum ſuorum ſecretâ conſpiratione in antiquas calamitates atque pulſa ſelinis ſervitia reciderent. Unde Zutphaniæ, Duisburgo, Deutecomio, reliquisque oppidis Rheno, Iſalæ aut Berckelio flumini adjectis commeatus copia ope navium advecta datæque ad Friſios litteræ, quibus imminentium diſcriminum & Adolphi Gorræi Caldenbroeckij epiſtolâ neque inveris indicijs monebantur.

Legatis in Colonienſi actione honeſta pecuniæ ſumma pro impenſis aſſignatur.

Tum Colonienſi conventu finem ſpectante Archidux Matthias mille quingentos aureos præſtandis Legatorum impenſis Friſios propoſcit, quo reip. vacationibus honeſtum præmium ſtatueretur, & ne actionis cum famâ geſtæ officia damnoſo impendio penſarerentur. Idem ſubjunctæ Ordinum generalium litteræ habebant. Quippe Arſchotanum cæteroſq; legatos poſt ſepoſitas domeſticas & familiares curas procul domo ac cariſſimis pignorum Coloniæ egiſſe, ſemeſtreque & ultra ſpatium tam laudabili conciliandæ pacis negotio, non ſine grandi impenſâ & ſimul gloriâ collocaſse. Sperare ſe clariſſimæ actioni brevem exitum, eoq; perventum eſse, ut in Ordinum conſeſsu commune ineundæ pacis, aut parandi belli decretum non ſine curâ publicæ ſalutis ventiletur.

Reperio in actis Ordinum ſingulos in menſes octo aureorum millia legatis aſſignata, totique actioni à IV. Maï, in XXIV. Nov. diem quadra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

draginta & ultra aureorum millia impenſa. Mox Cl. v. Abelus Franckena (qui in conſeſſum fœderatorum Ordinum VII. Eid. Septemb. à Deputatis Friſiæ delegatus XII. Kal. Octob. ut ipſe notat, ſacramentum fœderi dixerat) Ultrajecto in Friſiam communicandis arcanis & poſt Eſſenum ad Lalainium miſsus qui in Drentiâ præter exſpectationem tempus trahens, ſuſpicione ſiniſtri ſollicitudinem Ordinum innovabat. Cl. Franckena in Diario ſuo ſcribit, Collegium Ordinum Ultrajecto Arnhemum tum conceſſiſſe, haud dubiè, quo regis exercitus ſecundo Rheni amne, ut nuntiabatur, deſcenſurus prudentia publici & præſentis ad pericula concilij in tanto armorum apparatu ſiſteretur. Idem tradit Carolum Roordam cum Brakelio & alijs Hagam Comitis ad Ordines Hollandiæ moderandis belli negotijs miſſum, quod ex legatorum imperij diſceſſu & deſperatione pacis regij per omnem oram dilectus pollicebantur. cIɔ. Iɔ. LXXIX.

Collegium Ordinum Generalium Vltrajecto Arnhemum ad tempus concedit.

Quare Legati Cæſaris, quo repentini diſceſſus cauſam honeſtâ æquitatis ſpecie velarent, ſcriptum quoddam hunc in modum Legatis Ordinum exhibuerunt.

Scriptum à legatis Cæſaris Ordinibus exhibitum.

SPeraveramus, LEGATI, tractationem pacis tanto labore, moleſtiâ & ſumptu inſtitutam divino auxilio, autoritate & interceſſione CAESARIS, noſtrâ ex induſtriâ meliores fructus habituram fuiſſe, quo funeſtiſſimo bello ſopito, regem inter & vos Belgas vera pax bono orbis Chriſtiani ſanciretur. Cæterum quoniam res ex voto noſtro non proceſſêre ferre patienter, quæ emandari non poſſunt, ſatius eſt. Igitur de actioni fine imponendo cogitamus, & ne Cæſaris aut noſtræ integritati ex diverſitate humanæ opinionis, aut malitiâ affingi poſſit, in animum induximus tacito famæ noſtræ ac officij patrocinio apud PHILIPPI Legatum & ſimul vos ſubvenire. Nos vero CAESAREAE majeſtatis Legationem honeſtiſſimâ excuſatione lubentes declinaſſemus, quod tantæ tempeſtatis quæ Belgicam involuiſſet, atrocitatem noſtrâ ope ſedare impares videremur. At verò apud CAESAREM infœlicis Belgicæ commiſeratum noſtra excuſatio parum efficax fuit, juſſique ſumus locum facere optumæ atque pijſſimæ Cæſaris voluntati, quæ noſtrâ curâ ſanari corpus volebat, tot letalium vulnerum deformitate laceratum. Itaque tanto alacrius commiſſum nobis negotium ſuſcepimus, quanto lætius futurum videbatur, vicinæ genti per mutuas diſcordias feſſæ opem ferre. Et ſpes quidem pacis firmius concepta, quod PHILIPPI Hiſpaniæ regis Catholici poſtulata intra modum æquitatis ſtarent iſque præter Catholicæ Romanæ religionis profeſſionem, debitam majeſtati ſuæ reverentiam & autoritatem ſuum populum flagitaret. Quarum utramque cum Ordines datis ad Cæſarem litteris, quam Wormaciæ ipſis Imperij comitijs obtuliſſent, conventum Coloniæ in ſpem certiſſimæ pacis Cæſar indixit. De cujus fœliciſſimo eventu ij dubitare non poterant qui poſtulata PHILIPPI cum offerentium Ordinum æquitate conveniri conciliandis diſſenſionibus augurabantur. Igitur credebant tanto magis Cæſaris & Romani imperij Principum autoritatem valituram, quanto graviore miſeriarum ſuarum enarratione Cæſarem & Principes ad intercedendum Legati Belgicæ permoviſſent. Quin ominabantur Belgas ipſos belli & tot cladium pertæſos pacem facile æquiſſimis ſub conditionibus amplexuros, quod arbitrio Cæſaris & ſe Rex

cIↃ. IↃ. Philippus & provinciarum Ordines ſummiſiſſent. Qui etſi Legatos Coloniam
LXXIX. mittere conducto die debuiſsent, ita eoſdem ſerius & poſt adventum ſuum ac jux-
ta regij Legati adveniſse, & quidem ſemiplenis mandatis inſtructos, quæ totam
actionem breviſſimo tempore inſuper definiri volebant. Quæ res ut prima pacis
auſpicia, ita progreſſum quoque haud parum corrupit, noſtraque conſilia eludi
fecit. Adeò ut magis è re ſuâ & publicâ feciſse Hannonij ac Arteſij nobis
videantur, qui Catholicam religionem, quam rex intemeratam volebat, am-
plexi, cum Alexandro Farnesio regis Præfecto bo-
nam pacem iniere. Atqui Ordines veſtri pro novâ religione ſtabiliendâ locuti,
novis quoque fœderum ſacramentis ſe interea temporis obſtrinxere, revocatis tacitè
mandatis, quæ eorum legati dubia atque ambigua Coloniam attulerant. Per
ea fuit, quod nec cum Hannonijs aut Arteſijs paciſci, nec in faciendis in-
ducijs convenire inter ſe & cum Philippi Legato potuerint, cui ter-
minum finiendæ actionis intra ſex ſeptimanas ij præſcripſerant, qui toto ſemeſtri
ne mandata quidem juſta vobis Legatis tranſmiſerant. Et quamvis iſto tem-
pore, repudiatâ velut ulteriore pacis actione conventu abſtinere ac redire in no-
ſtra potuiſſemus ita maluimus mandato aliquid temporis & virium dare, ſi fortè infæ-
lix Belgica ſui mali ſenſu ſalubrius remedium popoſciſſet. Quæ cum arma ſe ſum-
pſiſſe ex ſævitiâ regis præfectorum pellendis peregrinis copijs, retinendis legibus at-
que immunitatibus, reſtituendis commercijs, denique amovendis tributis atque ex-
actionibus profeſsa ſit, ne hoc quidem argumento belli uſa unquam fuit, ut no-
vitate religionis ſe defenderet. Atqui priora mala ſanando facilis pax fuiſſet,
cujus ineundæ cauſæ adeò quoque Philippi Legatus articulum religio-
nis mitigavit, ut in corpora ac res veſtras deſæviendi facultas ceſſaret, libertaſ-
que conſcientijs, relicta cenſeretur. Igitur pace ruptâ corporum atque animorum ve-
ſtrorum tutela ac quies ſub armis & in ſolo bello erit, quod in legitimum Principem
decernitur & quod corporibus animiſque veſtris calamitates ac incommoda datu-
rum erit. Ab ejus ſcilicet deſiderio eſt, quod nobis petentibus intrà quadri-
meſtre nihil reſponſi ab Ordinibus veſtris perlatum ſit, exceptis ſeorſim Sylvæ-
ducenſibus, quibus ſicuti & Tranſiſulanis noſtras pacis conditiones placuiſse fide
veri accepimus. Econtra Valentiniani tædio belli & Hannoniorum exemplo re-
gis gratiam affectant, à quâ illi, ſicut & ipſâ pace, alieni deprehenduntur,
qui decreta trahunt famoſiſq; libellis per Belgicam & vicina ſparſis, noſtræ inno-
centiæ & integritati graves facti ſunt. Ab eo eſt, quod Arnhemienſes decla-
raverint ſe mori quam parere conditionibus noſtris malle, & quod Philip-
pi Legatus leniora conſilia induendo religionis decretum mitigari detrectaverit.
Igitur cum noſtra in pacem ſtudia infructuoſa & quidem præter ſpem inanis oc-
cupatio fecerit, abitum paramus Legati, quod nec Cæſaris autoritas nec noſtræ
res diuturniorem moram patiantur. Facturi interea ſumus, quæ voti noſtri ſum-
ma eſt, ut Deo ac Cæſari cauſam commendemus, ad eundem bonâ fide de ſin-
gulis relaturi. Interim hortamur vos, Legati, ut quaſcunque ſubditorum ve-
ſtrorum de nobis ſuſpiciones animis eximatis, quibus inquinari Cæſaris, noſtra
& Catholici regis ſinceritas non patitur. Hoc etiam perſuadebitis populo veſtro,
ut, in tantâ rerum tempeſtate conſtitutus ex faſtidio belli deſiderio pacis ardeſ-
cat & ne negligat. Conditiones pacis à nobis præſcriptas ſuo commodo, bono
terrarum orbis, Cæſari aut Catholico Regi exhibere, quo in veteri fortunæ pro-
ſperitate ſub legitimi principis imperio ſecurè conquieſcat. Id precamur, id vo-
vemus, Legati, qui non ceſſabimus omnem porro benevolentiam atque amicitiam
veſtris

veſtris ORDINIBUS *deferre, non alium laboris noſtri & moleſtiæ fructum ſperantes, quam ut ſub noſtris, aut Hannoniorum Arteſiorumque conditionibus pacem ineatis.* cIↃ. IↃ. LXXIX.

Ad quæ breviter Ordinum Legati.

QVæ heſterno die ARSCHOTANO *Duci ore tenus dicta & poſt exhibita ſunt, ad illis articulatim ſatisfacere brevitas temporis non ſinit; facturi alias, ut dignitati veſtræ & officiis noſtra reſpondeant. Hoc verò unum favoris & benevolentiæ argumentum dari nobis cupimus, ut fructum diuturnæ actionis ſentiamus, quæ ceſſare non debet tanto labore ad finem atq; exitum perducta. Neq; enim dubitamus, quin intra biduum decretum* ORDINUM *habituri ſimus, quod acceptum & veſtri officij moleſtiam gratè agnoſcet & de jure noſtræ actionis teſtabitur. At eâ abruptâ nec ſecuritati noſtrarum provinciarum, nec religionis poſtulatæ proſpectum erit, prodetque illum affectum Cæſaris & veſtro nomine nobis oblatum veſtris conſiliis non ſubfuiſſe. Quin metuimus, quod Deus avertat, ne ſcriptum hoc majora odia & perturbationes excitet & præcipuè in animis illorum, qui libertatem conſcientiis ſuis dari in tanta rerum tempeſtate durante bello poſtulavere. Quam ſi concedere nobis clementia Regis non voluiſſet, & labori tanto & impenſæ parcere detectum regij legati mandatum potuiſſet.* ORDINES *verò noſtri quod tardiùs decretum tranſmiſerint id juſtæ moræ condonandum indicavimus, quod impeditis itinerum commeatibus intermedia loca graſſatoribus & prædonibus infeſtarentur. Ad procurationes autem noſtras quod attinet, eas juſtas atq; æquas eſſe palam apud vos fecimus, noſque hic ſubſiſtere juſſos fuiſſe, dum amplioribus mandatis tam ponderoſa in re nos inſtruere* ORDINIBUS *placuiſſet. Interim paciſcendis induciis mandatum accepimus, quam regis Legatus non ſuo, ſed* FARNESII *arbitrio reliquit. Et certè ſi tam de veſtra voluntate, quam de mandato regij Legati conſtitiſſet, non ſex ſeptimanarum ſed totidem dierum conſultatione tota actio eguiſſet. Poſtremum petimus, ut perſpectis actis menſe Iulio perſcriptis & poſtremis Ordinum litteris in quatriduum diſceſſus, veſtri conſilium proferatis. Quod beneficium ſi obtinere non poſſumus, grates agimus vobis Legati, quod huc uſque veſtra dignitas atque occupatio actioni pacis vacaverit. Et id cognoſcere quidem ac amore & officiis demereri in animum quocunq; etiam tempore induximus. De Reliquo teſtamur nos Deo æquitatis judici totum negotium committere.*

Ita conventus Legatorum Cæſaris, Regis & Belgicæ Coloniæ ſolutus, ſoloque Suartſenburgio excepto, quem Cæſar hærere Coloniæ in ſpem procurandæ adhuc pacis juſſerat, Septem-viri cum Wirceburgio Præſule & Iuliacenſibus in ſua reverſi. Carolus quoq; Arragonius Philippi Legatus Bonnam conceſſit, negatoque reditu Ordinibus Regis gratiam, ſua decreta commendavit. Mox articuli Ordinum prid. Kal. Decemb. Coloniam Antverpiâ perlati. Iſtorum ſumma erat: *Conventus Legatorum Coloniæ diſſolvitur.*

I. *Vt Conventio Gandavenſis, Bruxellenſis Vnio & Fœdus Edicti perpetui nomine inſignitum & à rege approbatum ratum efficaxque eſſet.* II. *Omnium tam quæ ante conventiones ſupradictas ex cauſa turbarum patrata, quam poſt facta in demoliendis caſtellis, cæteriſque actionibus, venia ac oblivio foret. Caſtella quoque diruta reſtaurare aut nova extruere rex & poſteri prohiberentur.* III. *Illi jura omnium ſingulorumque per præfectos tam præſentes*

 quam

cIↃ.IↃ. *quam futuros confirmari facerent.* IV. *Peregrinum militem tam ex causâ*
LXXIX. *turbarum in provincias tranſductum, quam ante præſidio habitum intra quindecim dies proxumos ex oppidis & præſidijs rex conduci faceret, è finibus provinciarum intra dies viginti. Eum revocare non niſi bello externo aut de conſenſu Ordinum, regi fas foret. Tormenta omnemque commeatum oppidis atque munitionibus reſtitueret, præfectoſq; Burgundiæ & Luxenburgi pro non admittendo peregrino milite jurare cogeret. Ordines commercia pacemque publicam reſtituerent.* V. *Arteſij ſocijque circa exceſſum peregrini militis, omnia oppida, fortalitia in alijs provincijs occupata cum omni commeatu bellico reſtituerent. Idem Ordines facerent. Militem in ſua quique revocarent, dum perſolutis ſtipendijs provincijs excedat.* VI. *Arteſij ſocijque ſocietati atque paci firmandæ cautionem præſtabunt, ſe peregrino militi per ditiones ſuas tranſitum non permiſſuros. Idem Ordines Luxenburgenſibus, Burgundis & Arteſijs facerent, modo ne illarum partium fuerint, ſecus exautorari dimittiq; curarent. Oppida, caſtella, peregrini præſidiarij Ordinibus tradent, eaque Ordines nec niſi in limitaneis & ex recepto uſu, præſidio non gravarent.* VII. *Tributa & indictiones ex hoc bello natas, redimendo æri alieno & reſtituendis commercijs Ordinum arbitratui relinqueret.* VIII. *Omni diſſenſioni amovendæ Eccleſiaſticæ perſonæ &* AURANTIUS *Princeps in bona tam immobilia quam mobilia eorumque uſum reſtituerentur. Hypotheca aut alienatio, ſi quæ à pace Gandavenſi facta ſcriptave ſit, nulla foret.* IX. *Provincialibus utrinque dignitates & beneficia Eccleſiaſtica, abolitâ tamen in perpetuum novorum Epiſcoporum ordinatione, redderentur. Similiter præfecturæ provinciarum, officia politica & dignitates reſtituerentur, exceptis ijs, qui æquâ compoſitione contenti erunt. Iis quoque qui læſi forent, compenſatio per arbitros ex æquitate, qui poſt quatuor menſes à promulgatâ pace iſti rei delegabuntur, amovendis novis turbis præſtaretur. Dignitatibus reſtituti ſacramentum ex formulâ ſequentis articuli dicerent, quod ſi ſecus factum eſſet, inritum nullumque haberent.* X. *Nulli in Concilium Status, Secretiorum, Rationumve, reliquaque Collegia, quæ provincijs communia forent, admitterentur, præterquam Ordinibus Generalibus accepti. Idem in præfectis provinciarum, oppidorum, arcium, cohortium ductoribus, militaribuſque officiarijs valeret. Qui ad generales & eminentes dignitates admovebuntur, inquilini, obeundiſque dignitatibus ex jure privilegiorum idoneï forent. Regi, Ordinibus, huic conventioni juramentum præſtarent. Concilia quoque aut facta contra Statum publicum concepta aut patrata, ſingulis provinciarum Ordinibus communicarent.* XI. *Captivi utrinq; nullo lytro dimitterentur.* XII. BURANUS *comes intra trimeſtre patriæ ac libertati redderetur.* XIII. *Acta* MATTHIAE *Gubernatoris Ordinumque, tam ante tempus poſteriorum motuum & provinciarum defectiones, quam poſt perſcripta, valida rataque forent. Idem in decretis, quæ regij juris fuiſſent, hac vice valeret.* XIV. *Magiſtratuum per oppida & alibi creatio, in futurum recepto ritu & ſecundum jus ac privilegium cujuſque loci fieret.* XV. *Regi autoritas quam primum ex divinis atque humanis legibus, tum jure privilegiorum, ſtatutorum, conſuetudinum, ex formulâ pacificationis Gandavenſis Vnionis & Edicti perpetui reſtitueretur.* XVI. *Gubernator provincijs à Rege, qui regij ſanguinis, legitime natus, Ordinibus acceptus foret, conſtitueretur. Is cum æquitate & juſtitiâ regeret, juxta privilegia, jura, idoneos mores, ſtatuta & hanc ipſam pacificationem, cui juramento ſe obligaret.*

Et

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Et quoniam MATTHIAS *Archidux ritè provincias adminiſtraſſet, Rex effectum daret, ut in dignitate continuaretur, aut novum gubernationis mandatum acciperet.* XVII. *Vrbes, caſtella, munitiones, tormenta, commeatus bellicus, arma, naves, quæ Hollandorum Zelandorumque forent, diſpoſitioni pacificationis Gandavenſis relinquerentur. In cæteris vero provincijs, quæ Ordinum generalium eſſent, conſervarentur, adminiſtrarenturque à Præfectis, tribunis cæteriſque quibus id à Matthiâ & Ordinibus commiſſum eſſet, cautione additâ, ut Regi, Ordinibuſque ſacramentum dicerent.* REX *quoque miſſione peregrino militi factâ, oppidorum, arcium munitionumq́; præfectos ex inquilinis idoneos Ordinibuſque probatos conſtitueret, quique defendendis oppidis, caſtelliſvè fidem pignerarent, dum aliter de concilio Ordinum ſtatueretur. Patrimonium interim Regis Præfectis committeretur.* XVIII. *Redituum regiorum ex hac conventione in ſubſidium belli ab Ordinibus impenſorum, nullæ rationes eſſent, regi in poſterum cederent.* XIX. ORDINES *omnibus fœderibus excepto Anglico &* ANDINO *renunciarent.* XX. *Hac conventione Angliæ* REGINA *&* ANDINUS *comprehenderentur.* XXI. *Ad religionem quod attinet. Quandoquidem provinciæ ex commercijs & diuturnâ regis abſentiâ, mutationem in religione accepiſſent, tollendis diffidijs inteſtinis, rex tam Reformatam & Auguſtanæ confeſſionis, quam Romanam Religionem haberi in ijs locis permitteret, in quibus publicè exercerentur. Econtra* ORDINES *effectum darent, ut à pace vulgatâ Romana Catholica religio ſub æquâ & perpetuâ formulâ reſtitueretur, exercituque utrinque dimiſſo, pax haberetur.* ORDINES *quoque conventum primâ occaſione inſtituerent eoque durante, præſentibus regijs mandatarijs, operam navarent, ut reformatæ quibuſdam in locis aut ſaltem provincijs locus eſſet, ſalvo Ordinum Hollandiæ ſociorumque ex pacificatione Gandavenſi jure, apud quos pro Romanâ in ditionibus ſuis tolerandâ ageretur.* XXII. *De confirmatione, ac obſervantia hujus conventionis à definitis articulis decernerent.* CIↃ. IↃ. LXXIX.

Hæc VIII. Kal. Dec. Antverpiæ in conſeſſu Ordinum generalium perſcripta, ijſque omne mandatum Legatorum afformatum eſt, ad promovendam tamen pacem non ſuffecit.

Sunt qui tradant, durante Colonienſi conventu, Legatum Cæſaris Ottonem Henricum Suartſenburgium nomine Philippi Regis cum Aurantio Principe ſeorſim de ineundâ pace egiſſe, eidemq́; peramplas conditiones præter damni ex bello dati reparationem reſtitutionemque bonorum, filium quoque Buræ Comitem è cuſtodiâ relaxandum, & cum religionis libertate quietiſſimum ſecuritate ſecretum explendæ vitæ obtuliſſe. Aurantium quoque regiæ gratiæ ſive diffiſum, ſive contemptorem oblatâ Philippi beneficia faſtidio privati commodi reſpuiſſe, deque ſuo erga populum affectu teſtatum, omne officium tuendæ libertati & integritati conſcientiæ conſecraſſe. Quæ ab animo ſupra metum & fortunam poſito profecta interritam tantâ rerum deſperatione mentem ulterioribus curis & ſimul periculis reſervavere. Mihi actorum fidem expendenti viſum ſemper fuit, actionem iſtam tanto apparatu rerum & poſt principes viros honeſtandæ fabulæ in ſcænam introductos, fictâ perſonarum repræſentatione inſtitutam, Philippumque Regem ſimulatis apud propinquum Cæſarem in pacem ſtudijs, quo tardatis Ordinum

Aurantius opimas conditiones ſibi ſeorſim oblatas repudiat.

cIↃ. IↃ. LXXIX.

dinum rebus incrementa potentiæ faceret, aliena ab Ordinum voluntate mandata præconcepiſſe. Ipſos quoque Ordines in ſocietatem Anglicam, aut Andini defixos minus fervida paci deſideria profeſſos, ordinante providentiâ, ut ſcænicâ partium ſimulatione, veros ad actus & in tragœdiam exituros occulto miraculo uteretur.

Complures ex Legatis Ordinum ad Philippum deficiunt.

Quare à Cæſaris & Philippi Legatorum diſceſſu, Mandatarij quoque Ordinum Antverpiam revocati, delegatis Bernardo Merodio Rumenio & Aggæo Albada Friſiorum Oratore, qui cum Suartſenburgio Cæſaris Legato pacis actionem ex voluntate Cæſaris continuarent. Cujus deſperatione id tum factum eſt, ut ex Ordinum Legatis à ſocietate Belgici fœderis deficerent, regiæque potentiæ & imminentis belli metu patriæ libertati & veteri ſacramento lubricum & fragilem Philippi gratiam anteponerent. In quibus Philippus Crojus Dux Arſchotanus princeps legationis, Joannes Lindanus D. Gertrudis, Fredericus Hyperius Marolius Abbas, Buccho Ayta Præpoſitus D. Bavonis & Caſpar Schætus Grobendonckius fuere. Quæ defectio Antverpiam perlata, ut Ordinum conventum non parum conturbavit, ita ècontra hoſtium partibus & armatæ in patriam Friſicæ nobilitati animos addidit. Itaque Farneſij juſſu delectus ad Rhenum & per confinia inſtituti, novæque copiæ, quæ exulum confluxu celerius cogebantur, ſub Legionis Friſicæ nomine in cohortes diſtributæ. Quare & centuriones ex eadem gente & profugâ nobilitate cohortibus dati, in eoſque Julius Dekama, Renicus Dekama, Titus Cammingha, & Lollius Ockingha delecti.

Gentiles arma adverſus Friſiam Patriam ſuam induunt.

Albada ſcribit Georgium Liauckema ferendo vexillo Dekameæ cohorti aſcriptum, Everardumque Enſium hominem obſcurum & famâ ignotum nobilitati Friſicæ & militaribus dignitatibus inſertum. Idem addit tria vexilla colore albo, fimbrijs ex rubro & flavo contextis Coloniæ conſpecta, unumque quatuor enſibus & liliatis capulis interſtinctum Dekameæ gentis haud dubie inſignia protuliſſe. Reliqua duo Burgundicâ cruce inſignita conſpectui nullâ ſimulatione data pelliciendæ ad proferenda nomina reliquorum exulum multitudini quæ Philippi dominationem ex reverentiâ Burgundici tanquam laudati imperij venerabatur.

Annotatum invenio ſolemni exulum epulo Coloniæ habito, vini ſcyphos firmandis partium ſacramentis per menſam circumlatos, unumq; ex centurionibus mero gravem & temulentum trucidandis quinquaginta Friſiorum nobilibus parem ſe furioſâ inſaniâ jactitaſſe. Itaq; retundendis perfugarum conſilijs multa adverſum eos in conſeſſu Ordinum diſſerebantur, cum eſſent, qui revocandos edicto in patriam cenſerent, & ut adverſum contumaces edictumque reſpuentes lege ageretur. Alij exiſtumabant, eorum propinquos & affines honeſtâ cuſtodia & incutiendo terrori coërcendos, quo conceptæ perfugarum immanitati & efferis ingenijs propinquorum captivitas mederetur. Igitur & in domeſticos publicæ libertatis hoſtes virili exemplo aliquid ſtatuendum ſuadebant, muniendaque imprimis adverſus irruptiones oppida, quo externa vis tam perfugæ quam interni hoſtis auxilio innixa pœnarum metu langueſceret. Itaque & dum de domanijs ut vocant regijs reip. & bellorum uſui applicandis inter alia quoque deliberatum ſuadente pruden-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

dentum juris conſilio ut defendendæ provinciæ olim Saxoni & Carolo Auſtrio aſſignata premente neceſſitate ijſdem uſibus impenderentur. cIↄ. Iↄ. LXXIX.

Cæterum iſte armorum apparatus & decretæ in Friſiam expeditionis feſtinatio fortunâ aut fato abrupta, illo tempore diſparuit. Sunt qui tradant, ex Valonum Hiſpanorumque qui ex Hannoniâ ac Arteſiâ facturi juſtum exercitum credebantur, tardioribus auxilijs injectum impedimentum fuiſſe, & quod Ericus Brunſuigius equeſtribus, quos per Saxoniam collegerat, copijs, trans Rhenum ducendis maturum conſilium non adhibuiſſet. Quamvis eſſent, qui ſcirent nobiliſſimum Germaniæ amnem hybernis aquis intumeſcentem, ut difficilem ſternendo ponti, ita trajiciendo militi eſſe, inviumque aut imbrium fluxu auctum, ſicut magna flumina ſolent, tam ripæ, quam alicujus molis impatientem, torrentium aquarum vi ſolertiam humanæ artis reſpuere. Alij cenſebant, occupatis à Gallo per Hannoniam Arteſiamque oppidis regias Philippi vires ſiſtendis Gallorum irruptionibus admovendas tum fuiſſe, factumque eſſe, ut Farneſius, etſi Friſiorum exulum conatibus faveret, conſilium mutare tutandis Hannonienſium ditionibus coactus ſit. Alij addunt famâ Egmondanæ defectionis expeditionem quoque non parum inpeditam etſi in tantâ opinionum varietate fato eveniſſe videatur, ut tam crudelibus cœptis atque conſilijs arcanum obſtaculum injiceretur.

Omnis apparatus iſtorum perduellium diſparuit.

Heſſelus Ayſma litteris prid. Non. Decemb. Antverpiâ ſcriptis tradit, Ordines generales de reparando pacis & belli ordine ac diſciplinâ ſeriò tum egiſſe, interque aſſiduas conſulentium preces cœlo fuſas virilem conſtantiam circumſtrepentibus periculis induiſſe. Itaque movebat Friſios, ut pudori ac infamiæ illorum, qui parvâ militum manu Friſiam regi ſe aſſerturos jactitaverant, ſecundis rebus ritè uſi animos ex adverſis acuerent, Principiſque Aurantij, quo cum clam egerant, monitu Tornacenſis ac Flandricarum civitatum exemplo, interriti patriæ quietem ac fortunam ſuis in dexteris quærerent. Quare cenſus per Friſiam gerendis rebus confeſtim actus, æreque eximia provincialium liberalitate collato, ſocio Ordinum ærario & ſimul domeſtico proviſum.

Friſia ac reliquæ provinciæ adverſus iſtos perduelles animos recipiunt.

Reperio in actis octo ſtufferos è florenis aureis decreto Ordinum tum collectos Abelumq; Franckenam nomine fœderati Ultrajectinorum collegij cum Scipione Meckama viro nobili ad Lalainium Eſſenum in Drentiam miſſum, præter parati æris copiam, commeatum quoque bellicum inſtruendis copijs attuliſſe. Quippe metuebatur ne Sigiſmundus, de quo dixi, Curtſpacchius equitum ductor, captivitatis Ultrajectinæ vulnus atque memoriam adhuc alens, à partibus Ordinum deficeret, equitemque ſacramenti dubium & æris inopem vaſtandis Friſiorum terris conduceret. Ipſi quoque arcium caſtellorumque per Friſiam Satrapæ, quod Coloniæ profuga nobilitas ſparſis in publicum rumoribus circumferebat, à Lalainio ære & commeatu deſtituto & fidei tum ambiguo ad defectionem ſollicitarentur, rebuſq; per provinciam lubricis externæ armorum tempeſtati domeſticam perfidiam adjicerent. Igitur Bolſuerdiæ omnia turbida atque inquieta erant, auctâ ſiniſtri ſuſpicione, quod adventare copiæ neque invero rumore è Noviolandis dicerentur, urbique præſidium, à quo aliena eſſet, cum invidiâ civium daturæ. Unde Pontificij duplicari excubias, portas occludi, convenire armatos petiere,

Bolſuerdiæ omnia turbida.

pro-

cIↄ. Iↄ. LXXIX. prohibendo præſidio, quod Lalainius qui Groningam ut Cl. Franckena notat, IV. Kal. Jan. intraverat recipi arcano, ut credebatur, conſilio juſſerat. Sed Vlietio Snecanam ad portam ſtativa habenti obviam legati Heſſelus Leo Ayſma & Sixtus Hettenius miſſi, qui de voluntate Lalainij & mandato centurionis cognoſcerent. Illud habebat ut Bolſuerdij centuriam militum, mediam Snecenſes pro præſidio acciperent, Vlietiuſque infidæ ex factionibus partium concordiæ armatorum ope ſubveniret. Quod etſi Magiſtratus metu plebis nollet, ita res in nobilitatis oppidanæ & concilij jurati arbitrium rejecta, urgente Vlietio, ut Noviolandis gravi reſponſum maturaret. Quare Goſlicus, Douwo, & Geroldus Heramæ una cum Concilio jurato in curiam evocati decretumque ut exquirendo Præfecti conſilio Geroldus Herama & Suffridus Petræus Groningam irent, populoque civico tuendæ urbi prompto militare præſidium deprecarentur. Unde Lalainius auditis Legatis animi dubius & ex futuri erroris inſtinctu fluctuans, mandatum Vlietio datum revocavit, Bolſuerdioſque dato obſide, præſidij immunes eſſe juſſit. Hoc verò volebat, ut exigente neceſſitate, pro admittendo præſidio caverent & ne clandeſtinas cum hoſtibus ſocietates Pontificia multitudo moliretur. Quod malè à Bolſuerdijs & præſertim Pontificijs interpretatum cauſam altercationis & civilis diſſidij dedit. Itaque coacto in Curiam Magiſtratu, decretum ut ex potentioribus & quibus amplæ facultates eſſent, ſedecim in Senatum citarentur, ijſque Lalainij ſententia nullâ gratiæ aut odij ſimulatione prælegeretur. Quo facto plebs quoque ſigno campanæ dato, audiendo Legationis ſecreto, in templum evocata, delectique ex totâ multitudine Quatuor-viri, qui cum Senatu ſedandæ civilium animorum inquietudini remedium invenirent. Sed religionis acre diſſidium, ſicut pleriſque in locis rerum quieti adverſum erat, omniaque concordiæ deſtinata opinionum impetu ſubvertebantur. Quippe Senatus motâ plebe & ex Pontificiorum immodeſtiâ tacitè præſidium compeſcendis turbis implorabat, dandoque obſidi aut præſtandæ cautioni quam ante facilior ſua obſequia præfecti imperio afformabat. Pontificij contra, affectuum vehementes poſtulari obſides, præſcribi cautionem à præfecto indignabantur, in cujus poteſtate non eſſet, civili præſidio ultro ex licentiâ temporum inſolenti, militares & egenas ſtipendiorum cohortes adjicere. Spectare ſcilicet ſe quibus moribus militiæ ſacramenta habeantur & quam Noviolandos premat ruſticæ plebi gravis & petita ab armato ſecuritas. Igitur decretum, ut rejecta cautione Legati ad Lalainium remitterentur, æquiſq; cum eo conditionibus tranſigerent.

Iſtæ erant; *Vt claves portarum non centurio aut præſidium, ſed Magiſtratus aſſervaret. Vrbis cuſtodia non penes ſolum præſidiarium militem, ſed & civem foret. Præſidium commeatum & æs ex ſeipſo haberet, civi etiam ex causâ religionis ſub pœnâ ruptæ pacis moleſtiam non crearet. Pacem concordiamque cum eo coleret.*

Quibus perſcriptis Joannes Romckenius cum Petro Sixtino ad Lalainium amandati communicatoque cum Deputatis, quorum conventus Leovardiæ tum habebatur, legationis ſuæ arcano immutare libellos, ac redire Bolſuerdiam juſſi.

Ijs

Ijs namque obtulerant. Ut Lalainio centurionem civium præſidio præficiendi poteſtas eſſet, quâ inſtrui Lalainium dubijs temporibus illi nolebant, qui futurorum ſagaces prima provinciæ rectoris facta atque conſilia ex poſterioribus interpretabantur. Poſſe ſcilicet Præfectum, qui dominantium mos ſuâ licentiâ & oblato civium beneficio malè uſum peregrinum civicæ cohorti præficere, & qui Hiſpanicarum partium clandeſtinâ profeſſione urbi atque provinciæ vim, aut ſaltem periculum creet. Neque enim nimis fidendum mobili ex ætate ingenio, quam etſi inter præclaræ indolis exempla cum incremento famæ Lalainius tranſegiſſet, ita metui poſſe, ne optumos juventæ mores virilibus annis corrumpat permiſſuſque fortunæ, cujus magnam in dominantes & expugnandæ virtuti imperium ſit, naturam exuat veteris gloriæ & ſuæ legis oblitam. Proſpectum ſatis eſſe fœderatorum Ordinum curâ Friſicarum civitatum tranquillitati, qui amovendæ militum inſolentiæ civilia quadringentorum armatorum præſidia Friſiorum oppidis indulſiſſent. Sic Leovardiæ, ſic Franequeræ ſecuritatem ſuam ſtare, nec aliud ſupereſſe, quam ut Bolſuerdiorum armati & ſacramentum provinciæ dicant & ex more recenſeantur. Itaque Douwo Sixma è Collegio Deputatorum Bolſuerdiam profectus civicam cohortem recenſuit, dicendoque ſacramento ex præſcriptâ formulâ obligavit. CIↃ. IↃ. LXXIX. *Lalainio non nimis fidendum cenſetur.*

Eâ continebatur; *Ut delecti cuſtodiæ urbis Regi & ſimul populo oppidano pro more ſacramentum dicerent, Regemque ut hæreditarium principem & Dominum, tum Ordines generales & fœderatos ut ſuperiores agnoſcerent. Matthiam Archiducem pro regio per Belgicam Gubernatore, Aurantium Principem Archiducis vicario, Lalainium pro Friſijs præfecto, Magiſtratum urbis pro legitimo haberent, decretiſque eorum è formulâ Gandavenſis Vltrajectinique fœderis parerent. Diſciplinæ militaribus per Belgicam legibus ſubeſſent. Inconſulto Magiſtratu oppidano nihil agerent.*

Tum viritim æs promiſſum cenſorque militaris Franequeram & deïn Leovardiam receſſit. Itaque Vlietij cohors Pingumi & per vicinos agros collocata modoque in Ilſtanos, modo Worcumios ſe ſpargens Bolſuerdiâ urbe prohibita eſt.

Reperio in archivis edictum Religionis paci obſervandæ per Friſios tum vulgatum, cautumque eſſe ne cui ex causâ divini cultus vis atque injuriâ fieret. Eorum quoque qui foris in provinciam advenirent, ratio haberetur, exulumque & patriæ deſertorum bona annuique reditus pignori eſſent. Mox Ordinum generalium litteræ pro obtinendâ Matthiæ Gubernatoris annuâ penſione in Friſios miſſæ, quos, ſicut & fœderatos, eidem in tempore præſtandæ provinciarum conventio obligaverat. Quibus Matthiæ quoque Gubernatoris ſeorſim additæ & oneratam alieno ære domum, & tarda, etiam in publicis, conſilia querebantur. Pericula ſcilicet ob ocultos verſari, à quibus ſi patriam, ſi familiam, ſi uxores atque liberos redimi Friſij velint, maturè ſubveniendum ærario, ex quo ipſæ fortunæ ſuæ levamentum & ſimul reſp. ſenſura ſit. *Edictum Religionis paci obſervandæ per Friſiam vulgatur.*

Invenio in archivorum actis Brabantiam, nam ita ſeries habet, ſolvendis 17675. cum quadrante aureis, Geldriam 6548. Flandriam 23568. Arteſiam 3926, octodecim ſtufferis, Hannoniam totidem, Valencenas *Penſio Archiduci Matthiæ à provincijs attribuitur.*

cIↃ. IↃ. LXXIX. 6 5 4. decem ſeſtertijs, Lillam, Duacum & Orchias 2 9 4 5. quatuor ſeſtertijs, Tornacum 2 6 1. duodecim ſeſtertijs, Torneſios 4 9 0. octodecim ſeſtertijs, Machlinienſes 5 3 5. Hollandiam, 8 0 8 7. Zelandiam 6 1 2 4. Ultrajectum 1 0 0 0 5. Friſiam 3015. Trans-Iſulaniam 1 4 0 0 6. Omlandiam 8 0 4. Dentiam 7 0 3. Groningam 1 6 0 0 8. aureis adimplendæ Archiducis penſioni ſe obligaſſe. Tum de mittendis Coloniam ad Arſchotanum cæteroſque pacis ſanciendæ Legatos, mille & quingentis aureis repetitum, & ut Franciſco Martino Stellæ Robleſianis temporibus Friſiæ liberatori carcerem & tormenta paſſo ducentos Carolæos ex ærario Pauli Gellij leniendis infirmi corporis lacerationibus & in præmium clariſſimi facinoris aſſignarent.

Exules expeditionem in Friſiam meditantur.

Igitur ſole Capricorni ſignum ingreſſo, quod bruma glaciem transducendis in Friſiam copijs promitteret, exulans nobilitas de ſuſcipiendâ in patriam hoſtili expeditione cogitavit, novumque delectum circa Rhenum & per Colonienſium agros habitum maturandis rebus in Geldriæ finibus conduxit. Sed aëris mutatione primum anni frigus ſubortis imbribus ſolutum conſilio obſtitit, mollitâque paludum uligine, quæ gelu induruerat, impedita itinera fecit. Unde mittendi in Friſiam auxilij Ordinibus generalibus & ſimul fœderatis Ultrajectinis opportunitas data, hoſtiumque damno ac moræ enata tempeſtas, Friſiorum ſecuritati ceſſit.

Ayſma ſcribit XII. Kal. Ian. decretum Antverpiæ pro mittendis in Friſiam auxiliarijs copijs ſcriptum, fœderatorumque Legatis qui Ultrajecto advenerant approbatum, metum imminentis periculi amoviſſe. Itaque Doco Martna ex Hollandiâ celerrimo itinere in Friſiam & mox Drentiam profectus, Lalainium de ſingulis docuit, auxilijque removendis hoſtium copijs certum eſſe juſſit.

Reliquæ, quæ per Tranſ-Iſulaniæ, Drentiæ ac Tubantum fines nullo ſtipendio aut diſciplinâ oberrabant, mitioribus conſilijs pacatæ, delegatis Scipione Meckama viro nobili & Abelo Franckena doctrinæ egregio, qui cum Curtſpacchio ſocijſque de ſtipendiorum reſiduis paciſcerentur. Cæterum equorum pabulo per omne confinium attrito, cum nec alimenta immodeſto & perdendis frugibus jam ante intento, militi ſuppeterent, Curtſpacchius in ſuperiora militem duxit, isq; nullo ære è Friſiâ accepto Curtſpacchij, quæ mox ſecuta eſt, morte in Germaniam receſſit. Cl. Franckena notat id exeunte Decembri factum ſeq; cum collega legationis inritum Leovardiam rediſſe. Ita, totum annum aut domeſtica diſſenſio, aut ex dubiâ pace, aut provinciarum defectione, aut inſolentia militum ictum Ultrajecti fœdus extraxit.

Finis Libri Quinti.

P. WIN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

P. WINSEMI Hiſtoriarum LIBER SEXTUS.

COLONIENSI pace aut ruptâ aut ſaltem exitu ſuſpecta, quod ALEXANDER FARNESIUS per provincias regias & earum confinia, magno armorum apparatu occuparetur, GULIELMUM AURANTIUM ſuæ quoque curæ exagitavere, quæ eo magis augebantur, quod PHILIPPI gratiæ & per Hannoniam Arteſiamque conceptæ pacis blandimentum florem Belgicæ nobilitatis à provinciarum fœderibus & continuandâ indies fide alienaret. Cui & hoc accedebat, quod bellum, velut ſoluto imperij metu laxiore diſciplinâ à partibus Ordinum fluitaret, exque inopiâ militaris ſtipendij languidum acriore exercitus licentiâ intenderetur. Itaque agris paſſim vaſtatis urbium quoque direptiones formidabantur, & ne militum præſidia egeſtate æris ſacramenti oblita, oppida & caſtella dedendo, diſſolutos mores inopiâ velarent.

ANNO cIↃ. IↃ. LXXX.

Poſt deſperatam pacem Aurantium multæ exagitant curæ.

Erant quoque qui dubiam Præfectorum nobilitatiſque fidem tractûram, in declivia populum metuerent & ut mobilis multitudo ex ſuorum Ducum ingenio, oſtentatione pacis & aulicis potentum artibus, facili ad talia ſervitio, circumveniretur. Quare pro recenſendo fœderato exercitu pro formandis caſtris & commeatu procurando, pro muniendis oppidis, pro adornandâ præſidiariâ claſſe & inſtruendo ærarij omniumque rerum ordine poſtulata ab Aurantio in Friſiam miſſa, haud ignaro, quam per iſtam provinciam exulum ſuorum armis & conſpirationibus obnoxiam, ſuum quoque virus ſpecie pacis invertendis rebus Farneſij vafrities ſparſiſſet. Neque cæteras, etſi aliud ſimuletur, periculi immunes eſſe. Quippe hoſtem verè proxumo exercitum foras educturum, quem nec brumæ tempus, etſi tempeſtatibus aut frigore aſperum, intra præſidia & modeſtiam contineat. Depaſci agros & omnem commeatum, quo abſumpto frumento civitates annonâ deſtitutæ ſuſtinendis obſidionibus impares fiant, victuque extenuato præſidiorum robur elangueſcat. Adhæc auxilia ex inteſtinis Galliæ motibus dubia eſſe, quæ per Germaniam & ad Rhenum ab hoſtibus parentur, irruptura haud dubiè in provincias, niſi equeſtribus copijs Ordinum infirmitas præjuvetur.

cIↄ. Iↄ. LXXX.

Aurantius exercitum maturè conſcribendum ſuadet.

Agendum eſſe cum Suartſenburgio & Hohenloo Rom. Imperij Comitibus ut turmas equitum colligant, ijq; ad quatuor mille pedeſtribus duodecim copiarum millibus juncti exercitum conſtituant, removendis hoſtibus parem. Et celerrimi quidem temporis rationem in inſtituendis delectibus habendam provectâ & adultâ hyeme, quæ conducendis copijs opportuna eſſe queat. Se monere Ordines, ut maturè deliberent, qui paratus ſit animum atque auxilia offerre, cum innocentiæ ſuæ obteſtatione, ſi fortunæ ex ſocordiâ adverſitas provincias affligat. De Andino jam antè monuerat, eï Belgicæ principatum deferendum, Regis filio & fratri & qui Eliſabetham Angliæ reginam principali matrimonio deſtinaret. Cui rei Heſſelus Ayſma Friſiorum legatus, datis Antverpiâ IX. Kal. Ian. litteris fidem fecerat, Condæumque in Galliæ finibus copias conducentem tacitâ infœlicis matrimonij ſuſpicione, Caſimiri quoque auxilia inuandis per Galliam Proteſtantibus imploraſſe. Cæterum Aurantij conſilium æmulatio, ut tum ferè aut incuria neglexerat.

Concilium Status publici inſtituendum eſſe docet Aurantius.

Itaq; repetitâ Id. Ian. conſultatione, de inſtituendo ſtatus publici Concilio propoſuit & ut illius conſeſſus imperium gerendis cum autoritate rebus intenderetur. Ejus ſcilicet defectu res tam pacis quam belli tranſverſim actas poſtquam earum opportunitatem ſingularum provinciarum incuriâ aut ignaviâ ſubvertiſſet. Ita privata curando publica in diſcrimen adducta, mandatorumque defectu aut per longas relationes civitatum obſidia & expugnationes protractas. Intra defenſionis ſuæ terminos quamque provinciarum, velut nullâ fœderis imagine, ſtetiſſe, quod integrum & florens facere res ſecundæ potuiſſent, ſi unius Senatus aut ſummi Concilij autoritas privatorum ſocordiæ aut ignaviæ ſubveniſſet. Eâ ſolâ extenuari provinciarum urbiumque præſidiâ, exercitum educi in hoſtem potuiſſe, quem impunè per agros & obvia graſſantem privatæ ſecuritatis cupiditas aut dulcedo ſpectaſſet. At contra & ponenda in hoſtico afligendis agris caſtra fuiſſe, & edendum generoſæ virtutis exemplum, quod externas principum gentiumque ſocietates conciliare Ordinibus & incutere hoſti metum potuiſſet, contuſione fœderatarum rerum ſuperbo. Et illi quoque ſua impedimenta ad victoriam obſtare. Quippe præter æris & commeatuum inopiam ſeditioſas legiones imperia Ducum aſpernari, ſpretâque diſciplinæ lege rapto & cum invidiâ gentium ſuſtineri. Quæ mala ne clariſſimi & bene cæpti fœderis fortunam turbent, ſupremum Concilium deli endum, quod & rem Nummariam & tributa à provincijs decreta exequi & cum imperio exercitui rebuſque provinciarum præſit. Satis ſcilicet condonatum regis dominationi, qui cum pacem non niſi inhoneſtam largiri Belgicæ velit, omne in bello præſidium eſſe. Cui gerendo cum provinciæ pares non habeantur, ſollicitandos exteros & inter eos Andinum, qui jure principis provincias regat & qui Galliarum auxilijs ſubjutus infeſtare agros poſſit Hannoniæ & Arteſiæ aſcriptos. Sed & ipſum quoque Andinum ſacramento innectendum, ut æquo imperio populum habeat, & ut aſſertis provinciarum legibus atque immunitatibus pacem religioni procuret.

Quæ conditiones ſi Philippo regi offerantur, fore, præter provincias ejus gratiam amplexas, quæ in eum ſtudijs certent & quidem in ſpem re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ClƆ. IƆ. LXXX.

Philippus acceſſione Portugallici regni gravis & nimius Belgis.

regiæ largitionis & magnarum dignitatum, quarum cupido & in patriam fidei obſtet & permulcere plures poſſet alieno exemplo corruptos. Adhæc Philippum Regem potentiâ gravem aut nimium fore, neque ſperari aliud poſſe, quam ut Portugallici regni acceſſione & civitatum Belgicæ præſidijs Andino validior, veſtigia veteris imperij legat. Sive vitio ingenij (quod ex ſe ferox & immane præclari annalium ſcriptores traduxere) ſive vindictæ cupidine, quæ placari iram ſanguine arderet, certè metuendam eſſe illius dominationem, qui & ignoti orbis exemplis per Italiam & infœlicem Belgicam immaniſſimum furorem adjeciſſet. Eum fore, qui nec pactis gentium, nec legibus fœderum ſtare velit aut debeat, ita formato regnandi artificio ut ex Pontificum diſciplinâ ad perfidiam inſtruatur principis ſeveri ingenium in rebelles ſubditos animadverſurum. Quibus fidem ſervare ne naturæ lege is quidem debeat, quem omnibus licentia regni exſolverit. Id Cunæri Epiſcopi, id aliorum ſcriptis evulgatum & eſſe tam Romanæ Sedi, quam Inquiſitioni per Hiſpaniam præfectos, qui exuere regem ferociam animi nolint, & clementiâ mollire ingenium conſuetudine ſæviendi exercitum. Simulatione ac dolo potentum imperia ſtare, neque alijs artibus Joannem Auſtriacum egiſſe, certa dominationi auſpcia & fundamenta orſum, ſi tectius ſimulaviſſet.

Andinus Belgarum Ordinibus commendatur ab Aurantio.

Econtra Andinum minus ex viribus aut externâ ſocietate ſuſpectum, fœlicius provincias adminiſtraturum, facturumque haud dubiè ut fraterni regni in tolerandâ utraque religione moribus ſuum principatum afformet. Ita ſcilicet ditiones ejus, ita aulam, ita comitatum inſtrui, ut ex ea odia non ſint, & ne ſanguine polluantur cogendis hominum cœtibus & colendo numini reperta. Ad ingenium quod attineret, illud lene & rectoris patiens in ipſis Galliæ ſuæ furoribus neque cæde aut inteſtino bello ſe paviſſe, quod ex religione, ut fere ſolet, in fratris Henrici regno natum firmâ & ſolidâ pace egregius arbiter clauſiſſet. Sed dubiam, ſi talis forte ſit, indolem pactis ac legibus coërcendam, ne exorbitare juvenile ingenium poſſit, mobiles ſpiritus ex ſolo Hiſpani odio & ſuorum caritate repreſſurum. Ita forè ut Hiſpani nec arma, nec commeatum è Galliâ habituri ſint, & ut fratre Andino in principem Belgicæ evecto rex Henricus Philippum hoſtem proclamet, quaſi Gallicæ Belgarum ſocietati infenſum. Hannoniam quoque & Arteſiam ad fœdus Ordinum ex Gallico metu redituras, neque timeri poſſe, ut Valonum partes Andinus eligat, qui Ordinum profiteretur. Sic Andinum Gandavenſe fœdus, Hiſpanorum invidiæ ictum, quod nec Eliſabetha Anglica renuat, facile approbaturum, & quæ ipſa quoq; malit Andinum à cujus amoribus aliena non ſit, inſulæ ſuæ vicinum, quam Philippum regem eſſe, occupatâ Portugalliâ tantis terrarum ſpatijs & omni Oceano imperitantem.

Quæ ſpecioſè ab Aurantio propoſita Ordinum animos diu ſollicitos & ſuſpenſos in tantâ conſultantium varietate habuerunt.

Actio pacis Coloniæ finita.

Ayſma ſcribit pacis actionem Coloniæ hoc tempore finitam, etſi petente Cæſare, ut per mandatarios Ordinum & Suartſenburgium Imperij Oratorem, etiam abſente Philippi Legato, prolongaretur. Ordinum quoque mandatarios, velut ad hoc non inſtructos, id Cæſari recu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXX.

cuſaſſe , evulgatâ publicæ vocis fide , Regem firmandis viribus actionem trahere , quo coactâ omni manu validior tripartito aut quadripartito exercitu impulſis provinciarum rebus certum exitium adferret. Cæterum infida regiæ potentiæ documenta fortuna tum confundebat.

Peſtilentia per exercitum Philippi.

Quippe vocatis à Philippo ad arma ſocijs aut externis gentibus cœlum quoque & ſydera obſtitere , quæ malignis aſpectibus & influentijs efferata venenato ac peſtilenti habitu ſingulos per exercitus cœleſte virus effundebant. Itaque aëre impuro etiam intacta peſti corpora ſuis quoque malis afficiebantur, unico ferociſſimæ luis & latentis vitij remedio, ut , quod olim retinendis in fide militaribus copijs arte Ducum repertum erat, longis terrarum ſpatijs diſcreti exercitus ad ſiſtendam vitandamque intemperie mconverterent. Unde languidæ & ſemiægræ gentes, velut alibi ſalubre cœlum tracturæ, per diverſa locorum ſparſæ diffluentes fugâ exercitus odio Philippi extenuavere. Tum Billianæ aut Robleſij copiæ in Friſiam deſtinatæ, quæ mille ducentos milites numerabant, armorum & pecuniæ inopes, ſuo quoq; fato conſumptæ, indignante Farneſio belli apparatum tantâ famâ & de perfugarum exulumque conſilio ſuſceptum, nullo aut lento ſucceſſu evaneſcere.

Sunt qui tradant, unum è primarijs faciendæ in Friſiam expeditionis autoribus ægritudine animi Coloniæ extinctum, quod Farneſij ſpem & ſimul ſuam eluſis magnarum rerum deſiderijs non impleviſſet.

Albada in litteris prid. Kal. Jan. Coloniâ datis ſcribit copias faciendæ in Friſiam expeditioni ab exulibus conſcriptas diſſipatas aut evocatas ad Farneſium tum fuiſſe, eundemque Hiſpanos pedites aut Italorum equitatum ne exulum copijs ſe jungerent vetuiſſe. Julium quoq; Dekamam ex catharri fluxione repentinà morte magna ſuorum ſociorum conſternatione ſublatum, diemque ab eo luſtrandis copijs dictum efferendo funeri obveniſſe.

Diſcenſio ſuper edicto de re nummariâ inter fœderatos.

Mox edicto de re Nummariâ Antverpiæ ſcripto, & per Hollandiam Zelandiamq; inconſultis ſocijs evulgato lenis inter Ordines fœderatos & Hollandiæ diſſenſio orta, petentibus fœderatis ut Antverpiæ per Geldros, Hollandos, Zelandos ſine ſpeciali mandato decreta nummaria lex reſcinderetur, ſuoq; conſeſſui & provinciarum arbitrijs relinqueretur ſcribendæ legis uſurpatio. Quod quanquam Hollandi datis ad fœderatos 8. Jan. litteris nullo fœderis præjudicio aut deſpectu factum excuſarent, ita Friſiorum arbitrijs tam emendatio legis quam per provinciam publicatio quoque permiſſa, tacitâ tamen violati fœderis increpatione, quod æris ac monetæ rationem ſuæ diſpoſitioni reſervaverat. Ita primam quoque Ultrajectini fœderis infantiam ex æmulatione uſurpatæ autoritatis diſſenſio invaſit, quæ Colonienſi pace, velut omnium rerum communi vinculo, abruptâ per univerſas provincias & ipſam præſertim Friſiam occultis fomentis nutriebatur.

Lalainius Groningæ munimentis fidit.

Quippe Lalainium, ut ante memoravi, Groningæ agentem, munitione loci ac valentis præſidij ſuperbum Bolſuerdij offenderant, quod autoratâ civicâ Vlietij & Bongæ cohortes, etſi Ordinum ac ſuo ſacramento innexas urbis cuſtodiâ prohibuiſſent. Itaq; Legatos eorum Non. Jan. Groningam, ſollicitandis præſidiorum immunitatibus progreſſos, diu acceſſu & colloquio arcuit, ægrèque & cum difficultate in ſecretum admiſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

admiſſos & præſidium militare deprecaturos vix audiri fecit. Mox violatam præfecti autoritatem prolixè criminatus civicam cohortem ex templo dimitti, Vlietijque milites recipi jure poteſtatis & imperij juſſit, obſideſque ſex teſtandæ in ſe fideï ocyus imperavit. cIↃ. IↃ. LXXX.

Quo decreto Bolſuerdiam per Legatos perlato coactus in Curiâ Senatus de mittendo ad Deputatos Ordinum Legato deliberavit, ſignoq; majoris campanæ dato, concilium juratum cum populi delectis in Curiam evocari fecit. Ibi habitâ conſultatione, Theodorum Occonium Conſulem Leovardiam cum mandato miſit, introſpiciendis Ordinum voluntatibus, quæ à Lalainij conſilijs clam averſæ civicam cohortem præſidio & in fide retineri tutandæ urbi demandabant. Econtra Pontificij ut nuper ejus conſilijs adverſi, ita tum per diverſa temporum conſentientes, Lalainio parendum ſine exceptione vociferabantur, malitiâ animi & haud dubiè fovendis intra urbem diſcordijs, quæ ſicut in talibus fieri aſſolet, cumulatâ ſuſpicionum mole, Ordines inter & Lalainium neq; obſcuris apud populum indicijs augebantur. Itaque Theodoro Occonio Conſuli reſponderunt: ſe apud Lalainium pro retinendâ in armis centuriâ civicâ interceſſuros, omnemque interim moleſtiam ex eo naſcituram in ſe recipere. Hoc tantum ſuadere, ut Bolſuerdij concordes agant & ut Leovardienſium Franekerenſiumque exemplo infidis temporibus urbem cive ſuo tueantur. Eam ſcilicet fœderatorum Ordinum mentem eſſe, cui à Lalainio quid derogari non permitteret publica & inviolabilis conſcriptorum patrum autoritas.

Pontificij Bolſuerdiæ Lalainio addictiſſimi.

Quod reſponſi, ut grave Pontificijs erat, ita majoribus odijs mobiles animos accendebat.

Igitur (inquiebant) *nobis ſatis perſpectum eſt, malle vos Deputatis, quam præfecto obtemperare, cujus ne nomini quidem apud vos locus eſt. Nos verò Deo coram, Rege, Magiſtratu, jurato plebis Concilio de innocentiâ noſtrâ teſtamur, neque nobis damnoſum fore, quod adverſus Præfectum in retinendâ civicâ cohorte apud vos ſtatutum eſt.*

Creditum fuit Pontificios tam Bolſuerdiæ, quam reliquas per Friſiam civitates ſecreto Lalainij inſtinctu corruptos pro admittendo ejus præſidio tantâ cum vehementiâ certaſſe, quo militari cuſtodiâ prævalente, & ceſſantibus civium excubijs nihil invium peſſima meditanti inermis multitudo opponeret. Unde Magiſtratus latentis conſilij non ignarus Pontificijs in ſua redire & excedere Curiâ juſſit, auditoque abeuntium murmure & contumaci geſtu notato litteras & cum ijs Tetardum Siccamam actuarium ad Deputatos Friſiæ ablegavit.

Idem Siccama notarum autor tradit, ſe in ſecretum & ſimul colloquium Deputatorum Friſiæ admiſſum multa elevandis Bolſuerdienſium actionibus ſuſpecta de Lalainio inaudiviſſe, quaſi jam animi & fœderum dubius Ordinum partes hoſtium aut defectorum ſocietate ſubdolo conſilio vertiſſet. Quas ſuſpiciones hoc imprimis confirmabat, quod in aulâ, in familiâ, in Comitatu, Pontificiorum acerrimos aleret, clerique reverentiâ & domeſticâ conſuetudine permotus, Romanis ſacris aut ſuperſtitionibus juvenilem animum creſcentibus annis erudijſſet. Hoc modo ſcilicet ſecreta actionum & arcana pectoris Romano

Lalainius Ordinibus ſuſpectus.

titu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↃ. IↃ. LXXX. ritu expiandis juventæ erroribus profeſſum, non diſſimulato quoque futuræ defectionis conſilio, quod ex pernicioſâ aulicorum familiaritate & confeſſarij inſtinctu jam tum induiſſe, illâ ætatis fragilitate credebatur. Itaque factum eſt, ut oppida corruptis aut inclinantibus præſidijs firmanda cenſeret, Bolſuerdijſque ſua ſigna & præſidia reſpuentibus ex impedito concepti facinoris arcano extrema irarum comminaretur.

Quorum cauſam ut purgaret, Heſſelus Ayſma vir & peritiâ juris & eloquentiæ famâ celebratus, qui Antverpiâ tum in Friſiam conceſſerat, Groningam ad Lalainium miſſus, quem ſpreti præſidij injuria & læſæ autoritatis ultio odio fœderis efferaverat. Igitur in Bolſuerdios fideï & ſacramenti ruptores coram Legato invectus, tectioris, in quam naturâ falcilè exardeſcebat, iracundiæ indicium fecit violatæque autoritatis crimen à Bolſuerdijs commiſſum ſeveritate quadam veteris imperij corrigendum evulgavit. Cæterum à Legato, qui ad Archiducem Matthiam, ad Aurantium, denique ad judicia exterorum Principum provocabat, admonitus, juvenilem ſenſim immodeſtiam repreſſit, civiumque præſidium à Magiſtratu ritè & ex ſtatuto Ordinum conſcriptum clam agnoſcere coactus eſt. Unde animus & cum eo iracundiæ fervor ſubſedit, nolente conſcientiâ ut vocis fiduciam & conſtantiam animi fœdiſſimæ defectionis affectator retineret.

Quare Ordinum Delegati, cæterique ſpectatæ autoritatis proceres præviſo ejus conſilio & ne caſtella peregrinis commiſſa ſuo arbitrio premendis civitatibus abuteretur, libellum ei ſupplicem obtulere, proq; ſtodiâ arcium inquilinis demandanda hunc in modum diſſeruere.

Ordinum Delegati exhibito ſupplici libello peregrinos ſatrapas arcibus ac caſtellis moveri petunt.

NE in iſta mala recideremus, PRAEFECTE, *quæ ante perſcriptum Gandavi fœdus perpeſſi ſumus, neceſſarium imprimis & utile reip. duximus, ut Præfectum & Officiarios eligeremus nobis acceptos & de quorum fide conſtaret. Igitur tuæ integritatis fiduciâ odio partium, quæ tui invidiâ tam intra provinciam quam foris in te exarſerant, te de Præfectum legimus, ſed ea cautione, ut excepta juris dicundi poteſtate, tuo imperio, nobis arbitris utereris, ſcireſque te rectorem iſti populo datum, qui & rerum conſcius eſſe velit & regendi arcanum ad plures pervenire. Et quanquam fideï tuæ fiduciâ noſtra ſe ſpes huc uſque aluerit, ita deprehendimus inſcijs Ordinibus & inconſultis tria per provinciam caſtella per externæ gentis Satrapas teneri, infringique conventionem, quam poſt dimiſſas Hiſpanorum Italorumque legiones cum* IOANNE AUSTRIACO *pepigimus. Itaque de conſilio* MATTHIAE *Gubernatoris defuncto Petro Sickingha Harlinganæ arcis rectore, nuncupatis in ſucceſſorem Docone Martna, Henrico Oyenbruggio, Martino Nitzenio & Gerardo Sickemenſi, Doconem Martnam de communi Ordinum conſenſu regundæ arci præfecimus, juſſimuſque ut Oyenbruggio arcem cum præſidio tenenti miſſionem noſtrâ voluntate faceres. At is, etſi contra provinciæ leges, contra pactorum fidem caſtello non deceſſit & tuâ indulgentiâ ſatrapæ dignitatem retinuit exterorum ſolertiâ & interceſſione, qui clam fœderi hoſtes & integritate tuâ malè uſi, Archiducis reſcripta malis artibus & facilitate aulicâ pro aſſervandis caſtellis impetravere. Præter hæc recrudeſcente bello & ſub ejus apparatum recenſendis copijs Renicum Cammingh† cum Cenſoria poteſtate præfecimus, voluimuſque ut, te etiam conſen-*

ſentiente, luſtrandæ legioni præeſſet. Quod decretum quoniam infirmari cum invidiâ tanti viri & ipſorum quoq; Ordinum nec poteſt nec debet, ita intelleximus Pompeio Vſkenio homini Tranſlavicano, à MATTHIA Gubernatore, *ſiniſtris & contra bonam fidem repertis rationibus circumvento dignitatem Cenſoris collatam. Qui procedendi mos, ut ab Hiſpanicâ & veteri dominatione, ita ab injuriâ & contemptu Ordinum alienus non eſt. Quem ut corrigas, omniaque quæ collapſa ſunt reſtitui in integrum cures, unicè petimus, ac ut ex* MATTHIAE Gubernatoris *Ordinumq; generalium decreto tria caſtella Ordinibus Friſiæ tradas, quo ſolo æquentur. Quod ſi intempeſtivum videatur, Doconem Martnam, ſponſione fidei & cautione 20000. præſtitâ, Harlinganæ arci pro rectore imponas, monereque cenſorio, Pompeio Vſkenio abrogato Kenicum Camminghamluſtrandis copiis admoveas. Hoc etiam poſtulamus, ne quid in publicâ provinciæ adminiſtratione inconſultis Ordinibus aut eorum Deputatis facias, peregrinorumque ſua commoda quærentium, aſſentationi aut conſilio aurem præbeas. Sin vero contra feceris exteroſque honoribus, à quibus æquiſſimè arcentur, admoveris, dabimus operam, ut eâ, quâ valemus, autoritate, libertati, quâ ſupra cæteras gentes efferimur & legibus noſtris proſpiciamus, convocatiſque provinciæ Ordinibus ſtatui faciamus, quod bono regis & reip. ceſſurum ſit. Hoc vero ipſum, ſi contra jus fœderis apud Vltrajectum initi tuâ aut aliorum ope tardius fiat aut ſubvertatur, teſtamur, nos nec tributis nec indictionibus locum facturos, neque laturos, ut provinciales noſtri patriæ fidi pravorum interventu collatis dignitatibus arceantur. In quarum poſſeſſione ut eos Archidux* MATTHIAS *locet & ut emendet, quæ contra jus & æquum invaluere, rogamus* PRAEFECTE *morbis noſtris jure Præfecti remedia præſcribas & affectui & rationi temporum convenientia.* CIↄ. Iↄ. LXXX.

Ita Gerardus Iacobi Antiſtes Clarecampenſis, Iarichus Bottnia Satrapa Coverdiæ & per Drentiam, Iarichus Bottnia F. Thomas Groningenſis Abbas Floridi Campi, Ioannes Biſtenius Prior in Thabor, Eraſmus Douma, Serapius Galama, Barthius Idſaerda, Iulius Bottnia, Laſius Iongama, Renicus Cammingha, Sixtus Bottnia, Geroldus Herama, Taco Cammingha, G. Herama, Vitus Cammingha, Juſtus Heringha, Wibo Holdingha, Epius Douma Junior, Sibrandus Cammingha, Juſtus Ockingha, Kempo Donia, Foppius Grovenſteinius, Siricius Donia, Sixtus Scheltema, Franciſcus Ubeli Præbendarius Goutumanus ſignavere.

Cui libello an à Lalainio reſcriptum ſit, in illorum temporum actis non invenio. Mihi veriſimile eſt eum, auctis in ſe procerum ſuſpicionibus, nihil reſcripſiſſe, ne clandeſtini, quod agitabat, conſilij turpitudinem, adhibito malis auxilio, recentis perfidiæ famâ aggravaret. *Lalainius putatur ad hunc libellum nihil reſcripſiſſe.*

Reperio in archivis fœderatarum provinciarum Ordines, XIX fœderis articulo in litteris expreſſo, è Friſiâ Legatos gravi de causâ, & ſilentio obſignandâ Ultrajectum cum juſtis mandatis evocaſſe, quo in re ponderosâ &, ut ajebant, fœderi damnum aut commodum allaturâ decerni poſſet, quod è Rep. foret. Litteræ III. Eid. Jan. ſcriptæ.

Cl. Franckena tradit, ſe accepto 2500 militari ſtipendio Groningam circa hoc tempus profectum, Heſſeliq; Ayſmæ Friſiorum Legati acerrimam cum Lalainio contentionem inclinante Januario accidiſſe. Itaque fœderato militi per Drentiam ſparſo & extorquendis quæ de-

cIↄ. Iↄ. LXXX. ſiderabantur tributis importuno, odium ruſticæ plebis conflavit, ac ſi parciſſimus æris exactor militarem immodeſtiam & ſolutos mores amore diſciplinæ reprobaret. Econtra Drentinos afflictis agris & re familiari attritos ad ultionem militaris injuriæ inſtigavit, poteſtate ijs clam factâ ut vim vi arcerent, captiſque armis & reſumptâ veteri ferociâ fines ſuos & ſimul fortunas virilibus factis tuerentur. Unde populus ultro inquies & ex damnis ferox ad arma provocavit, equitumque copias, quas Dodo Larius & Rinſuoudius ductabant, agris ſuis atque finibus abſcedere coëgit. Ita & militum inſolentiam & rebellionem Drentini populi egregius talium artifex diſſimulando & odia partium nutriebat, & fortunam Ultrajectini fœderis morabatur, à quo ij magis alieni fiebant, qui recenti & aſpero militaris injuriæ ſenſu ex immodeſtis militum moribus Ordinum imperia tanquam minus civilia interpretabantur. Cl. Franckena in Diario notat, illum Drentinorum cum fœderato equite conflictum v. Kal. Febr. factum, Lalainiumque Eſſeno ſeceſſu, de deſerendis Ordinum partibus agitantem ſecretis colloquijs Drentinam nobilitatem corrupiſſe. Itaque illo, ut creditum fuit, conſilij inſtinctore, de ineundo cum Tranſiſulanis ſeorſim fœdere agitavit, haud dubiè ut Ultrajectino ſoluta Hannoniæ & Arteſiæ exemplo ad regis Philippi gratiam & ſimul ſacramentum rediret. Jam enim eo inclinare palam Lalainius credebatur, cum aulicorum, ut dixi, ſuaſu, tum ſecreto litterarum commercio, quod eï ex Hannonia etiam in Friſijs aut per confinia agenti cum propinquis aut familiaribus intercedebat. Quæ ſingula firmioribus ſuſpicionum indicijs prodebantur, quod Oyenbruggio & Grutero ex intimæ admiſſionis & regiarum partium aulicis uteretur, repudiatoque indigenarum conſilio ſui imperij arcana exterorum viliſſimis vulgaret. His accedebat quod quadrimeſtri apud Eſſenum monaſterium ſecreto, receptâ in fidem Groningâ in eandem urbem cum honeſto comitatu & modico ac ſuſpecto Pontificijs præſidio admiſſus, Pontificios & in ijs partium vehementiſſimos favore & benevolentiâ proſequeretur, comminicatiſque rerum arcanis ſpe honorum, neque vanis auſpicijs lactaret. Quare obſides Groninganos, quo per eos ſuffragijs polleret, & ut in Senatum deprimendis fœderatis cooptaret, Campis revocavit, liberoſque & pactione fideï ſolutos creandis magiſtratibus delegit. Quæ res ſubſecutæ in Groningâ urbe calamitati cauſam ac initium dedit. Ubi namque obſides Pontificij à Campenſi cuſtodiâ tanquam exilio reduces, jus ſuffragij & petendorum honorum adepti, immutato civitatis ſtatu, fœderatæ res retro ex potentiâ adverſarum partium ceſſere. Quæ eo quoque magis firmabantur, quod Lalainius Pontificiæ factionis principem ſe efferret, ac à ſuæ fortunæ autoribus alienior, regem Philippum adorare cum invidiâ erectæ libertatis videretur. Itaque munitiſſimæ urbis tum conſtituti ex ſuo arbitrio Magiſtratus fiduciâ, diu dubium & ſimulandis partibus facilem animum exercuit, non ſine manifeſto indicio in illo conſcientiæ certamine futuri facinoris fæditatem cum anteactorum fide atque gloriâ conferri.

Lalainius apertæ defectioni ſe accingit.

Sic in binio velut conſtituto & cum fato ſuo luctanti Cornelia Lalainia ſoror ſupervenit, quæ imperioſi ac ferocis animi fœmina, Baroni Montjoio denupta, lubricum & præcipitio tum proximum muliebri-

Lalainium hærentem & dubium ſoror ſuis blanditijs tentat.

cIↃ. IↃ. LXXX.

bribus artibus & ſororijs blanditijs tentavit. Cui rei conducebant & Philippi gratia per Farneſium oblata, & magna æris ſumma expugnando inopis Præfecti ingenio valida & dignitatum incrementa redeunti ad Regem promiſſa. Quippe Marchionatus titulum, ſi animum in melius mutet, Lalainiæ domui à Philippo rege deſtinatum, cujus potenriæ & majeſtati reputaret plus tribuendum, quam illorum fœderi, qui temeratâ majorum religione novis ſacrorum opinionibus ſe attaminaſſent. Excelſius & ſuæ familiæ, ſuæ virtuti, ſuæ famæ convenientius eſſe, potentiſſimi regis miniſtrum ſe ferre, quam imperio viliſſimæ plebis obſequi, quæ dominationis immodica & cum res gerit, ſui ac affectuum impotens principum virorum laudes atque gloriam invidiâ aut deſpectu obſcuraret. In cujus ſervitio ſi perſeveret, avitum familiæ decus, denique honeſtas laudabilis patrimonij opes amiſſurum. Adhæc propinquorum gratiam & ne diſſimulet, cariſſimæ matris perditurum, quæ unicè velit filium ſuum & regis ſacramento quo imbutus eſſet, & religione in quâ ab infantiâ & primo ſpiritu egiſſet, perſiſtere, ægritudinem animi & infirmitatem ſenectæ auctura, ſi ſuæ ſtirpis & officij oblitum aliena ſacra & fœdera videat majorum ritibus vertentem. Neque avunculum, cujus beneficio Rennebergicæ domus patrimonium accepiſſet, ex æquo id laturum, cujus votorum ſumma ſit, ut nepotem habeat prementem veſtigia majorum, qui clariſſimas imagines & titulos illuſtribus factis atque exemplis ornaſſent. Satis libertati, ſatis patriæ retributum, cui majus in præſens officium collocare non queat, quam ſi factionum civilium tædio ad Deum & Principem ſuum redeat, illorum exemplo, qui partium feſſi violatæ fideï crimen ſeriore reſipiſcentiâ expiaviſſent. Spectaret Hannonios ſuos & eorum ſocios, affines & propinquos ſana conſilia, præviſo regiæ magnitudinis fulmine, profeſſos æternæ bellorum tempeſtati pacem antehabuiſſe, cujus ſolam fœlicitatem dare non civilium partium feſſæ vires, ſed in regiæ gratiæ amplexum provoluta meditatio poſſet. Cui præfecturæ ſuæ ditiones aſſerere neque arduum neque difficile foret, Groningâ munitiſſimâ urbium in poteſtatem redactâ, & caſtellis per Friſiam regio adhuc præſidio obſeptis.

Addunt alij, de ipſo populo in factiones ſciſſo quædam addidiſſe, quaſi delectâ Philippi gratiâ regias partes, etſi infirmas & nutantes erigere cum oppreſſione languidi fœderis & fatiſcentis Ordinum concordiæ quiret. Tandem fraternum animum etſi altius permanendi in fide conſilium ſe aliquando aperiret, fluctuantem & mutationis adhuc incertum promiſſis fallacibus Mariæ Brineæ Comitiſſimæ Meganæ nuptijs expugnavit, commendatâ dote & eximiâ fœminæ formâ, in quam Lalainius à primo etiam juventæ flore diuturnis amoribus exarſerat. Quippe Barlæmontio, in cujus matrimonio vixerat, defuncto vidua, tractura ætatem & ſingularis formæ indulgentiam inter ſolitudinem vitæ & orbitatem conjugalis lecti non videbatur, cæterum illius affectum amplexura, cujus vernantes annos amoris igne præoccuperaverat. Placituras fœminæ præclaras in fratre ſuo naturæ dotes, qui præter vultus & oris venuſtatem & virentem juventam excultum artibus ingenium & tot provinciarum nobilem recturam oſtentaret. Itaque victus

Fluctuans adhuc animus promiſſis Comitiſſæ Meganæ nuptijs expugnatur.

cIↃ. IↃ. LXXX. Corneliæ illecebris, inanibus nuptiarum promiſſis gloriam, decus, fidem denique patriam poſthabuit.

Reidanus ſcribit, illi cum Farneſio etiam ad Trajectum Moſæ caſtra tenenti, ſecretum aliquod interceſſiſſe, velut provincias ſuo imperio commiſſas redditurus regi occultâ conventione crederetur. Sed impotentiâ virium & infœlicis conſilij præpeditum ſolam Groningam regijs partibus aſſeruiſſe, nutritâque inter oppidanos & Omlandiæ agrarios veteri ſimultate, fatali illorum temporum & Tranſlavicani populi diſcordiâ ſuam dominationem emunijſſe. Idem addit, defectionis ſuſpicionem in Lalainio natam, minus tamen apud peritos rerum fidei inveniſſe, quod ſepoſitâ ſimulatione Philippum regem apertius læſiſſe ex ordine factorum notaretur. Ita ſcilicet Daventriæ & Camporum oppidis regia præſidia ejeciſſe, indultaque per Friſiam & vicina religionis pace, & Ultrajectino fædere cum invidiâ procerum aſſerto, regis Senatum, ſuffecto Ordinum, amoviſſe. Quare creditum fuit, eum crudis & intempeſtivis quorundam actionibus offenſum odium fœderis induiſſe, obluctante interea animo, qui veteris ſub Albano exilij & cum eo ſacramenti memoriam non abſconderat.

Iudicium autoris de cauſis defectionis Lalainij.

Ego exiſtumo Romanâ Religione, quam cum animâ & materno lacte hauſerat, ſolidius imbutum, ut multum regio nomini, ita reverentiæ dediſſe, primiſque recturæ annis optumè uſum poſteriora temporum defectionis conſilio fœdaſſe. Igitur oppidis caſtelliſque pendentia à ſuo nutu atque imperio præſidia deſtinaſſe, eaque ſpe per delectas Leovardiæ, Franequeræ & apud Bolſuerdios armatorum civium centurias deluſum, conſilijs ſuis adverſa duris & trahi neſcijs procerum ingenijs ac ſuſpicionibus imputaviſſe. Ita odium ceſſante utrinque fiduciâ natum, poſtquam nec ille Ordinum ſollicitudinem & curam, ut reip. utilem, nec hi immodeſta Lalainij concepta pro legitimis aut profuturis interpretarentur. Adeo verum eſt bonam quoq; indolem, ſive vitio temporis, quod vertendis rebus pronum eſt, ſivè fortunæ aut magnarum rerum inlicio depravari, animique mores ſemel in declivium actos, majore quam cœperunt, præcipitio impelli.

Lalainius de opprimendo per Friſiam fœdere agitat.

Unde Lalainius defectorum exemplo in prava mox conſilia provolutus, de opprimendo per Friſiam fœdere agitavit ac ut conſcientiam tormenta pectori ferentem feſtinato ſcelere exoneraret. Quare octo peditumcohortes è Tranſlavicanis in Friſiam, velut in ſui adventum præmiſſas, ocyus expedivit, tutandis pro Philippo caſtellis, quorum Satrapas etiam durante Colonienſi conventu corruptos Pontificij exules jactitaverant. Ita Lalainij conſilium, quod altius animo deſederat, tunc detectum, quaſi nolente fato ut tardè & cum violatione fideï decretum per feſtinationem fœdiſſimi facinoris invaleſceret.

Oppidanorum Deputati de redigendo in poteſtatem Leovard. Caſtello deliberant.

Quare oppidanorum Deputati, quorum ſollicitudo ex periculis increverat, de redigendo in poteſtatem Leovardienſi caſtello deliberavere, petito agrarios auxilio, qui veteri æmulatione obligari oppidanos ad reciproca officia exigebant. Iſta erant, oppidani ut beneficium diruendæ arci ab agrarijs præſtitum agnituros ſe caverent, agrarioſque ingruente bello laribus profugos intrà urbem reciperent, commeatu atque annonâ ſublevarent. Quod à Gellio Sibæo & Douwone Sixma oppida-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

norum Deputatis ſignatum, Leovardienſium quoque Magiſtatum, velut fructum dirutæ arcis & auxilij ſenſurum obligavit. Quare ab Adio Lambertio Conſule & centurione civico, poſt à Ioanne Ayſma Conſule, Henrico Iarichio è Concilio jurato & Laurentio Venone actuario firmatum, deſtruendo regio operi intentos cives accinxit. Igitur illi in cœtus coïre, capita & conſilia miſcere, hortari ſe invicem & admonere libertatis, cujus recuperandæ occaſionem defectio Præfecti & æterni ſervitij metus feciſſet. A quo ſi vindicare ſe in animum inducant, fortem audaciam reſumerent, oſtenderentq; traduces majorum ſpiritus in glorioſis adhuc poſteris ſupereſſe. Neque enim cum Philippi exercitu, cum multarum gentium confluge ſibi rem eſſe, aut ut in acie & conflictu evocati extra fines cadant, cæterum in ipsâ civitate, intra infœlices muros hoſtem eſſe, qui depelli familiari limine debeat, rituque ignobilium ferárum ſuis latebris excedere. Nam iſtarum molium atq; operum fundamenta in ſpem ſubjectionis & popularis ſervitij jacta, quæ illi imponi ſibi paſſi eſſent, qui inteſtinis factionibus feſſi & mutuo ſanguine fracti & enerves moderati primum principis leniore imperio faſcinabantur. At per illum diu paternè & ſanctè habitum, poſt de augenda dominatione & opprimendis legibus cogitantem & arces extructas, & præſidia civitatibus impoſita, ne qui eſſent, qui modum principali imperio ponerent. Ita Saxonum, ita Auſtriacorum monumenta ſpectari, quæ in ſpeciem tuendæ provinciæ erecta, opprimendæ libertati per adoleſcentiam principalis potentiæ invaluiſſent. Per ea fuiſſe, ut legum, in quas Principes peieraverant, vigore ſublato, vix memoria quidem antiqui juris retineretur, quod etiam reminiſcentibus ſilentio victum, invidiæ potentis metum removebat. cIↃ. IↃ. LXXX.

Per ea Cæſaris & Philippi inquiſitiones & edicta, per ea novos Epiſcopatus invito populo introductos, Senatumque Principis majeſtate regni ſuffultum, ne aures quidem & judicia querimonijs populi præbuiſſe. Ex iſtâ ſcilicet officinâ omne violentum emanaſſe, in qua per cruciatus & ſupplicia in liberam gentem exercita inſontium cruor adhuc piacula repoſceret. Itaque repurgandum illud clariſſimi & prolibertate fuſi ſanguinis luſtrum, non ut igne ac thure adoleat ſuperſtitio, aut aſpergine depuret, ſed ut manus poſterorum ſentiat, qui vindicias majorum manibus & ſervili temporum patientiæ deberent. Ita inferias fortium, aut innocentiam umbris fore, ſi munimenta effrænis imperij aboleantur tanto planius aditum ad libertatem factura, quanto minus veſtigiâ quidem invitæ molis retineant. Itaque viritim ad auxilia coëundum, ut quam quiſque erga conjuges, liberos, deniq; patriam affectus ſit, tam facilem ſe præbeat glorioſiſſimo facinori, quod præſens ævum in libertate moriturum, denique in eâ naſcitura poſteritas cum gratitudine & veneratione agnitura ſit. Ut vero id ocyus fiat, inſtans diſcrimen præmonere, ne Lalainius aliquando præſens & militaribus copijs ad arbitrium uſus, deſtruendæ arcis ut ante conſilium diſturbet. Neque enim id privato motu, aut impetu ſe aggredi, ſed Belgicæ procerum decreto, quod Gubernator Matthias & Auriantius confirmaviſſent. Eâ ex cauſâ Friſios liberalitate quadam in commune provinciarum ærarium octodecim aureorum millia & quingentos

CIↃ.IↃ. LXXX. erogaſſe, ut ex beneficio collati æris diruendis caſtellis aſſenſum publicæ autoritatis impetrarent. Cæterum eam à Lalainio occultâ ſuorum conſpiratione eluſam, ſed quæ non ferat diutius conſilium trahi, vindicando Ordinum contemptui & reparandæ libertati ſalubre. Itaque Lalainij, quas caſtello deſtinaverat, copijs proprius ad oppidum & in ſuburbana ſuggreſſis, qua ea amnis è Sylveſtribus ortus modico & patiente navium alveo Fletam perlabitur, præmiſſi in arcem, qui primores præſidij tentarent, dubijſque temporum, ad exemplum provinciæ rectoris, lubricam quoque militum fidem ære aut gratiâ mercarentur. Cæterum nonnullorum animos, ut Lalainij odium, ita libertatis amor anteceperat. Ita egregiâ ſimulandi & ne quid enuntiaretur, ſilentij arte quidam ex præſidiarijs evicti, ne ſuſpectis quidem internuntijs qui miſcendis ſermonibus, aut pro veteri conſuetudine è civitate in caſtellum commeabant.

Variæ artes tentantur ad invadendum caſtellum Leov.

Quare præparatis rebus Ioannes Bonga, Oeno Grovenſteinius & Ioannes Feruovius arcem à tergo circumvenire cum copijs juſſi, diſpoſitis Andringanam per domum arci vicinam civium quoque excubitoribus, qui auxilia caſtello præcluderent.

Heymannus tradit fuiſſe ex præſidiarijs, qui arce deſerta inermes centuriæ civicæ ſacramentum dicerent, primique ut commilitonibus ad defectionem, ita armatis civibus ad virtutem eſſent. Igitur illi, ſub lucis ortum ad portam progreſſi, relicta in caſtello arma tradi ſibi petiere, ac ut eorum inopes recepto more in arcem admitterent. Cæterum ejus acceſſu prohibiti vim intentavere, janitorque glande petitus & fugâ in caſtellum actus præſidiarij ut arma induerent imperavit. Itaq; ſigno dato armati convenere, inconditoque clamore, velut obſidium ſoluturi, regiam arcem, atq; proximam urbis partem implevere.

Cl. Franckena notat Foxium Selſmam cohortis præfectum, colloquio in ponte caſtelli cum præſidiarijs inſtituto admitti in arcem poſtulaſſe, veterique familiaritate ſalutatis commilitonibus vinum atque officia obtuliſſe. Henricum quoque Cleinſorgium promptæ audaciæ militem clam à civibus mercede conductum ſclopetum janitori intentaſſe, eundemque ictu evitato, intra arcem receptum, præſidiarios ſomno graves capienda ad arma inſtigaſſe. Idem addit teſſeram quoque occupandæ arci datam, ac ut Lambertus cognomento Craſſipes ex præſidiarijs, alba faſcia, velut facie detersâ, opportunitatem tempori indicaret. Cæterum plenilunium iſti maxumè conſilio adverſum, quo fiebat, ut ea quæ obſcuro noctis tegi potuiſſent, interventu ſyderis & clariſſimi luminis innoteſcerent. Præſidiarij quoque quæ per urbis partem arci proxumam fierent, tanquam ex edito colle, beneficio collucentis aſtri ſpecularentur, quod pernox uti plenilunijs ſolet, nobiliſſimum facinus & in poſteritatis memoriâ valiturum ab inſidijs incipi, velut inglorio & vili conſilio dedignabatur. Itaque clariore lunâ & ſub lucis ortum diſcuſsâ opacitate, quaſi palam ad virtutem ſurgens dies hortaretur, claſſicum per urbem datum, pulſatæque civium fores magno ſonitu ſtrepuere. Unde milites qui vigilijs noctem extraxerant, ſecretis domorum, ut & cives exciti ſparſo in vulgus rumore, præſidiarios novis copijs auctos populandam ad urbem regiâ arce deſcendere. Quare cives ſum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ſumptis armis, quæ non niſi captâ arce ſe poſituros affirmabant, recta ad arcem ordinatum agmen duxere, in quo ſacerdotum turba, tum præſidiariorum arcis liberi atque conjuges captivarum ritu trahebantur. Quæ per principia & primos manipulorum ordines pro munimentis caſtelli diſpoſitæ triſti ſpectaculo maritos affecere, quos miſeratione inſperati caſus & captivarum conjugum perculſos ad exerendam vim impelli impotentia amoris prohibebat. cIↃ. IↃ. LXXIX.

Igitur majore conjugalis fidei quam ſacramenti apud militem imperio machinis & ſclopetis parcitum, ne in innocentes liberos & imbellem conjugum ſexum, ſuum in ſanguinem pro tuendâ arce fortis ferocia deſæviret. Quare vi omiſsâ in crepidine foſſæ, quæ arcem latitudine c c. pedum præcingebat, civium agmen collocatum, quod ab eâ urbis parte, ubi regis viridarium frugiferâ arborum & egregiâ amœnitate conſitum cultumque viſebatur, evitando periculo, leni opere communitum. Arbores quoque admotis ſecuribus dolabriſque paſſim per urbem cæſæ, truncique eminentiſſimam in ſtruem congeſti, altitudinem foſſæ opplevere. Tum humo quoque truncis ingeſtâ, caduceator in arcem miſſus, quæ à tergo militaribus, à fronte civium copijs & muliebri agmine cincta, auctam ex interceptis auxilijs formidinem præſidio incuſſerat. Quare Joannes Scagenus vir ex Hollandicâ nobilitate, præfecturam regiæ arcis à morte Mateneſſij adeptus, de eâ tradendâ agitavit eamque, ſalvum & incolume præſidium, ſibi penſionem ducentorum aureorum quotannis depactus, dedi civibus fecit.

Caſtellum Leovardien ſe deditur.

Creditum fuit Scagenum à Lamberto Craſſipede, qui pro dedendo caſtello apud milites concionatus ferebatur, imprimis perſuaſum Ordinum partibus eam permiſiſſe, & quod auxiliorum Lalainij exſpes aut incertus animum ultro imbellem ſubortis pavoribus deſpondiſſet.

Mox valli propugnaculum, qua urbem ſpectat, à populo civico diſjectum, foſsâque ſtramento pulvere ac cæno oppletâ, apparitores civeſque armati præſidio arcis delecti.

Viginti ſex ſclopetarios fuiſſe Cl. Franckena notat, idque memorabile civicæ virtutis & libertatis facinus in Kalendas Februarias incidiſſe. Idem ſubjungit explicatâ ad foſſæ marginem captivâ ſacerdotum fæminarumque turbâ, unam maſculi animi & ex primis viraginem maritum in vallo arcis ſtantem ſacramenti regij & officij altâ voce monuiſſe, pectuſque marito convulnerandum muliebri temeritate, aut ſingulari in regem fide obtuliſſe. Eandem quoque à cive quodam ictum comminante ægrè ad modeſtiam perductam, perſeverantemque & occaſionem turbis aut cædi intemperantiâ linguæ daturam extra contubernium captivi agminis abductam. Ita arx octoginta antè annos civium ſumptu Willibrordi Scouwenbergij Alberti Saxoniæ Ducis Præfecti tempore extructa, ab ijſdem excuſſo veteris ſervitij onere, diruta atque ſolo æquata. Mox civibus deſtruendo caſtello occupatis Bongæ, Grovenſteinij & Feruovij cohortes in urbem evocatæ, Franciſcanique cum Canonicis & omni Clero inter tympanorum tibiarumque ſonos & ſimul contumelias ac ludibria militaris laſciviæ urbe educti. Sunt qui tradant præter centuriam è cive conſcriptam, quatuor quoque civium cohortes obſeſſo caſtello erectas, earumque ductores

Ar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXX. Arnoldum Hardenbergium, Vibium Obbium, Douwonem Egbertium, Ebbæum Douwonium cum Gellio Paulino, Adriano Leonartio, Cornelio Cornelij & Pibone Douwonio vexilliferis egregia civicæ fortitudinis exempla ciendis militum ſtudijs edidiſſe. Eoſdem quoque cædendis arboribus & opplendæ foſſæ ſacerdotum captivarumque mulierum miniſterio uſos, tormentaque grandiora Saxoniæ Ducum, tum Caroli Philippique inſignibus notata per imbellem puerorum turbam in urbem abducta. Ita machinas moveri loco difficiles impotens virium ætas tractabat, non ſine fati, ſicuti creditum fuit & commentarijs perſcriptum, miraculo, ut eaſdem adulteratâ libertate peregrini militis ope majorum ævo in caſtellum invectas inter ludum jocumque inops armorum civilis poſteritas amoveret.

Mittuntur etiam cohortes ad invadendam arcem Harlinganam.

Arce captâ & omni opere urbem verſus diruto Harlingam quoque cohortes, quas Feruovius & Bonga ducebant, oppugnando caſtello præmiſſæ, quod ad occaſum ſolis æſtivum olim Groningenſium & Saxonum ætate extructum, oppido nullo aut rudi mænium ambitu præcincto æſtuario maris dominabatur. Iter navigijs quidem nocturno tempore inſtitum, quod ſubluſtre navigantibus & Luna faciebat & officijs nautarum opportunum, quæ beneficio claræ noctis & ut lucem antevenirent, militum quoque miniſterijs celerabantur.

Cohortes intra urbem admiſſæ.

Igitur naves Harlingam provectæ, alto ſilentio intra urbem admiſſæ, credulo janitore mercibus aut frumento onuſtas vicinis ex agris appuliſſe. Sunt qui tradant eum ſecreti conſcium à Delegatis Ordinum Douwone Sixma & Econe Isbrandio, qui in comitatu Grovenſteinij & Vedæ, quæ ſequebantur, cohortium erant, clam in partes pertractum omnem ſiniſtri ſuſpicionem diſſimulaviſſe, etſi fulgore noctis & militarium armorum facilè proderentur, quæ corrupti janitoris credulitas velaverat.

Mittitur caduceator ad petendam deditionem.

Tum miles per vicinas arci civium domos clam diſtributus, miſſuſque ſub lucis ortum in caſtellum caduceator, qui deditionem peteret, aut ut in colloquium paciſcendis conditionibus veniretur.

Formula hæc erat. *Quoniam Præſidiarij arcem Harlinganam contra expreßa decreta* MATTHIAE Archiducis Auſtriæ Belgicæ Gubernatoris, AURANTII Principis *&* DEPUTATORUM fœderataram *provinciarum præſidio tenerent: Ita* DEPUTATOS ORDINUM Friſiæ *tam agrarios, quam oppidanos arcem eandem dedi* ORDINIBUS *ſuis poſtulare, ac ut cum eadem de voluntate* MATTHIAE Archiducis, AURANTII *&* ORDINUM generalium *agatur, horario interim ſpatio ad deliberandum dato. Intra quod ſi non decernant, pro contumacibus habituros. Sin vero præſidiarij introſpiciendis* ORDINUM Friſiæ *actis & rationibus delegare è ſuis parati ſint commeatum ſe ijs hoc ipſo facere, idque ſub ſigilli publici fide.* IV. Non. Febr.

Quo ipſo, etſi præſidiarij, velut inſperato caſu, percellentur, ita evoluto horæ ſpatio reſponderunt:

Reſponſum præſidiariorum.

Optumo jure & ex formulâ ſacramenti (quam MATTHIAS Gubernator, AURANTIUS princeps *&* Generales ORDINES *approbaſſent)* LALAINIO Comiti Rennebergio *&* HENRICO OYENBRUGGIO Satrapæ *præſtita, arcem ſe præſidio tenere. Neque enim*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXX.

enim eo ſacramento per MATTHIAM Archiducem AURANTIUM *aut* Generales ORDINES *ſe exſolutos eſſe, in quo perſtare etiamnum in animum inducerent. Niſi forte ex actis de voluntate* MATTHIAE, AURANTIJ, ORDINUM, LALAINIJ, *aut* OYENBRUGGIJ *ſecus doceantur. Quod ſi fiat facturos quod æquum eſſet. Se vero, ſi vim parari ſentiant, ſuis officijs atque partibus non defore quin daturos operam ut factorum ſuorum ratio à ſacramenti ſui lege ac religione non diſcrepet.* IV. Non. Febr. in arce horâ ante meridiem decimâ.

Præſidium arcis Harlinganæ vim vi repellit.

Ita præſidium veteris ſacramenti retinens, virtutis quoque opinionem de ſe induerat, auctâ ex loco fiduciâ, quem latiore vallo & foſsâ emunitum, tum commeatu bellico inſtructum aperti quoque maris vicinum æſtuarium commendabat. Quare ne mari, quod arci in occidentem eſt, auxilia à Lalainio aut aliunde; advenirent, præſidiariâ Ordinum navis in portu cum armatis ſtare juſſa, quæ hoſtilium velorum curſus moraretur, oſtiumque latiſſimi portus defenderet. Itaque omniâ obſidionem diuturnam & periculi plenam ſpectare videbantur validâ inprimis & inexpugnabili arce, quæ promontorij in modum ad mare excurrens, ne aditum quidem niſi pontis beneficio venientibus ex urbe concedebat. Adhæc in eâ caſtelli parte, qua ortum ſolis & urbem ſpectabat, valli derupta ac ſummitates conſpiciebantur, quæ machinis ac tormentis æneis longâ ſerie inſtructa difficilis loci acceſſu obſidentes copias prohibebant.

Et diſploſis tormentis incendium in urbe excitat.

Cl. Franckena notat eas quoque in urbem diſploſas incendium dediſſe, quod etiam civili militumque ope per initia emergentis flammæ repreſſum tamen dubijs & de eventu deſperantibus terrorem incuſſerat. Alius quidam ſcriptor, etſi rerum ignarus, tradit tres è civibus machinarum globis verberatos inriti laboris atque conſilij conjecturam aggravaſſe & quod præſidij vigor primo obſidij impetu fractus, velut reſumptâ virtute, ſedato ſanguine revaleſceret. Itaque apud Ordinum Legatos & inter cives triſte ſilentium erat, diſpoſitis tantum circa proxumam urbis partem, qua arcem ſpectat, excobitoribus, qui ſecuritati urbis & obſidentium haberentur. Unde præſidiarijs, ut humanum ingenium apprehendendis ſuſpicionibus facile & pronum eſt, opinio hoſtilis conſilij nata ac ſi de opplendis terra civium ædibus arci vicinis & tumultuario opere ſpecie excubiarum erigendo obſidentes præfecti agitarent. Cui rei imprimis non vanum indicium faciebat, quod captiva Graphæi uxor qui pro Oyenbruggio, Groningæ apud Lalainium tum agente, arcem cum imperio tenebat, ab obſidentibus aſſervaretur, filiumque infantem innocenti & quæ extra odium ſit ætate materna captivitatis communio gravaret. Itaque litteris ex arce per tympanotribam ad legatos Ordinum exaratis de vi atque injuria conqueſti petiere, ut milites habendis excubijs delectos à fronte arcis amoverent, uxoriq; captivæ & Satrapæ filio venia daretur. Alias ſtatuturos ſe egregium fidei & fortitudinis exemplum uſuroſque viribus ſuis quas ad tutelam commiſſæ ſibi arcis Deus daturus foret. Obteſtari interim Deum, Matthiam Gubernatorem, Aurantium Principem, Ordines generales & imprimis optumorum civium fidem, inſontes & extra culpam ſe fore ſi quid incommodi miſeræ civitati ex

Literæ & obnuntiatio præſidij ad Ordinum legatos.

cIↃ. IↃ. LXXX.

illo conſilio obveniat. Quibus litteris ab ORDINUM LEGATIS reſponſum:

Reſponſio legatorum.

Munimentis actorum ſe ſtare & eſſe in ijs, quod præſidiarios inofficioſi aut temeratæ in Matthiam Gubernatorem reliquoſque fidei redarguat. Quorum copiam ſi vellent, mitterent ex ſuis aut obſides darent, qui introſpicerent. Non dubitare quin eo facto Ordinum arbitrijs ſe permiſſuri ſint exemplo Scageni & Adriani Potteri Leovardianæ arcis rectorum, qui militares animos atq; gloriam honeſtæ paci atque tranſactioni interpoſuiſſent. Atque eam ipſam Matthiam Gubernatorem, Aurantium Principem & Ordines generales ratihabituros ſe cavere, non aliâ conſilij ſui intentione, quam ut ſingula ritè & decenter fiant. Sin vero nec legatos expedire perſeverent, miſſuros ſe in arcem copiam decreti fide publicorum teſtium roboratam, ut intelligant ſummæ procerum autoritati ſuum conſilium inniti. Quod ad amovendas militum excubias, ad captivam cum filiolo matrem Graphæi conjugem attineret, eam non hoſtili animo in cuſtodiam pertractam, cæterum ut miſeratione captivorum pignorum mariti pietas accenderetur, faciliuſque loci deditio ex legitimi amoris imperio procederet.

Cæterum præſidiarij cum fide dicta aut ſcripta pro doloſis interpretabantur.

Quorſum enim (inquiebant) *inter amicos, ac unius rectoris & ſacramenti conſortes excubias ordinari, innocentiſſimos ſuorum in vincula duci, quam ut ab hoſtili actione negotium inciperent, cujus animum præferrent? Communicanda fuiſſe, ſi quæ eſſent, Gubernatoris aut Ordinum acta neque mox ad vim & auxilia cohortium provocandum abſente Oyenbruggio ſatrapa, quem publica autoritas regundæ arci præfeciſſet. Se in Lalainij verba adſtante Pompeio Vſkenio juraſſe, homine quod ſcirent Aurantij partibus addictiſſimo. Sed in faciem pacis venire bellum cogitantes.*

Unde omnium animis paucorum calore ac impulſu ſuſtinendam ad vim excitatis, grandiores machinæ in urbem laxatæ, donec veſperaſcente die priora repetendo ſententiam, veluti manſuram, ſcripto hunc in modum enuntiarent.

Præſidiarij munimenta actorum ſibi exhiberi petunt.

PETIIMUS, LEGATI ORDINUM *& militares præfecti, ut* MATTHIAE Gubernatoris, AURANTIJ Principis, ORDINUM generalium, LALAINIJ *aut* SATRAPAE *decretum, ſi quod eſſet, exhiberetis. Quorum ſacramento quia noſtra nos fides obligavit & etiamnum obligat, ita ſine eorum mandato dedere caſtellum in animum non induximus. Quare ex commilitonibus aut ſocijs noſtris legare ad colloquium aut viſenda acta non neceſſarium cenſemus, cum totum negotium à mandato ſupremæ autoritatis pendeat. Id à* LALAINIO *aut Satrapa* OYENBRUGGIO *ſi habeamus morem geremus veſtro &* ORDINUM *deſiderio, arcemque nobis commiſſam veſtræ poteſtatis faciemus. Sed diem ſermonibus aut ſcribendis actis terere, nobis otium aut integrum non eſt. Quin ejus ſententiæ ſumus ut de repellendâ & ſimul inferendâ vi cogitemus & ut ferro ac incendio noſtra virtus ſe defendat. Igitur non feremus noctem quietam in urbe eos agere, qui ejus beneficio abuſi, cum ſolâ mandati exhibitione ad pacem potuiſſent rem, ad arma deduxere.*

Quæ ubi Groningam perlata, animum Lalainij multum famæ ex conſcien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ſcientiâ largientem ſubiere, Ballæus à ſecretis & epiſtolis è Tranſlavicanis in Friſios miſſus qui conſilia Ordinum exploraret, tantæque rerum mutationi clam ſe interponeret. Itaq; Leovardiam progreſſus, ubi omnia ex recenti arcis deſtructione adhuc fervebant murorum rudera & disjecta veteris imperij munimenta cum indignatione ſpeculatus præfecti fidem Senatui ordinum in ſereto commendavit, dirutæque arcis pulcherrimum facinus & Lalainio placiturum inſigni elogio extulit. Quod quanquam falsâ laude aſperſum & ab animo ſecus ſentiente profectum prudentiores ſcirent, ita ſuſpectioris & falſæ vocis fiduciâ non movebantur, gnari hominem aulæ moribus & ultro peregrinâ ac verſatili levitate mobilem venalis linguæ officia corrupto pectori obtrudere. Igitur recidentibus in vanum aſſentationibus & quod ſecreta literarum perferre à Lalainio crederetur, cuſtodiæ datus amandatuſque in arcem eſt, quam miſerandâ facie deformem & veſtigia civici furoris adhuc repræſentantem, velut reciproco fati ſolatio, captivus & gemens intuebatur. Ibi inquiſitionibus judicum, poſt evulgandis, quæ abſtruſerat arcanis tormentorum & mortis metu ad confeſſionem mandati adactus, chartas aperit, quas ſolo Lalainij ſigillo & nomine ſignatas cæterum occaſionibus rerum & temporum ſervituras optumus, ut cenſebatur, doli artifex circumferebat. Quæ commoda potiundæ arcis occaſio fuit. Quippe præſcribere, quæ Ordines vellent, juſſus pro faciendâ celerandâque deditione Lalainij litteras figuravit ementituſque mandatum Præfecti, quod retinendis in officio arcium rectoribus clam acceperat, fidem conſtanter datam terrore mortis aut cruciatuum evinci paſſus eſt.

[Margin: cIↄ. Iↄ. LXXX. Ballæus ſecretarius ſpeculandi gratia in Friſiam miſſus. — Chartæ Ballæi pulcherrimam potiundæ arcis occaſionem præbent.]

LITTERAE ad præſidiarios datæ hæ erant.

QVANDOQVIDEM non ſine animi dolore intelligo motus per FRISIAM *ex cauſa diruendarum arcium ortos (quas in manus ſuas tradi aut ſolo æquari ex decreto* MATTHIAE Gubernatoris SENATUS ORDINUM *petierat) ita negotium à ſedecim menſium ſpatio prolatum exequi paratus ſum. Itaque arces aut caſtella Ordinum poteſtatis facio, mandoque ut meæ voluntatis per has certiores facti, arcem, quam defenditis, dedatis ocyus. Vos quoque deſerta arce (cujus commeatum in commentarium Ordines referent) conduci ex illorum arbitrio vos ſinatis dum præſens de ſtipendijs exſolvendis cum Senatu egero. In fidem harum manum meam & ſigillum ſubjunxi.* Groningæ IV. Non. Febr.

His à Balleio ad Graphæum additæ, quæ habebant Barthio Idzaerdæ cum præſidiarijs tranſigendi poteſtatem à Præfecto factam, cujus id ſeverum & pertinax mandatum eſſet & arcem dederent. Igitur à præſidiarijs Barthius Idſaerda, fide datâ & oblato obſide in arcem ad colloquium evocatus eoque ſive periculi metu, ſive ex conſcientiâ doli repudiato ad æquiſſima conditionum & in ijs exſolvendis ſtipendijs præſidio ſe obligavit. Itaque tum mitigatis animis ad colloquium deventum, miſſique in arcem Regnerus Nicolaus Conſul civitatis & Eco Iſbrandius Ordinum actuarius, qui cum præſidiarijs paciſcerentur. Quæ dum fiunt litteræ quoq; à Lalainio & Oyenbruggio Groningâ venere,

cIↃ. IↃ. quibus præſidiarij fortes ſtrennuoſq; ſe gerere in tolerando obſidio mone-
LXXX. bantur. Ita ſcilicet fidem ſibi Præfecto & Satrapæ datam, ita militare ſacramentum ſervaturos, habituroſque ex ſe decus atque gloriam ubi in provinciam advenerint, ſtipendiâ & donativa egregiæ virtutis præmia. Adhæc auxilia brevi ad fore, quæ ſi terrâ intercludantur, mare apertum polliceri, per quod arx adiri navigijs & cum neceſſario commeatu poſſet.

Quamobrem Legati Ordinum reſignatis quas interceperant litteris, feſtinandum rati, præſidiarios dedendæ arcis monuere, ac ut excuſsâ vani & non apparentis auxilij ſpe honeſtas certaſque pacis conditiones, obverſantibus periculis anteponerent. Cæterum præſidiarij, nocte ad deliberandum petitâ, in poſterum conſilium extraxere, quod ut in talibus ſolet, dubium & ſui incertum inter præſentium tædia & diſcrimina ac futuri ſpem fluctuabat. Quam ipſam quoque viſæ ex arce quaſi ex ſpeculâ naves obfirmavere, quæ ex alto venientes ſubvectare auxilia fervidius ſperantibus credebantur. Sed deprehenſo onerarias eſſe, mutatoque velorum flexu à littore recedere, languor aliquis & mox deſperatio præſidiarios invaſit. Itaque ſtipendia & omne æris reſiduum depacti, arcem dedidere ex quâ cum armis & impedimentis effuſi omnem infamiæ metum ardore futuræ hilaritatis excuſſerant.

Arx Harlingana deditur.

Quippe cunctantibus, mediam Anglicæ cerevifiæ laſtam liberalitas Conſulis addixerat, qui multitudinem tenui victu diu habitam, illo liquore permulcendam celerendæ deditioni perſuaſerat. Unde verſâ in ſecuritatem militarium animorum formidine, per tabernas arci proximas diſtributi præſidiarij genialem diem egere. Id Non. Febr. annales tradunt validiſſimiſque caſtellis in poteſtatem redigendis vix quintiduum inſumptum.

Mox ex Groningenſium mercatoribus, qui cum præſidiario milite ſermones miſcuerant, una cum buccinatore vinculis dati, quos Lalainius deditionis auxius firmando ad conſtantiam præſidio ſummiſiſſe, neque fallacibus conjecturis credebatur. Henrico Crabbio civi Harlingano glande plumbeâ per temeritatem icto, funus mox factum. Alij ex actis addunt præſidiarios præter ſtipendiorum ſolutionem operariorum quoque mercedem depactos & ut captiva Graphæi uxor cum filio patri ac marito traderentur. Iſta pro legatis Ordinum à Dominico Richæo qui Franequerano Magiſtratui ab epiſtolis tum erat & ab Everardo Keilero, Egberto Huiſinghio vexillifero, Thoma Livio, Conrado Meicro & Graphæo ſignata. Sic validiſſimo caſtello nullo ſanguine redempto, civium ope, qui præſidio militum ſucceſſerant, propugnacula valli diſjecta ipſaque arx eodem cum urbe mænium ambitu ſepta, validiſſimis operibus nudata.

Nicolaus vir apud Staurios conſularis ſuis in notis tradit, Graphæo arcis rectori & vicario Oyenbruggij Satrapæ mille quingentos aureos ex causâ deditionis aſſignatos, ſtipendiaque præſidiario militi præſenti ære exſoluta. Tum Oenonis Grovenſteinij & Cornelij Modæ cohortes navibus impoſitæ eæque cum præſidiariâ, quæ legatos vehebat ſuperato mari aut interiore æſtuario Stauriam appulere. Quæ vetus oppidum olim regni ſede, poſt commercio & opibus florens arce tum premebatur,

Legati Ordinum Stauriam tendunt.

tur, quæ ad ortum ſolis hybernum in maris littore primum ſub Alberto Banero, poſt à Georgio Schenckio Tautenburgio, Carolo V. Cæſare, libertatem & ſimul luxuriam divitis populi arctaverat. Ibi legatis in terram egreſſis obvij cives armato agmine proceſſerunt, ſalutatoſq; humaniter & velut ſervitium cervicibus depulſuros in urbem duxere. ↄIↄ. Iↄ. LXXX.

Sonoïus quoque Baudimontij Graphiarij Ordinum litteris in auxilium advocatus iſthuc loci copias quoque trium cohortium adduxerat. Unde qui deditionem poſcerent, in caſtellum miſſi, quod Franciſcus Pipenpoius Bruxellenſis illius oræ prætor Satrapæ titulo modico cum præſidio tenebat. *Deditio arcis Stauriæ flagitatur.* Is non ignarus quibus artibus Harlinganum præſidium ſolertia legatorum circumveniſſet, poſtulata Ordinum non ſine contemptu rejecit, loci & ſuarum virium imprimis fiduciâ, quæ hominem gloriæ avidum, etſi partes libertatis ante profeſſum, retinendæ apud Lalainium gratiæ corruperat. Cæterum auxiliorum ſpe excuſsâ & quod Oyenbruggius cum Lubberto Gallo Lalainij fidiſſimo defeciſſe diceretur, animum mutavit, totumque negotium Aurantij decreto permiſit. Quo faciebat, quod præter ſignorum ductores in fugam abreptos, militum quoque fides & ſacramentum nutaret, rectoremque exercitus ſuâ virtute, quamdiu integer fuiſſet ad res magnas evectum nunc documenta inſtabilis animi edentem acerbiore odio conſectaretur. Igitur retentatus à Legatis Pipenpojus, qui præſidiario militi ſtipendia ipſi Satrapæ retinendæ præturæ dignitatem & cum eâ annuam 400. aureorum penſionem & ærario provinciæ offerebant, inducias fieri paſſus eſt, otijque dulcedine & honorati muneris poſſeſſione delimitus vim ſuorum inhibuit. Sunt qui tradant tria carolæorum millia eidem Pipenpoio oblata, eumque modeſte recuſantem & à cupidine ſuſpecti æris alienum ultro ſua officia ad arbitrium Aurantij retuliſſe. Quare durante armiſtitio Doco Martna & Eco Isbrandius ad Aurantium amandati, qui comitio Hagienſi ſoluto, Ultrajectino fœderatorum Ordinum conventui intererat. Ibi de Lalainij perfidiâ, de rerum per Friſiam ſtatu ſermone facto, Stauriæ caſtellum fœderato milite obſideri retulerunt, præſidiarioſque ſi de voluntate principis conſtet, dedendæ arci pronos ſe ut pridem inducijs, ita fœderi permiſſuros. Itaque caſtellis fœlici rerum ſucceſſu Leovardiæ & Harlingæ dirutis nihil aliud reſtare, quam ut Stauriæ arx urbi & marino littori imminens eadem deſtructione habeatur, Lalainiuſque fide ruptâ ſuperbæ molis præſidio, & ſimul fati ſolatio orbetur. Unde Aurantius pro dedendâ arce ad Satrapam & præſidiarios ſcripſit, Ordineſque emuniendæ urbi intentos eſſe voluit.

LITTERAE hujuſmodi erant. *Aurantij Literæ pro dedendâ arce.*

CONVENTIONIS inter vos & Conſules Secretariumque urbis Stauriæ capita deditionem caſtelli ſpectantia mihi exhibita ſunt. Quæ quoniam MATTHIAE ARCHIDUCIS *litteris ac* ORDINUM Belgicæ, *in quæ* MATTHIAS *juravit, decretis congrua ſunt, ita cenſeo ijs locum dandum eſſe. Salus enim publica, tum Friſicæ gentis tranquilitas ut id fiat exigunt voſque caſtellum* ORDINUM DEPUTATIS *aut populo civico dedatis ocyus. Quo illud eo-*

 rum

cIↃ. IↃ. LXXX. *rum arbitrio permiſſum de voluntate Matthiæ & Ordinum generalium ſolo æquetur bono patriæ, cujus uſui cedet.* Litteræ Prid. Idem Mart. Ultrajecto datæ.

Arx Stauriæ deditur.

Cæterum Pipenpojus, etſi aliud ſimulaviſſet, ne tum quidem tradendæ arcis conſilium maturavit, ſuſpectâ ſenſim apud militem cunctatione, qui vinculorum terrore impulſum, dedandam ad arcem adigebat. Itaque militum magis imperio, quam ſuo ingenio obſecutus, arce cum præſidio exceſſit, Gulielmumq; Petræum civem Stavoranum ante decem & ſex menſes regundo caſtello delectum ſucceſſorem accepit. Tum armati cives arci præſidio dati, quintoque ab occupato caſtello die, tormenta atq; commeatum in urbem abduxere. Arx ipſa à fundamentis qua urbi imminet diruta ſolo veteris imperij veſtigio in ruderibus murorum relicto. Id XVIII. Febr. die factum in ephemeride ſuâ Cl. Franckena annotavit.

Et diruitur, munitúrq; ipſa Stauria.

Germanus quidam ſcriptor tradit per Renicum Cammingham, Scipionem Meckamam, Barthium Idſaerdam, Janconem Oſingham alioſq; è nobilitate eam arcem deſtrui juſſam, ne Lalainius defectionis infamiâ jam gravatus ullius arcis munimentis, tanquam furoris ſui præſidio ſe tueretur. Mox de circumducendo urbi vallo agitatum, ac ut intuta mœnium otio & per ignaviam collapſa prohibendis hoſtium irruptionibus firmarentur. Cæterum leviſſima ſecuritatis imago arcium potitos faſcinabat, omnemque periculi metum dirutæ moles amoverant. Quippe in orientem provinciæ Doccomium quoque oppidum, quod eâ flumen dividit, ſuſpectâ præſidia deſeruerant, quæ Collumi etiam, ſicut in oppidis, à Lalainio poſita, ſui magis pavore quam terrore fœderati militis aufugerant. Sic diſcriminis formido ex debellatis arcibus ac ſociorum præſidijs orta diſciplinam aut fidem non retinebat, priorque fiduciâ in ſollicitudinem converſa ſuo neque rectoris imperio coërcebatur. Quos adverſæ fortunæ impetus tanto ægrius ac impatientius tuliſſe Lalainius creditus fuit, quanto jactantius & inſolentius ſecundam habuiſſet, facto in ſe experimento, nunquam ſatis fidam potentiam eſſe, ubi nimia ſit. Neque enim aut caſtella, aut corrupta ad nutum præſidiâ, munimenta veteris per Friſiam imperij ſupereſſe, cæterum omne militum robur aut imbelle & palans oberrate, aut ſacramenta Ordinum induiſſe, quorum favore, tanquam firmiſſimo dominationis ſuæ & gloriæ fulcimento, primos & laudabiles præfecturæ annos egiſſet. Nunc dilabi omnia atque effluere ſtabiliendis rebus reperta; neque aliud ſolatium iſti fatorum inclementiæ reponi poſſe, quam ſi Friſiâ ejectus

Lalainius Groningâ, Tranſlavicanis ac Tranſ-Iſulanis ſe munire nititur.

Groningâ ac Tranſlavicanis ſe muniat, Drentiæque populum ultro mobilem & vindicias cladibus ſpirantem, tum vicinos Tranſ-Iſulanos à ſocietate Ordinum Friſiæ pollicendo meliora deterreat. Pro ſe ſcilicet ſpecioſum Philippi regis nomen valiturum, qui tanti imperij ac tot regnorum arbiter gratiam ad ſe redeuntibus, arma perſeverantibus in rebellione daturus foret, quibus ne Ordinum quidem exanguis & brevi caſura libertas par eſſe queat. Sui quoque reverentiam necdum Tranſ-Iſulanos aut Vidri fluminis accolas exuiſſe, qui contra experiundo didiciſſent, ſpecioſos & revera inanes libertatis titulos turpi ſervitio velari.

ri. Intendi namque onera & vectigalia quibus excutiendis qui arma ſumpſiſſent eos victimarum more in ſuis quoq; campis ac paludibus mactatos ultionem poſcere. Eſſe liberos, eſſe attines propinquæ cadis & effrænis injuriæ pertæſos, qui ſua potius quam Ordinum ſigna ſecuturi ſint. CIↄ. Iↄ. LXXX.

Itaque miſſis in omnem Drentiam exploratoribus, Stenvicanos quoque & per Tranſ-Iſulaniam Magiſtratus tentavit, tantumque ſive minarum terrore, ſive inlicio profecit, ut ſperata ex ijs locis ſupplendis aut conſcribendis copijs auxilia Friſiorum genti interceperit. Quare Joanni Petræo Sannio centurioni creato & palam delectum Stenvicæ paranti, ut talibus parceret juſſum eſt, obtendente Senatu, Præfecti indignationem ex æquatis ſolo arcibus efferatam omne auxilium cogendis armatis inhibuiſſe. Adeo veneratio aut metus Præfecti, etiam à viâ recti deſciſcentis credulum & ad ſubita conſilij inopem populum obſederat.

Bleſſa objecto vallo munitur.

Igitur Sannius centurio, etſi connivente Magiſtratu, clam & in ſecreto, militem autoravit, eundemque ut ſcribit, omni & neceſſario armorum genere inſtructum Bleſſam Stellinguerfiæ pagum dixit, quem Ordinum Friſiæ cura tutandis iſtius oræ finibus objecto vallo munierat. Eo commeatus quoque & annonâ largior navi ſubvecta, quam haud procul Tungro flumine, ubi in Tincanum lacum ſe effundit, cum tempeſtate conflictatam rudibus in notis iſtorum temporum reperio. Quippe Auſter turbidus fuſo deſuper imbre validior & proræ objectus onerariam immiſſis fluctibus & aquâ pluviâ deprimebat ultroque ex pondere gravem aſſultu hyberni fluminis & ſimul procelloſi aëris infeſtabat. Nam minore imbrium copiâ, aër frigori ac naturæ ſuæ redditus quicquid humore fluxum erat, in nivem coëgerat, quæ denſâ & viſui obſtans oculis regentium navem caliginem offuderat. Sunt qui tradant ſex pedum altitudinem multis in locis ſuperaviſſe, eaque molliore cœlo ſenſim ſolutâ, flumina & ſtagna manifeſtis aquarum incrementis intumuiſſe. Igitur ſuſpicionibus adverſus Lalainium ſeipſum prodentem indies auctis, captâ Stauriâ urbe & commeatu Bleſſæ ac vicinis locis ſubminiſtrato, Didericus Sonoïus vir fortis & militiæ impiger Suarteſluſam cum copijs de Ordinum Friſiæ conſilio miſſus, quem locum accipiendis è Tranſ-Iſulaniâ, Drentiâque auxilijs opportunum tum arcendis Friſiâ hoſtibus commodum ſolertia Ordinum delegerat. Vidrus namque lato alvei flexu iſthuc loci delatus in omnem oram facilem trajectum promittebat, foreque ut aquæ beneficio, quam è Drentiæ paludibus ac bituminoſis agris haurit, per ripas ſtato anni tempore effuſus, firmamentum aliquod erectis in ripâ munitionibus præſtaret.

Vt etiam Suarteſluſa.

Quare Sonoïus impoſito in naves milite Suarteſluſam tranſmiſit, opereque tumultuario induſtriâ militum erecto commeatum quoque Vidro amne ſubvehi fecit. Cujus facti, ut per Friſiæ Ordines ratio redderetur, vetante lege, gentium fines tranſmigrari, miſſus pro Legato in Tranſ-Iſulaniam Pompeius Roorda, Caroli de quo ſæpe diximus, germanus tribunatum ſacri ærarij tum gerens, qui apud iſtius gentis primores facti conſilium excuſaret. Itaque Suollam progreſſus, ubi conventus nobilitatis & Tranſ-Iſulaniæ oppidanorum celeberrimus tum habebatur, multa propoſuit, ac ut copias Ordinum ſuorum decreto Suarteſlu-

teſlu-

cIↃ. IↃ. LXXX. teſluſam miſſas benignè interpretarentur. Neque enim juris violandi, aut contumeliæ inferendæ ſtudio id feciſſe, cæterum neceſſitate, quæ legi non pareret, adactos locum præſidio & novo opere munijſſe, qui Friſiorum terras intranti hoſti aperiret. Cogitaſſe de ſecuritate ſuæ gentis & ut liberis atque uxoribus anxia periculi pietas ſubveniret, eâ præſertim temporum ætate, quæ ſuſpectum rectoris animum & ſimul imperium feciſſet. Eum namque occultæ Alexandri Farneſij ſocietati haud dubiè inligatum omne hoſtile, omne immodeſtum, atque violentum agitare, metuique poſſe, ut auxilijs, quorum ſpe foveri dicatur, ſubjutus in Friſiam ducat, cujus invidiâ ex præoccupatis arcibus flagraret. Itaque petebat, ut aliquid juri ſocio, aliquid contiguis finibus, aliquid æquitati darent, quæ non prohibeat, gentes eodem fœdere connexas cautam & ſimul honeſtam ſollicitudinem communibus & jam inſtantibus periculis interponere: Ad ea Tranſ-Iſulani ſe provinciâ ſuſpectis præſidijs oppreſſa de muniendis limitaneis locis cogitare non potuiſſe. Nunc vero amotis militaribus copijs conſilium tuendorum finium cœpiſſe, delectis è plebe ruſticâ quinque millibus armatorum, qui verſus Tubantum agros Tranſ-Iſulaniam defendant. De reliquis ex ſuis delegaſſe, qui provinciæ limites munitionibus ac fortalitijs firment, operiſque neceſſarij rationem ac ſitum inſpiciant. Arcem quoque Gelmudanam velut præſidij ac roboris incapacem ſolo æquent. Quamobrem petere, ut Sonoï miles Suarteſluſâ excedat, ne diſſenſione inter agrarium populum militemque ortâ ad pugnas atque ſanguinem veniatur. De cæteris paratam fore plebem ruſticam mutuâ fœderis fide atque concordiâ, cum Sonoï præſidiarijs agere, ne hoſtis aut ſocius hoſtium moribus agens in provinciam irruat ſuæ necdum calamitatis oblitam. Cæterum Roorda Suarteſluſæ præſidiarios nullis loci incolis graves, ſuo ære ac victu haberi, neque alio mandato inſtructos regerebat, quam ut communem hoſtem finibus arceant, Friſiamque Vidro flumini, & ejus oſtijs, qua in mare vergit, objectam tutam ab incurſionibus præſtent. Quod quanquam cavere Tranſ-Iſulani debuiſſent, ex quorum ſocordia atque ignaviâ periculum foret, ita ex hoc ipſo præſidium Suarteſluſæ retinendum eſſe. Se interim Legatum Friſiorum daturum operam, ut de ſingulis ad ſuos ſcribat, deque eorum voluntate Tranſ-Iſulanos edoceat. Sed interceſſione fœderatorum Ordinum diſſenſio compoſita, cautumque ut Suarteſluſa, nullo Tranſ-Iſulanæ gentis aut provinciæ præjudicio, præſidium ex periculi metu retineret, exceſſurum regionis finibus, ubi Friſiorum agris atque ſecuritati proviſum foret. Sic eruptura in diſcordiam ut videbatur, æmulatio interquievit.

Interceſſione fœderatorum Ordinum æmulatio inter Friſios & Tranſ-Iſulanos componitur.

Tum Joannes Michaëlius minores in Friſios ablegatus. Illi mandatum erat: Ut quoniam Sonoius in Friſios adveniſſet, Suarteſluſæ muniendæ ſubſidia commodarent, locumque Friſiæ utrique commodum neceſſario opere circumducerent. Et quoniam Friſico in ſolo ſita non ſit, nec foſſores ære conduci nec tranſmitti è Friſiâ poſſint, omni opere gelu impedito, miſſum Coverdiam Sonoium vallandæ arci excuſaret fide datâ ſe Suarteſluſa ut muniatur, opportuno tempore acturos. Binas quoque cohortes ut contectis navibus Friſij minores

ad

ad Suarteſluſam expedirent peteret, ac ut foſſores minorem per Friſiam cIↄ. Iↄ.
conductos commeatu ac mercede inſtruerent. De ſe teſtaretur fidem ex LXXX.
jure fœderis redimendo æri interpoſituros, ſcripturoſque fœderatos ad Ordines, ut ex communi ærario, quoniam publicæ ſecuritati conducat, habeatur. Tum de interceptis litteris lubricam Lalainij fidem prodentibus quædam addita.

Idololatricæ imagines & picturæ templis motæ, cœnobia destructa.

Igitur Stauriâ urbe ac arce in deditionem receptâ, Suarteſluſâ & Sylveſtri tractu per præſidiâ firmatis evenit, ut res ſecundæ & ex arbitrio fluentes inſolentiam darent, amotoque arcium metu ſui impotens libertas modeſtiam per adverſa exercitam odio Pontificiæ factionis licentiâ morum mutaret. Quippe imagines & picturæ ſacrarum ædium ornamenta loco mota, eaque aut ſolo illiſa, aut per vim ex furore auctam, confracta inter eluviem & ſordes jacuere. Quæ tempeſtas, tanquam ab aliquo ſydere ſtatis vicibus excitata omnem per Friſiam civilia militumque ingenia ſtupendo æſtu commovit. Itaque nullo conſilij aut facti nedum ex rumore aut famâ conſcio ſinguli deſtinata fato exequebantur, quod amovendis, ut creditum tum fuit, ſuperſtitionibus inquietam multitudinem accenderat. Tradunt autores præter monaſticarum ſodalitatum fana, Franciſcanorum Dominicanorumque nomine celebrata, velatarum quoque virginum ædes direptas, amiſſoque cultu veterem nec ſine luxu magnificentiam perdidiſſe. Itaque ſacra ſupellex, vaſa aurea & argentea, tum infulæ ac ſacerdotales veſtes in ſpolium abductæ omneque rei divinæ Pontificio ritu adminiſtrandæ inſerviens avaritie aut nocendi impetu amotum. Ipſi ſacerdotes & monaſticam vitam profeſſi. Leovardiâ urbe ante Solis occaſum non ſine contemptu & ludibrio exacti fati ſui infœlicitatem explevere, quo laudati majoribus ſacrorum ritus luxu & libidine profanati fugâ ſacri ordinis & deſtructione ſacrarum ædium expiarentur. Unde Leovardienſium exemplo apud Franequerenſes, Snecanos, Doccomienſes & Harlinganos templa ac fana depurgata, ſubmotoque imaginum ac ſtatuarum ornatu reformatis, ut vocabant, concionibus præparata.

Tetardus Siccama tradit, poſt ſacram ædem Burchuerti direptam, D. Mariæ in Bolſuerdiâ urbe ſacellum à militibus quoque expilatum, ipſamque D. Virginis ſtatuam tantæ famæ & tot miraculis, ut ſcriptores tradidere, celebratam, igne exuſtam. Aureos quoq; argenteoſque calices per opificum collegia ſacris ſubductos, omneq; ex ruinis templorum reliquum majori Choro per pontificios inlatum. Cæterum noctis obſcuro perruptâ feneſtrâ per milites in ſacellum admiſſos omne reſiduum prædæ applicatum, libriſque ritualibus diſcerptis aut peruſtis militaris inſolentiæ reliquias, curante Magiſtratu, ſervatas. Quæ in commentarium, ſicuti debebant perlaræ, pauperis ævi laudatam innocentiam ſuſpicione avaritiæ aut pejorum criminum fœdavere. Sed mihi iſtorum temporum motus, ſicut cætera, ex fide narranti plurima ſilentio involuta fuiſſe dubium non eſt, multoſque illius furoris miniſterio functos poſteris ætatibus opinionem virtutis ex oblivione anteactorum retinuiſſe.

F. Nicolaus ſcribit 22. Febr. majori apud Staurios templo omnem cultum militari violentiâ detractum, altariaque cum ſtatuis mutilata,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ. LXXX. aut diſ jecta miſerrimam loci faciem oſtendiſſe. Igitur direptis cœnobijs ac fanis multi Præſulum Leovardiam captivi inter militarem quoque cuſtodiam abducti, reddendis, ut creditum fuit, adminiſtrationis ſuæ rationibus, quas diſcerptis tabulis, cum egregijs haud dubiè diſciplinarum atque ſcriptorum monumentis tempeſtatis atrociſsimæ injuria confuderat. Sic quod explendæ paucorum avaritiæ aut lubidini repertum erat, damno poſteritatis & ſequentium ſæculorum ceſſit, quæ ex anteriorum temporum factorumque ignoratione rerum caligine involuta, ne virtutes quidem & vitia prioris ævi ſuis annalibus perſcripſere. Siccama addit, redigendis in commentarium Floridi Campi mobilibus, poſt Thomam Groningenſem loci antiſtitem Leovardiæ vinculis datum, Petrum Vibenium Conſulem & civicæ cohortis præfectum cum Juſto Ockingha viro nobili delegatum, addito Siccama notarum autore & Magiſtratus actuario, qui in acta ſuâ manu referret. Mox cœnobiorum ſacrarumq; ædium bona veno poſita, pecuniaque ex divenditis fiſci jure ærario provinciæ inlata. Itaque captivitate Præſulum terrore per omnia monaſteria & conventus quoq; virginum aucto, cœnobitæ & moniales de deſerendis poſſeſſoribus ſuis agitavere, ac ut annuas penſiones à ſacris & ſeceſſu ad aliud vitæ genus tranſituræ æquitate Ordinum impetrarent. Ex quorum ideo conſeſſu Foppius Groveſteinius & Hobbius Baerdius Legiſperitus delegati, qui ſtipendia pro ſtatu & dignitate perſonarum conferrent, honeſtaque & utili tranſactione ceſſionum acta à cœnobiorum rectoribus mercarentur. Unde Baiomenſe monaſterium, quod velatarum virginum ordo tenuerat, Henrico Termoelio Præſule & Gulielmo Gulielmi vicario autoribus, tum Gerardæ Corneliæ, Titiæ Obbiæ, Tiempkiæ Vaſſoniæ reliquarumque monialium aſſenſu, cum agris, poſſeſſionibus, reditibus & mobilibus ſpecie ceſſionis & ſub juriſ jurandi religione provinciæ tranſcriptum impetrato tantum in ſingulos ſtipendio, quod ad alimenta & honeſtis vitæ ſubſidijs obtinebatur. Idem à Neocloſterijs cæteriſque inclinanre Februario factum reperio, Annamque Herenniam loci rectricem, inſtitutâ ſupplicatione, modico victui annui æris ſubſidium ex decreto virginum oraſſe. Igitur teſtimonia paſſim fideï & moribus per alienæ probitatis conſcios ſcripta piam Ordinum liberalitatem auxere, ultro cenſentium beneficium ex beneficio miſerabili turbæ deferendum. Quod in illo perturbatiſſimo temporum ſtatu unicum otijs & ſimul delitijs aſſueto ſexui ſolatium fuit, & ne mollioris vitæ quietem manuum opere, parando victui mutaret. Quippe creditum fuit magnificentiſſimis & ex luxuriâ ad invidiem provectis ædificijs ac ſtructuris extruſos importuno mœrori ſuccubuiſſe, interque nemora & culti ruris amœnitatem ſacra & otia profeſſos veteris contubernij ſolitudinem ſine ægritudine conſternatæ mentis non hauſiſſe. Præter hoc, auream argenteamque ſupellectilem, quam divino cultui protervior ætas adornaverat, ſacris miniſterijs detractam, pieque & cum aliquâ veluti conſecratione templis dedicata auferri, aut ceſſantibus exercitijs exoleſcere.

Annuæ penſiones cœnobitis & monialibus ex ærario publico aſſignatæ.

Quæ res Lalainium ultro fœderi ex receptâ Philippi gratiâ inimicum majore odio efferavit. Quare, quod antè per Drentiam Tranſ-Iſulaniamque ab eo factum erat. Friſiæ quoque & præſertim Sylveſtribus explo-

Lalainium hæc malè habent.

exploratores immiſit, quo ad arma ſumenda adverſum fœderatos inſtigaret & ut pacem à Farneſio nomine regis oblatam, miſsâ inani libertate acciperent. Unde fœderato militi, quem Joannes Sannius Stellinguerfiæ prætor & cohortis centurio, vir bonis artibus imbutus ex Scoterlandiæ finibus in Donieverſtallenſes ducebat, primi Sylveſtres ſe objecere, facto ab Oelanis initio, qui Sannij cohortem per glaciem, etſi infidam laborioſum & pedeſtre iter facientem ſumptis quæ furor ſuppeditaverat, armis loco & præſidio prohibuerunt. Tum ut malum peſtilentiæ inſtar, latius ſerperet, ſigno campanæ dato, ſuſpenſiſque è turre Oelanâ ignibus vicini quoque ad auxilia vocati, quot eodem conſilio imbutos exploratorum aſtus corruperat. Itaque tantus repente agrarij populi confluxus factus eſt, ut de ſuorum vitâ atque incolumitate centurio deſperaret, experimento priorum temporum edoctus ruſticam Friſiorum plebem militaris inſolentiæ & præſidij impatientem pro amovendis armatis tanquam retinendâ libertate certaſſe. Cæterum noctis beneficio quæ hybernâ opacitate minus ſubluſtris viſum interceperat, militem Legemarios reduxit, fanoque occupato curare corpora & ſomnum capere juſſit. Ubi vero lux orta, quæ tardius iſto anni tempore, cælum occupabat, Donieverſtallenſes, nequicquam, ut ſe componerent, moniti arma reſumpſere, poſtremoſque in ordines militum invecti commeatum & impedimenta in prædam verterunt. CIↃ. IↃ. LXXX.

Scribit Sannius ſclopetos quoque cum nitrati pulveris & glandium copiâ militi ereptos, conjugiſque ægræ & in mariti comitatu tum agentis viſceribus vim inlatam. Quæ omniâ miles nocere vetitus ſingulari patientiâ ſufferebat, haud ignarus ex diſciplinæ lege magis imperio ducis aut rectoris, quam ingenio parendum. Mandato ſcilicet ut pugnet, non conſilio opus eſſe utendumque armis, non ut privato & ad tutelam corporis, ſed ex hoſtium cæde atque damno ſalus ac victoria ſperantur.

Creditum fuit Titi Waltæ opera atque inſtinctu ruſticam manum coactam, perceptaque militum quorundam, qui pecuniam immodeſtius familijs extorſeranr, inſolentiâ propriam iſti genti virtutem atque ferociam induiſſe. Cujus rei fama Leovardiam perlata Ordinum animos non parum conturbavit. Itaque primum de cohorte cum ignominiâ exautorandâ in conſeſſu diſſertatum, cum eſſent qui militari licentiæ frænos injici ſeveriore exemplo vellent, provocandumque ad veteris diſciplinæ rigorem, quæ in decimum quemque conterrendæ multitudini atrocibus pænis animaduertiſſet. Alij cenſebant incertis rumoribus & ut ſeneſcerent, dandum tempus eſſe tractandoſque clementiâ potius illorum animos, qui ambiguis temporum irritati ſacramenta mutare, facto ad hoſtem transfugio, incommodo reip. poſſent. Quippe Lalainium manifeſti, etſi adhuc ſimularet defectoris perſonam jam induiſſe, retentaturum haud dubiè ſigna, ſi viderit cohortium fidem inclinare, easque Ordinum odio effrænes & ſolutas, nullo rectore aut domino vaſtandis agris venales manus admovere. Perſpecta ſcilicet militum obſequia & modeſtiam fuiſſe, parcitumque ruſticorum ſanguini, qui ſcire debuiſſent, flagrante bello provinciâ, aliquid privati incommodi ex publicâ calamitate ferendum eſſe. Sannius ſubjungit, ſe ſedandis militum ani- *Ordines iſte tumultus male habet.*

 mis,

cIↃ.IↃ. LXXX. mis, quos ardor pugnæ repellendam ad vim inflammabat, primo autoritatem ac imperium, poſt preces interpoſuiſſe, ne fortes dexteras provincialium ac ſociorum ſanguine macularent. Charleſium quoque cohorti præfectum præſidium Lemmariæ agentem, auxilia compeſcendæ ruſticæ plebi obtuliſſe, ſeque ijs poſthabitis in Scoterlandos, poſt Stellinguerſios celerrimo itinere, declinandis malis, pronum conflictui militem ductitaſſe. Qui in illo Sylveſtrium tractu populares motus, ut ante Joanni Roordæ Alexandri Farneſij, de quo dixi, in Friſiam legato, ita tum Lalainio imputabantur, ac ſi trahendis ingenijs egregius artifex ſpecie pacis regiæ, diſcordias & ſeceſſiones ſerendo firmamentum ſuæ defectioni debilitate fœderis captaret.

Abeli Franckena legatio.

Quamobrem, ne rudi Sylveſtrium plebe corruptâ, procerum quoq; in Groningâ urbe & per Omlandiam animos venenaret, Abelus Franckena vir eximius & ſingulare patriæ ſuæ ornamentum Groningam ex Friſijs pro legato miſſus, qui propiore fœdere Friſiorum gentem cum Groninganis, Omlandis atque Drentinis connecteret. Bartoldo quoq; Entenio viro nobili & militiæ impigro legionem, jam ante Lalainio commiſſam, nomine Friſiorum regendam daret, totumque militare per Omlandiam & vicina imperium homini bellis à primâ ætate innutrito, pro tempore deferret. Cæterum Entenius Coverdiæ agens, quo concitatos in arma per Lalainium Drentinos compeſceret, de legati adventu non cognovit, cujus mandata ad portam urbis tabellioni in ingreſſu ab excubitoribus extorta, in manus Lalainij pervenerant. Quare detecto legationis ſecreto, Lalainius Legatum, quem arcano odio conſectabatur, maledictis apud ſuos & imprimis Ioannem Wiſſeringium hominem turbulentum & ſuæ factionis principem traduxit, ejuſque conſilio in aulam evocatum violato gentium jure cuſtodiæ dedit. Cæterum Legatus tertio poſt die per feneſtram præceps datus carcere exceſſit, inſcio & non cogitante Lalainio, quæ redimendum Balleium, quem in arce Leovardianâ Ordines Friſiæ aſſervabant, legati captivitate ſommiaverat. Ubi verò de ejus fugâ cognitum ædium locorumque ſecreta perquiri per urbem juſſit, inque ſpiculatores cuſtodiæ Legati deſtinatos à Senatu oppidano animadverti. Is verò perſpecto Lalainij conſilio ad criminationes diſſimulavit, legatumque in urbe primariâ domo occultatum bono animo eſſe juſſit. Franckena in Ephemeride notat carceris ſui diem in XVI. Kal. Martias incidiſſe ſeq; XIV. Kal. liberatum & periculo exemptum legationis ſuæ ſecretum bono exitu, etſi infælici auſpicio, obiviſſe.

Lalainij ob effugium Legati indignatio.

Ferunt Lalainium, percepto Legati effugio, affectum impotentem, & per animum furori proximum, velut à ratione alienum, ſeverius quiddam ſi potiretur legato comminatum, interque faſcinatæ mentis illuſiones & futuri ſceleris ludibria, de licitando Legati capite & immittendo percuſſore cogitaſſe. Quod quanquam immaniſſimi ſceleris infamiam non effugeret, ita legatus fato & miniſtrorum curâ vitæ & ſimul patriæ ſervatus eſt. Quare Lalainius ut è crudeli voto omnia fluerent meliuſque procederent, optumum potentiæ fomentum civiles per urbem diſcordias proſevit ſparſis in vulgus Pontificium rumoribus, fœderatarum provinciarum Ordines urbi & quæſito majorum juri atque im-

immunitati iniquos, propenſioribus in Omlandiæ populum ſtudijs inclinare. Quæ ideo tanto facilius Pontificij perſuaderi ſibi patriebantur, quod Omlandi per Clantium & Iargæum Legatos Ultrajectinum fœdus inijſſent, crederenturque ex initæ ſocietatis clientelâ gratiam Ordinum ex odio civitatis obtinuiſſe. Neque enim Omlandos vinculorum & nuperi carceris oblitos ſenſum atque memoriam recentis injuriæ poſuiſſe, cæterum eſſe qui illius violentiæ ac contumeliæ placamenta ab imminuto urbis jure ſperent. Quod ſi perdant, ſe grande rerum detrimentum æmulos Omlandos ſolatium & vindictam injuriæ habituros, cujus ulciſcendæ calorem in ipſo vultu, in omni actione, in externis animi ſpirarent. Ab ijs eſſe, quod de erigendis per agros munitionibus cogitent, urbemque quæ ſola inter Lavicam Amaſiamque flumina foſſâ & vallo claudi debeat jure veteris per Omlandiam imperij privare. Quæ ſpecioſe dicta à Lalainio cives apud pontificios pronis auribus accipiebantur. Itaq; cætus & conventus nocturni paſſim per urbem faciendis conſpirationibus inſtituti, ad quas ære alieno nexi & mollitie vitæ aut turpitudine infames, velut regem reducturi, magno numero confluebant. Quippe quindecim cohortium auxilia Noveſium adveniſſe Benthemius nuntiaverat, Farneſiumq; magno armorum apparatui intentum de recuperando per Friſiam imperio & ſubvertendo Fœdere cogitare. Quod cum ex fide veri diceretur, ita conjuratos ad celerandâ conſilia impellebat, quæ mutandis per urbem rebus parari non vanis & incertis prodigijs obſervabantur. cIↃ. IↃ. LXXX.

Tradunt incerti autoris rudes notæ, inconditos clamores de nocte auditos, equorumque hinnitibus etiam altiſſimo rerum ſilentio verberatum aërem metum futuræ tempeſtatis fœderato per Groningam populo incuſſiſſe. Cui ut obviam iretur, Pompejus Uſkenius cum Joanne Cornputio viro nobili Lalainium adijt, eumque purgandis ſuſpicionibus ut Ultrajectum eat familiari & ſecreto ſermone hortatus eſt. Premi ſcilicet veſtigia veteris gloriæ poſſe, ſi mentem errore aliquo ſeductam ſuſpicione infœlicis conſilij exoneret, provolutuſque ad Aurantij principis ſecretum egregia monituro obtemperet. Patêre adhuc innocentiæ locum, ſi præcipitia labantis ingenij obfirmet retractuſque à malis cogitationibus in amplexum & ſimul conſilium optumi principis ſe effundat. Ab eo remedium ſi quis ſit erroris & amiſſi imperij ac ſimul gloriæ beneficium peti poſſe, neque recuſaturos Præfecturam Friſios ſi viderint lubricâ ætate ſororis conſilio aut aſſentatione aulicorum ſeductum ſanitatis auxilio non reſpuere. Quod ad diſjectas arces attineret, id æquiter & benignè, tanquam ab Ordinum Belgicæ decreto profectum, interpretaretur, habiturus firmius provincialis recturæ præſidium, ſi ſpretis arcium ac caſtellorum munimentis, infidâ imperij tutelâ, benevolentiæ procerum ſe inſinuet, redeatque in gratiam cum ijs quibus dignitatem, titulos & ſplendorem fortunæ ac clariſſimi nominis deberet. Moderandam eſſe juvenilis animi cupiditatem, quæ niſi in præſentium poſſeſſione conquieſcat, inexplebilem & futuri incertam eſſe. Mitteret regiæ gratiæ inanem umbram interque majoris fortunæ lubricam ſpem conſtitutus ſatietate adepti honoris ſe nutriat, quam ex virtute haberet. Majora certè à Philippo ſperari non *Prodigia.*

cIↃ. IↃ. LXXX. poſſe. Quippe commiſſas imperio ſuo provincias fœcunditate ſoli & fertilibus agris fœlices eſſe, quos præter clariſſimarum urbium ornamenta divitis populi fortunæ commendaret. Adhæc ampliſsimorum portuum commoditate, quam maris æſtuaria aut lati ſinus præſtarent, regiones munitas infeſtis gentibus acceſſum negare, vel maxumè ad ſecuritatem ſui per Friſiam imperij, ex quo, ſi in fide perſeveret, opes ac gloriam, ſuæ domui decora atque ornamenta habiturus eſſet. Quin reputaret eam ipſam regiâ dominatione, atque inſolentiâ externæ gentis attritam in tutâ quietis ac rerum poſſeſsione tandem collocandam eſſe, quod præſtare ſuâ virtute poſsit & ſi in actos in exilio ſuos & propinquorum annos, fugiendæ Albani ſævitiæ, memoriâ non excuſſerit. Proponeret illius temporis triſtiſſimam imaginem, cum viduæ & mœſtiſſimæ matri fugæ comes, primæ pubertatis lanuginem Albani gladio atque furoribus ſubduceret, tædiaq; & moleſtiam ſui & materni exilij in ſpem rediturææ libertatis honeſtiſſimarum artium meditatione & ſimul ſolatio levaret. Uteretur primæ ætatis egregiâ inſtitutione dimiſſiſque Oyenbruggio, Grutero, Conteravio & Balleio aulæ ſuæ dehoneſtamentis, generoſam & natam ad alta indolem optumæ matris & eorum præceptis inſtrueret, qui ne ſuſpicionem quidem defectionis, etſi in aperta productam ſui odio invaleſcere ex fiduciâ antiquæ virtutis paterentur. Id ſi fecerit animum recti conſcium, & ſine domeſtico tortore habiturum, qui alias internos cruciatus haud dubiè ſenſurus ſit, ſi manifeſtus clariſſimi fœderis deſertor omnem vanæ ſalutis ſpem in auxilio jurati & perfidi hoſtis poſuerit. Cæterum Lalainius optuma ſuadentibus omnia inconſtantis animi ſigna edebat, modoque rubore ſuffuſo vultu, modo repentinis palloribus occupato, angorem pectoris evulgabat.

Lalainij ad monitores reſponſum.

Tradunt autores, præter ruborem ingenuæ adhuc mentis & necdum excuſſi pudoris teſtem, lachrymas quoque Lalainio ex Ufkenij ſermonibus fluxiſſe, perculſumque deſperatione rerum, quod & fide apud Ordines & ſimul Farneſium in præſtandis promiſſis excidiſſet, perturbato animo ex colloquio Ufkenij egiſſe. Quod etſi ſilentio premeret, ne quid de ictâ cum Farneſio ſocietate incautè expromeret, ita velum aliquod præſumptis ſuſpicionibus obductum. Infractam ſcilicet religionis pacem & præter contumeliam ſibi rectori provinciæ inlatam rebelles Friſios arma induiſſe, æquatiſque ſolo caſtellis ſpecie libertatis moderata & juſta imperia per enormem licentiam detrectaſſe. Sic ad mores ſuos & ingenitam quoque majoribus ferociam redijſſe, qui dominantium ſuorum cauta & aſpera ingenia, primis quoque temporum ætatibus non pertuliſſent. Ita vitia gentis nomine virtutis ad poſteros tranſmiſsa, qui everſo principis imperio, ne rectores quidam libertatis ferrent, aut ut intra terminos ſtaret coërcita legibus atque præſidijs inquieti & ſimul ingrati populi inſolentia. Hæc ſcilicet præmia ſui in patriam, in fœderatum populum affectus eſſe, ut injuriam atque contemptum pro beneficio accipiat, cui vicem exſolvere grave mortalium ingenijs foret.

Pacatos Mechlinienſes, Valentinos fœderi adjectos, receptos in fidem Groninganos totâque Tranſiſulaniâ, qua Iſala & Vidro amnibus perluitur, victricibus armis perdomata ſe laudabile per Friſiam imperium ex-

exercuiſſe. Cæterum trophæorum loco, quæ in memoriam geſtarum fœliciſſimè rerum erigi debuiſſent, fanum invidiæ extructum, ac ſi ſeminatis per provincias diſcordijs, religione ſacramenti ruptâ fœdiſſimi proditoris perſonam induiſſet. A quâ cum abſit longius ſe Pompeio Ufkenio poteſtatem facere, Ultrajectum ad Ordines eundi, deque ſuâ in provincias fide atque integritate teſtandi. Cæterum Ufkenius Ultrajectum progreſſus, excuſationem Lalainij in criminationem convertit incuſatâ fœderati conſeſſus ſocordiâ atque ſecuritate quod pernicioſa Lalainij conſilia adoleſcere amotis ſuſpicionibus ac ſimul remedijs ſiviſſent. Eo namque rem deductam, ut defectio metuenda ſit & ut fœderatæ provinciæ Friſiorum & Tranſlavicani agri tractu ac ſocietate exuantur. Vigilandum conſulendumq; patribus eſſe, ne tempore malis Lalainij conſilijs dato, majus diſcrimen oriatur cui proſpici ante maturitatem conceptæ defectionis poſſit. Commeare ſcilicet ex hoſtili agro & Farneſij aulâ ſecretorum ſermonum internuntios, qui dignitates, qui gloriam, qui regis gratiam & auxilia polliceantur, haud dubiè adfutura ocyus ſi moram & tarditatem Ordinum anteceperint. Momenta temporum prudentibus curanda & ne effluat amovendis periculis nata & ſe offerens occaſio. Itaq; expediendas celerius in Friſiam copias, erigendas aut reparandas munitiones, ne Lalainius detectâ defectione ex amico & ſocio hoſtis nudatas juſtis præſidijs & inermes provincias auxiliorum ope debellet. Quæ ab Ufkenio propoſita Friſiorum & Omlandiæ Legatis, qui in iſto conſeſſu erant, magno aſſenſu commendabantur, non ignaris Surquetum Lalainij ſcribam miſſum ad eum faſciculum litterarum & cum eo regis gratiam per imprudentiam & temeritatem linguæ evulgaſſe. Quæ etſi Aurantio Principi ex fide veriſſimi rumoris indicarentur, ita omnem de Lalainio ſuſpicionem anteactorum memoria & renovatio clariſſimæ laudis amoverat. Itaq; Aurantius etiam in tam apto communis ſiniſteriorisq; famæ teſtimonio diu incertus quid ageret mutato, quæ ad Amſterodamenſes decreverat, itineris conſilio Campos per Velaviam profectus eſt, præmiſſo Groningam Pompeio Ufkenio, qui Lalainium ſui ad colloquium in urbe Camporum ſollicitaret.

cIɔ. Iɔ. LXXX.

Vfkenius Vltrajectum miſſus veternum Ordinibus excutit.

Thuanus ex commentarijs iſtorum temporum refert, Aurantium ſanandæ in Lalainio imbecillitati omnem ſolertiam tum navaſſe & ut hominem manu ſtrennuum, vigore juventæ laudatum in veteris officij continuatione revocando à deterioribus obfirmaret. Quare ducendo mobili ingenio, quod omne imperium ſicuti mortalia ſolent, vitio contumaciæ detrectaturum metuebat, leviore remedio uſus eſt, congreſſuſq; & amicitiam diſſimulando obfutura benigno per Ufkenium alloquio obtulit. Creditum fuit Aurantium Principem de componendâ Friſios inter & Lalainium æmulatione ac diſſidio tum cogitaſſe & ut impulſos motæ mentis in Lalainio ſpiritus beneficio oblatæ pacis ſedaret. De cujus eventu cum Friſij deſperarent, malo, ulterius, quam ut medicinam admitteret, provecto, ita tacitè indignabantur, manifeſti defectoris aperta & indies ſe prodentia conſilia diſſimulari, principemq; Aurantium more procerum aulicas ad artes & infidum percurandis ſeceſſionibus aſſentationis remedium illa temporum perturbatione confugere.

Aurantius in rectam viam reducere conatur Lalainium.

fugere.

cIↃ. IↃ. LXXX. fugere. Erant namque qui infidæ & mox exſpiraturæ ſocietati apertum bellum anteferrent & ut Lalainius inter non obſcura defectionis indicia deprehenſus, ſpem aut gratiam fœderatæ ſocietatis ex hoſtili ingenio amitteret. Quod ipſum quoque etſi jam ante regiæ gratiæ inlicio circumventum eſſet, ita Lalainius ſimulare doctus colloquij cum Aurantio deſiderium præferebat, ſeque interno pectoris gaudio attactum & humanitatem Aurantij Principis, & optumam conſulendi de rep. occaſionem agnoſcere. Itaq; vultu in hilaritatem formato, etſi aliud ſentiret, omne erga Aurantium ſtudium eruditâ tamdiu ſimulatione profeſſus eſt, donec Ellethæ Dongiæ ſuſpectæ fœminæ captivitate præviſa in illo defectio ſe aperiret. Ea namq; in matrimonio Hermanni Pellenij (is Robleſij Armifabrum egerat) agens ac Delphzilam tranſiens ubi Bartoldus Entenius tum forte erat, ab eodem in cuſtodiam data, ſecreta litterarum à Robleſio ſignata & omne arcanum muliebri fragilitate evulgaverat & quod Entenius vir acer & immitis ingenij terrore quæſtionis mollitiem incauti ſexus eviciſſet. Itaq; præter Robleſianas chartas ſyngrapham quoq; pro acceptis à Farneſio litteris manu Cornelij Kempij hominis Friſij & procuratoris exaratam exhibuit, additâ Farneſij epiſtolâ, quam inſtigandis ad arma & rebellionem Drentinis perſcribi, deferrique per fœminam, velut ſuſpicioni minus obnoxiam, Groningam ad urbem imperaverat. *Lalainij conſilia proditoria proferuntur in lucem.* Unde, quæ nox aliqua & quorundam conjuratorum conſcientia occuluerat, fato detecta, quod adoleſcere concepti ſceleris immanitatem exitio innocentis turbæ non ſinebat. Igitur Lalainius detectis, quæ profundo mentis & per artem diu abſtruſerat, vecors & conſilij rurſum inops, ſuâ conſcientiâ & Aurantij metu augebatur, quem cum præſidiaria cohorte, deſtinatoque ad cuſtodiam corporis ſpiculatore. Campis per Drentiam in Tranſlavicanos iter admoliri famæ plurimum largiens ſollicitudo acceperat. Quare ruptâ omni morâ decretum facinus intra ſe exequi conſtituit, dimiſſo ſine ſolatio ac fructu Ufkenio, qui ſoluto colloquio aulâ & mox urbe exceſsit.

Annotatum invenio Upconem quendam Douwonium hominem Friſium, & pertinacius regiâ factione imbutum, in Lalainij aulâ; ſumpto diſtrictoque clam gladio de trucidando Ufkenio cogitaſſe, eumque conſilij patrandæ fœdiſsimæ cædis incuſatum indulgentiâ conniventis judicij abſolutum. Eundem quoque in viâ Ufkenio vim poſt intentantem & conjurationis in patriam manifeſte reum, ad honores ac Lalainij ſpe provectum, trecentos Friſios exules occupandæ urbi & patrandæ cædi obtuliſſe.

Cl. Franckena in Diario notat, ſe præviſa quoque futuri tempeſtate vigeſimo nono Februarij anni intercalaris die Groningâ Dammonam conceſsiſſe, ne ſemel vinculis datus & terrore mortis perculſus in deterius majuſque vitæ diſcrimen ex infidi temporis conditione recideret. Cæteros econtra fœderis, etiam in Senatu, ſocios, ſua ſocordia ac ſuus ſtupor adeo dementaverat, ut & urbis ſuæ & ſalutis curam ex vetere in Lalainium fiduciâ exuerent. Quod cum à ſagacibus rerum palam deprehenderetur, famâ ſuſpiciones aggravante, Iacobus Hildebrandius Conſul, fœderatarum partium in civitate Princeps, Hovetmanni dignitate functus, ad Lalainium ſe contulit, cujus interrimâ familiaritate

tate ac conſuetudine floruerat. Qui in ſecretum admiſſus, multaq; de cIↃ. IↃ. LXXX. ſiniſtris populi primatumque rumoribus præfatus, ecquid periculi ſubeſſet interrogavit, Lalainiumque rubore, velut conſilij conſcio, ſuffuſum confidenti porro ſermone aggreſſus eſt.

Hildebrandi Conſulis libera vox & commonitio ad Lalainium

Neque enim abs re eſſe, quod Pontificij clandeſtinos in cœtus coëant, arma per domos & in ſeceſſu moliantur, ſuſpecto talium apparatu, qui haud dubiè in exitium urbis & miſerorum recaſurus ſit. Inde ſcilicet eſſe, quod in aulâ & per viciniam attineri armati, duplicatus ſpiculatorum numerus perhibeatur, nihil miniſterij aut officij reperturus ſi extra conceptum criminis, aut fœdiſſimæ cædis præfecti innocentia ſit. Caveret manus adhuc puras & flagitij inſontes ſanguine eorum imbueret, quorum auxilio ad provinciarum regimen, poſt ad gloriam profeciſſet, ituram in egregiæ laudatæque domus dehoneſtamenta ſi fœderatam multitudinem inter timores ac anxietates fiduciæ adhuc plenam ferro aut fugâ ſubverterit.

Lalainius ſimulatè reſpondet.

Cæterum Lalainius prolixâ innocentiæ obteſtatione uſus faceſſere ſuſpiciones, Hildebrandiumq; Conſulem, (quem blandiſſimo patris nomine indigetabat) reliquoſque fœderatos bono animo eſſe juſſit, & ut fragiles leveſque conjecturas in fidi metus & ægri pectoris argumenta certiſſimis fideï ſuæ documentis poſtponeret. Se iſti ſemel datæ obligatum bonis artibus & factis ætatem & ſimul imperium egiſſe, facturum ut perſeveret, deprehendantq; fœderati plus invidiæ & obtrectationibus, quibuſcum luctaretur, quam veritati & eventui tributum. Sua omnia fraudis ac doli expertia eſſe, neque metuendas ab eo inſidias, cujus fide ac fortunâ ſecuritas fœderis tot annorum decurſu ſtetiſſet. Quapropter excuteret Hildebrandius infœlicis curæ ſarcinam & amotis veteris fiduciæ impedimentis, præteriti temporis merita, non futuri metum introſpiceret. Nimis certè credulos mortales naturam rerum finxiſſe. Quæ verba manantibus per vultum lachrymis Lalainius exprimebat, ſive miſeratione perituri, ſive ut magnitudinem futuri ſceleris bonæ mentis & attacti pectoris indicio velaret. Addita etiam dexteræ fides, quam multoties fœderi datam fœdiſſimo perjurio tum obligabat. Itaque Hildebrandius, velut reciprocâ pietatis luctâ, in pares lachrymarum fletus effuſus cœnam cum eo ſumpſit, eamque inter blandicias infidi oris actam nullâ ſiniſtri ſuſpicione clauſit. Sunt qui addant, muſicos quoque vocum concentus ferali in cœnâ auditos, interque vinolentiam & tripudia partem noctis actam, ne locum quidem apud aperti cordis hominem anteactis ſuſpicionibus reliquiſſe. Quare ſalutato tandem Lalainio ad ſuos converſus Hildebrandius periculi ſecuros eſſe juſſit, ordinarijſque vigilum ſtationibus quos duplicari oportuerat, cuſtodiam urbis & ſuorum reliquit. Mox Cornelio Kempio, manus injectæ, vinculiſque dato tormenta eliciendis arcanis decreta. Cæterum Lalainius, qui ad fœdus Gandavenſe ſignandum, tanquam novum ſacramentum ſuos clam adegerat, cum vehementiâ interceſſit, quæſtionibuſque habendis ſuperſedere Senatum juſſit. Is verò ad Ultrajectinam & Aurantij ſocietatem provocabat, ſeque à Lalainio ad amplectendas fœderis partes vi adactum, ſtare ſacramento ac animadvertere in flagitioſos ſtatuiſſe. Eâ ſcilicet ſeveritate diſciplinam reip. ſta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXX. re, lapſuram ocyus, ſi inter domeſticam proditorum turbam conſtituta auroritas rigore pœnarum non fulciatur. Improbi quoq; & ex moribus licentioſi temporis malis ingenijs inſolentius uſi majeſtate legum, & ſuppliciorum metu non coërceantur, quem omnis ætas conterrendis, aut emendandis pravorum animis ac delictis, nullâ criminum indulgentiâ, injeciſſet. Quæ à Lalainio ægrè audita, quod patrocinia reorum invidiâ Senatus ſuſcepiſſet, infœlicem animum maturando ſceleri egere. Itaque Hagenio Campos in magnâ feſtinatione ablegato, circa primam vigiliam convenire conjuratos juſſit, iiſque ut arma induerent monitis, aulicorum quoque domeſticorumque turbam inter miſtis ſpiculatoribus armavit. Ipſe vigilijs & continuâ inquietudine noctem extinxit, quam illunem & exequendo ſceleri commodam cogendis conjuratis ſacraverat.

Lalainius maturando ſceleri ſeſe accingit.

Scribunt militem quoque clam intra urbem admiſſum, perque pontificiorum domos & ſecreta in inſidijs collocatum, oppreſſos ſomno fœderatos, & occaſionem incipiendæ cædis indicaſſe. Ita quintâ tandem matutinâ conjurati convenere, emiſſique quadraginta à Lalainio equites, qui albâ faſciâ ſiniſtro brachio dignoſcendis conjuratis affixâ, per urbem vicoſque diſcurrerent. Pontificij quoque ab exilio nuper in urbem intercedente Lalainio revocati ſolito ferociores animos acuerunt, coactique in cœtus, dein in plateas more bacchantium effuſi, incondito & nocturno clamore totam civitatem complevere. Forum quoque ipſum Everardus Simonius civicæ cohortis ductor, Petrus verò Oldendorpius reliqua urbis loca deſtinatis eâ nocte vigilibus obſeſſerat. Quo urbis motu Conſul Hildebrandius ad nocturni clamoris auditum, & furentium inſaniam domo ſe effudit, auxilijſque ſuorum, quos in comitatu habuerat, nequicquam imploratis, velut manum conſerturus, à Lalainij famulo glande plumbeâ ictus occubuit. Ita fidiſſimus patriæ civis à familiari ſuo proditus, miſeram urbem ſuo primus ſanguine reſperſit. Cujus cæde factum eſt, ut reliquis in fugam abreptis, conjurati per urbem ex arbitrio rem gererent, in quam è ſuburbijs fæx quoque nautica, vallo foſſaque ſuperatis, ad diripiendas fœderatorum ædes dulcedine prædæ confluebat. Itaque tum eorum fores magnis ictibus pulſatæ, quos aut altus ſopor, aut pavoris magnitudo ſecretis domorum abſtruſerat. Lalainius ipſe equo in forum provectus, ſtrictumque gladium nefariâ manu tenens, ordinem & imperata ſceleribus dabat, miniſtroſque conjurationis conturbandas ad domos hortabatur.

Hildebrandius Conſul plumbo trajicitur.

Quippe triginta ſchlopetarijs ſtipatus, quos aulæ ſecreto detinuerat, animum ſumpſerat, auxiliaq; altâ voce gerendis rebus implorans velut ipſo natali præfecturæ die, dominum rectoremq; populi ſe profeſſus eſt. Tum tribus campeſtribus tormentis ritè inſtructis, quaternâ tubâ ſignum dari juſſit, tympanorumque conſonantium clangore turbidam & ad pericula pavidam civitatem excitari.

Quare plurimæ tunc familiæ non ſine ludibrio in captivitatem abductæ, fæminæque imbelles, muliebri cultu à furentibus detracto, maritorum & juxta ſuæ calamitati ingemuere. Theodorus Schafferus, Hildebrandio in conſulatu collegâ graviter vulneratus, cum Regnero Alberda, Gulielmo Ubbena, Alberto Horenkenio, Everardo Huningio cæteriſque

Plurimæ ex primarijs familiæ vinculis datæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

que militaribus excubijs traditus, conſularis & ſummæ in urbe poteſtatis dignitatem protervià militùm & facinoroſorum civium deludi conſpexit. Ferunt vulgus ipſum & ex plebe infimos ad quingentorum ſexcentorumque capitum numerum confluxiſſe, ipſumque Lalainium auſpicium nefario facinori facturum, velut præſentaneâ morte palluiſſe. Volente ſcilicet providentiâ ut reprobæ mentis index facies mortiferi coloris fœditate inquinaretur, ruboremque ſanguinis & genarum ſuffecto lurido & deformi pallore venturæ tabis indicio amitteret. Adeò inſtantis & ultimi periculi momentum omnem fiduciam anxiâ ſollicitudine mutaverat. Tradunt factionum ſtudia & earum acerbitatem tantam in urbe Groningâ fuiſſe, & præter propinquorum animos partium diſcordijs corruptos, fratrum quoq; affectus, & naturæ amicitias fœdiſſimis odijs divulſerit. CIↃ.IↃ. LXXX.

Tum Lalainius patrato ſcelere, à quo ordiri ſe imperium vecors & amens exclamaverat, in forum tabernâ vinariâ deſcendens, Thomam Ballenium, Pompeium Everardum, Joannem Wiſeringium, Joannem Thomæum, Theodorum Robertium, Everardum Simonium urbis Syndicum, Joannem Goudanum, Hermannum Winbruggium, Jacobum Vinckeburgium & Nigellium Stellinguerfium cohortium ductores & conjuratorum primos factâ coronâ convocavit, verbiſque pro concione factis ſacramentum exegit. Itaque manus à circumſtantibus paſſim in altum erectæ, dictoque obediens turba, ulteriori furoris miniſterio ſe obligavit. Unde biduum abducendis in carceres familijs denuo exactum, non ſine ejulatu ac lamentis eorum, quos aut ſexus aut ætatis infirmitas ad perferendum crudele ſpectaculum non obduraverat. Mox convocatis ſodalitatum opificumque collegijs, novum juratum concilium priore abrogato creari fecit Theodorumque Robertium & Chriſtophorum Dieſtanum Conſules deſignavit. Igitur ex fugâ civium quos timor in foſſam amnemque Huneſum præcipites agebat, fœda paſſim per urbem & triſtis ſolitudo, quæ miniſtrorum reformatorum primorumque civitatis ſub ignoto quoque habitu ſubſequentium diſceſſu augebatur. Erant namque qui mutatis tantâ urbis tempeſtate rebus omnem ſpem ſalutis in exilio ponerent, quod modo huic, modo iſti parti ex infido temporum ſtatu obveniens fati, velut in orbem euntis, ſolatio præſentem miſeriam allevabat. Dein redacta in poteſtatem urbe, paceque velut per ſolitudinem ex fugâ fœderatorum clariſſimorumque civium partâ, regiæ gratiæ initiq; cum Farneſio fœderis edictum pro roſtris publicavit, populumque recentis mali terrore conſternatum illius in acta jurare juſſit. Litteris quoque confeſtim exaratis agrariam nobilitatem opprimendis fœderatis ſollicitavit, & ut illuſtriores familiæ regis gratiam amplexæ ſimili per agros ſævitiæ experimento ſuis partibus ac ſimul in remp. conjurationibus ſe innecterent.

Lalainius Groningæ veteri Magiſtratui novum ſubſtituit.

Cæterum nobilium animis immanitas ſceleris & averſatio ſe infuderat. Cui expiando, ne quod placamentum teterrimo facinori deforet, propiore fœderis ſacramento ſe obligavere, armaque & pecuniam in mutua auxilia depacti cum recentiſſimi furoris infamiâ veteris in urbem odij memoriam refricavere. Quibus & hoc accedebat, quod Bartoldum Entenium clariſſimorum per Omlandiam familiarem propin-

Lalainius nobilitatem Omlandiæ in ſuas partes trahere conatur.

cIↃ. IↃ. LXXX. quitates & ſtudia trahentem Lalainius hoſtem decreto Senatus oppidani proclamaſſet, omniſque ſuburbanus ager vaſtationi expoſitus necdum remiſſi furoris inſaniam redargueret. Quare metuebant, ne Lalainius à Farneſio auxilijs inſtructus, in omnem Amaſum inter Lavicamque flumina agrum ſe effunderet, inſolenſque civitas & ex peracto ſcelere immanior domos atque arces & cum ijs omne ſacrum ac familiare diriperet. Itaque legati Franckenæ litteris auxilia è Friſijs Dammonam evocata, quos præviſa Lalainij defectio, perferente eam famâ, minus ut ſolet perculerat. Econtra plurimis nationibus, quas Lalainij nomen atque gloria pervaſerat, defectionis peſſimæ nuntium ſtuporem incuſſerat, quod Aurantio quoque à Diderico Sonnoïo communicatum, in principe animo fidem veri non inveniebat. Igitur velut illuſione mentis aut inſomnio attactus, ſpem & fiduciam falſi rumoris retinuit, donec Joannis Cornputti & Lubberti Ulgeri centurionis, qui diſcrimen clam evaſerat, ſermone tanquam certiſſimo teſtimonio vinceretur. Quare tunc primum vacillare inanis fiducia cœpit, verſo ècontra in diffidentiam principis ingenio, quod omne ſecretioris conſilij cum Pontificijs commercium ex illâ Lalainij defectione ac levitate reſpuebat.

Albadæ præſagium de Lalainio. Albada ſcribit, ſe in litteris IV. Kal. Mart. ad Friſios perſcriptis, ab eâ ut caverent monuiſſe, ac ut prædictionem iſtam ex arcano mentis præſagio profectam, tanquam futuræ defectionis fatidicum oraculum interpretarentur. Quod ipſum etſi Regnero Alberdæ Groningenſium Conſuli ab eodem quoque communicatum fuiſſet, ita ſimulationibus Lalainij nimium tribuiſſe, quas ſupra ætatem & juventæ calores exercere doctus credulis & ad ſua ſecuris obtruſiſſet. Itaq; famâ Lalainiæ defectionis Coloniam perlatâ, ubi Albada Friſiorum Legatus ex pacis adhuc negotio hærebat, ovationes & gaudiâ hoſtium viſebantur, quos morum & juxta fortunæ laſcivies luxu & commeſſationibus ſolutos ex unius defectione faciebat. Scribunt à temulentis turpiſſimas proditiones fœderatis quoque affictas, Lalainiumque avertendis, quæ ſtruebantur, inſidijs ſui ſecuritatem inimicorum captivitate paraſſe. Igitur poſcendis pro Lalainio auxilijs, Farneſium eorum importunitate ſollicitatum, quem ſola æris, ut tradunt, inopia maturandis delectibus morabatur. Albada notat copias quaſdam circa Karpenam arcem & per Cliviam tum oberraſſe, nulloque rectore, aut ſtipendio effrænes, regis Philippi ſacramentum & ſignorum fidem defectu pecuniæ abnuiſſe. Quorum quoq; inruptionibus ne Friſia reliquæque trans Rhenum provinciæ infeſtarentur Aurantius Campis adhuc agens, de erigendis per Friſiæ confinia munitionibus cogitavit, & ut Coverdiam Vidro fluvio & paludum uliginem inacceſſam, rudi & imperfecto opere nuper cirdumductam, majore curâ emuniret. Burtangam quoque haud procul Reiderio ad Amaſum agro & Lingenſium finibus paluſtri loco ſitam in formam juſtæ munitionis efformaret, impoſitoq; fœderatorum Ordinum præſidio tueretur. Cujus negotij Diderico Sonnoïo viro nobili & ſtrennuo ad emiſſarium Vidri fluminis, ut ante dixi, præſidium tenenti poteſtatem fecit, eaque de re Campis diploma præſcripſit. Hohenloum quoque virum militiæ impigrum retinendo in fide mobili populo in Tranſ-Iſulaniam miſit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

miſit, & ut omnem Drentiæ, qui Friſijs obtenditur, tractum una cum Tranſ-Iſulaniæ oppidis Lalainio addictis Ordinum fœderi aſſereret. CIↃ. IↃ. LXXX.

Econtra Lalainius clementiæ & ſimul Philippi virium documenta oſtentabat, interque minas & blandimenta ſuſpenſum illius oræ populum militaribus potiſſimum præſidijs coërcebat. Quare Sonoius ne ultra Lalainius lacertos moveret, & ut Iſala amne Rheni fluminis commeatu ac commercio prohiberet, Camporum oppido Michaëlis Samplonij cohortem induxit, potiſſimamque Tranſ-Iſulaniæ partem, adjuvante Hohenloo, in officio retinuit. Itaque Daventriæ & apud Suollanos Friſiorum exemplo templa ſtatuis ac ornamentis nudata, ope potiſſimum & conſilio illorum, qui Lalainij ac conjuratorum deteſtandum facinus & maculatam perjurio fidem execrabantur. Itaque per illam & vicinas regiones Lalainij & Groningenſium litteræ odio fœdi facinoris per fœderatorum exploratores interceptæ, quos obſervandis tabellionibus per omnia viarum ſpatia periculoſiſſimi temporis ſollicitudo præmiſerat. Cornputtus quoque Drentino ex agro ubi ſtativa cum cohorte agebat, datis Groningam ad Lalainium litteris pro captivo Senatu & fœderatis civibus interceſſit, pariaque niſi illæſi redderentur comminatus pronum ad ſævitiem defectoris ingenium conterruit. Cujus odio poſt ſacerdotum fugam, cœnobitæ quoque reliquis per Friſiam monaſterijs etſi ſpecie liberæ ceſſionis excedere juſſi, omniaque ſacrarum ædium bona in tabulas redacta. Quare inter Ooſtergoos Wolſendij Carmelitæ, Clarecampij & Doccomienſes, è Weſtergois penſionibus annuis ad alimenta in vitam impetratis cœnobia deſeruere, quæ magna religioſorum multitudine per cenſum & opulentiam referta mæſtâ ſolitudine ſquallebant.

Lalainius fruſtra ad defectionem ſollicitant Tranſ Iſulanos.

Omnia ſacrarum ædium bona in uſum publicum verſa.

F. Nicolaus notat Staurienſi fano à militibus direpto, vaſtatiſque altaribus, Cornelium Wedam centurionem cum præſidio urbe exceſſiſſe, Martioq; menſe pleraq; per Friſiam fana & monaſticorum collegia, velut publico tempeſtatis conſenſu, ſpoliata. Magnum quoq; religioſorum numerum in cuſtodiam conditum, redimendis, ut creditum fuit, captivis quos Lalainius ſatiato necdum furore Groningæ in vinculis aſſervabat.

Reperio in actis Carmelitarum apud Ilſtanos cœnobio eandem vim inlatam, ejuſque dotem ab Hobbone Bardio ex profeſſione conſulum commentario perſcriptam. Ita ſacer cenſus gerendo in regios bello & ſtipendijs militum deſtinatus, quæſtoreſque ærarij illâ rerum anguſtiâ reddendis rationibus & ad præſtandum æs decreto Ordinum adacti. In quibus cum eſſet qui pecuniam ærarij exſolvendis Germanorum quæ Philippo & Senatui militaverant cohortibus & provinciæ debitis aſſignandam criminaretur homo Pontificius & ex regiâ factione, Delegati è collegio Deputatorum Barthius Idſaerda & Gellius Sibæus, qui pecuniæ adminiſtratione eum prohiberent, invitoque & fortè reluctanti paratum æs extorquerent. Quare vigilum urbis præfecto, duobus ſchlopetarijs & ferrario fabro ſtipati in ejus ædem irruere malleoque ſeræ admoto, effringi ciſtam juſſere, in quà publicas pecunias aſſervari famâ perceperant. Cæterum de vi obteſtatus ad Deum, Juſtitiam, Regem ſuum & terrarum orbis fidem provocavit, cavitque ne iſta actio oneri ſibi aut damno eſſet, & ut obteſtatio ad innocentiæ probationem valeret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXX.

Mox recluſo ærarij ſecreto, pecuniâ omnis Paulo Gellio ſucceſſori tradita, ipſeq; tanquam decreto Ordinum contumax omni æris poſſeſſione ac tribunatu ærarij ſubmotus eſt. Id III. Non. Mart. factum. Quibus & hoc accedebat, quod collatis pridie accepti expenſique rationibus tredecim carolæorum millia, quadringenti & nonaginta Septem in ærario deſiderarentur, tabulæq; ea de re ſcriptæ malè adminiſtrati æris hominem importunum convincerent. Tum omnium rerum venalium, quæ provinciâ exportabantur, indictiones ab agrarijs in comitio ſcriptæ, quod alieni æris magnitudo & apparatus belli exhauſerant. Itaqne equorum pecorumque pretia æſtumata, vigeſimaque quinta æris portio in ærarium inferri juſſa divitem armenti provinciam ditavit. Tum butyri, caſei adipis, tergorum, bovis ſevi, laridi, mellis, ſalitarum carnium piſciumque, lanæ, ceſpitum, lignorum, calcis, leguminum, frumenti, fœni, ſimiliumque rerum pondera ac menſuræ tributo ſubjectæ, omneque vicinarum gentium victui atque commercio inſerviens onere ac portorio gravatum. Tabulæ ab Epæo Douma Hallemio & Suffrido Fockenio pro Ooſtergoïs, Foppio Grovenſteinio, Joanne Hottingha, Juſto Ockingha, Horatio Hettenio Douma, Dyoniſio Adama pro Weſtergois, Regnero Idſio, Feicone Tatmanno & Gellio Hepkenio pro Sylveſtribus ſignatæ.

Omnium rerum venalium indictiones ſcriptæ per Friſiam.

Refert F. Nicolaus, Martio menſe comitium Friſicæ gentis indictum, eoque decretum ut in bimeſtre quadraginta octo aureorum millia in tributum præſtarentur. Friſij quoq; in provinciali aut Status concilio ſocio jure ternos haberent, Omlandiaque cum Groningâ urbe Ultrajectino fœderi aut generalium Ordinum ſocietati reſtituta unius provinciæ nomine cenſeretur. In dignitatibus etiam primi Ordinis obtinendis terni à provincialibus nuncuparentur, unuſque à Deputatis Ordinum jure repræſentationis Electus, diploma à Gubernatore Generali & provinciali Concilio acciperet.

Friſij graviora onera abnuunt.

Invenio in actis, Ordines generales Antverpiæ congregatos, centeſimam bonorum aut quintam annuorum redituum partem, in ſubſidia Friſios tum reliquaſque Belgicæ provincias inter cætera tum popoſciſſe, Friſioſque à repetendis perferendisque iſtiuſmodi oneribus alienos mollioribus ut haberentur tributis decreviſſe. Itaque Legatis Antverpiam ituris mandatum eſt duriora tributa & ingenio gentis adverſa removeri Friſiâ curarent; populique fortunæ & tenuioribus rebus terrarum ſuarum inundationes & diſſipatas præſidijs opes obtenderent. Secus, invalidâ excuſatione, vicinarum provinciarum moribus ac decretis ſe afformarent. Quod ad applicanda reip. ærario Eccleſiaſtica bona, aut emendandos eorum uſus (nam id Ordines generales petierant) attineret, fidem facerent, quoniam jure Ultrajectini fœderis cuique provinciæ in cauſâ religionis diſponere liberum foret, ſe ſtatuiſſe ſtabiliendæ paci ac concordiæ Romana Pontificia per Friſiam religio aboleretur. Quippe ſacerdotum plurimos conjurationis in patriam & hoſtilis conſilij conſcios provinciâ fugiſſe, religioniſque pacem & Ultrajectinum fœdus averſatos beneficijs ſuis ultro renunciaſſe, aut in prava conſilia ferendis per Friſiam diſcordijs deflexiſſe Itaque decreviſſe ſe, ut Miſſæ excercitio ſacerdotes prohibeantur, & ut omnis antiqua beneficij collatio ceſſet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ſet, exemptoque patronatus & privato poſſeſſorum jure, à provinciali cIↄ. Iↄ.
Senatu & Deputatis Ordinum reſcindatur. Poſtremum de bonis fiſco LXXX.
adjudicatis (nam & hoc ſubjunxerant) aut poſt acquirendis Senatusconſ. perſcripſiſſe, ut ea publico Friſiæ ærario inferenda cenſuerint, Deputatorumque conſilio ac autoritate muniendis agris ac civitatibus admonenda, dum commune provincialis fiſci ærarium applicandis in certos uſus fiſcalibus bonis ac actionibus erectum ſit.

Mox Ordinum fœderatorum decreto ne dubijs temporum ex licentiâ militum, diſciplina & autoritas imperij labaſceret, leges innovando formandoque militari ſacramento ſcriptæ, Friſiorumq; præſidijs à Renico Cammingha Cenſore copiarum ſolemni ritu prælectæ. Iſtæ erant:

Leges innovando formandoque militari ſacramenti ſcriptæ.

Vt fœderatus miles Geldriæ, Zutphaniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Vltrajecti, Friſiæ & Omlandiæ Ordinibus fidem præſtaret, eorumque tribunis, centurionibus aut vicarijs pareret. Damna quoque & incommoda à fœderatis provintijs & earum ſocijs averteret, hoſtique removendo, terrâ, mari, in acie ac locorum oppugnatione, denique in ſtationibus expeditionibusque faciendis, officia atque vitam impenderet. Matthiæ Archiduci, Aurantio principi ejus Vicario, Ordinibus generalibus fœderatis & Friſiæ ſacramentum diceret, conſiliaque aut facta ſaluti publicæ adverſa aut noxia, ſi quæ innoteſcerent, apud ductores cohortium profiteretur. Arma in promptu noctu & interdiu quibuſcunque in locis haberet ijſque tam in Hiſpanos eorumque ſocios, quàm graſſatores pacis publicæ & Ordinum hoſtes uteretur. Ijs addictos, aut ſubducere ſe imperio Archiducis, Aurantij, Ordinum fœderatorum & Friſiæ in ſpem regiæ pacis agitantes ad centuriones vicarioſque deferret. Conventus & conſpirationes inconſultis Tribunis ac centurionibus non iniret, cæterum binos aut ternos perferendis ad Ordines, Præfectum, Deputatos aut eorum legatos querelis deligeret, Provinciâ inopiâ æris laborante, modico ſtipendio aut victu haberetur, reſiduumq; æs quaternis menſibus acciperet. Signum pugnæ, non niſi de mandato Centurionis ederet, id ſi daretur, in armis foret, à ſignis non niſi ex causâ ſonticâ abeſſet. Expeditionis, excubiarum, aut pugnæ tempore pecuniam non flagitaret, id faciens, laqueo necaretur. Mandata Superiorum detrectans reſpuensq; vitam amitteret. Iuſtitiæ impedimentnm nemo faceret, cæterum iſti adminiſtrandæ juramento ſe obligaret. Recenſioni quovis tempore ſe permitteret iſtâ durante, Sclopetum glande non inſtrueret, laxaretur. Id ſi faceret, pœnâ mortis aut arbitrariâ corrigeretur. Cenſori copiarum omnem honorem atq; officium deferret, verba facienti dicto audiens eſſet, pecuniam ſub pœnâ mortis non poſceret. Ad ſigna temulentus non veniret, pugnâ, convicio, maledictis aut blaſphemijs ſub arbitrariæ correctionis pœnâ abſtineret. Glande plumbeâ non niſi in hoſtem, aut tempore excubiarum & de mandato Præfecti cohortis ſub pœnâ extremi ſupplicij uteretur. Excubias ad mandatum Superioris faceret, eæ nullo tempore intermiſſæ unius aut duarum horarum eſſent. Procul ſomno miles vigilijs vacaret. Præſidij loco exceſſurus nulli damnum aut injuriam crearet, id ſi faceret, libram Flandricam penderet.

Quæ ſingula IV. Eid Mart. Franekeræ, dein alijs in locis juramento firmata, labantem fato aut ex moribus temporum diſciplinam emendavere.

Sic tributo penſitandis bimeſtribus ſtipendijs per provinciam decreto & militari populo parendi legibus adſtricto, ſigna è Friſijs in Tranſ-

Lavi-

CIↃ.IↃ. LXXX. Lavicanos miſſa, quæ in ſpem ultionis & obſidij Ioannes Cornputtus vir militiæ & conſilij impiger ex Weddano caſtello omnique vicinâ munitione Groningam ad urbem conduxerat. Quod conſilium eo magis feſtinabatur, quod Lalainius, in ſciſsâ & factionibus debili civitate ageret, invidiæq; civium ex cæde & tantâ mutatione rerum expoſitus raris munitionibus circumductâ urbe, tanquam imbelli, ſe tueretur. Cui facto etſi velum aliquod adhuc obtenderet, facili talium artium juventâ, ita erant nihilominus, qui priſtinum amorem ejus odio mutarent, ſceleriſq; infamiam diritate atrociſſimi criminis exſecrarentur.

Lalainius licet occupatâ urbe tamen invidiâ civium laborat,

Legi epiſtolam Georgij Gruteri conſiliarij aulici ad Theodorum Lonckium fœderati apud Ultrajectinos collegij in Friſiam tum Legatum, manu ſcriptam, quâ fœditatem patrati facinoris elevabat, ac ſi Lalainij, aulicorum & Groningani populi ſecuritas in ultimo diſcrimine conſtituta extremi & præcipitis remedij eguiſſet, Quippe doloſis inimicorum conſilijs circumventum aſſerebat & potiſſimum illorum, qui ſeditioſis turbidiſq; ingenijs diu uſi, vitæ, famæ atq; fortunis Lalainij paratum exitium deſtinaviſſent. Igitur feſtinato ad præveniendos inſidiantium aſtus, opus fuiſſe, ne diſſimulato periculo pauciſſimarum horarum ſpatio tracta præclari facinoris tarditas perniciem daret, quod propediem publica patrocinia & terrarum orbis conſcientiam pro teſte laudis habiturum eſſet. Quare petebat Gruterus, ut Lonckius Burchiuſq; apud Friſios Legati id factum, tanquam ex neceſſitate petitum, benignè interpretarentur, crederentque non malum & iniquum fœderi animum, cæterum ſubitaneæ rerum mutationi tuendæ ſalutis juſtam ſollicitudinem velut cauſam ſubfuiſſe. Notarum ad epiſtolam autor ſcribit, illam faſcinando potiſſimum Aurantio & quibuſque probiſſimis exaratam, quo perſuaſione neceſſariæ defectonis & ſuæ credulitatis vitio decepti, vetere in Lalainium fiduciâ ſocordiam & ignaviam induerent. Cæterum fraudi & fucandis mentibus deſtinata fœderatorum procerum cura atque ſollicitudo perverterat.

Sonnoius namque muniendæ Coverdiæ ac Burtangæ mandatum exequi juſſus, binas peditum cohortes, quas Cornputtus & Wingardius ducebant, Coverdiam feſtino itinere expedierat, quo præſidijs cohortium munitionis erigendiq; novi operis conſilium fœlicius procederent. Ubi ſeditione militum duorum ſupplicio ſedatâ, qui immodeſtius ſtipendia flagitantes cædes & direptiones ſignorum comminabantur, Adriani Antonij Alcmariani arte ſeptemplicis valli fundamenta erexit, operiſque utiliſſimi propoſitum admoliri annixus eſt. Sed vallo jacto perducendi ad finem operis conſilium abrupit, tergiverſantibus Friſijs caſtellum premendis Drentinis olim extructum, novo ſumptui atque ſervitio emuniri. Non ideo ſcilicet arces per Friſiam regiæ externæque dominationis munimenta civilibus ſe armis deſtruxiſſe ut quiete Friſiorum terris redditâ ſeverioris imperij novum exemplum in vicinâ gente ſpectaret, caſtellaque domi diruta foris extrueret. Ea certe infida regni documenta diu fuiſſe, regnaturumque adhuc fœlicius Philippum, ſi amotâ arcium fiduciâ, ſtabilis imperij præſidium favore populi firmet, ſuperbaſque moles & diſſociandis dominantium parentiumque ingenijs extructas, cum veſtigijs veteris invidiæ aboleat. Simile patribus cogitan-

Sonnoius Coverdiam ac Burtangam munire jubetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

gitandum eſſe, ne reprobato regis imperio ſpem libertatis vicinis gentibus præcludant, ſuæque ſervitutis pertæſi, alienæ autores habeantur. cIↄ. Iↄ. LXXX.
Cæterum utiliſſimo operi, ut ex provinciarum diſſenſiones ita ærarij anguſtiâ impedimentum potiſſimum naſcebatur, indignante Sonoio tantæ molis exordium in illo caſtrenſi & tuendorum finium apparatu morâ aut æmulatione exoleſcere. Recludendas potius provinciarum opes, removendamque inutilem parſimoniam eſſe, muniendæ ocyus Coverdiæ, quæ ſecuritatem omni trans Rhenum provinciæ, metum ac deſperationem obſeſſæ urbi allatura ſit. Nam & ita auxilia ſperantibus intercludi, & penuriam commeatus atque annonæ Groninganis orituram ſi Coverdiam ex arte munitam juſtis fœderati præſidijs impleverint. Cæterum viri tuendæ patriæ ſtudio flagrantis hortamentis monitionibuſque parum retributum, æmulatione potiſſimum illarum nationum, quarum incolumitati perficiendi operis deſiderium deſtinabatur. Adeo ad propria commoda ſocors quoque & ſupina ſecuritas illis temporibus erat. Quare Burtangæ quoque multo opere vallandæ ardor intepuit, frigeſcente ruſticæ plebis & foſſorum officio, quod Entenius Weddano ex agro pecus abegiſſet, populationibuſque ipſi Drentiæ, infeſtus ſocietatem illius populi hoſtilibus moribus infirmaret. Itaque Sonoïum etſi pro reſtituendo pecore apud Hohenloüm intercedentem, laborantium multitudo deſtituit, operiſque neglecti & mox deſerti incuriâ omne Friſiorum ad firmandam Burtangam ſalubre conſilium diſparuit. Quippe non ſubſidij, aut æris pollicitatio, non inſtantis periculi timor continuando labori eos incendebat, quorum animos à publici boni curâ ſocij fœderatiq; militis inſolentia & rapinarum dulcedo averterat. Igitur hoſti colligendis circa Rhenum auxilijs occupato planum in Drentiam & Tranſlavicanos iter patefactum eſt, quod alias ex fœculentâ paludum altiſſimarum uligine imperium, parantibus irruptionem monſtrabatur.

Burtangæ vallandæ ardor intepuit & diſparuit.

Clariſſimus fidiſſimuſque illius temporis ſcriptor tradit intermiſſi operis damnum & ſimul dedecus avaritiæ præcipuè Sonoij imputatum, quod ſtrangulatâ laborantium mercede, pecuniam erigendis munitionibus decretam privatos in uſus fœdiſſimo peculatu convertiſſet. Quare omiſſa iſtarum munitionum curâ, parum quoque ad Groningæ obſidionem profectum, quam rudi caſtrorum forma & auxiliorum defectu infructuoſam fore ſagaces futurorum ominabantur. Quippe in caſtris triginta tantum pedeſtres, equitum binæ cohortes numerabantur, quas vagas, & planos per agros, rarâ virtutis ad urbem oſtentatione ſe ſpargentes, licentia militaris imprudentiſq; ac temulenti Ducis debile imperium faciebat. Econtra ab oppidanis delectus quoq; per urbem inſtituti, quæ eâ parte, qua Huneſum amnem excipit, & genuino molari colle exſurgit, permunita, paſcendi per ſuburbana pecoris curam non intermittebat.

Quod avaritiæ Sonoij imputatum.

Entenius verò, Reiderio amni, qui ad Ahæ Huneſique confluentes omne aquæ declivium ad æſtuaria longo tractu defert, terrâ atq; obice oppilato, reliquos minores pontibus conſtravit, quo urbem frequentiâ populi amplam, intercepto commeatu, annonæ penuriâ gravaret. Quod tantillis cum copijs facere arduum ac difficile expendentibus periculum videbatur, auctâ inſuper potiundæ urbis deſperatione, quod præter tormentorum machinarumque defectum, pecuniæ quoque & ſtipen-

Entenius Reiderium amnem terra atque obice oppilat.

CIↃ. IↃ. LXXX. diorum inopiâ inſolens exercitus laboraret. Itaq; Winſumano comitio, campanarum per Omlandiam æs fundendis tormentis decretum, & ut omne cœnobiorum, templorumque aurum atque argentum monetæ formâ ſignaretur. Unde ſacræ opes, & per eas in luxum profuſior divini cultus, templis ac monaſterijs detractus, indulgentiâ quoque & decreto ipſorum Præſulum, quos vetus in urbem odium profanandis, ut credebatur, ſacris quoque ſuis accenderat. Quare & de eorum antiſtitum, qui civitates partes delegerant bonis fiſco addicendis eodem comitio deliberatum, & ut Entenio premendæ arctius civitati majora auxilia decernerentur.

Entenius gloriæ ſuæ indulgens omne auxilium reſpuit.

Cæterum Entenius gloriæ ſuæ, ultra quam par erat, indulgens, alienæ æmulator, magnoſque & ſupra fortunam ſpiritus gerens, omne auxilium reſpuebat, ratus civitatem, etſi inexpiabili erga ſe odio affectam, ſuo arbitrio ſe permiſſurum. Quod ne fieret, & ne Philippus omni inter Amaſum, Vidrum & Lavicam orâ ſubmoveretur, Farneſius liberandis Groningenſibus auxilia conduci ad Rhenum fecit, quæ jam antè per Cliviam tumultuariè & ſparſim collecta, populationibus ac omni inſolentiâ illum agri tractum divexaverant. Cæterum copiæ in procinctu expeditionis ſtantes, & Rhenum trajecturæ à Philippo Hohenſaxio, Iſelſteinio alijſque fœderati exercitus ductoribus cæſæ ac diſſipatæ, omneque auxilium ſolvendæ Groningenſium obſidioni & opprimendis Friſijs deſtinatum, Rheni ripâ ſupra Noveſium & in Colonienſium fines ſubmotum.

Lalainium pœnitentia defectionis invadit, ſed à Cornelia ſorore obfirmatur.

Unde Lalainium pænitentia feſtinatæ defectionis invaſit, quod æquo tardioribus, velut cunctantis & hærentis Farneſij, auxilijs infeſtam manum cæleſtis ira, aut fortunæ adverſitas injeciſſet. Cæterum, à Corneliâ ſorore obfirmatus, animum recepit, primamque pectoris ægritudinem ex adverſis rebus natam ſpe ſecundarum, & mollioris fati excuſſit. Adeo, more mortalium, juvenili mente ad inſtantis ævi fœlicitatem arrectâ, futura præſentibus Lalainio potiora videbantur. Quippe virilis ingenij fæmina, commendandis Philippi partibus indefeſſa, præter dignitates & honores à Farneſio ſupplementa novæ cladis pollicebatur, foreque propediem ut regiæ gratiæ & deſerti fœderis amplos fructus accipiat. Necdum ſcilicet fortunam res obſeſſas civitatis, & juxta fratris ſui in extremo poſuiſſe, eſſeque inter confuſa hoſtium caſtra quod auxilium periculo promittere queat, tanto certius & validius adfuturum, quanto majoris curæ & apparatus egeret. In Farneſij certè verba & fidem ſe jurare, quæ non latura ſit fratrem ſuum, & optumam civitatem in hoſtium manus ac lubidinem recidere. Quæ muliebri arte ac confidentiâ ex prompta Buchonis quoque Aytæ Præpoſiti Gandenſis ſecretioribus litteris confirmabantur. Itaque mittendi auxilij commeatus, pecuniæ fide datâ, fama quoque nuperæ ad Rhenum cladis extenuata, quo Lalainius pœnitudine defectionis excors novi auxilij fiduciâ allevaretur.

Legatio Hagam ad Ordines fæderatos inſtituta.

Itaque Lalainio intra muros Groningæ obſeſſo, Legatio Hagam ad fœderatos Ordines inſtituta, delegatiq; Doco Martna, Heſſelus Ayſma I^ctus, Carolus Roorda & Jacobus Iacobæus Bolſuerdienſium Conſul, qui eadem fungerentur.

 Eo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Eorum MANDATA erant.

cIɔ.Iɔ. LXXX.

Hujus mandata.

Vt in eligendo ANDINO *reliquarum provinciarum ſuffragijs ſe afformarent, caverent q; univerſi, ne quid mali, Galliæ exemplo, ex* ANDINI, *aut ſuorum conſilijs obveniret. Concilium provinciale ſub cautione antè expreſſâ conſtitui facerent, in tributo & cenſu ærarij agendo tum vectigalibus nauticis ac portorijs commune conſilium ſequerentur. Centeſimam bonorum aut quintam redituum ob rationes jam antè dictas excuſarent, binos ſeſtertios in cujusq; cereviſiæ tonnas parando commeatui bellico imponi ſinerent. Decretum de domanijs, ut vocant, regijs, & cœnobiorum bonis bello applicandis factâ relatione perferrent. Divino nomini, patriæ ſaluti, præſervandis ab hoſtium incurſu agris ſua officia, ſuam legationem impenderent. Curarent quoque, ut quod publicæ cauſæ ex Eccleſiaſticis bonis impenſum eſſet, ratum haberetur.* AURANTIUS *deſertam à* LALAINIO *Præfecturam ſuſciperet, vicariæ adminiſtrandæ* GULIELMUM LUDOVICUM NASSOVIUM, *aut alium ſui ſanguinis ſufficeret.* Hæc XIV. Kal. April. ſignatâ.

Mox fœdus inter agrarios oppidanoſque percuſſum, diſſidenteſque & velut diviſi antè provinciales certo reip. corpore concluſi.

Inter agrarios & oppidanos percuſſum fædus, cujus Formula.

FORMULA FOEDERIS erat.

Mutua inter provinciales ſocietas & communio reip. eſto. Oppidani agrarios cum uxoribus atque liberis, quovis tempore, ſalvo tamen civitatis jure recipiunto. Tormenta, pulverem, cæteraque belli ſubſidia ex armamentario de conſilio Deputatorum oppidani agrarijs ſubminiſtranto. Tuendis provinciæ privilegijs mutuas operas præſtanto, eorum violatoribus communi conſilio occurrunto. Fœdus hoc nemo, nec niſi perduellis, aut pacis publicæ ruptor infringito, id facientem lege coërcento.

Quod fœdus pro agrarijs à Serapio Galama, Geroldo Intenio, I. Sannio, S. Fockenio, F. Tatmanno, Horatio Hetteni, Scipione Meckama, Iancone Oſingha & Aucone Edonio ſignatum, ſoli Harlingani in ſpem muniendæ publico ſumptu urbis tum confirmavere. A reliquis vero oppidanis poſt annum & alterum, ut memorabo, approbatum, ſpem etſi lubricam, communi concordiæ injecit.

Soli Harlingani confirmant.

Itaque icto fœdere, disjectiſque cœnobijs (quæ ante ſæcula rudi temporum ætate zelo pietatis extructa incrementa opum, fœdiſſimi luxus fecerant) immenſi proventus & in invidiem nobilium familiarum ultra modum aucti, ſcholarum templorumque miniſterijs admoti, conſenſu ipſorum Antiſtitum, quibus modica ſuſtentandæ vitæ ſubſidia valitura ad frugalitatem decernebantur.

Cœnobiorum proventus ſcholarum templorumque miniſterijs admoventur.

Cæteris hoſtium partes ſecutis omne penſionis annuæ beneficium interceptum, eorumque ætas, quieti & otio deſtinata, facili transfugio inter arma aut eorum metum conſennuit. Quare templis ac fanis, aurea atque argentea vaſa, tum infularum, veſtiumque ſacerdotalium pretioſiſſimi habitus ſubducti, omneque antiquæ pietatis donarium ſacris miniſterijs decretum, alijs uſibus applicatum. Quippe poſt præſulum fugam monaſterijs Floridi Campi, Thaboritano, & Lidlumenſi menſe Februario cœnobitæ deceſſerant, amotiſque locorum rectoribus, ſacrorum quoque exercitia ſolitudo aut metus intermiſerat. Quo tempore-

Præſulum, monachorum & ſacrarum virginum fuga.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXX. re una cum Clarecampenſium Docomienſiumque monaſticis ſodalitatibus, Sioneæ quoque virgines alimenta ad vitam depactæ cœnobio profugerant, quod ab illo ſexu diu frequentatum, triſte tum ſilentium pro conditione temporis admiſerat. Tunc ditium quoque pagorum fana omni auro atque argento privata, ornatuſque ſacrarum paſſim ædium tanquam ſuſperſtitioni obnoxius, provincialium oculis ſubductus eſt.

Reperio in actis celebri apud Dronripios fano, quod ſuis opibus, & municipalium liberalitate inclaruerat, præter ſex argenteos reliquamque argenteam ſupellectilem, undecim libras æquantem, tres quoq; è rubro holoſerico ſacerdotes togas ſacris ſurreptas redactaſque in inventarium, incerto aut obſcuro autore, diſparuiſſe. Poſtremum Anna Herennia cum ſuarum monialium turbâ novo quoque propè Snecam cœnobio ceſſit, ſingulæque cum cæteris eodem fato in diverſa terrarum ſparſæ, aut connubijs, aut civili vitæ tranſcriptæ, annuarum penſionum uſu, ac tori dulcedine fugæ tædia & primam ægritudinem lenivére.

Quippe omne ſignatum paratumque æs fugientium Præſulum avarities abſconderat, qui nocturnis itineribus, expilatis ac deſertis cœnobijs Groningam profecti, conducendis in patriam militibus raptum ex ærario cenſum ſuggerebant.

Gaza regia publicanis in tres annos locatur.

Itaque ditium cœnobiorum gazâ direptâ, regia exciſa, ut vocant, in Baſilicâ 26. April. in tres annos & medium publicanis locata, cæterum eâ cautione, ut ſublevando ærario, biennale locarium ſpecie anticipationis intra quatriduum penderent, reliquumque locarij ad Kal. Majas anni octuageſimi primi præſtarent. Cui oneri, ut veteri immunitate & ex beneficio Cæſaris nobilitas eximeretur, libellum ſupplicem Deputatis Ordinum hunc in modum exhibuit.

Cui oneri ſe eximi poſtulat nobilitas per libellum ſupplicem.

Nobilitatis Friſicæ bona, DEPUTATI, *Anno 1515. tranſlatâ à* SAXONE *in Auſtrium provinciâ* CAROLUS *poſt Cæſar divæ memoriæ onerum immunia eſſe juſſit. Quod beneficium ijs potiſſimum Carolinâ liberalitate indultum, qui Saxoniæ Duci fidem profeſſi, fidelitate obſequij, aut pretio, omnia rerum ſervitia redemerunt. Igitur decretum, ut illi eorumq; coloni in perpetuum ab omni onere liberi forent, vimque & fructum beneficij ex merito, aut pro munere ſervatæ fideï ſentirent. Cæterum nobilitas in ejus poſſeſſionem, aut umbram vix admiſſa, obliteratum quorundam morte, aut decurſu temporis beneficium non retinuit, cum per vim regiæ, aut ſuorum dominationis oppreſſo jure & abolitâ immunitate, exciſæ & omnium onerum ſarcinam ferre coacta eſt. Nunc vero ex Gandavenſi fœdere in integrum reſtituta, quod poſtliminij jure beneficia reddebat, veſtram opem implorat, ac ut veteris beneficij legem ex eodem fœdere renovetis. Quin ſcitote humanæ ſocietatis lubricum non alio, aut ſaltem firmiore fulcro ſuſtineri, quam ſi boni præmia & mercedem fidelis obſequij ferant, mali & defectores pœnis aut ſupplicijs corrigantur. Qui ipſi ut contumaciam parendi plerumque ex amiſſi juris aut beneficij ſenſu induunt, ita econtra affectus animorum conciliat, & æquitatis ratio introſpecta & antiqui juris confirmatio. Cujus uſu ut nos redonetis,* DEPUTATI, *ad vetuſtatis reverentiam, & veſtram gratiam provocamus, quæ non malum experimentum ſuæ ſinceritatis ac judicij factura ſcit, ſi noſtram & majorum eminentiam, illæſis cæteris provincialibus agnoverit. Id ſi fecerit, familiam & poſteros noſtros immu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

munitate onerum & imprimis Exciſæ donaverit, arctiore vinculo noſtra gratitudo & agnitio beneficij provinciæ nos obligabit, quibus animus erit cum profeſſione obſequij, vitam atque fortunas noſtras naſcenti reip. impendere. cIↃ. IↃ. LXXX.

Hæc Wilconis Holdingha, Heronis Burmania, Sibrandi Burmania, Renici Cammingha, Iulij Botnia, Upconis Burmania, Renici Cammingha, Kemponis Donia, Heſſeli Emingha & Sibrandi Cammingha manu ſignata.

Quæ res quod à meri imperij aut majeſtatis diſpoſitione petenda eſſet, à Deputatis ad Archiducem Matthiam aut in proxumum ſi vellent comitium rejecta.

Sed fruſtra.

Quo ferè tempore omnem per Belgicam occulto tremore tellus concuſſa, ſtupentibus pleriſque ſubterraneos illos motus, rarâ temporum ætate his in provincijs obſervatos, novo rerum prodigio invaleſcere. Quippe montanis locis, quæ natura beneficio internæ cavitatis extuliſſet, eos obvenire edocti, tanto magis in admirationem illius tremoris rapiebantur, quod ſereno tranquilloque cœlo fieret, proculque tempeſtatibus & vi ventorum ſolidam terræ molem & vicinis aquis interfuſam impellente ſpiritu concuteret.

Prodigia per omnem Belgicam.

Tradunt ſcriptores lapides paſſim ex ædificijs dilapſos, omneque æs campanum, vibratis quaſi turribus, agitatum ſonitus edidiſſe. Mare quoque ipſum etſi placidiſſimum & ſtrato æquore blandiens, manifeſtâ ſuccuſſione actum, fluoreque ſuo, vacui expers, profundiore cauſâ impulſum, ſuperficiem moviſſe. Quod ſive vaporum exitum parantium, & velut enitentium vi evenit, quæ compactas quoque nubes in ipſo aëre diffindit ac movet, ſive maris aut aquarum æſtu maritima, aut fluminibus proxuma agitante, mihi perſuaſum eſt, motum illum ab imo in ſuperiora provectum, ſuo quoque fine ac prædictione non caruiſſe. Decernente velut naturâ rerum, ut pace Belgica Regem inter & Ordines apud Coloniam tum abruptâ, illo inſoliti tremoris præludio funeſtos bellorum motus aperiret. Id 8. Eid. April. horâ poſt meridiem ſextâ factum autores tradunt.

De his judicium autoris.

Invenio in actis iſtorum temporum Ordines fœderatos Ultrajecti tum conſidentes, jam ante menſe Februario de Colonienſis pacis fœlici eventu deſperaſſe, omnemque ſalutis ſuæ & juxta publicæ ſpem in ſanctiſſimi optumique fœderis tutelâ, tanquam certiſſimo fortunæ præſidio, poſuiſſe. Itaque decreviſſe ut ambiguis animorum inclinationibus præter Præfectos, Magiſtratus, collegia, ſodalitates provinciarum & civitatum populus quoque univerſus ad juſ jurandum fœderis adigeretur, nullam pacis cum Philippo rege conventionem, præterquam ſervato Ultrajectino fœdere, adiret. Magiſtratus quoq; ſuſpicione aliquâ regiæ partis attaminati, etiam ante diem loco ac dignitate moverentur, velut poſcente reip. diſcrimine, ne vanâ pace regiâ, ſuſpectis aut incertæ in patriam fideï rectoribus admiſtratio rerum demandaretur. Cui pacis tractationi continuandæ, etſi Cæſar in ſpeciem ſe interponeret, ita erant, qui non ignorarent, Cæſarem avunculi & ſimul ſororij regis, plus propinquitati & amicitiæ, quam Belgarum cauſæ, durante apud Coloniam conventu, dediſſe. Igitur ſumptis clam de removendo Philippo deliberationibus in Andinum eorum conſilia reflectabantur, qui Cæſaris, Philip-

Ordinum fœderatorum Ultrajecti conſidentium conſilia & decreta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXX. Philippique propinquitatibus & Electorum principum in Romanam religionem propenſioribus ſtudijs diffiſi, Gallicæ & Andinæ ſocietatis commendatione concilia patrum inquietabant. A qua amplectendâ, etſi ſuſpecta regnantium indoles, & funeſtiſſimi eâ ætate Galliarum motus deterrerent, ita neceſſitati obtemperandum cenſebant, qui æquiſſimi Belgicæ imbecillitatis æſtumatores omne ad auxilia externi principis ſuffugium præcluſum provincijs opinabantur. Quæ etſi in ſecreto patrum diſceptarentur, ita Philippo & Cæſari non ignorabantur, adeo parum contectis eo tempore magnarum rerum arcanis, ut aut aliorum imprudentiâ aut aliorum levitate aut malitiâ evulgarentur.

Philippo & Cæſari non ignorantur.

Quare Cæſar litteras XII. Maï Pragâ Bohemorum ad Ordines generales hunc in modum dedit:

Cæſaris ad Ordines generales litteræ, quibus eos ut ab Andini ſocietate abſtineant, hortatur.

CVM ANDINO *ſocietatem vos agitare intelligo,* ORDINES, *& repetere ea velle, quæ diſſuaſeram. Ac quanquam ſpes me adhuc cæperat, fore, ut cum* PHILIPPO *rege, cum principe veſtro in gratiam rediretis meâ & Romani Imperij interceſſione, ita deprehendo externa fœdera domeſticâ pace apud vos potiora eſſe. Quod cum ita ſit, ab obſequio regis à majorum religione alienos vos eſſe indicium facitis, præter fidem mihi Cæſari & Romano Imperio factam, quâ in religione Romanâ & regio obſequio perſeverare vos conſtituiſſe, non ſemel profeſſi eſtis. Qui animus ſi vobis etiamnum eſſet, pro bello pacem haberetis, neque eßet, quod vos à principe veſtro, principem à vobis divelleret. Quod malum ut ſanari aut tolli poſſit, hortor ut ab* ANDINI *ſocietate abſtineatis, & ut fide in* PHILIPPUM *regem & ſimul receptam religionem proni legatos ad me* CAESAREM *mittatis ocyus. Nam id facturos vos ſoluto ad Coloniam conventu veſtris ex litteris arbitrabar, quod cum cæteris neglectum, ut redintegretis moneo. Quo facto daturus ſum operam, ut me* CAESAREM *juvandis rebus veſtris, & conciliandæ regem inter & vos paci pronum, atque facilem habitum ſitis.*

Ad quas ORDINES:

Ordinum Fœderat. Zeſpenſio.

LITTERARVM noſtrarum argumentum quibus abrupto Colonienſi conventu legatos à tractandâ pace revocavimus, Invictiſſime IMPERATOR, *memoriâ adhuc tenemus. Interea de mittendis ad te Legatis cogitavimus, qua tuorum &* PHILIPPI *mandatariorum immodeſtis criminationibus noſtra innocentia ſe purgaret. Cæterum minuendis obtrectationibus atque odijs legatio intermiſſa. Nunc verò cum nova cum* ANDINO *Galliarum regis fratre pepigiße fœdera arguamur, profeſſione integritatis noſtræ nos excuſamus, teſtamurque procul novorum fœderum conſilio, anteactæ tantum cum* ANDINO *ſocietatis contractum atque memoriam innovaſſe: Non ut tuæ majeſtati, aut Romano Imperio iſta conventionis confirmatio aliquid derogaret, cæterum ut ſub auxilijs potentiſſimi principis noſtra vita atque fortuna protegeretur. Quod ideo conſilium maturare coacti ſumus, poſtquam non ſollicitati ad interceſſionem Reges & Principes, non gemitus aut lachrymæ populi noſtri, non imminentis ruinæ miſeratio immitem* PHILIPPI *animum flexit, ut ſibi honeſtam, & nobis vero exſpectatam pacem novo clementiæ exemplo largiretur. Quare omni ſpe pacis & regiæ gratiæ amotâ, ritè & more majorum feciſſe videbimur, ſi in conſervandarum provincialium curas*

hac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

hac implacabili regis irâ deſcendamus, ſubtractoque immitiſſimo Regi obſequio cIↃ. IↃ. LXXX. *immodeſtæ dominationis triſte ſervitium declinemus. Quod quanquam æquiſſimis conditionibus oblatis (& quas ſedandis diſcordijs noſtra ſollicitudo offerrebat ceſſantibus armis melius pacis atque otij res tractatura) tuæ majeſtati & Romani Imperij Electoribus, tum cogitare & velle profeſſi ſimus, ita molliendo efferati regis ingenio tantum non profecimus, ut in ſuſpenſo arma eſſent, quæ regij miniſtri majore crudelitate, an inſolentiâ miſeris provincialibus intentavere. Quarum quoq; utramq; cum* Carolus Arrogonius PHILIPPI *Legatus ſuis quoque in litteris ſpiret, gentium exemplo, protegendis jure divino & humano corporibus, uxoribus atque liberis noſtris pro libertate majorum & noſtrâ arma capere parati ſumus, provocareque ad auxilia externorum Principum, ne civitates noſtras, atq; earum merces hoſtilis vis convellat, noſque in imbellis turbæ amplexibus pati exilia, patriamque inermem prædæ & furoribus exponere cogamur. Et quoniam omne tuum ac juxta Rom. Imperij auxilium nobis præcluſum eſt, quod econtra hoſtium noſtrorum exercitus, commeatu atque annonâ ſubjuvit, ita teſtamur, nuperum Coloniæ ſuper pace Conventum damno nobis fuiſſe, omneſque fælicium armorum grogreſſus internis ſeceſſionibus atque diſcordijs ſubverſos. Vnde fit ut tuo in pacem affectui & voluntati,* CAESAR, *morem gerere noſtra impotentia non poſſit, eoſque nos perducere, ut ſemel infida pace læſi, ejus repetendæ conſilium induamus. Interim grates agimus paternæ tuæ in nos ac pacem propenſioni, daturi operam Invictiſſime* IMPERATOR, *ut religioſa apud nos tuæ benevolentiæ recordatio ſit, teſtemurque nihil carius ſanctiuſque nobis fore, quam tuæ & Rom. Imperij proſperitati noſtra officia repoſuiſſe.*

Igitur velut fide procerum animis atque ingenijs proſcriptâ, ipſoq; pacis nomine apud edoctos fallaciam ingrato, ad armorum curas properatum, quæ Farneſius etſi levi ad Rhenum clade affectus, liberandis Groningenſibus ſuperiorem per Belgicam conquirebat. Quorum ut obſeſſos certiores faceret, tabelliones paſſim annuntiandis auxilijs magno ære conducti, quos per omnes viarum aufractus diſpoſiti ſpeculatores intercipiendis arcanis obſervabant. Unde factum eſt, ut ſecretioribus à Farneſio litteris inſtructi rarius ad urbem commearent, quam Entenius Philippi Hohenloï & Iſelſteinij legionibus validior, majoribus caſtris obſepſerat.

Farneſius liberandis Groningenſibus arma conquirit.

Quippe Aurantius talium prudens urbi amplæ & natura loci, ac juſtis præſidijs validæ admonendas plures copias decreverat, ratus, quod res erat, Entenium etſi animi ingentem, peculiari ſibi temeritate viribus ſuis fiſum rerum temporiſque impendio caſtrenſe imperium exercere. Itaq; præmiſsâ Hohenloï, Iſelſteinique legione, Gulielmum quoque Ludovicum Naſſovium ex fratre nepotem prima ſtipendia tum facientem, in caſtra cum legione expedivit, Entenioque etſi invito & reluctanti, ſocium atque conſortem conſilij ac juxta imperij adhibuit. Cæterum omnem caſtrenſem profectum Entenij potiſſimum immodeſtia retardabat, fiebatque ut alienæ gloriæ contemptor, ſuam amitteret. Unde diſcors ſæpè agendi conſilium naſcebatur, quod in caſtris & per ſtationes obſervata, Ducum reverentiam & militaris diſciplinæ autoritatem minuebat. Itaque miles munijs caſtrorum neglectis, aut ſpretis ſuo ingenio

Gulielmus Ludovicus Naſſovius cum legione in caſtra ad Groningam ab Aurantio expeditur, & Entenio invito conſilij & imperij ſocius conſors adhibetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXX.

Militiæ excurſionibus & prædæ intenti ne ſociorum quidem rebus abſtinent.

genio magis, quam imperio rectoris obſequebatur, excurſionibuſque ac prædæ intentus ne ſociorum quidem rebus abſtinebat. Quare fœderatæ naves proviſis quoque commeatibus onuſtæ in Reiderio amne, & per æſtuaria Lavicæ ab Entenianis interceptæ, viciniſque è Friſiorum agris, quos idem flumen exili alveo lambit, pecus abactum. Quod prædandi & licentiæ exemplum etſi ab Entenio complures alienaret, ita illi hoc quam maxume odia conciliabat, quod cives ex mutatione rerum in caſtra, deſerta urbe profugos aſperrime tractaret, homineſque fœderi pronos injurijs afficiendo, caſtrorum commercio prohiberet.

Entenij ferox ingenium crebris & acerbis commonitionibus non emollitur.

Unde à Docone Martna viro nobili, poſt ab Abelo Franckena homine moris antiqui & celebratæ doctrinæ Friſiorum per Omlandiam & in caſtris legato vehementer increpitus, ne ferocis quidem ingenij violentiam repreſſit, animumq; ſpectatâ exulum fortuna emolliri paſſus eſt.

Cl. Franckena in litteris VII. Kal. Maî. ad Deputatos Friſiæ miſſis, ſcribit ſe Entenium, ut Ultrajectini fœderis miniſtrum ſe eſſe recordaretur, acerbè & inſtanter commonuiſſe, ac ut lenitate exulum animos ducendo, præfractos & ſuperbos ſpiritus, evincendis Groningenſibus, mollioribus & ad victoriam profuturis officijs mutaret. Cujus etſi ſpem faceret Entenius, ita econtra fidem exulibus datam fœdiſſimâ injuriâ violavit, eorumque mercimonia, etſi ſtipendijs duarum cohortium ſuſtinendis ſe obligaviſſent, diripi præcepit. Diploma quoque ijſdem mercatoribus conceſſum revocari fecit, pecoraque habendis caſtrorum commeatibus coëmpta, & in paſcuum perſolutis indictionibus miſſa abigi juſſit. Unde Groningenſes majores fortunâ animos induerunt, ne in crudeliſſimi victoris & jurati hoſtis arbitrium permiſſa clementiæ civitas recideret.

Franckena obnixè apud Friſios intercedit, ut Entenio caſtrenſe imperium abrogaretur; & Gulielmus Lud. Naſſ. ſubſtitueretur.

Franckena quoque jure Legati, ut eidem Entenio caſtrenſe imperium abrogaretur obnixe apud Friſios interceſſit, datiſque Dammonâ litteris Gulielmum Ludovicum cum imperio & duodecim cohortium auxilijs gerendis rebus popoſcit. Itaq; palam nullâ veri ſimulatione, profeſſus eſt, inter collegij fœderati errores nullum vel perniciofiorem, vel craſſiorem (verba litterarum ſunt) fuiſſe, quam quod Entenium peculiari Omlandorum ingenio civitati infenſiſſimum Tranſlavicanæ militiæ & obſidio æmulæ urbis præfeciſſent. Quare tormenta & machinas Leovardiâ in auxilium petenti, ne morem gererent, Friſios ſuos commonuit, & ut, lubricâ ſociati fide, extirpatis domeſticis factionibus, Deum pacis autorem profutura ad concordiam conſilia orarent. Quippe Uſkenium & Sterckenburgium Omlandiæ legatos non communicatis, ſicuti oportebat, mandatis Ultrajectum è caſtris profectos criminabatur, haud vano indicio validiores ſecretioreſque gentium amicitias ſuſtinendis fœderibus requiri. Igitur amovendis ſociorum querelis, ſtipendia quoque Friſios caſtrenſibus copijs popoſcit, & ne debilem ultro legionum diſciplinam tardatâ menſtrui æris ſolutione diſſolverent.

Unde Friſij, quo Entenianorum licentiæ & populationibus mederentur, qui terrâ, prædones, mari quoque peiraticam in ſocios exercebant, præſidiariam navem milite ac commeatu inſtruxere, eamque propè Ooſtmahornam in æſtuario, ubi eam amnem accipit, ſtare juſſam redimendo aperti maris commercio habuere. Mox Joannes Jodocius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cius vir fortis, & qui navale ſub Philippo ſtipendium meruerat, navi bel- CIↃ. IↃ.
licæ cum imperio præfectus, Jeldertuſque Wigerius magnæ famæ præ- L X X X.
do, qui ſacramentum Entenij ſuis rapinis ac flagitijs obtendebat, Eæ fluminis ac Friſici maris æſtuario ſubmotus eſt. Adeo Entenij conſilia & facta hoſtibus ad virtutem, ſocijs ad metum & invidiem erant. Itaq; urgebat Aurantius, ut munitiones in caſtris ad Groningam erectæ juſtis præſidijs firmarentur, & ut auxilia è Flandriâ ac Brabantiâ illarum gentium menſtruo ſtipendio oppugnandæ Groningæ haberentur. Deïn ut Ordinum exercitus trans Rhenum, & per confinia agens ſupremo militiæ rectori pareret, Philippum Hohenloüm manu promptum & animi ingentem gerendis cum imperio rebus deſtinavit, Bernardoque Merodio Rumænio vicariam belli adminiſtrandi poteſtatem decrevit. Tum provincijs Rheno amni contiguis legatos ut ederent ordinavit, qui Ducum militarium conſilia, & lubrici moderaminis impetus prudentiæ ſolertiâ caſtigarent. Denique ne obſeſſæ Groningenſium civitati auxilia ſubvenirent, expediri in Tranſ-Iſulaniam, Drentiamque peritiſſimos locorum voluit, qui eorum ſitum ſpecularentur, quantiſque paludibus à Weddâ in Geelmudam aut Vidri emiſſarium Drentinus ager ſubjaceret. Itaque munitionibus extruendis commoditas delecta, repetitumque firmandæ Coverdiæ & Burtangæ conſilium, quod Sonoï, ut memoravi, culpâ, aut, ut ille vaticinabatur, fato quodam, ex ſolâ conferendi æris parſimoniâ, aut provinciarum æmulatione neglectum Trans-Rhenanas gentes gravioribus caſibus reſervabat. Quare non Drentiæ, etſi in Ultrajectinum fœdus tranſcriptæ, non ſociæ nationis finibus, aut ſecuritati proſpectum, quam Friſiæ & Tranſlavicanis quoque agris patentes Drentiæ campi, & immunitæ paludes adimebant.

Conſilium Coverdiæ & Burtangæ firmandæ repetitum.

Cl. Franckena in Ephemeride notat acta Drentini fœderis Leovardiam ad collegium tum tranſmiſſa, quæ cum plurimis, procerum malitiâ, aut incuriâ interverſa, ne poſterorum quidem uſibus infœlicitas temporum reliquit. Igitur Groningenſium rebus in arcto conſtitutis Georgius Lalainius ſui metuens, tranſituræ auxilia Farneſium popoſcit, ultimamque perituræ mox civitatis anguſtiam nullâ periculi diſſimulatione, profeſſus eſt. Præter annonæ namque ſenſim deficientis, penuriam, nitrati pulveris defectu laborare ſe obſeſſum aſſerebat, deditionem neceſſario facturum niſi per auxilia levetur. Quæ ſi deſtituant, triſtem certe ſuſcepti conſilij fructum ſe habiturum, ſi inter magnarum rerum auſpicia inimicorum & jam hoſtium gratiæ ſe permiſerit. Ad hæc regem omni Amaſim inter Rhenumque flumini (Flevo illi in Friſijs nomen) regione ceſſurum, niſi agrarijs paſſim in fœdus Ordinum receptis, urbem tueatur ſolam ſuarum partium fidiſſimos intrà intuta mœnium claudentem. Neque enim aliud regiæ dominationis munimentum ſupereſſe, omni Friſiâ, cum Omlandiæ, Drentiæque populo novis ſocietatibus inligatâ, & quæ latura non ſit, in illo fertiliſſimo terrarum tractu urbem relinqui ſedem bello, & hoſtilibus armis fracturam. Quin ſciret Farneſius auxilia illarum gentium jam caſtris inducta, famâque ferri præter commeatus è fœcundiſſimâ frumenti regione ſubvectos, tormentis quoque è Friſia petendis conſilia capi. Denique mare ipſum claſſibus impeditum, adeo intuto omni ad urbem aditu, ut ferro aperiendus ſit.

Lalainius auxilia Farneſium poſcit.

CIↃ. IↃ. Quæ quoniam Entenium in cujus manus pervenerant, non fallebant,
LXXX. ita continuis velitationibus tamdiu obſeſſos attrivit, donec temerariæ fortitudini triſte præmium fortiſſimo viro pervicax fortuna decerneret, & ſolvendi obſidij diem importunitas fati præfiniret. Qui Roldæ in Drentinis, vergente Maio, ab Hohenloo & Naſſovio liberaliore convivio exceptus jactantiuſque, velut hoſtem ſuper menſâ debellaturus, ſe gerens, oppugnandæ acrius urbis, & oſtentandæ virtutis conſilium cæpit, æmulorumque Ducum gloriam ſuâ obſcurare adnixus eſt. Cui propoſito dies inter comeſſationem & vinolentiam actus incitamentum addebat. Quare temulentus, & mero gravis equum conſcendit, provectuſque in caſtra tribunos, & ſignorum ductores hunc in modum allocutus eſt.

Entenij temulenti oratio ad Commilitones.

Diu eſt, Commilitones, ex quo invalidam urbem, & ſociorum noſtrorum cæde ac perfidiâ imbutam, caſtris de mandato Ordinum clauſi. Eam oppugnare, quia longioris moræ pertæſus ſum, in animum induxi, facinuſque admoliri, quod præſentis ævi laudem mereatur, in futuri memoriâ perennet. Sed veſtræ ignaviæ & imperitiæ debetur, quicquid ad gloriam omiſſum eſt, quarum utramque ſi vultis, meo exemplo emendate. Quippe fidem veſtram, veſtras manus nunc imploro, ac ut me Duce fortes ſtrenuique ſitis, habituri mecum tam commune periculum, quam gloriæ fructum.

Ad Schutendiepam & ſuburbana oppugnanda properat.

Sic pro concione locutus labri butyracei operculum, clypei loco, manu ſumpſit, ſignoque dato, ut ſe ſequerentur, ad Schutendiepam & ſuburbana properavit, quæ præfluente flumine, tum vallo, foſſiſque emunita, egregiâ obſeſſorum virtute defendebantur. Ubi cæſis vulneratiſque centurionibus ac plurimis quoque militum ſaucijs, etſi infœliciter rem gerens, ſuos animavit, inferioriſq; propugnaculi & reductuum oppugnationem repeti juſſit. Quo capto, cum Scutendiepæ quoq; immineret, quam ſolâ ſcalarum ope ſuperari poſſe ſagaciſſimi centurionum ominabantur, ſpeculandæ per jaculatoriam feneſtram dimicationi defixior, glande verberatur, capitiſq; ſaucij lætali vulnere ſternitur. Unde mœror orba ductore ſuo caſtra, & triſte juxta ſilentium occupavit, magnumque obſidionis perficiendæ commodum morte Entenij interruptum eſt. Seditione namque militarium copiarum ſtipendia flagitantium omnis diſciplina ordoque belli laxatus, conturbatis adhoc animis, quos proſtrati Ducis ſpectaculum, & miſeratio à continuando pugnæ officio revocabat. Adeò verum eſt in bello, multitudinem ab unius ductu atque imperio pendere, amiſſoque rectore deſolatos exercitus, & eorum virtutem, tanquam intercepto vitali ſpiritu, flacceſcere. Quippe Entenius etſi in iram fervoremque animi, tum comeſſationes atque luxum pronior, & ex hoc profuſus æris foret, ita militarem gratiam popularitatis laude emercabatur, & quod, cætera incivilis, vitæ ſuæ ac imperij rationem moribus militum adaptaret. Hoc verò imprimis eum commendabat, quod in expeditione, in pugnâ, denique in omni belli negotio fidiſſimum Ducem ſe præberet, animique impavidus, nullo ſui diſcrimine, tam militis, quam Ducis laudabili officio fungeretur. Itaque frigora, ſitim, ardores, inediam, tum ſoli & itinerum incommoda juxta militem perferebat, corpuſque à primâ ætate tolerandis aſperis ob du-

Glande verberatur & ſternitur.

Indoles ejus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

obduratum quibuſlibet moleſtijs objectabat. Quare animo, qui excelſus & veræ nobilitatis affectator erat, ſupra fortunam poſitus, vinci ſe non poſſe deprehenſus fuit, ſpiritumque externi regijque ſervitij acerrimum hoſtem periclitanti patriæ impendiſſe. Cætera viri vituperio, aut laudi ſcripta, ſtudio à me omiſſa, ſub benignâ naturæ rerum excuſatione, quæ in illo, ſicut in omni mortalium turbâ, fœda vitia egregijs virtutibus miſcuiſſet. Cujus mors nobilitatem Omlandicam haud parum conturbavit, ne lætâ quidem Euſumiorum gente, etſi patratæ in patrem cædis ſuſpicione, infenſiſſimum domui ſuæ hoſtem abſtuliſſet. Cadaver Middelſtumum in Huneſgonijs, ubi natus erat, deportatum; tumuloque majorum conditum. Econtra intra urbem, auditâ jurati hoſtis morte, omnia lætiora agitabantur, ſimulante prudentius Lalainio, temerarij caſtrorum Ducis interitu Ordinum rebus nihil deceſſiſſe. Igitur metuebat, ne illius exceſſu, peritioribus militiæ rectoribus obſidionis negotium demandaretur, civeſque ante ab Entenij ſævitiâ ac immanitate alieni, mitiorum Ducum veniæ ſuo incommodo ſe permitterent. Jam enim duobus caſtellis amiſſis, quæ urbi præduxerant, fiducia civilium animorum & auxilij minuebatur, & quod extenuato victu, omnique commeatu imminuto priſtina ſenſim pugnantium virtus elangueſceret.

cIↃ. IↃ. LXXX.

Sepultura.

Cæterum certiore auxilij famâ res allevatæ, quod Farneſius, etſi æris anguſtiâ premeretur, obſeſſæ civitati haud procul Rheno & Noveſio urbe reparabat. Quippe omni provinciarum exule ad ſacramentum adacto, quem nullâ ſtipendij dulcedine aut curâ, ſola fati ſui infœlicitas, & ulciſcendæ injuriæ cupido in patriam armaverat, Epirotarum quoque equitum (quos Thomas Epirota vir ſecundis prælijs clarus inter cæteros ducebat) auxiliares cohortes adjunxit, omneſque copias Trajecto ad Noveſium Rheno pergere in adverſam ripam juſſit. Ubi Rora flumine ſuperato, impetratoque à Juliacenſium Duce Joanne Gulielmo per ſuas ditiones commeatu, Lippam quoque fluvium haud procul Dorſtâ oppido traductæ, feſtinante Martino Schenckio Niddachio homine Geldro, ut Juliæ Cliviæque campos emenſus, Geldriæ & Tranſ-Iſulaniæ hoſtiles agros properandis auxilijs peragraret. Eam verò provinciam Gaſparo Robleſio Farneſius demandaverat, quo veteris imperij & per tumultum militarem amiſſi veſtigia adhuc cerneret, Friſiorumque gentem rebellionis in ſe & regem ream, ardore vindictæ, & prioris injuriæ ſolatio, armatâ manu debellaret: Cæterum abſens, & in Farneſij comitatu per ſuperiorem Belgicam tum agens, ne expeditionis quidem in Friſios ſuſceptæ conſilium executus eſt, etſi ſollicitatis exulum auxilijs, quos recuperandæ dominationi & veteri fortunæ, faciendam ad conſpirationem, & ſumenda in patriam arma inſtigaverat, ſigna verò Renicus Dekama, Jarichius Liauckema, Titus Cammingha, & Lollius Ockingha Friſiorum exulantium nobiliſſimi ducebant, præter cæteros cohortium centuriones, quos è Friſiâ mutatis rebus præſcriptos, aut dignitatibus exutos, ſacramento arctius regio fortuna temporum obligaverat. In quorum numero Vibius Goutumanus, Arnoldus Gemenius, & Everardus Enſius Coverdiæ & Drentinorum Satrapa, fuere, quos nulla retinendæ dignitatis ſpes externis clientelis obtruſerat. Reliqui Germaniæ, aut a-

Farneſius obſeſſæ urbi auxilia reparat & mittit.

CIↃ. IↃ. LXXX. liarum gentium natalibus adſcripti novam exornandis majorum imaginibus materiem, inaſſueti otio & gloriam & juxta opes ex bello quærebant.

Cl. Franckena optumus autor notat exercitum iſtum ad Mollum pagum Rheno aſſitum, conſtrato navali ponte fluvio, trajeciſſe, victoriæque velut occulto animorum præſagio, certa in præſentia pro futuris habuiſſe. Quo nuntio in caſtra ad Groningam perlato, Gulielmus Ludovicus Naſſovius, defuncto Entenio cum imperio rem gerens, 13. Maï litteras ad Deputatos Friſiæ dedit, æneaque ad quinarium numerum tormenta ſternendo vallo & oppidanorum munitionibus Harlinganos popoſcit. Cæterum proprij diſcriminis pavor in externa difficillimè reſpiciebat, ſuarum rerum, velut incertis, qui inter domeſticos hoſtes, & teterrimarum conjurationum arcana fluctuare infantiam minus robuſti fœderis non ignorabant.

Harlinga rudi mœnium ambitu cingitur, & munitur.

Unde Harlinga poſt ſubminiſtratas Gulielmo Ludovico grandiores machinas rudi mænium ambitu cincta, majore ac validiore opere circumducta, effoſſo, diductoque introrſum portu, qui tutum navale venienti ex Oceano claſſi præſtaret. Igitur ad aquarum quoque impetus ſiſtendos, quas aut mare vento motum, aut æſtu portui ingerit, aut rivulorum urbem influentium declivia deducunt, clauſtra magni operis fabricata, quæ laxandis, aut recipiendis aquis reperta onerarijs navigijs permeabiles alveos faciebant. Tum lata quoque profundaq; foſſa vallo, & propugnaculis præducta, tantæque molis opera, ære publico, trimeſtri ſpatio abſoluta. Quod conſilium ab Aurantio potiſſimum principe profectum Traſlavicanæ gentis non inglorius ſcriptor prodit, quo novæ urbis fortunam, florente commercio juvaret, portumque ſubminiſtrandis Hollandiæ ſociarumque gentium auxilijs habilem reparandis in Hiſpanum exercitibus aperiret.

Aurantius ut regundæ poſt Lalainium provinciæ ex decreto ſolennis comitÿ præficeretur mittitur Doco Martna.

Qui ut regundæ poſt Lalainium provinciæ ex decreto ſolennis comitij præficeretur, miſſus Ordinum Friſiæ nomine ad eum Doco Martna vir primariæ nobilitatis & elegantis ingenij, qui ſupremum Præfecti imperium ei deferret, offerendæque dignitatis ac ſimul moleſtiæ vicem repeteret. Itaq; præter mandata Doconi Martnæ commiſſa, litteræ quoq; à fœderatarum provinciarum Legatis & Senatu per Friſiam Ordinum exaratæ, permovendo optumi principis ingenio, quod in illâ tempeſtate rerum conſtitutum graviorem curarum ſarcinam reſpuebat.

Ad reſpuentem & excuſantem Deputatorum litteræ ſupplices,

Econtra omnem Principis excuſationem continua provincialium vota ac deſideria diluebant, ac ſi in illo capite ac rectore omnium rerum ſalus atque incolumitas verſaretur.

LITTERAE DEPUTATORUM hujuſmodi erant.

POSTREMVM & ſolenne gentis noſtræ comitium, PRINCEPS, *concordibus ſuffragÿs Præfecturam tibi provinciæ deſtinavit. Eam ut cum imperio & abſolutâ Præfecti poteſtate acciperes, ſpes nos aluit, eoſq; imprimis, qui patriæ fideles, optumaque in eam ſtudia diu profeſſi hoc calamitoſiſſimorum temporum ſtatu de te ſolo clariſſimam opinionem concepere. Prudentia tua & multarum rerum uſus, iſtius de te judicÿ fidem firmavit, poſtquam mentem boni conſilÿ plenam ac à* DEO *tibi infuſam iſti moli regundæ parem oſtendiſſes. Denique continuæ paternæque in populum & remp. ſollicitudini tuæ plurimum dedimus;* PRINCEPS, *deprehenſo ſublimem animum curis*

ris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ris infractum, & in agendo indefeſſum, omne officium provincialium ſaluti impendere. CIƆ. IƆ. LXXX. *Quare noſtra in te fides, tua virtus & clariſſimæ animi dotes, hoc ad conſilium nos traxere; Itaque miſſis Hagam, dein Campos ad te Legatis adminiſtrandæ gubernandæque provinciæ dignitatem, ac ſimul moleſtiam tibi obtruſimus, eâ ſpe aliti, ut ratione noſtri ſtatus habitâ politiæ & bello præeſſes, noſque capite & moderatore rerum orbos potentiâ & autoritate tuâ regundos ſuſciperes. Sed fluxas ſpes nullo huc uſque aut parvo ſolatio redemimus, in tam triſtem mæſtitiam ac ſollicitudinem projecti, ut perire proxumi ſine tuo imperio videamur. Rerum noſtrarum ſtatum, etſi nos ignores, Legatus tibi aperiet, his mandatis à nobis inſtructus, ut recturam provinciæ tibi offerat. Quare rogamus, Friſij, ut imponi in humeros tuos id oneris, ac moleſtiæ patiaris, ac ut ipſe regundæ Friſiæ ſpe facta, feſſis rebus ſuccuras, Legatumq; aut Vicarium tui per provinciam imperij, quam ocyſſime conſtituas. Id ſi feceris,* P R I N C E P S, *fortunas, vitam atque ſanguinem in adjumentum offerimus, daturi omnem operam, ut illius regimen noſtro, quantum fieri poſſit, conſilio juvetur. Hoc etiam petimus, ut Senatum juri dicundo præfectum juſto numero ac autoritate inſtruas, quo malis per provinciam indies exorientibus tua prudentia medeatur. Reliqua, quæ votis complexi ſumus, Legatus* M A R T N A *exponet, quorum ea ſumma eſt, ut te diu fælicem florentemque noſtris rebus habeamus.*

Hæ Litteræ x v. Kalend. Jun. ſignatæ.

Quo die Senatus quoq; juri dicundo delectus Franciſcum Baudimontium Graphiarium ſuum hominem Flandrum mandatis inſtruxit, legationiſque ad eundem principem obeundæ poteſtatem fecit. Mandata erant, ut ſalutato principe, litteras fœderatorum Ordinum, Senatus & Deputarorum Friſiæ ſuæ fidei commiſſas exhiberet, nuperiſq; mandatis, quæ ad fœderatos Ordines Daventriam pertulerat, repetitis de miſerrimo provinciæ ſtatu, & ſubortis turbis principem doceret. Rectoris quoque potentiâ, famâ, prudentiâ atque exemplorum uſu conſpicui neceſſitatem monſtraret, explorataque voluntate principis Doconis Martnæ & Heſſeli Ayſmæ, qui Antverpiæ agebat, in communicandis conſilijs ope uteretur. Heſſelo Ayſmæ Præſidi, Douwoni Burmaniæ, Barthio Idſardæ nuncupatis jam ante Senatoribus diplomata impetraret; Ea ex antiquâ formulâ cum abſolutâ poteſtate Sibrando Richæo Senatori & fiſci Advocato, Wilconi Holdingha, Foppio Grovenſteinio & Tiallengo Wikelio procuraret; Eyſingæque Verſteverano, ac Rhalæ Senatorum procurationes immutari, redigiq; in priorem formam faceret. Sibi quoque de abſoluto diplomate obtinendo proſpiceret, omneque officium ſaluti & commodo publico impenderet. Hoc x v. Kalend. Jun. à Tetardo Herennio in acta relata.

Vulgus mobile, & ſeditionibus proximum.

Eo halante animam rep. inter tantos proditorum & civilis licentiæ metus potentium collegiorum æmulatio, & cæca gloriæ ambitio cruda ingenia propellebat. Itaq; vulgus ipſum, potentum exemplo, qui publicas provinciarum indictiones irrogaverant, mobile & ſeditionibus proximum erat, Magiſtratuumque imperia velut in licentiæ regno, aſpernabatur. Ferunt ſeditioſis vocibus in publico auditis, manus quoque Magiſtratibus intentatas, conjuratoſque è regiâ factione, occaſione eminentis inter proceres diſcordiæ uſos, turbulenta conſilia atque facta agi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXX. agitaviſſe. Quippe Senatui, qui regio ſuffectus erat, nec decens numerus, nec priſca autoritas erat, quâ imminutâ antiquæ quoque ſeveritatis majeſtas, & triſtiſſimus rigor remiſerat. Itaque terni cum fiſci actore jus dicebant, quod Octo-viris ſub Saxone, ſub Carolo Cæſare & Philippo filio pluribus Senatoribus commiſſum, æmulatione politici ordinis, & paucitate præſidentium judicijs eviluerat. Unde plebi quoque minor metus quam ingratum publicarum indictionum vocabulum, tum fato & incuriâ dubijs anguſtiſq; rebus repetitum, & in eâ ſeditioſiſſimos quoſq; efferaverat. Quem affectum aſperiore medicinâ percurare illi quam maxumè averſabantur, qui popularium morborum periti non ignorabant, graviſſimum quemque tumorem ex præcepto medicorum principis beneficio quietis ſanandum. Etſi eſſent, qui ferrum mox remedio poſcerent, & ut aſperâ paucorum correctione, multitudo metum ſentiret. Cæterum pluribus indulgentiæ, magis quam ſeveritatis vitium placebat, & ut plebis ob gravitatem tributi motæ ſanguini honeſtâ clementiâ parceretur. Quippe communi mortalium vitio, juſſui & imperio contumacem ad bonam frugem & ingenia redituram, quæ diuturnitas & mora temporis ingerendo pœnitentiam ab omni ævo ſedaviſſet. Ita variantibus procerum ſententijs omne parcendæ, excuſandæ aut corrigendæ plebis decretum intermiſſum, donec Baudimontius inter cætera Antverpiam profectus de eo ad Aurantium referret.

Bethleæmarum virginum libellus ſupplex Matthiæ Gubernatori exhibitus.

Invenio in actis Bethleæmas virgines libello ſupplice Matthiæ Gubernatori v. Non. Maï exhibito, liberam bonorum cœnobij adminiſtrationem, deducto, quod præſtandum provinciæ foret, locario ad vitam oraſſe, & ut monaſterium, cautione de non recipiendis ſine conſenſu Ordinum Friſiæ novis monialibus præſtitâ, habitandum ætate provectis aut ævi maturis permitteretur. Matthiam quoque Gubernatorem poſtulatum velut æquiſſimum Ordinibus Friſiæ commendaſſe, litteriſq; iv. Non. Maï in Friſiam expeditis, relicto tamen ijſdem ſecus diſponendi arbitrio, humaniſſimo officio interceſſiſſe.

Baudimontius Antverpiam profectus legationis ſuæ ſeriem Aurantio exponit, & litteras exhibet.

Igitur Baudimontius acceptis mandatis feſtino itinere Antverpiam progreſſus, litteras Aurantio Principi exhibuit, legationiſque ſuæ ſeriem ſcripto complexus, hunc in modum diſſeruit.

S*ENATVS provincialis*, PRINCEPS, *ut te ſalutarem in mandatis mihi dedit, ac ut exponerem quanto in diſcrimine periculoſiſſimis temporibus reſp. conſtitueretur. Præterquam enim humanis ac barbaris hoſtium imperijs amovendis, tum excutiendæ æternæ ſervituti, præ nobis deſtinabatur, tributorum onera pati & ferre cogatur, ita multa quoque pro mutationibus temporum immutanda ſunt, quæ emendationi labentium in deterius rerum inſerviant. Imprimis vero emunienda reſp. adverſum eos eſt, qui viperarum more patriæ ſuæ infeſti & ejus exitio nati Hiſpanicæ dominationis reducendæ conſilia capiunt, omneq; populi & libertatis commodo ſerviturum occultis artibus ſubvertunt. A quibus certè eſt quod civilis diſcordiæ ſemina per provinciam ſpargantur, & quod omne tributum quieti noſtræ & ſecuritati decretum contumaciâ rebellis populi, & quod fœdius, in ipſâ etiam rep. è potentioribus reſpuant. Vnde ſimultates natæ, & diu pernicioſis fomentis alitæ, in hoc, quod vides, diſcrimen, provinciam duxere. Cui avertendo deligendum ocyus rectorem Se-*

natus

natus cenſuit, cujus ſolertiâ malorum impetus retundantur, boni pacem atque cIↃ. IↃ.
ſecuritatem habeant. In te vero, PRINCEPS, *cum omnium vota, at-* LXXX.
que ſpes conſpirent interceſſionem fœderatorum procerum & Senatus mei mandatum expleo, rogoque ut Friſiæ imperium capeſſere in animum inducas, tuiq; abſentiam, ita poſcentibus fatis & provinciarum rebus, vicario, aut Legato ſuffecto leves quam ocyſſimè. Vt ſcilicet is cum Senatu meo, quem jam antè cum Præfecto provinciæ moderamini rerum diſpoſitio temporum admoverat, ſimulque cum Deputatis Ordinum conſilia communicet, ſtatuatque cum ijs quod ex uſu & rep. futurum ſit. Et quoniam moram ferre non poteſt periculi quo cum luctamur, magnitudo, ita peto Princeps, ut ſepoſitâ cunctatione, quod viſum fuerit, decernas, meque in provinciam ad Senatum faciendis relationibus remittas. Hoc vero ante omne neceſſum eſt, ut judicantium in Senatu numerum augeas, ampliſsimiq; Senatus conſeſsum in integrum, & abſolutæ poteſtati reſtituas. Quare nomine ejuſdem Senatus peto, ut Heſseli Ayſma, Præſidis, Sibrandi Richæi Fiſci actoris, Douwonis Burmaniæ, Barthij Idſaerda, Wilconis Holdingha, Foppij Grovenſteinij, & Tiallingi Wikelij procurationes ex formula antiquâ conſcribi cures, eorumque porrò innovari atque ampliari, qui cum laude ac famâ ſupremo tribunali & dignitatibus ſuis judice populo præfuere. Quas quoniam ſuſtinere ex ſalarij tenuitate honeſtè alendis familijs non poſsunt, auctâ rerum omnium caritate & monetæ valore corrupto, ita peto, ut ijſdem penſionibus quo reliquum per Hollandiam & Geldriam Senatum haberi ſinas. Tum ut mandes Deputatis Ordinum, ut intra terminos mandati ſui ſe continendo pacem cum Senatu colant, dicundique juris (quod coram Deo & terrarum orbe conſcientiâ teſte, ritè adminiſtratum profitetur) officio ſe non immiſceant. Denique de exulum bonis fiſco applicandis decretum facias, expediaſque in Friſiam Legatos, qui in ſeditioſos quoſque & Magiſtratuum imperio contumaces inquirant, eoſdemque ex lege ac tuâ autoritate puniri faciant.

Hæc BAUDIMONTIUS.

Quâ in re miſereri humanæ fragilitatis lubet, eos vix in Senatum, tepente adhuc comitio, lectos, & jam ante ſeveris crudelibuſque anteceſſorum imperijs adverſos, illâ infirmitate rerum de premendis damnatæ abolitæque dominationis veſtigijs cogitaviſſe. Eoſdem quoque Aurantium Principem, etſi necdum provinciæ inligatum, ad explenda immodeſta deſideria, & ſimul mandata ſollicitaſſe, quæ præfectis provinciarum ſubtracta, Ordinum juri atque ſupremæ majeſtati gentium libertas reliquerat. Adeo fluxæ & fallacis potentiæ affectatio patriæ quoque amantium ingenia, fortunæ ſubjecerat. Igitur illa lubidini atque cupiditatibus permiſſa, nec aſperi temporis, nec tolerati pleriſque exilij memoriam retinuerant, & quod in illo triſtioris concilij ſecreto Carolo ac Philippo regnantibus oppreſſæ, leges & mœſtiſſimæ libertatis ſilentia jacuiſſent. Ipſa etiam reſp. inter regni adhuc minas & metum, continuis tempeſtatibus obnoxia, illam refricandæ antiquæ litis importunitatem non pateretur, quam à quadraginta annis noſtræ gentis infamiâ, & externæ poteſtatis commodo fotam, ſeponere hoc temporum lubrico, ſollicitudo publici diſcriminis debuiſſet.

Iam enim fœderatarum provinciarum Legatos, Ultrajecto Daven- *Fœderatarum provinciarum Le*
triam pericula evocaverant, adeò late diffuſo hoſtilium incurſionum & adven-

cIɔ. Iɔ. LXXX.

gati Vltrajecto Daventriam propter pericula adventantis hoſtis abeunt.

adventantis auxilij metu, ut omnem provinciam, & circumjacentia locorum impleret. Quippe fama, ut ſolet, ſuſpectis etſi certis, rumoribus pondus atque incrementum addiderat, ferebaturque Farneſius totam belli molem conquiſitis etiam per agrum Luxemburgicum Germanorum copijs trans-rhenanæ genti, & ſolvendo Groningenſium obſidio deſtinare.

Elbertus Leoninus Concilij Status decreto in inferiores provincias mittitur.

Quare Concilij Status decreto in inferiores provincias miſſus Elbertus Leoninus vir doctrinâ atque prudentiâ pollens, qui res Groninganas & Friſiorum curaret, Philippoque Hohenloo cæteriſque provinciarum Legatis à conſilio eſſet. Igitur in Friſios ituro ducenti Carolæi ex ærario Friſiæ aſſignati, qui homo pacis artibus ætatem agens caſtrenſium & moleſtarum vacationum impenſas, & ſimul tædia illâ Ordinum remuneratione ac beneficio allevaret. Adeo Groningam in urbem omnium ſpes atque metus fortuna defixerat, quæ auxilij Rhenum traducti certo arctatos antè ſpiritus, velut recepto aëre, laxaverat.

Reperio in incerti autoris Ephemeride ad Ordines Friſiæ ſcripta, exercitum illum à præſidiariâ fœderatorum Ordinum navi, quæ in flumine ſtabat, facilè & initio Rheni trajectu prohiberi potuiſſe, niſi eam tempeſtatis cœlo editæ ferocia & aquarum ex imbrium copiâ torrentium vis ſtatione & loco depuliſſet. Cui & hoc accedebat, quod lapidoſum ripæ marginem velocior Rhenus perſtringeret, anchoraque ſaxis minus inhærens, rapidiſſimi fluminis declivio ac impetu vinceretur.

Hoſtis Rheno trajecto, in agro Clivico ſtativa habet, & diripit omnia.

Itaque hoſtem depreſſiore præſidiario, vectorio alijſque navigijs Bonnam ſolventem, Bergenſium animis, quam ut ripâ arcerent, languidioribus, haud procul Coloniâ Nelam pagum appuliſſe, ope imprimis Solmenſium Comitis, qui in ripam expoſitos commeatu atq; omni neceſſario præjuverat. Ibi aulæ Clivicæ & nobilitatis juſſu (quarum utramque ære ac largitionibus corruptam, ne ipſi quidem venales & corrupti etiam in foro Duſſeldorpienſi diſſimulabant) bellica quoque Ordinum navis cum reliquis Rheno diſcedere juſſa, quæ in adverſum flumen enitentes ſuorum arte ac mandato non alieno imperio regebantur. Itaq; hoſtes abductis in prædam Bergenſium equis in præturâ Holeradenſi ſtativa habuere, donec refocillati ex itinerum moleſtijs, & ante fame ac ſomno marcidi, ſpoliatis atque direptis pagis, fœminiſq; in captivitatem abductis poſt curata ritè corpora Mullum pervenirent. Quatuordecim ſigna peditum, ſex equitum fuiſſe idem autor notat, ac in ijs Equeſtrem Italorum alam, tum ducentos ex Epiro ac Illyrico equites lancearios robur equitatus confeciſſe. Reliquos equos operi ruſtico ſubductos, ac regi rudes fuiſſe, ipſoſque ſeſſores feſſos, atque exſangues levi equitum, ac ducentorum ſclopetariorum manu concidi, fugarique potuiſſe. Quod Aggæi Albadæ oratoris Friſij prudens conſilium ſupprimendum non duxi, ſuadentis hoſtem tumultuariè & ſine ordine coactum in Iuliacenſium aut medijs ſaltem Cliviæ agris tentandum debellandumque fuiſſe. Cæterum ruſticâ plebe ſociorum clade perculsâ, vires, arma, auxilia deërant, amotis procul fœderatorum Ordinum copijs, quas in interiora provinciarum formido, an dicam cura periculi protuſerat. Ita Cliviæ Ducis aut aulicorum, clandeſtino cum hoſte pacto ac auxilio omnia clam habita, ne conſcio quidem populo aut caſtellorum ſatrapis, ad quos ſola & dubia militarium copiarum fama, pervaſerat. Idem autor ſcribit Martinum Schenckium

copia-

piarum ductorem Coloniæ in monaſterio quodam epulo exceptum, ac cIↄ. Iↄ. à Bergenſibus, ut agris ſuis parceret, ſollicitatum præfractè ac ſuperbè LXXX. reſpondiſſe, nuperæque cladis & diſſipatarum haud procul Noveſio cohortium incommoda, Bergenſium inſolentiæ tanquam cauſæ regij decrementi imputaviſſe. Vel eâ ſcilicet ſolâ vaſtationem ac cædem commeritos & ut amiſsâ ſocij regis gratiâ ac veniâ militum ſuorum furoribus in vindictam atrocis injuriæ exponantur. Cæterum ſe, etſi alio mandato inſtructum, clementius acturum parciturumq; illorum fortunis atq; ſanguini, quorum incauta & temeraria vis tuendo agro obtenta, regem Philippum ſolido infortunio multaſſet. Alias ſui arbitrij eſſe an Bergenſium agros ſtativis caſtrorum, an tranſducendis copijs reſervare velit, & an violatam principum gentiumq; mutuam ſocietatem rariore exemplo expiare. Aulici quoq; Bergenſium legatis abactos equos inlata damna querentibus immodeſtè reſponderunt, militemque eorum feritate ac licentiâ inritatum & ſola prædæ dulcedine contentum, extremis abſtinuiſſe. Nihil ſcilicet eſſe, de quo queri poſſint, qui ſcirent omnem injuriam talione aut vindictâ penſandam. Itaque Dux Gulielmus animi fato inops, calore iracundiæ multa ab aulicis effundi inaudiens, de diſtringendo in ſuorum Bergenſium legatos gladio agitavit, impedituſque à circumſtantibus rerum cognitionem ſicut infauſti principatus regimen corruptæ aulæ judicio permiſit.

Tradit idem ſcriptor Colonienſium Præſulem promovendo Schenckiani exercitus Trajectui Walravio Soæſtio, Schenckianæ cohortis optioni operam atque auxilia in oppido Meurſæ depactum, eundemque Walravium ab ipſo præſule liberaliſſime exceptum bonam ſpem conficiendæ expeditionis concepiſſe. Igitur præſidiarium navigium, removendis Rheno, quæ tranſierant, copijs invalidum, interceptas Farneſij Litteras & captivum ex agro Duſſeldorpienſi vehens ſecundo flumine deſcendit, Schenckijque exercitus binoctio Mullumi acto, decimo menſis Junij die Buranum vicum emenſus, Horſtianam inter atque Raesfeldiam arces deſedit. Ubi curatis in diem corporibus Elam, Halteram atque Dulmam proceſſit intenſiſſimis cœli ardoribus, quod ſole Cancrum ingreſſo in mediterraneis & per myriceta omnem humorem ſquallentium rivulorum aut putentis ſtagni depaverat. Unde ſitis fame, quâ identidem vexabatur, acrior, arentibus militum faucibus nata, quas jam ante in Rheni tractu vino prolutas, ne limoſæ quidem paludis illuvies irrigabat. Cæterum à Dulmenſibus cibo & potu, in ſpem pretij ac parati æris, quo deſtituebantur, refecti, animos excuſſo languore ſumpſerunt, obviâ inſuper novi auxilij famâ, quod ſupra Coloniam & ad Rhenum cogi Nigellius Gorcumanus perfugâ etſi vaniſſimo rumore nuntiaverat. Cui urbi in partes hoſtium propenſæ à bellicâ ordinum navi, quæ objectum flumen occupaverat, terror injectus, aucto magis Colonienſium pavore, quod Cloierus Amſtelodamenſium præfectus binas naves præſidiarias cum inſtructiſſimâ triremi Rheno flumini induxiſſet. Is vero Duſſeldorpium Cliviæ ad Rhenum oppidum cum claſſe progreſſus Satrapa Horſtio, ac ipſo navium inſpectore conſcio, Joannem Gulielmum Ducem offendit, hominiq; ultro mente capto iracundiam & mox furorem excitavit.

Naves præſidiariæ in Rheno.

CIↃ. IↃ. LXXX.

Ducis Iuliacenſis indignatio.

Quare Dux vocato ad ſe navium inſpectori ſtrictum gladium intentavit, ægrique Horſtij Marſchalli interventu admiſſo acerrimum vulnus inflixit. Tum fervore & rabie auctâ repellendis Ordinum navigijs Rheni per ripam, qua Duſſeldorpio obtenditur, diſponi tormenta fecit, omneque alienatæ mentis & pro Hiſpano ſtantis indicium prodidit. Cæterum naves ferendis tormentorum ictibus validas ferramenta & denſiſſimæ trabium compages fecerant, inridente Cloiero imbellem veſani Principis & aulicorum iram, potiundo Rheni fluminis imperio evaneſcere. Itaque adverſo defluentis Rheni alveo naves milite & commeatu inſtructas Bonnam provexit, omniq; ad Rhenum oræ & ſperatis Schenckij auxilijs metum ac impedimentum injecit.

Erant qui ſuaderent in illo hoſtium apparatu Rheni alveum intra ripas ardore ſolis & imbrium caritate contractum triremium ope, tardioribus præſidiarijs navigijs, occupandum, quo remigum miniſterijs, ſilente vento & depreſſiore fluminis alveo, quamlibet in ripam adigerentur. Eaſdem quoque triremes quingentorum ſexcentorumve militum numero armandas impediendis copiarum tranſvectionibus, quas Farneſius extenuato ſuperiore exercitu Tranſ-Rhenanis provincijs decernebat. Itaque Fronsbergium, Polvilerium, reliquoſque Germanicarum legionum tribunos, ob ſtipendia immodeſtè flagitata in Lutſenburgenſium fines amotos in auxilia ſollicitavit, reſiduumque ſtipendiorum æs Lutetiæ Pariſiorum brevi exſolvendum promiſit. Tum Hiſpanicæ quoque factioni per provinciam addictos ſecretioribus litteris inſtruxit, plurimoſque habendo per Cliviam commeatui Sanctis & Embricæ promiſſâ proditionis mercede corrupit. Quare & Friſios ex eadem factione in Sylveſtribus & ad Cuneram congregari fecit, omnemque in liberandâ ocyus Groningâ fortunæ ac victoriæ ſpem collocavit. Unde exercitum ſtativa apud Dulmenſes habentem, inſtigantibus proditoribus & in ijs Splinterio quodam pergere ocyus Schenckius juſſit, audito populum ciendis per Friſiam ſeditionibus promptum ſola auxilia, exequendis rebus, opperiri.

Dekamæ cujuſdam proditoria in patriam conſilia.

Scribit autor, Dekamam quendam in aulâ Alexandri Farneſij Robleſio familiarem, aſſignato honorario ære, certam inteſtinarum turbarum ſpem per Friſiam feciſſe, eaq; animatum Schenckium, movendis Groningâ fœderatorum caſtris, ſacramentum dixiſſe. Friſiorum quoque fertiles agros ſpem meſſi tum facientes, adhæc divitis populi fortunas prædæ à Farneſio datas, militemque ejus dulcedine pellectum, rapiendis provincialium opibus expeditionis conſilium maturaſſe.

Hohenloüs hoſti arcendo ſe accingit.

Itaq; Philippus Hohenloüs, qui in caſtris ad Groningam tum erat, litteras IV. Jun. in Friſiam dedit, atq; firmandis præſidio Leovardiâ, Snecâ & Harlingâ oppidis commonuit. Se ſcilicet cum copijs recta in hoſtem iturum, ut fluminum tranſitu illum prohibeat, Friſiamque & omnem trans Rhenum provinciam ab ejuſdem irruptione liberet. Sed eventus rerum dubios eſſe, ſe victoriam quidem à Deo ſperare, ſed in cujus poteſtate ſit adverſa benè ſperanti obtrudere. Quod ſi eveniat Friſiam conſpirationibus ſuorum obnoxiam fore, quibus amovendis commoda civitatum præſidia eſſe queant opportune diſtributa.

Quæ prolixius reliquis ſilentibus mihi narrata, & quod illâ memorabili

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

bili expeditione arma in Friſiam ope exulum ductâ, multis annis durave- cIↄ. Iↄ.
rint. Quod ipſum quoq; incommodum, quamvis fato eventurum cre- LXXX.
deretur, caſtigandæ procerum in extruendis Burtangæ & Coverdiæ munitionibus diſcordiæ potiſſimum obvenit, volente, ſicuti ſolet, providentiâ inermem populum & nullius inofficioſi conſcium ex dominantium incuriâ affligi. Creditum fuit, Martinum Schenckium occupandæ cum ſuis Brevortæ, aut Lingæ tacitum àFarneſio mandatum accepiſſe, aut ut, iſtius conſilij ſucceſſu fruſtratus, opperiendis reliquis, quæ parabantur, auxilijs commiſſa apertis campis caſtra præducto tumultuario opere muniret. Cæterum mutato animo, rapto Dulmam exercitu, iter Benthemicos per agros pronuntiari juſſit, inſtigatus tum vel maxumè Suollenſium precibus, quos excuſsâ fœderis Ultrajectini religione, admittendis intra muros hoſtibus domeſticæ factiones armaverant.

Quare Hohenloüs, quo hoſtem anteveniret, mandato à Friſijs & fœderato ſimul conſeſſu, qui Daventriæ habebatur, accepto copias atq; auxilia contraxit, quæ ſex cohortium numero è caſtris ad Groningam petita, cum alijs ex Iſelſteinij legione Joannes Cuningamus vir militaris ducebat. Gulielmus verò Ludovicus, cum Diderico Sonoïo, qui Cuningamo ſuffectus erat, rem ad Groningam gerere juſſus, feſtinante ècontra Schenckio ut obſeſſorum anguſtiæ & afflictis per Tranſ-Iſulaniam ſuorum rebus ſubveniret. Quippe Suollâ in poteſtatem à fœderato præſidio redactâ, tum ruſticorum, qui Schenckio favebant, villis atque agris populatis Gelmuda quoque arx à Tranſ-Iſulanis diruta, atque ſolo æquata erat, quam premendo Vidri fluminis ubi in mare labitur, oſtio Carolus olim Cæſar extruxerat. Igitur ordinatis ritè per Tranſ-Iſulaniam rebus, motis Ulſenâ caſtris Hohenloüs exercitum Coverdiam duxit, refectiſque ex fatigatione militum corporibus opperiri hoſtem, ac decertare prælio conſtituit. Cæterum novo mandato conferre ſigna prohibitus (ne infirmo peditatu & rarioribus haſtatorum ordinibus in diſcrimen veniret) ſpreto, quod præliaturis auſpiciorum loco eſſe ſolet, imperio Coverdiâ in hoſtem duxit, quem intercepto commeatu, morâ conſumendum peritiſſimi rerum ac locorum ſuaſerant. Adeò præclaris ſæpè Ducibus ad momenta temporum introſpicienda conſilij maturitas defuit. Itaque ferventiſſimo die, quem Sol Cancri Tropicum percurrens, ut plurimum facit, citò agmine copias irè juſſit, quarum robur ex intemperato æſtu, præter viæ longitudinem, armorum pondera & profuſiſſimi corporum ſudores diſſolverant. Hoſtem verò itinerum ſpatia jam ante permenſum, quies permulſerat, quæ objectu umbræ gratior, fractas cœleſti ardore vires utili alimoniâ reparaverat. Quare Schenckius ritè curatis ſuorum corporibus medio Hardenbergio myriceto ſigna explicuit, initoque pugnæ conſilio aciem ordinavit.

Hohenloüs contra mandatum Ordinum in prælium deſcendit.

Hohenloüs quoque etſi itineris laſſitudine fractus & aquarum penuriâ, quæ multos extinxerat, ne quiete quidem in tam intenſis caloribus militi datâ, exercitum ad pugnam diſpoſuit, in quo dextrum aciei cornu Joannes Cuningamus cum Naſſovianis & Wingardio & mediâ Cornuputti cohorte, lævum Iſelſteinius & Zeniſca tenebant. Ipſam verò ante aciem, Onſtæ, Rinſuoudij & Aſinghæ Entenij, equeſtres turmas ritè in-

cIↄ. Iↄ. LXXX.

te inſtructas collocavit, quarum adverſum latus ipſe ſeptem majori-
bus tormentis reliquoque equitatu munierat. Sed aperta loci planities
exercitus latera nudaverat, quæ melius ipſa Hardenberga aut proxumi
campi firmandis ordinibus & ad refugium munijſſent. Quippe pagum
præter hortorum villarumque ſepimenta amnis quoque Vechta præflue-
bat, qui ex Benthemiorum finibus modico fonte procedens majore al-
veo, ſterilium camporum ſpatia latioribus ripis dirimebat. Sed fato
deſtinata ne Ducis quidem errore aut prudentiâ vitabantur, etſi eſ-
ſent, qui crederent, vel maxumè ex fiduciâ peccatum quæ Hohenloo
victoriæ velut certo, omnem periculi metum atque ſollicitudinem
ademerat. Adeo verum eſt, nullos facilius opprimi, quam nihil timen-
tes, adverſamque iſti virtuti, ut plurimum, fortunam eſſe, quæ vi ſuâ
nixa & occaſionum ſegnis aut negligens ſecuritate fati aut inconſulto
impetu regeretur.

Prælij deſcriptio & infelix ejus exitus.

Quare ne cœli quidem & caſtrorum poſitu obſervato ſolem, pulverem
Hohenlous ſibi adverſum, hoſti ſecundum fecerat, qui declivi ſenſim a-
ſtro umbras corporum ardoris refrigerio trahens æſtum ac obtutum cla-
riſſimi ſyderis Hohenloo reliquerat: Tandem medio diei effluxo ſigna
cecinere, poſtquam preces utrinque propitiando numini fuſæ alacritatem
aut metum pugnaturis addiderant. Igitur diſploſis tormentis Friſiorum
equitum turmæ in Epirotas lancearios invectæ, qui ad ſuſtinendos pri-
mos & ſæpè ferociores impetus invalidi, diſſipati aut cæſi fælicia pugnæ
initia Hohenloo oſtentabant. Quippe Schenckianos in fugam abreptos
Germani ocyus atque alacrius inſequebantur, ne pedite quidem ita com-
poſito, ut pugnæ locum, quem ceperat, ex ſociorum clade retineret.
Unde victoriæ ſpes Hohenloo illuceſcebat, niſi primâ fronte blandiens
fortuna ſecundis adverſa reſervaſſet. Ubi namque equeſtres Friſiorum
turmæ repetendis viribus ac inſultibus parum receſſere, hoſtibus fugam
ratis animus increvit, quos velut ſemi-victos & ſociæ cladis ſpe-
ctaculo truces in medios Hohenloï pedites vindictæ cupido atque glo-
riæ impellebat. In quibus præcipui Epirotæ, redintegratâ acie, cum
ferentarijs fuere, qui impetu Friſici equitatus repulſo, diſſipatos antè
lancearios reparandis viribus incitabant. Tum Hohenloi eques pedem ad
tormenta retraxit, quæ confertim rumpendis Schenkianorum ordinibus,
laxata nullo pulvere aut globo tenebantur. Unde pedeſtres Hohen-
loi copiæ, retroactis ſenſim equeſtribus, & quod haſtati excipiendis E-
pirotarum equitum inſultibus deeſſent, in planitiem digreſſæ, quæ aperta &
nullo opere vallata, qua qua verſum fugæ proxumos impreſſionibus ho-
ſtium exponebat. Quare, edito aliquandiu virtutis exemplo, fugæ con-
ſilium cepere, quæ ut ſolet, inclinante acie ne fortiſſimos quoſque
in ſtatione aut officio retinebat. Sic pedeſtri exercitu diſperſo eque-
ſtrium quoque turmarum ordines diſſoluti, quos peditum exemplo con-
territos, nec pugnantium tribunorum virtus, nec imperium Ducis coër-
cebat. Itaque multi in amnem præcipites acti, eo vadoſo in avia ac
deſerta ſe recepere, quæ humanis ante veſtigijs intacta, palantium mul-
titudini ac fugæ ſerviebant. Quippe fæculentam paludum uliginem con-
tinuæ ſiccitates & ardentius cœlum induraverant, ut ferendo pediti ha-
bilis, ne equinæ quidem ungulæ iter atque veſtigium reſpueret. Un-

de multi omniâ ad lævam relictâ Coverdiam celerrimo curſu profuge- cIↄ. Iↄ. re, quam Hohenloûs, adverſæ fortunæ metu, recipiendis profugis aſy- LXXX. lum ordinaverat. Ita bituminoſæ uliginis durities multis ſaluti, plurimis quoque exitio fuit, quos hoſtium equites per plana myrticeta & paluſtres campos aſſecuti, ſedato nondum pugnæ calore, vulneribus ac cæde ſternebant.

Wingardius cohortis ductor, qui in dextro cornu fuerat, fortiter pugnans & à ſuis deſertus occubuit, multique ex vulnere, aut in ipsâ fugâ effervefacto ſanguine ex ſiti debiles in poteſtatem hoſtium venere. Pompeius quoque Ufkenius penſili, quod ad ſpectandum prælium ferebatur, curru excuſſus ac ab hoſtibus interemptus eſt. Vir meliore vitæ exitu digniſſimus, quæ promovendo fœderi inter curas & inquietudines acta patriæ amantem ſuperfuſo militari tribunitioque ſanguine ſuperbi cruentique victoris arbitrio objecit. Itaque tantus pavor ex fugâ multitudinem invaſit, ut ne Coverdiæ quidem ſubſiſteret, ligneoq; ac trabali viæ objice objecto, aut Cornputti præſidio ſtantis prece aut imperio retineretur. Quare paluſtres, qui Coverdiam Burtangamque interjacent, campos pervagata monaſterienſe in agrum ſe effudit, incerto & hæſitante Cornputto, an Coverdiam præſidij debilem & non munitam, incurſionibus victorum ſervaret. Cæterum ſollicitatis nequicquam profugorum auxilijs, quos ſpecioſo ad virtutem & gloriam hortamento perflectere conabatur, metu tandem evictus, cum pauciſſimus ſuorum dubio & per avia itinere in Friſios properavit, triſtiſſimæq; cladis obnuntiatione patrum animos perculit. Qui Hohenloï litteris Oldenzelâ, in quem locum cum reliquijs fuſi exercitus ſe partim receperat, poſtero à clade die Leovardiam expeditis parum firmati egregiam futuri temporis & mollioris fortunæ ſpem concepere.

Litteræ HOHENLOI hujuſmodi erant.

CELARE vos non poſsum, ORDINES, *quod cum hoſte conflixerim. Ac quanquam ſecunda pugnæ initia favore numimis, meâ virtute fecerim, hoſtium equitatu cæſo, aut diſſipato, ita ſola peditum meorum fuga ſpem victoriæ mihi excuſſit. Ego verò Coverdiam cum fugientibus me recipere in animum induxeram, quo fortunam prælij recollectis copijs repararem. Cæterum Cornputtus, ibi præſidio à me relictus, loco turpiter deceſſit, ad quod faciendum nulla neceſſitas ſacramenti oblitum adigebat. Quod fœdius ne tormentis quidem abducendis tempus impendit, ſoli fugæ ex imbelli pavore quæſitum. Sed mea virtus quæ amiſſa ſunt propediem reſtituet, daturuſque ſum operam ut majoribus cum auxilijs ad vos veniam. Quippe Scoticæ ac Anglorum legiones jam in itinere ſunt, fuiſsetque in manu meâ hoſtem Groningâ arcendi, niſi deſertâ Coverdiâ militum fuga ſibi dedecus, mihi incommodum peperiſset. Et quanquam hoſtes decem & trium cohortium ope ſubnixi, de movendis ad Groningam caſtris veſtris cogitare videantur, ita meo officio deſuturus non ſum, modo hoc agatis, ut ejus quam ocyſſimè commonear. Arma, res atque vita mea veſtræ ſaluti offeruntur.* *Literæ Hohenloï ad Ordines Friſiæ.*

Cl. Franckenâ egregius Hohenloæ illo prælio virtutis commendator ſcribit, Philippum Hohenloum viſâ peditum ſuorum fugâ, equeſtres *Hohenloï in hoc prælio virtus.*

cIↃ. IↃ. LXXX. turmas, exercitus ſui robur, per mediam hoſtium aciem duxiſſe, ruptiſque eorum ordinibus aut ſaltem laxatis, ſalvum & incolumem Oldenzelam in Tubantibus perveniſſe. Equites quoque Hohenloï plurimos in illo conflictu deſideratos, pedeſtremque exercitum fugâ ſervatum manifeſtæ cladi non ſubfuiſſe. Tum machinæ & omnis commeatus hoſtibus in prædam verſus, qui rebus ſecundis, more mortalium, elati victricia per Drentiam ſigna ſolvendo obſidio circumducebat. Quare Hardenbergicæ cladis nuntio in caſtra ad Groningam perlato Enteniana potiſſimum legio tribuni ſui morte & ex retardatis ſtipendijs turbida caſtrenſe officium detrectavit, animiſq; inquieta, ferox & reliquarum quoq; cohortium ingenia ſeditioſis conſilijs tanquam peſtilentiâ infecit. Undeexlex miles & diſciplinæ immemor nec blandimentis nec autoritati parebat, quæ gregarios inter & calores convicijs exagitata tribunorum quoque centurionumque fidem corruperat.

Militaris ſeditio ex infœlici prælio.

Quare ne in gravius malum militarium animorum fervor erumperet, foriſque victor hoſtis, intra loricam tumultus & ſeditio caſtra infeſtaret, Gulielmus Ludovicus Naſſovius advocato in conſilium Sonoio moveri eadem caſtra etſi invitus fecit, quæ incenſis tentorijs celerrime rapta, vix ſarcinis impedimentiſque colligendis tempus reliquerant. Curâ tamen Naſſovij, qui opperiendum hoſtem & conſerendam cum victore Schenckio manum ſuaſerat, exercitus Winſumum in Huneſgonios cum omni commeatu & per Omlandiam vicinam ductus, quâ parte Huneſus amnis flexo aut curvato alveo fertiliſſima terrarum perlabitur. Tum per Longowaldios itinere facto, ſuperato apud Visfletam Lavica flumine pleræque copiæ Collumum & Doccomium expeditæ, ubi per caſtrenſe otium Entenianæ legionis ſævior ſeditio ex egeſtate æris recruduit. Quippe ab eodem milite pro arbitrio copiarum ductoribus imperatum, qui referre, quæ Opſlachum deſtinabantur, ſigna Doccomium juſſi, oppidum velut pignori aut direptioni immodeſtè inſolentibus permittebant. Quamobrem Gulielmus Ludovicus claſſiario milite revehendis Harlingam tormentis conducto, litteras Doccomio XI. Kalend. Iulij Leovardiam dedit ſedandiſque emotis mentibus unius menſis ſtipendium in parato ære popoſcit.

Unde à Deputatis Scipio Meckama vir nobilis & Heſſelus Ayſma pro legatis ocyus Doccomium miſſi, numeratoque ſeditioſo militi in menſem ſtipendio præſidij inſolentiam placavere. Mox amovendis quoque in poſterum ſeditionibus militem inter & Legatos Ordinum conventio ſcripta, quo ſeditioſiſſimus quiſque otio corruptior repetitis belli officijs ad honeſta obſequia & agnitionem decentis imperij rediret.

Ea numerato ſtipendio ſedatur

Eâ cautum fuit.

Vt unius menſis ſtipendium poſt octiduum miles acciperet, eoque evoluto ſequente octiduo aliud menſtruum ſtipendium priori ſuperadderetur. Conventione quoque ſignatâ militi binâ inſuper ſtipendiâ penderentur, ſinguliſque mox ſeptimanis paratum æs tribuno cohortis & juxta militi præſtaretur. Centurio ac miles fidem ſacramento faceret, Ordinumque imperijs ac mandatis ex articulo, ut vocant, militari pareret. Hæc à Ioanne Eſcheda, Harmanno Olthovio, Iacobo Nettio, Florentio Scageno, Rudolpho Langio & Bloemio Snecano XII. Kalend. Iul. Docomij ſignata.

Igitur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Igitur totâ belli mole in Friſios & Omlandiam vergente, Friſij laſtas quaſdam ſecalis quo commeatibus legionum providerent, Amſtelodamenſes popoſcere, & ut illius civitatis Magiſtratus ſociam fidem emendo pro Friſijs frumento interponeret. Quod frigidè à Magiſtratu habitum, qui Legatos coëmendis neceſſarijs mitti è Friſiâ volebat, ejuſdem regionis proceres haud parum turbavit, qui inter domeſticarum ſeditionum aut hoſtilium irruptionum metus conſtituti annonæ caritatem aut penuriam ſubmovendam provinciâ aut infidis caſtris interpretabantur. Auxilia quoque eoſdem Amſtelodamenſes, ut & minores Friſios petita, ac ut à clade Hardenbergicâ expoſitam bello provinciam ſuæ civitatis aut regionis præſidio ſublevarent. Sed Magiſtratus miſſas à ſe Suollam & poſt Oldenzelam auxiliares copias reſpondebat, extenuatiſque præſidij cohortibus binas tantum tuendæ civitati retinuiſſe. Nihilominus teſtandæ in ſocios fidei ad legatos ſuos Hagam ſcripſiſſe, quo afflictis Friſiorum rebus ſociale auxilium mitteretur. Idem à minoribus Friſijs Enchusâ reſponſum. Quare penſitato cohortibus ære militares ex quibuſq; ſignis manipuli Doccomio Opſlachum & ad Salinas præmiſſi, quæ marino littori in Reiderij amnis & Neozilæ ripâ adjectæ præſervandis Omlandiæ agris terreo opere tum muniebantur. Quâ munitione perfectâ, ac Doccomienſi ſeditione compoſitâ Hermannus Olthovius, Vlietius, Iargæus, Scagenus & Cornelius Veda cohortium præfecti Opſlachum pro præſidio expediti, animatâ jam melius Friſiorum gente, quod per Hollandiam cæteraſque ſocias provincias auxilia pararentur. Hoc vero volebant Hollandi, ut auxiliaribus copijs Friſij non campeſtres ad uſus, ſed civitatum ſuarum præſidio uterentur, ne illâ militaris turbæ inopia, interveniente cohortium cæde aut fugâ recuperandorum præſidiorum commoditate Hollandicæ urbes privarenrur.

CIↃ. IↃ. LXXX. Friſij auxilia Amſtelodamenſes petunt.

Tum Schenckius victor patentibus campis & cæde hoſtium conſtratis unum diem agens, quiete parum per feſſo militi datâ Coverdiam properavit, eamque Sonoi avaritiâ aut incuria patrûm neglectam tunc incolarum ac præſidij vacuam invenit. Itaque multo partium metu, Hohenloo Oldenzelam cum reliquijs infauſtæ cladis amoto, medios per Drentiæ agros Groningam contendit, urbemque ſoluto obſidio acceſſui facilem ſpecie triumphantis ingreſſus eſt. Quippe Senatus & ex conjuratis primi, quos Lalainius opprimendis jam antè fœderatis habuerat, eï obviam egreſſi, de victoriâ Hardenbergici prælij gratulabantur, & quod feſſis obſeſſorum rebus ac ad faciendam deditionem pronis victore cum exercitu ſubveniſſet. Tum dies genio vinum inter & epulas delecti, ſolenniumque veluti feſtorum hilaritate exacti ſunt. Lalainius ipſe animi diu anxius & interno tortore pectoris ex defectione æger frontem tum exporrexit, omnemque violati fœderis ac ſimul fidei pœnitudinem faceſcere animo juſſit. Mox Schenkianum exercitum per omnem Omlandiæ agrum ſparſit, Opſlachumque & Salinas, quas quinque cohortium præſidio fœderati præoccupaverant, obſidere conſtituit. Itaque nobilium arces & caſtella paſſim à Schenckij exercitu diruta atque direpta, dominorum fugâ vacua cultoribus & omni ornatu jacuere. Quippe auro argentoque tum pretioſâ ſupellectile in prædam captâ, ferrum & omne æs fuſile armorum uſui impenſum, quæ Lalai-

Schenckius victor Groningam tendit.

cIↄ.Iↄ. LXXX. lainius nullo obſtante per Amaſi & Reiderij amnis ripas circumferebat. Quare centuriones, qui Opſlachum præſidio tenebant, habito concilio obſidij metu auxilia Friſios petiere, & ut ocyus ſubvectandis commeatibus oneraria navigia adornarent. Alias fore, ut nullâ ſui defenſione aut gloriâ inſtar pecorum mactentur, defectoque commeatu languidi & imbelles promiſcuâ morte pereant. Igitur neceſſarium eſſe, ut fortiſſimi quique & perire pro patriâ nati ejus auxilium atque opem ſentiant, & ut ad præſtandos opportunè commeatus patrum ſollicitudo ſe extendat, habitura viros fortes ſi fecerit. Hoc ab Harmanno Olthovio, Egberto Bevelandio, Cornelio Weda, Stephano Penſſio, Florentio & Scageno, Sceltone Iargæo ſignatum.

Gulielmus quoque Ludovicus Naſſovius Doccomij tum hærens, pro obtinendo tormentario pulvere reliquoque commeatu interceſſit, ac ut Bartholomæum Sneburgium virum fortem, comportandis ad obſeſſos commeatibus delectum, omni neceſſario præjuvarent. Quo Elberti quoq; Leonini, qui Antverpiâ Daventriam à Concilio Status Belgici amandatus erat, litteræ ad Friſios faciebant, hortantis, ut animos capeſſerent, Hardenbergicæq; cladi ſalubres curas reponerent. Neq; enim planè convulſas fœderis vires eſſe, aut detrimenta cladis ſævienti fortunæ imputanda, quæ inſperatus militum pavor & ſolà confuſio peperiſſet. Emendanda eſſe exercitus vitia & torporem, aut metum virtute aut ejus fiduciâ mutandum, quo omne dedecus ex pavore & fugâ quæſitum reſumptæ fortitudinis gloria cooperiat. Se interim apud fœderis ſocios, apud Hohenloum & ſuos quoq; Antverpiæ interceſſurum, ut ſtipendia atque auxilia habeantur, & ut Friſiæ vicinarumque gentium diſcrimini auxiliares Gallorum Scotorumque copiæ ſubveniant. Hoc tantum petere, ut Friſij mortalium mores & ingenia imitati adverſâ ex fortunâ civilem concordiam induant, & ut militum provincialium animos decentibus ſolatijs erigendo oppida ac caſtella præſidijs firment. De cætero cogitarent Deum proſpera ſanctiſſimo fœderi largiturum, eoſq; eſſe adverſarum rerum fines, ut initia ſecundis præſternant. Sic Leoninus actis pro liberalitate gratijs valere Friſios juſſit, interceptâq; in Omlandiam ex Hardenbergico prælio legatione, in Brabantiam receſſit. Litteræ VIII. Kal. Iul. Daventriâ datæ:

Leonini ad Friſios literæ ac ſolatia.

Cujus cladis cauſam, etſi temerarijs Hohenloï conſilijs, dubia rerum ut certa habentis, plerique imputarent, ita erant, qui ſocordiam fœderatorum Ordinum criminarentur, quod hoſtium copijs, tranſvehendis patêre Rhenum ſiviſſent. Quippe illorum conſilio Iſelſteinium cum legione è ſuperiore Geldriâ in Tranſiſulaniam evocatum, nudato fluminis margine, qui adiri relicto ad Rhenum præſidio non potuiſſet. Erant quoque qui crederent, Hohenloum cum imperio & ſimul mandato pugnaſſe, quod dubium & obſcurum infœlicis prælij eventus fecisset. Proſpera ſcilicet rerum mortales adorare, fieriq; in adverſis ut eorum culpæ in alios referantur.

Lalainij poſt victoriam machinationes

Igitur liberatâ poſt tres menſes & medium Groningâ fœderatoque exercitu in Friſios revocato Lalainius, quo quo vellet, copijs ſuo arbitrio uſus Schenckiani exercitus partem Delphzilam duxit quam Fivelæ amni qui in Amaſum exit, aſſitam Bartoldus nuper in juſtæ munitionis formam

mam redegerat. Quippe valli altitudine & mole multo aggere firmatâ, foſſam quoque centum & decem pedum erecto operi præduxerat; quod introrſum ſeptingentis & ultra paſſibus ab Amaſi ripâ jactum commoditate ampliſſimi fluminis parum juvabatur. Quare Lalainius occupato portus oſtio, agriſque ad Amaſum procurrentibus caſtra aggeribus circumdedit omnemque, quem potuit, commeatum inferri iiſdem caſtris juſſit. Delphzilam vero præſidio tres cohortes tenebant, quæ etſi mutatis ſacramentis, plurimos vetere in Lalainium gratiâ affectos in illâ multitudine numerabant. Sic præſsâ levibus caſtris Delphzilâ per Fivelingios Huneſgonioſque exercitum reduxit, Opſlachumq; in ripâ Reiderij amnis juſto opere erectum, ſubvertendis præſidij commeatibus properavit. Tredecim cohortes fuiſſe annalibus proditum eſt. cIɔ. Iɔ. LXXX.

Unde Friſiorum litteris Eſchedæ & Rinſuoudij cohortes, quæ in Gerriconis cœnobium diverterant, celerrimo itinere Opſlachum ire juſſæ, quo obſeſſi ſuſtinendis opugnationibus impares illarum auxilio juvarentur. Cæterum Rinſuoudij milite cæſo aut diſſipato, ipſo captivo & ſaucio Eſcheda cum cohorte pedem retraxit, adaucto magis terrore, quod Schenckius proſperâ fortunâ ſuperbè & crudeliter uſus, refectos fomentis ac cibo captivos ſedato iracundiæ calore interemiſſet. Quare obſeſſorum quoque animi ſenſim defecere, quorum virtus ex annonæ & commeatuum penuriâ languidior ſpem liberationis amiſerat. Igitur Friſij Didericum Sonoïum, muniendæ Harlingæ intentum, ſocias naves ut in auxilia procuraret, datis litteris monuere ac ut unam annonâ inſtructam per æſtuaria maris deferri Opſlachum ocyus faceret. Is Iohannem Buningam virum fortem præſidium Harlingæ agentem inſtructiſſimæ navi præfecit, quæ lecto littore prid. Kal. Iulij medio dieï Ooſtmahornam provecta, ac in anchoris ſtare juſſa tardiori auxilio moram injecerat. Quippe claſſiarij artium rudes & numero pauci miniſteria non implebant, interque otia ſilente vento dies actus obſeſſorum anguſtiam prægravabat. Unde conſilium faciendæ deditionis captum, eâque conventum, ut præſidiarij loco ſalvi & incolumes cum armis & impedimentis exirent, intraque trimeſtre arma in Regem non ferrent. Quare impulſis per Friſiam rebus, à regiæ factionis multitudine, quæ in provinciarum vicalibus adhuc hærebat, frumenta & commeatus in caſtra hoſtium clam ſubvecti, quorum ſtativa modo per marini apertique littoris edita, modo fertilium camporum planitiem habebantur. Igitur autorati, qui in criminum ac malorum conſiliorum conſcios inquirerent, eorumque nomina ad Senatum provinciæ deferrent.

Friſij Opſlachi obſeſſis auxilia ſubmittere nituntur fruſtra.

Mox dilectus per omnem agrum atque municipia habiti, Biltanique viritim coacti armatos recenſuere. Reliquis in præturis fortes pavidis immiſti difficilius cogebantur, & quod eſſent qui arma tuendæ patriæ imperata hoſtium ſervitijs deſtinarent. Itaque Lalainius redacto in poteſtatem Opſlacho caſtra Collumum movit, quem vicum in Ooſtergoâ ampliſſimum & modico portu commercijs opportunum circumducere vallo ſtatuerat. Cæterum mutato conſilio, quo in inferiora provinciæ pergeret, de oppugnando Doccomio agitavit, quod oppidum Ea amnis lenibus aquis Leovardiâ prolabens, navigabili alveo interluit. Quare Ordinum ſollicitudine & curâ omnes copiæ, quas è provincialibus collegerant,

Lalainius Collumo Doccomioq; minatur.

 rant,

cIↄ. Iↄ. LXXX. rant, iſtud ad oppidum convenire juſſæ, quo permuniendæ urbi deſtinatus labor armatorum præſidio melius fœliciuſque procederet. Sed rara civium manus, agrarij ſegnes & erigendis operibus invalidi, ægrè ſuorum imperijs parebant, ipſorumque etiam prætorum contumaciâ curribus atque equis deſtituebantur. Unde Cuningamus ne morâ aut per ignaviam conſilium vileſceret, foſſores, equos, currus acciri è Dongrijs juſſit, prætoreſque promovendis novorum operum munimentis tardos acerbiſſimis litteris perſtrinxit. Verſari ſcilicet in ſummo diſcrimine provinciam innuebat, poſtquam ad muros fermè hoſtis & ſecundis ferox futuri temporis fortunam ſuâ ex virtute aut victoriâ æſtumaret. Inde capto Opſlacho, Collumano agro ſigna inlata, intra oppidum & in meditullium provinciæ progreſſura niſi virtute virorum fortium & labore manuum ſiſtantur. Præter militem namque foſſores, currus, equos deſiderari, ac ut patens oppidum per fœda murorum rudera ſuſtinendo inſultivi debile, juſto aut pro ratione temporis tumultuario opere firmetur. Quod niſi fiat, oppido & ſimul provinciæ periculum imminere, cui cauſam non intermiſſa militarium tribunorum officia, ſed ſocordia prætorum datura ſit. Quas litteras etſi parum efficaces aliorum metus, aliorum contumacia faceret, ita Hohenloï repentino in Friſios adventu invaluere, qui Leovardiâ Doccomium decem cum cohortibus celerrimo itinere provectus, ruſticam ac oppidanam plebem emuniendis locorum opportunis adegit.

Hohenloüs in contrarium tendit Friſiamque paſſim opere ac præſidijs munit.

Mox copijs Stenuicum ad præſidia expeditis, diſperſas cohortes conduci Doccomium præcepit, oppidumque præſidiario ad incurſiones milite firmavit. Præter pedeſtres namque copias, quas Grovenſteinius & Feruovius ducebant, Joannes quoq; Eſcheda cohortis ductor cum reliquis ex Entenianâ & Naſſovicâ legione oppidum ingreſſus eſt, cujus ambitus & ſuburbana ſpecie caſtrorum ex magnitudine præſidij viſebantur. Tum Ooſtmahornam Robleſij ætate à Bartoldo Entenio opere circumductam, qua Ea amnis latiſſimis in æſtuaria aquis effunditur, vallo quoque terreo præcinxit, eïque ſuæ cohortis præſidium impoſuit. Dein ut omne littus, quod canales omnium rivorumque demittit, Collumaniſque aut Dongricis agris & æſtuario obtenditur hoſtibus inacceſſum faceret, lenia quædam caſtella, amnibus ac mari objecta ruſticæ plebi defendenda commiſit, omnemque illum Ooſtergoæ littoralem tractum armatâ multitudine obſepſit. Quæ diſcors & parendi rurſum inſolens, quod ſtipendia ad diem non præſtarentur, importunius tribunos ſollicitabat, ac ut ruptis deſertiſque ſignis venale ſacramentum inopis domini faſtidio exuerent. Quod malum ne contumaciâ provincialium ingraveſceret autoritate ſupremi Senatus apparitores in præturas paſſim ablegati, qui armatarum cohortium ope bona diſtraherent. Pecuniam quoque obluctanti populo extortam, aut ex divenditis bonis collectam Paulo Gellio tribuno ærarij penderent, quod illâ tempeſtate exſangue & impulſum tantæ rerum moli & militaribus impendijs non ſufficiebat.

Quippe publicis ſociarum provinciarum indictionibus recipiendis, etſi Ordines annuiſſent, ita plebs paſſim refragabatur ſpecieq; immodeſti oneris obſequia & pacem exuebat. Quare nec Matthiæ Gubernatoris hortatu nec Ordinum generalium litteris quid profectum, reputante eodem populo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

pulo, liberam gentem, nec abſolutis principum imperijs aut dominationibus ullo tempore obnoxiam importunis ſervitijs eximendam. Tradunt militum plurimos, ſollicitatis perfidè etſi nequicquam tribunis, grege facto ultro à ſignis deſciviſſe, metuq; periculi, an ob ſtipendia incertum, debilem exercitum labefactaſſe. Quare Hohenloiis, datis ad Ordines Friſiæ litteris, obſideri viarum ſpatia ſpiculatore petijt, ac ut defectores vinculis datis ſtatuendis exemplis tranſmitterent. cIↃ. IↃ. LXXX.

Joanni Fervouio cohortis ductori, qui per Barranum ac Ferverdicum agrum reſiduum tributi, quod in aureos florenos indictum erat, armatâ manu exegerat bimeſtre ſtipendium Kal. Jul. exſolutum. Litteræ quoque paſſim in provinciam ad Quæſtores publici indictionum æris miſſæ, ijſque conſtitutum, ut in Monaſterienſes, Dortumanos, vulgares Anglicos & Boechfeldicos pannos decem ſtufferos exigerent. Cereviſiæ quoque Steenuicanæ, aut Oldemarctanæ, tum apud Drentinos ac per Tranſ-Iſulaniam coctæ, ſingulas in tonnas ſex ſtuferi, Hollandicæ octo penderentur. Igitur Doccomio oppido, fœdâ ruſticæ plebis ignaviâ, trecentorum militum ac operariorum induſtriâ munito, Cuningamus Ordines mercedem laborantibus popoſcit, ac ut Hohenloüm debilitato per excurſiones & transfugia præſidio majoribus in Dantumanos cum copijs expedirent. Adeo dubiâ fide ac ſpe res per Friſiam fluebant, donec Aurantium ſuſcepto præfecturæ imperio regundæ provinciæ à Matthiâ Gubernatore confirmatum conſtans fama annuntiaret. Quæ ut læta in ſpem proſperi Friſiorum animos erigebat, ita illi ècontra hoc uno conſternabantur, quod ejus præſentiam Brabantinæ & Flandricæ adhuc res poſtularent, graviſſimaque belli & rerum moles illo rectore deſtituta fluctuare per Friſiam cogeretur. Quippe quadraginta peditum cohortes modico cum equitatu irruiſſe in Flandriam vulgabantur, eſſeque neceſſarium, ut Matthiæ Gubernatoris juventâ Aurantij conſilijs ſubnixâ, Friſiorum rebus adminiſtrandis legatus decerneretur.

Novæ per Friſiam indictiones.

Aurantius gubernator Friſicæ deſignatus.

Quare vicarium Præfecti imperium Bernardo Merodio Rumenio viro provectæ ætatis & prudentiæ non inopi ab Aurantio principe commiſſum, qui abſentiam honeſtè excuſando principalem affectum Friſiorum genti & ſimul Bernardum Merodium efficaciſſimis ad ſolatium litteris commendabat. Is verò vicariâ imperij poteſtate Aurantij & de conſilio Archiducis & Ord. gener. acceptâ itineri ſe dedit, unaq; cum Barthio Idſaerda Legato, qui in ejus comitatu tum erat, Ultrajecti ſubſtitit, deque provinciæ adminiſtrandæ rationibus voluntatem Ordinum intellexit. Ibi hærens ſarcinas ac impedimenta onerario navigio in Friſiam expediri fecit, exactoque inter publicas deliberationes tridui ſpatio valere provinciarum Legatos juſſit. Mox ipſe Harlingam provectus rebus urgentibus Leovardiam properavit, quâ in urbe concurſu populi & procerum gratulationibus exceptus, de eorum conſilio initia imperij auſpicatus eſt. Ferunt grandiora tormenta bono rerum omini, continuis per urbem fragoribus diſploſa, armatoſque civium manipulos ad gaudia, ut ſolent, ex novi rectoris adventu excitatos, ejus ac ſimul publicæ ſaluti fidem atque auxilia obtuliſſe. Adeo ſepultam ſecundis fortium virorum virtutem adverſæ res accenderant, poſtquam conjugum atque liberorum perculſæ facies, denique perituræ patriæ imago aut metus

Vicarium imperium Merodio committit.

cIɔ. Iɔ. LXXX. oculis obverſabatur. Sic compoſitâ civitate patres coacti, advocatis in concilium Hohenloo & ſimul Merodio, quem aſperis imperij rudimentis fortuna exercebat. Quare Didericus Sonoïus acciendis in Hollandiam auxilijs confeſtim miſſus, & ut ſolvendo Delphzilæ obſidio tum occupando Amaſo flumini præſidiarias naves impetraret. Abelo quoq; Franckenæ viro doctrinæ eximio legationis ad ſocios onus injunctum, quos Ultrajecto antiquâ concilij ſede amotos, Camporum in oppidum ad Iſalæ fluminis exitum conditio temporum detruſerat. Ibi Franckena vir eloquentiæ egregius ſalutatis ſocijs hoc modo diſſeruit.

Franckenæ Friſiorum legati ad Ordines oratio.

BELLVM omne in nos Friſios devolutum cernitis Socij. Quod quoniam ſine auxilijs geri noſtra ex infirmitate non poteſt, ita vel maxumè neceſſum eſt, ut ea ex ſuperiore Belgicâ, imprimis verò à vobis ex jure noviſſimi fœderis habeamus: Quare copias per Drentinos & Omlandiam ſparſas noſtro ſacramento militantes inſtrui ſtipendijs in auxilia petimus, ne illorum defectu lubricam fidem ex anguſtiâ æris induant. Quin hoc etiam neceſſarium cenſemus, ut tormenta & omnem belli commeatum ex publico provinciarum armamentario habeamus, omneque caſtrenſe, inſtrumentum communi ære paretur. Et quoniam locorum ſpatijs à nobis diſcreti providere noſtræ imbecillitati non poteſtis, exiſtumamus durante apud nos bello conſeſſum veſtrum Harlingæ & in Friſijs habendum. Quo ita omnes ad caſus & momenta rerum circumſpecti noſtram & ſimul ſequiorem belli fortunam, veſtrâ ope ac prudentiâ conſilij præjuvetis. Sed æris potiſſimum cum inopiâ luctamur, Socij, eoq; deventum eſt, ut decreto publico pecuniam & commeatum ſumendum ſub veniâ cenſeamus. Quæ ſi ſortem noſtram excedat, quicquid ultrà impenſum eſt, ſupplendum ex communi ærario æquiſſimum arbitramur. Nam aliter nec interpoſita fides, nec ſocietas noſtra diu integra eſſe poterit & niſi communicatis conſilijs unum in finem patriæ commodum conſpiremus. Atqui iterum teſtamur, nos eam ſine auxilijs aut delectuum ope tueri non poſſe. Quos cum haberi per Nyennortium & Hajonem Manningam conſcribendis mille ferentarijs Hohenlous velit, ac ut totidem quingentis aureis autorentur, ita judicium aut aſſenſum veſtrum flagitamus & an è rep. ac fœdere cenſeatis nutanti militiæ & ſimul ærario tanto cum onere aut auxilio ſubveniri. Imprimis verò hoc agite, Socij, ut Aurantium ac ſimul Hollandos auxilia pro nobis petatis, ac ut illi cum Zelandis ſocijs noſtris, intercipiendis hoſtium ad Delphzilam commeatibus, Amaſum flumen præſidiariâ claſſe ingrediantur. Nam omnia nobis anguſta eſſe ne vos ipſi quidem neſcitis, noſque liberando Opſlacho omne conſilium, omnes vires impendiſſe. Ita onerarijs navibus ad Ooſtmahornam poſitis & milite noſtro inſtructis, æſtuaria maris fines ac provinciam noſtram pedeſtribus equeſtribusq; copijs obſepſimus. Inde fit ut agri noſtri ac ſimul opes atterantur, noſtroque in exercitu annonæ & commeatuum, deniq; rerum omnium penuria ſit. Hoſti verò, etſi Omlandiam quoque ac vicina depopuletur, ex Trans-Amaſanis, Trans-Iadaniſque tum Bremenſium ac Monaſterienſium tractu alimenta ſubvehuntur, factura hoſtibus certum & utile commercium niſi veſtra cura ac apud externos interceſſio præveniat. Quare neceſſarium eſt, ut litteras ad Trans-Amaſanæ Friſiæ, tum Oldenburgenſium Comites, denique Bremenſes & Monaſterienſes ocyus mittatis curetiſque, ne quid illis ex regionibus hoſtibus auxilij, nobis incommodi obveniat. Hæc FRANCKENA:

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Ad quæ FOEDERATI: cIↃ. IↃ. LXXX.

PAVCI dies ſunt, FRISII, *cum Legati noſtri in Geldriam, Hollandiam, Zelandiam & Vltrajectinos miſſi, quo provincijs copias, copijs ſtipendia aſſignarent. De reliquis ſex cohortibus nullo ære, per Drentiam & Omlandos agentibus ſimiliter cogitavimus, daturi operam, ſtipendia à nobis, aut ab hoſtilibus agris tributa habituri ſint. Quod ad commeatum belli attinet, eum cenſemus communi provinciarum ære coëmendum, exceptis tormentis machiniſque quas quæque provincia ſuis impenſis ſuæ defenſioni paravit. Harlingam vero conventum noſtrum Campis transferre, res noſtræ hic non ferunt, ordinatis necdum per provincias ſtipendijs, & Zutphanienſium Geldriæque agris incurſionibus hoſtium expoſitis. Adhæc Lubberti Rhemenſis tum Germanorum equeſtribus turmis recenſendis dies hos diximus, adeo vario & diviſo belli ſtatu, ut de eo commodiore loco quam hoc ipſo diſponi non poſſit. Pecunias vero in uſuras ſumi conſultum indicamus, eſſeque æquiſſimum, ut nimiâ æris erogatione gravati collatis rationibus ſociorum ope leventur. Sed copias plures aut novos ferentarios conſcribere, aut conſcribi facere id noſtræ poteſtatis non eſt, ita æquato tributis exercitu ut ſine Auranty aut noſtrorum Ordinum decreto novis delectibus gravari ærarium non poſſit. Id Hohenloo nuper Daventriæ per nos ſignificatum & quod ex Brabantiâ ſperata auxilia novo ac ferentario milite non egeant. Interim tam auxiliares copias quam claſſem premendo Amaſo Hollandos ſocioſque ſollicitabimus, dabimuſque operam, ne, quod Benthemio Comiti indicatum eſt, vicinis è locis commeatum hoſtis, vos detrimenta accipiatis.* Hæc VII. Iul. Campis acta.

Ordinum reſponſio.

Mox Georgij Holſteinij ducentorum & amplius equitum cohors Leovardiam & in ſuburbanos agros præmiſſa, actâ ibidem nocte Doccomium perrexit, firmando præſidio ac intendendis militum vigilijs, quorum cohortes quorundam ex Iſelſteiniâ legione fuga & egeſtas æris extenuaverat. Unde Hohenloüs decreto Ordinum impetrato, autorandis mille ferentarijs præfectos delegit, Egbertumque Stammerum cum mandatis Leovardiam ablegavit. Reliqua, quæ in ſecreto patrum tractanda decernebat, Erneſto Grovenſteinio viro nobili commiſit, unicumq; retinendi in officio militis remedium, pecuniam popoſcit. Tum Taco Hettingha vir ſtirpis antiquæ militem per Dantumanos collegit, ſignumque ex agrariâ plebe erectum ſacramento fœderis autoravit. Regneri quoque Idſij pedeſtris cohors per Sylveſtres & Geſterlandiam conducta ad ſacramentum adacta, fanoque in Roordahuſano à Renico Camingha cenſore Friſici exercitus recenſita. Dein præſidiariæ naves è minoribus Friſijs Delphzilam miſſæ, adornatæque per Hollandiam vectoriæ, quæ tranſportandis in Friſiam auxilijs habiles majore numero ſubvectantibus quoque commeatibus expectabantur.

Hohenloüs autorandis mille ferentarijs præfectos deligit.

Quarum rerum famâ excitus Schenckius, qui refocillandis copijs Collumi adhuc hærebat, adultâ nocte, quam ſubluſtrem æſtas faciebat, refectas alimoniâ ac otio cohortes feſtino itinere Doccomium duxit, militemque victoriâ & ſecundis rebus elatum oppugnandæ urbi inſtruxit. Quare agrorum incilibus ſtramento conſtratis rivos quoſdam fœno, quod refectum æſtivus labor collegerat, implevit, ſcaliſque ac omni oppugnationum inſtrumento exterioribus propugnaculis admoto, acrem in-

Schenckij irritus in Doccomienſes impetus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXX. inſultum & incondito militum clamore ſubjutum in oppidum fecit. Cæterum terreo vallo continuis imbribus, ut veſtigia vix ferret, ſoluto, infirmi gradus militem fatigabant, cujus laſſitudine ingruentem vim propugnantium vigor atque firmitas repellebat. Unde Schenckiani retroacti & glabritie ſoli præcipites dati, multâ cæde rejecti, in avia locorum profugêre nulloque ordine vagi & palantes Collumum rediere. Multi fugientium vadoſis incilibus & imbrium continuâ eluvie lubricis hauſti multata & cruore vulnerum fœda corpora victorum iris ac arbitrijs permiſere. Ita fortuna more ſuo recentibus hoſtium proſperis adverſa intermiſcebat.

Creditum fuit, equitum turmam, quam Pieckius vir fortis ducebat, è Dongrijs ubi præſidium egerat accitam, pedeſtre imprimis præſidium præjuviſſe, eamque fugientes equorum pernicitate aſſecutam promiſcuâ cæde deleviſſe.

Annotatum invenio magnum cælati argenti pondus corrogandis ſtipendijs Amſtelodamenſibus à Legato pignori oblatum, ejusque conſilium à malitioſis & provinciæ velut derelictæ fidem eluentibus invidiâ fœderis interverſum. Igitur Lalainius Docconio repulſus, quo fati infœlicitatem, & ex eâ, ut ſolet, ſui invidiem elevaret, Alexandro Farneſio infauſtæ expeditionis ſeriem perſcripſit, Hardenbergicamq; victoriam & ſecundas ad Opſlachum & per Omlandiam res repetendo, prioris fortunæ commendationem novo & graviſſimo Doccomianæ cladis vulneri obduxit. Quæ etſi Schenckij temeritate aut fiduciâ obveniſſet, quaſi tot proſperis uſus in poteſtate fortunam haberet, ita Lalainius omnem cladis cauſam inclementijs naturæ imputabat, & quod medijs cancri ardoribus, velut everſâ anni temperie, continuo multorum dierum & frigidiſſimo imbre deſuper fuſo ſalubre oppugnationis conſilium ſubvertiſſet. Sic quod errore aut culpâ Ducis evenerat, rerum naturæ attributum, more, uti aſſolet, humani ingenij, quod proſperis factorum ſucceſſibus ſua conſilia adaptat, adverſis providentiam involvit. Quare recollecto Collumi exercitu caſtris vallum produci juſſit, haud ignarus fœderatos victores diſtributis apud Doccomium præſidijs, Dantumanos per agros excurrere.

Lalainius Docomianam cladem apud Farneſium excuſat.

Tum apud Farneſium de commeatuum penuriâ queſtus, potiundæ Delphzilæ haud incertam ſpem fecit, populumq; Groninganum præſtandis commeatibus difficilem acerbiſſimis litteris traduxit. Eſſe ſcilicet, qui in urbe annonæ fœcunda ſerendis in vulgum diſcordijs periti deſiderio fœderis caſtrenſem commeatum impediant, ſpecioſâque libertatis voce & execratione ſervitij ne civitatem quidem juſto regis præſidio haberi velint. Quare frænandos eſſe civium mores atterendumque armis aut per tributa populum, ne opibus ac commercio ad queſtum & lubidinem uſus damno regiæ autoritatis luxuriet. Mitteret Farneſius auxilia circa Rhenum & per Clivios ſegni otio corrupta, quo agro Omlandico populationibus ac ſpolijs exhauſto, Groningana quoque civitas impeditis commercijs & accisâ opulentiâ infirmetur. Neque enim aliter retundi poſſe ferocis & inſolentis populi laſciviem, & niſi intromiſſo in urbem fortiore præſidio vulgus malis opinionibus imbutum intermiſſæ Inquiſitionis æquiſſimo rigore corrigatur. Renovanda ſcilicet eſſe Phi-

Philippi edicta morbiſque animorum recrudeſcentibus uſurpanda reme-dia perſanandis vitijs opportuna. Adhæc ſolo eruenda veteris caſtelli rudera & extruendam de novo arcem eſſe, ut regiæ dominationis ita civilis obſequij munimentum, ſubſidia quippe tantæ moli à tributis haberi poſſe, aut ſi fiſco regio privatas opes juſta ſeveritas addixerit. Quæ à Lalainio fœditer ſcripta ac à fœderatis intercepta, largius infami perfidiæ teſtimonium improbiſſimo defectori præbuere. cIↃ. IↃ. LXXX.

Quare ex clade animi æger expeditis Collumo trans Lavicam caſtris omnes vires occupandæ Delphzilanæ munioni intendit, ſollicitatoq; ne quicquam per Oyenbruggium ad deditionem præſidio, arctius obſeſſos præcinxit. Quippe Fivela amne & omni navigabili alveo obijce aut pontibus ſtrato commeatuum penuria increſcebat, & quod occluſis vijs ac itineribus auxiliorum ſpes atq; fiducia langueſceret. Quibus & hoc accedebat, quod Amaſus etſi disjunctiſſimis ripis patentem alveum fœderatæ claſſi oſtenderet, qua Fivelam excipit, minoribus caſtellis premeretur obturatiq; portus ac canalium difficultas præſidiarias ægrius naves admitteret. Igitur ſummâ obſeſſorum anguſtiâ Fernovius cum cohorte minoribus navigijs in Amaſum provectus, miſſique à Cornputto, qui nandi peritiâ flumen tranſmitterent, obſeſsiſq; auxilia annuntiarent. Cæterum omnes aditus locorum excubiæ aut caſtella obſepſerant. Unde Hohenlous, collectis quas poterat copijs, quinquaginta navium claſſe Doccomio ac Ooſtmahornâ ſolvens Amaſum ingreſſus eſt, deliberato, an in terram militem exponeret, an includendo commeatui flumen ſtatione occuparet. Cæterum explorato Epirotas lancearios equites in caſtra Lalainij adveniſſe, Schenckiumque cum majore omni exercitu, iter per Omlandiam recta Delphzilam intendere, cœpto deſtitit, & quod ipſe nullo commeatu atque annonâ inſtructus ſubvenire præſidio non poſſet. Quare levatis, quas in Amaſo poſuerat, anchoris relegere æſtuaria coactus Doccomium revertit, Iſelſteinioque legionis tribuno reliquam in Amaſo claſſem regendam conſolandis obſeſſis commiſit. Cæterum extrema annonæ penuria priſtinum obſeſſis robur excuſſerat, & quod auxiliares ſociorum naves ex Hollandiâ miſſæ, ignavæ & imbelles, ne tentato quidem ſolvendi officij conſilio, torpeſcerent.

Lalainius Delphzilanæ obſidioni validius incumbit.

Igitur Hohenlous deſperatâ obſidij ſolutione plebe ruſtica præſidio Doccomienſibus relictâ, expediri copias Opſlachum juſſit, habitiſq; Collumi, quo Schenckius aufugerat, ſtationibus, annonam militi popoſcit. Quæ cum ægrius & viarum difficultate quas continui imbres fœdaverant, ſubvehi poſſet, ad emiſſarium Collumani deferri navibus petijt, at ut Ordines ex agrarijs fortiſſimos quoſq; ad numerum octingentorum tuendæ oræ maritimæ armarent. Dein vaſtandis machinis ac neceſſarijs rebus octuaginta currus poſtulavit, raptoque celerius agmine Opſlachum obſedit, locumque præſidij metu ac ignaviâ ſuæ poteſtatis fecit. Trecenti Lollio Liauckema ductore præſidiarij inermes, ſolo commeatu impetrato exire munitione juſſi, fide Hohenloo datâ, ne intra trimeſtre ſigna in Ordines ferrent.

Hohenlous Opſlachum recuperat.

Mox Monachozilam levi caſtrorum opere clauſam ijſdem cum copijs in deditionem accepit, quam Sampſon Heſtenius Germanus cum trecentorum militum cohorte ad Lavicæ amnis exitum cum imperio & præ-

Et Monachozilam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↃ. IↃ. LXXX.

ſidio tenebat. Conditiones fuere: Ut depoſitis armis Heſtenius cum ſuis munitione abiret, eumque Hohenloïs, procuratâ in triduum annonâ, navi Embdam conduci faceret. Sed Hohenloïs violatâ, quam hoſti depactus erat, fide victos puppi navium alligatos ſpectantibus Delphzilanis in Amaſum demiſit, ſimulatoque an demergi vellet, funibus per flumen tractos inter ludibria ac pavores animandis obſeſſis habuit. Cæterum animus obſeſſos jam liquerat, quos fame aut annonæ defectu minus fortes ac languidos dimiſſum è turri nigrius vexillum oſtenderat. Unde caduceatores in caſtra Lalainij & ſimul intra Delphzilam miſſi, conventumque ut præſidiarius miles exarmatus albas virgas, velut exoratâ vitæ veniâ ferens, munitione cederet, duceſque & cohortium præfectos vinculis datos Lalainij victoris clementiæ aut ſeveritati traderet. Ipſe ad tres menſes, quæ fœdè habuerat, Ordinum ſacramenta exueret, omnemque belli commeatum Lalainio relinqueret. Itaque exutâ veteris obſequij religione centurionibus à proprio milite manus injectæ, ne ibi quidem integro pudore, ut deſertâ turpiter munitione, præfectorum reverentiam retineret. In eorum numero Aſingha, Ioannes & Iacobus Entenij, Nicolaus Burmania, Vogelius Auricanus & Vliegerus Nikerckius fuere, quos Groningam Delphzilâ cum captivo ære abductos morti aut fugæ alijſque belli caſibus fortuna reſervavit. Quippe carceri mancipatos, ſævitiæ locum belli lex & diſciplina non reliquerat, etſi crederetur Lalainius militum ſuorum & Heſtenij contumelijs irritatus, & ultro ex defectione ferox, effuſione captivi ſanguinis ultionem recenti ludibrio paraviſſe. Vogelius Auricanus, unus centurionum in cuſtodiâ deceſſit, reliqui lytro aut arte vinculis exſoluti ad ſigna rediere.

Delphzila Lalainio deditur.

Mox Hohenloüs Zuythormi in Tranſlavicanis caſtra metatus, vulgatâ novorum auxiliorum famâ, ad Ordines Friſiæ ſcripſit, eoſq; conducenda navigia atque commeatum poſtulavit. Tum Joanni Stupero viro forti, & qui fœderata jam ante ſtipendia ad Daventriam ſub Lalainio fecerat, autorandis novis copijs pecuniam Friſios petijt, ac ut aucto in dies exercitui annonam & ſtipendia excitandæ militum alacritati præſtarent. Sed omnia per provinciam anguſta continuæ hoſtium populationes effecerant, & quod alendæ tantæ armatorum multitudini ne fœcunditas quidem fertiliſſimæ regionis ſufficeret.

Auxilia ab Hohenloo undiquaq; contrahuntur.

Jam enim ex Ioannis Norritij movendis Delphzilâ Lalainij caſtris, decem Anglorum pedeſtres copiæ & equitum turma in Friſiam advenerant, præter Michaëlem Caulerium, qui ſex pedeſtria Valonum ſigna cum equitum quoque cohorte adduxerat. Anglos vir è Scoticâ nobilitate pro Norritio Morganus, Valones Pettinius pro Caulerio ducebat. In prioribus centuriones Cottonus, Epiſcopius, Fitſuillamius, Chaſtertonius & Daylius erant, Pettinium Grenus Norius, Caſparus Creſſonierus alijque ſequebantur. His Germanorum equeſtres copiæ accedebant, quæ relictis ad lævam Suollâ, Haſſelto & Steenuicâ Tranſ-Iſulaniæ oppidis, Vidro, qua anguſtior eſt, ſuperato Drentinis agris ſe infuderant peragratoque Sylveſtrium tractu Ooſtergoam, intraverant.

In eâ Hohenloûs caſtra haud procul Doccomio Rinſumageſti celebri apud Dantumanos vico poſuerat, quæ Anglicis Valoniciſque auxilijs validio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

lidiora recta Collumum duxit, quem locum Schenckius Doccomio re- cIↃ. IↃ.
fugus levi operum figurâ vallaverat. Is comperto Hohenloüm Dantu- LXXX.
manos per agros iter cum exercitu facere, conductis qui obſtantia locorum amolirentur, Collumo cum copijs acceptâ levi clade deceſſit, copiaſque pavore debiles in interiora Omlandiæ retraxit. Quare Hohenloüs Schenckium inſecutus, rapto celeriter agmine poſt ſuperatum Lavicam amnem, qui Visfletam ponte ſtratus perlabitur, Grypskerckam, mox Northornam duxit, Abrahamumq; Lindenauium virum Danicæ gentis & clarorum natalium binis cum hoſtium vexillis Leovardiam ablegavit. Mox Martinum Nitzenium virum nobilem, quem in comitatu habebat, communicandis ſecretis Leovardiam quoque expedivit, datiſque ad Bernardum Merodium, Aurantij per Friſiam vicarium litteris omnem fœdioris calumniæ accuſationem diſcuſſit. Quippe ferebatur Hohenloüs commeatum Friſiæ per agros mercatoribus Groningenſium conceſſiſſe, hoſtiumq; commercia, velut pretio corruptus, beneficio ſalvi conductus præjuviſſe. Quæ cum falſo prædicarentur quod claſſiarium caſtrenſemque militem detinendis bonis ac mercibus hoſtium habuiſſet, ita Merodio tacitè credulitatis vitium objecit, & quod ſiniſtris ac ſe indignis rumoribus ſeneſcendi tempus ademiſſet.

Hohenloï curæ & conſilia.

Igitur Northornæ adhuc commoratus exercitu ſiti languido adulta enim æſtas erat, ſexaginta quinque tonnas cereviſiæ in caſtra importatas militibus diſtribuit, coctoreſque aut eorum negotia gerentes exigendo pretio Leovardiam remiſit. Tum de emuniendâ Ooſtmahornâ Ordinum Deputatos acriter commonefecit, ac ut locum Eæ flumini ac æſtuario Friſici maris adjectum firmioribus operibus vallarent. Deïn Norritio ac Michaëli Caulerio legionum tribunis, lancearioque quem in caſtris habebat equiti lanceas Leovardiâ mitti poſtulavit, ac ut præter Bongæ, Fervouij, Grovenſteinij, Hettinghæ, Bottniæ, Vrielſmæ & Idſij cohortes ex Leovardienſium Snecenſiumque tum Bolſuerdianâ ac Franekeranâ juventute ſigna pro auxilijs expedirent. Pulverem quoq; tormentarium, tum ducentorum foſſorum manum complanandis viarum obſtaculis popoſcit & ut naves vectando, ut plurimum ceſpiti delectæ Lavicæ ad oſtium perferendis caſtrorum ſarcinis mitterentur. Imprimis verò Friſiorum Delegatis ſtipendiorum curam demandavit, & ut peditum quæ Opſlachum præſidio tenuerant, tum equitum, quas Holſteinius & Drutenitzius ductarent, turbidis cohortibus de menſtruo ære datâ fide proſpicerent. Gerardum quoque Entenium, qui egenum in Amaſo militem privato ære ſubjuverat, indemnem præſtarent, ſibiq; ſtipendium Northornam quam ocyſſimè tranſmitterent.

Igitur Entenio ad fœderatos Ordines à Friſijs remiſſo, mille Carolæi ad Hohenloüm Northornam perlati, quo loci, velut grande aliquod acturus, omnes copias atque auxilia contraxerat. Quæ ipſa, ne è Belgica ſuperiore continuis copiarum tranſvectionibus Lalainius in Friſiam & Omlandiam evocaret, Rheni flumen, qua Clivicis ripis advolvitur, fœderatâ claſſe occupatum, & ne adverſo flumine negotiantium fraudibus ſubvectæ merces hoſtile commercium ſublevarent. Cæterum Principum curâ, quorum ditiones atque ripæ Rheno prætexebantur, claſſis inſtructa fœderatam deſcendere juſſit, uſumque ampliſſimi flu-

 minis,

De Andino in Belgicam fœderatam revocando cogitatur.

cIↃ. IↃ. LXXX. minis, ſuo an gentium jure Farneſio hoſtibuſque aperuit.

Quare Philippo rege Iuliacenſi ac Clivicâ ſocietate eorum officijs innexo quos principi rectores ejus innocentia aut fati infœlicitas admoverat, de revocando in Belgicam Andino clam & fervidiſſimè actum commendantibus principem, qui ſuarum virium haud ignari externæ & juxta paratiſſimæ opis egere obnoxiam æmulationibus ſocietatem, & ut antè in ſeceſſiones deſituram, non diſſimulabant. Itaq; vetera in Andini gratiam ab ejus fautoribus repetebantur, proclivi cæteros inter proceres Aurantio cui Germaniæ ſuæ infidis ſocietatibus traductæ, ut creditum fuit, apud Coloniam pacis offensâ, Galliarum auxilia velut certiora anteponebantur. Quippe Andinum prima in proteſtantes odia, emollito ingenio poſuiſſe, eſſeque in illo quod conciliandis Eliſabethæ amoribus & Anglorum regno ſe oſtendat. Adhæc Andinum vigore ævi & anterioribus rerum ſucceſſibus laudatum fœlicem militiam egiſſe, acturum haud dubiè majora, niſi in medio curſu rerum ab æmulâ potiſſimum matre revocatum & odio in provincias accenſum, aulæ inconſtantia alienaſſet. Sed obruendam aut ſaltem obtegendam priorum memoriam, ita compoſitis principum ſicuti reliquorum mortalium ingenijs, ut offenſæ gratiam parent. Sperari poſſe ut infeſtam ſibi Galliam Hiſpania ſentiat, & ut ex fratris regij innovatâ cum provincijs ſocietate fœlicius cum Eliſabetha principale matrimonium procedat, regni ſui opulentiam & auxilia impulſæ libertati ſubminiſtrante. Econtra erant, qui accidi potentiam Andini durioribus conditionibus volebant, & diviſam in nonnullis provincijs popularis imperij rationem unius juventæ ac ingenio non committi. Quippe tenaciſſimos libertatis antiqui juris opinio faciebat, quod olim etiam ex ſanguine regio principes regendi legibus alligaſſet. Non eam ſcilicet deſperationem rerum eſſe, ut pro libertate pugnantes eam externo principi tranſcribant, & quâ illi aſſertâ ne bello quidem locus aut diſcordijs dominantium eſſe poſſit. Ita pacari Philippum, arma tot cruoribus reſperſa poni poſſe, ſi parere citrà exceptionem, aut ſervire libertas velit, reſque naturâ ſui diverſiſſimas mirabili ſocietate ac commercio conjungere. Atqui attemperari regnare volentium cupiditates & illorum modeſtiam non poſſe, quibus effrænis potius, quam nulla libertas arrideat. Quapropter habendam gentium & animorum rationem eſſe, neque committendam illorum magnitudini ac arbitrio libertatem, qui regnare didiciſſent.

Friſij Principum imperia exoſi Andino adverſantur.

Itaque Friſij deguſtatis, quæ nunquam antea agnoviſſent, principum imperijs Andino adverſabantur, non ſine metu ut ſicut olim domeſticis factionibus, ita nunc ex bello feſſi ac exſangues in immoderati principis dominatum ſpecioſis pactionum blandimentis reciderent. Quare volebant, ut non Saxonico, non Caroli Cæſaris, aut Philippi filij jure aut exemplo Andinus reciperetur, cæterum ut ad veterem libertatis ſtatum & Cæſarum diplomata Andini omniumq; præfectorum poteſtas formaretur. Igitur Sigiſmundi & Frederici III. tabulæ in comitio repetitæ, reſpectantibus in majorum tempora & ſimul fœlicitatem qui præſentis ævi miſerias & triſte ad tutelam Andini perfugium licentiæ principalis imperij & nato ex hac bello imputabant.

Cæterum omne libertatis retinendæ ſtudium in ægrâ & cum fato ſuo lu-

luctante rep. invalidæ leges aut ſoluti mores ſubvertebant, & quod ea cIↄ. Iↄ. continuis tempeſtatibus obnoxia, ne autoritate quidem Ducum, aut LXXX. arte gubernantium regeretur. Quippe tardis, aut ceſſantibus provinciarum tributis ſtipendia non procedebant, militemque ultrò per infantiam belli morum rudem rapiendis alienis extimulabant. Quare per agros diſtributus ordinario athletarum victu ſe non explebat, cæterum lautitie cibi aut condimento, quod oppida ſubminiſtrabant, natam ex egeſtate famem propulſabat. Unde civitates paſſim à licentioſo milite alienæ, qui præſidio deſtinatus inſolentiæ aut direptionis metu inopem æris populum exercebat. Quæ ut militarem turbam domeſticæ paci gravem, ita bello inutilem faciebant. Robur namque corporum, luxu atque commeſſationibus fractum æſtum, inediam frigora, aut labores non ſufferebat, dejectumque de ſtatu ſuo minimâ cæli inclementiâ, aut periculo offendebatur. Igitur in oppugnatione civitatum ac caſtellorum in transnandis amnibus, aut foſſis, aut ad collata ſigna languorem, aut contumaciam induebat luxuque & mollitie vitæ enervatus, pavorem & ſpreta obſequia non ſolutis ſtipendijs obtendebat. Sed animus vino otioque marcidus & ex hoc ad diſciplinam corruptus fracti & velut unguentati corporis miniſterio non utebatur, quod in acie aut inſultu inter querelas ac murmura fraudati æris vulneribus cædibuſque exponebatur. Ita populus Ordinum imperijs iniquior ex licentia militum fiebat, eademq́, agri annonæ & opum fertiles nullo inhibente & conniventiâ quoq́; ipſorum Ducum atterebantur. Quare tributis & ſimul præſtando fœderis ſubſidio invalidis, ſociale ærarium contabeſcebat animiq́; etſi aperta diffidia diſſimulando, ſecretis odijs diſſociabantur. Quippe bello preſſos ſociæ fœlicitatis occulta invidies urebat, & quod fœcundiſſimo in otio velut ſecurâ pace conſtituti in omnium rerum affluentiâ commercio & opibus invaleſcerent. Sibi pauperiem ex bello, ſibi ſquallentes ſitu aut vaſtitate agros relinqui, ac ut inter conjugum atque liberorum lamenta & angores, ſi non ſerviles ſaltem triſtes animas poſſideant. Sic regiæ lubidini ac dominationi vix exemptos in deterius malum inſolentiſſimi & egeni militis arbitrium recidiſſe, fierique ut ad ſua quoque ſigna & ſacramenta profeſſos ipſi provinciales exhorreant. Quippe tributa ſtipendijs paria non eſſe, & belli onera ſupra fortunam communis ærarij exſurgere. Atqui ut contrahi exercitum, ita rationes aſſignati æris non poſſe, ne dum parſimoniæ aut fraudi apud ſocios locus eſt, inofficioſis partibus tota ſocietas quemadmodum in humano corpore ex conſenſu pereat. Igitur aucto externis gentium legionibus exercitu & in inſolentiam ex egeſtate æris provoluto, ne frænis quidem militaris licentia coërcebatur, ad quam in ſpem ſpolij, ſicut turbatis rebus aſſolet, corruptiſſimotum quoque ducum neglecta ſeveritas diſſimulabat.

Militaris diſciplina apud fœderatos corrupta.

Per Matthiam namque Gubernatorem & Aurantium principem in ſecretius concilium abſtruſos belli lex & diſciplina flacceſcebat, quod ultro pacis moribus adverſum foediſſimis apud Tranſ-Rhenanos exercitus exemplis Philippus Hohenloüs adminiſtrabat. Qui etſi animi ingens & ad pericula intrepidus virilem factis audaciam præferret, ita præclaras virtutes ſolutior vita obſcurabat, velut ita compoſitum eſſet, ut bel-

Hohenloï corrupti mores & vitia.

cIↃ. IↃ. LXXX. licæ indolis gloriam probroſa juventus & fœdata libidinibus ætas attaminaret. Quippe corpori in ſpeciem pulchro animus ſuberat, voluptatibus immerſus & cui inter armorum etiam aſpera, Veneris ardor aut vinolentia imperabat. Quæ ideo mala, non tam ætatis, etſi ad talia lubricæ, quam ingenij vitio prodebantur, quod impurum & exinde ſocors, ac futuri improvidum bona conſilia interventu libidinis negligebat. Itaque dies agendis ſæpè rebus dicti, ortâ per temulentiam lubidine, impuris fœminarum amoribus terebantur, in quos gregarius etiam quiſque aut lixa exemplo corruptus nullâ honeſtatis curâ proruebat. Quare grave ſcortorum agmen caſtra ut plurimum ſequebatur, quæ omni turpitudine, velut peſtilenti lue infecta, ægre ſacramenti fidem & cum eâ modeſtiam retinebant. Igitur infidâ provinciarum ſocietate & diffluente ſine boni rectoris imperio, exercitus provinciarum regimen Andino decretum, ac ut jure principis, etſi legibus inligati Belgicam ac Tranſ-Rhenana teneret.

Sunt qui tradant Ordines Belgicæ non tam in Andinum fiduciâ quam neceſſitate impulſos, eum regundis provincijs delegiſſe, & ut fraterni ac potentis regni vires Philippi armis objiceret. Quæ etſi in ſecuto patrum clam agerentur, ita peritius tamen diſſimulabantur, parum cautis talium ſcriptoribus, qui arcana & ſilentij fide obtecta ſuis commentarijs evulgavere. Mihi gentis noſtræ acta rimanti non eſt dubium, eam ut ante ab Andini ſocietate, ita tum quam maxumè alienam fuiſſe, velut tacitâ futuri inſpiratione, mobile principis ingenium & matris fœderi infenſiſsimæ imperio obnoxium diverſa à patrum voluntate ac ſalute Reip. facturum. Cæterum omne ſiniſtri præſagium immutabilis quoque apud Friſios rerum neceſsitas eluebat, quos bellorum moli turbante trans-Rhenum res fortunâ & juxta ſeditionibus militum expoſitos ſtipendiorum egentia faciebat.

Friſij Flandricis auxilijs ſtipendia petunt fruſtra.

Igitur Anglicis & Valonum auxilijs in Bergumanos, mox ad Hohenloüm conductis Abelus Franckenâ Antverpiam ad Aurantium, mox Antverpiâ Gandavum amandatus, ſollicitandis Anglorum Valonumque ſtipendijs qui Norritio & Caulerio legionum ductoribus Flandrico ære in Friſiorum finibus militabant. Cui rei etſi ſpem Aurantius datis in Friſiam diverſiſſimis litteris & relatione Legati faceret, ita Flandri tenuitatem ærarij tardioribus ſolutionibus obtendebant, & quod obſeſſo ab hoſtibus Buchaino Hannoniæ oppido omne ſubſidium liberandis vicinis & tutandis ſuorum agris impendiſſent. Fervere ſcilicet bello omnem oram & nihilominus ſocio affectu Friſiorum rebus proſpexiſſe, miſſis in Trans-Rhenanos auxilijs, quorum ipſi vergente in Flandriam bello, egentiſſimi forent. Darent Friſij in tempus ſuis legionibus ſtipendia, dum circa fines ſuos tempeſtas interquieviſſet, quâ ſedatâ, alio terrarum amotâ defuturi ſociæ fideï & juſtis officijs non eſſent.

Aurantius quoque ſublevando Buchainio & iſti terrarum tractui, qui Flandros ac Tornacenſes interjacet, commeatum atque pecuniam Friſios popoſcit, ac ut ipſi bello præſſi ſociorum anguſtiam ex ſuâ æſtumarent. Opus ſcilicet eſſe, ne tributis mora aut cunctatio interveniat, & ne miles ſpontaneæ laſciviæ flagitia raritate ſtipendij obvelet. Se daturum operam, ut Flandri auxilijs in Friſiam miſſis, menſtruum & am-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

amplius æs procurent, & ne ſeditione aliquâ belli ordo per Friſios & Omlandiam turbetur. cIɔ. Iɔ. LXXX.

Eadem Ordinum generalium litteris. VI. Aug. perſcripta ac Norritio retinendis in officio cohortibus communicata. Igitur ſtativis Northornæ per Hohenloüm actis quina peditum ſigna Slochtero quoque evocata, quæ cum Jargæo, Scageno, cæteriſque copiarum præfectis Cornelius Veda vir nobilis conducebat. Quæ medio itineris per lancearium Epirotarum equitem & pedeſtres copias, quas Lalainius Groningâ emiſerat, disjectæ aut cæſæ, improſperum prælio, quod Hohenloüs parabat, omen attulere. Cornelius Veda, qui à dirutâ arce Stauriæ præſidium egerat, cohortis ductor, fortiter pugnans occubuit. Quare Hohenlous vindicandæ cladi equitum Anglorum turmas modico cum peditatu Slochterum ocyſſimè expedivit, ſignaq; militaria fugientibus hoſtibus detracta, ſuorum virtute recepit.

Lalainius Friſijs cladem dat ac damnum.

Mox luſtratum Northornæ omnem exercitum ſubſequi juſſit, compertoque hoſtem Slochtero & è Nyennortijs Groningâ moviſſe, ritè ordinatum agmen ducere ad urbem conſtituit. Quare Michaëli Caulerio cum ſex Valonum ſignis, primam aciem in qua, Bongæ, Cornputti, Eſchedæ & Regneri Idſij cohortes erant, mediam Norritio cum Anglorum copijs & Gulielmi Ludovici decem cohortium legione ducendam commiſit, quam Iſelſteinius cum Belgarum legione, Donavij & Zedenitſchæ ſignis ſequebatur. Equites verò in utroque cornu locati, quorum dextrum Germanorum turmæ, lævum cum Gorio & Pieckijs Friſij tenebant. Pedeſtre verò agmen ſarcinæ atque impedimenta claudebant, præmiſſis Norritij, Caulerij & Limburgij equeſtribus copijs, quæ munitum tribus campeſtribus tormentis agmen antecederent. Ita diſpoſito exercitu iter Groningam Hohenloüs pronuntiat. Cæterum ponte, qui Horendiepæ imponitur, à Lalainij milite abrupto, adverſæque ripæ margine tumultuario caſtelli opere firmato, parum ſubſtitit ſummiſſis interim, qui altitudinem fluminis tentarent nandique peritiâ aut vadoſi amnis beneficio hoſtile caſtellum oppugnarent. Unde hoſtes metu acti locum deſeruere, latioreque fugâ Harenum palantes provecti in caſtra ſe recepere, quæ Lalainius illo in pago, velut tuta ſtationum ſede poſuerat. Sed comperto Hohenloum poſt fuſas ad Deum preces, calore pugnæ inardeſcere, ac jam proxumis ſignis conſpici Hareno caſtra movit, exercitumque ne petendo quidem commeatui ac impeditis tempore dato, Groningæ ad muros & ſuburbana revocavit.

Hohenloüs exercitum diſponit prælioque inſtruit.

Hohenlous veſperaſcente jam die, Harenum pagum ingreſſus noctem ibi egit, ſoleque orto ſignum dari juſſit. Tum exercitus, cito agmine ſuburbanis agris immiſſus, metum obſidij civitati Groningæ incuſſit, quæ repetitâ nuperæ moleſtiâ ad novi famam ex penuriâ annonæ inhorreſcebat. Quippe frumenta prioris anni frequens in urbe præſidium attriverat, noviq; ſpes, etſi adultâ meſſe, vaſtatione circumjacentis agri accidebatur. Quare caſtrorum ſpatia Ordinum Friſiæ ſuaſu ac imperio per Hohenloûm ordinata, levibuſque caſtellis pro opportunitate loci circumſcripta obſidio fidem fecere. Cæterum legionum tribunis in concilium advocatis, qui præcludi commeatu urbi poſſe diffide-

Groningæ obſidio.

cIↄ. Iↄ. LXXX. fidebant, caſtra mota omniſque obſidij apparatus temeritate ac imprudentiâ Hohenloï evanuit.

Hohenloï temeritate ſolvitur.

Cl. Franckena in notis iſtorum temporum tradit, nullâ neceſſitate compulsâ continuandæ obſidionis conſilium mutaſſe, corruptumque ut ſuſpicabantur, aut meritis impotem, amplas potiundæ civitatis ſpes fœdiſſimo metu aut crimine præcidiſſe. Creditum fuit, Mularti, qui Lingam præſidio tenebat, acerbiſſimis litteris, quibus Groningenſe obſidium eludebatur, irritatum, Groningâ exercitum reduxiſſe, quo verſis in Linganos caſtris privatam inimici injuriam publico detrimento vindicaret. Adeò conſilij inconſtantem vinum ſæpè aut ira faciebat, in quam ultrò fervore ſanguinis & ætatis pronior vini quoque immoderato uſu exardeſcebat.

Id certè compertum eſt, Hohenloum Aurantium apud principem Friſiæ tum præfectum, prolixâ excuſatione uſum omnemque deſertæ urbis culpam in Ordinum ſocordiam & defectum æris neceſſarijque commeatus rejeciſſe. Sed ea falſa ac inania fuiſſe, iſtorum temporum fidiſſimus Scriptor in fragmentis hiſtoricis Cl. Franckena annotavit.

Quippe præter æs in ſtipendia erogandum commeatus quoque abundè caſtris decretos præclarus autor tradit, Hohenloumque ut cœptam obſidionem & bonum exitum haud dubiè habituram continuaret, monitum ſevera Ordinum imperia pro ludicris aut non profuturis habuiſſe. Itaque retractas Groningâ copias partitus cum Gulielmi Naſſovij & Iſelſteinij legionibus Sutlaræ ſtativa habuit, Angliſque cum Valonum legione apud Nortlaram relictis, tum Bonga ac Idſio ad emiſſarium Adoardicum miſſis robur exercitus extenuavit. Corrumpente velut illius conſilium fortunâ quo mali moris & exempli Ducem repetitâ cladium atrocitate emendaret. Ita bellum ſine Ordine ac diſciplinâ per Friſios & Omlandiam fluebat, revocandoque è Gallijs in provincias Andino fundamenta ſubſternebantur.

Finis Libri Sexti.

P. WIN-

P. WINSEMI Hiſtoriarum LIBER SEPTIMUS.

cIↃ. IↃ. LXXX.

FUNEST â prælij apud Hardenbergam fortunâ, noviſſimi, quod Ultrajecti ictum erat, Belgicæ ac Friſiorum res collapſæ cernebantur. Quippe LALAINIUS more mortalium, quos ſecundæ res inflant, proſperis elatus in patentes quaqua verſum campos ſe effundebat, utendumque victoriâ ratus, quo fortunæ beneficia agnoſceret, diſſipatis aut disjunctis fœderatorum copijs, ſuo arbitrio moderandi belli rationes gerebat. Itaq; Lavicam amnem, qui medius provinciam dirimit, tranſgreſſus in Ooſtergoam ſe effudit, vaſtatiſque circa Collumum & vicina agris captivum illius oræ populum Groningam abduxit. Econtra fœderatorum copiæ in præſidia partim, partim in Drentiam reductæ, quam Hohenlous, velut fati adverſitatem in illâ regione, in quâ cladem acceperat, ulturus, modico cum exercitu peragrabat. Joanni verò Bongæ & Regnero Idzio copiarum Friſicarum ductoribus emiſſarium Adoardicum tutandum demandaverat, quo Reiderij amnis commoditate caſtrenſem commeatum ſubvectaret. Quod etſi Lalainij magnâ tum vi oppugnarent, virtute præſidiariorum ſemel rejecti ita poſtero die copijs aucti, retentatâque oppugnatione loci compotes facti ſunt, Joanne Bonga glande plumbeâ icto, quem à primis naſcentis belli exordijs libertatis patriæ amor melioribus partibus obligaverat. Reliquum præſidij, quod exceſſit, Opſlachum ſe recepit, quem locum ſitu & naturâ munitum, militares viri Taco Hettingha vir nobilis, Ielſmanus & Stamlerus tutabantur.

Adoardicum emiſſarium à Lalainio occupatur.

Tradunt autores emiſſarium Adoardicum defectu imprimis tormentarij pulveris deditum fuiſſe, etſi credendum ſit amotâ auxiliorum ſpe, & Hohenloo per ſuperiora Drentiæ ſigna circumducente, animos obſeſſorum elanguiſſe. Is namque ut illo in tractu res fœlicius ſecuriuſque gereret, & ne periculum ab inſequente hoſte pateretur, pontem quo ad Werdenbraſſium amnis ſternitur, dejici juſſerat, omneſque copias circa Coverdiam & ripam Vidri fluminis conduci. Ubi Gulielmus Ludovicus Naſſovius, quo cum vires Hohenloüs conjunxerat, metandorum caſtrorum opportunitatem ſpeculatus, glande verberatus eſt, caſtriſq; lecticâ elatus ad inſtituendam periculoſi vulneris curationem Zuollam devectus eſt. Hohenlous præcone miſſo deditionem

Gulielmus Ludovicus Naſſovius glande ictus.

Covar-

cIↄ. Iↄ. LXXX.

Coverdia occupatur ab Hohenloo.

Coverdianæ arcis aut caſtelli poſtulavit; conceſſoque in poſterum deliberandi ſpatio deditionem impetravit. Eâ conventum fuit, ne præſidium hoſtile intra trimeſtre adverſus fœderatos militaret, accinctumq; ſine impedimentis caſtello excederet, moreq; belli Benthemicos in fines deduceretur. Tum præſidium ex Donavij, Rashornij Renoï (qui Groningæ apud Lalainium captivus aſſervabatur) Coverdianæ arci impoſitum, indignante nequicquam Lalainio proſpera ſua, repentinâ adverſitate obtundi. Quare collectis copijs & omni neceſſario apparatu inſtructus ſigna Opſlachum movit, tormentiſque muralibus valli hiatu facto præſidij fugâ an perfidiâ munitionem ſuam fecit. Opſlachum ſolo Lalainij juſſu æquatum, cujus ſacramento magna præſidij pars prioris oblita, tanquam fœlicitati victoris ſe permiſit. Hohenloum verò, velut novis cladibus reſervaretur, in alia locorum continua fati infœlicitas trahebat. Quippe exercitum partitus ex hoc ſolo imbecillum & debilem, Lingæ Oppido & Weddano caſtello admovit, Gulielmumq; Ludovicum Naſſovium cum Michaële Caulerio Slochterum cum copijs amandavit. Quod ſpeculatus Lalainius, feſtino quoque itinere Slochterum duxit, legioneſq; Gulielmo Naſſovio & Michaëli Caulerio commiſſas ex improviſo adortus eſt. Cæterum Naſſovius ordines colligens ſenſim copias retrocedere juſſit, Winſchotumque ac Heiligerlæum Cœnobium (Adolphi Naſſovij & Arenbergij clade famoſum) ſalvas & incolumes reduxit, quo loci Hohenlous equite cum Germano inops conſilij commorabatur. Qui cum omnem Lalainij & hoſtilis exercitus impetum ſuſtinere non poſſet, animi inſuper territus, fugæ ſe dedit, mileſque Hohenloï ſine ſignis ac ullo ductorum imperio per Drentiam fugiens circa Zutphaniam in finibus Geldricis & haud procul ripâ amnis Iſalæ conſedit. Unde magnus Ordines terror tum invaſit, metuentes exercitum fœderatum tot cladium continuatione fractum & diſſipatum, recolligi non poſſe.

Opſlachum Lalainius ſuum facit.

Hohenloïus turpiter fugit.

Cæterum Gulielmi Naſſovij litteris conſternatis Ordinum animis, quos pavor majoris infortunij ex continuâ infœlicitate occupaverat, robur quoddam additum, monentis novum militem ſupplendis autorandiſque cohortibus habendum, modo proviſum militaribus ſtipendijs foret, quæ fortiſsimis gentium ac libertatis amantibus inevitabilis neceſſitas extorſiſſet. Exercituum verò cladibus animorum firmitatem & conſtantiam opponendam eſſe, quæ nec proſperis erigi & inſoleſcere nec adverſis deprimi aut cedere deberet. Itaque Friſios ad minores litteræ datæ auxilia imploravere, ac ut maritimas civitates Stauriam, ac Hindelopam, aperiendo navigantibus mari ſocio præſidio firmarent. Qui acceptis è majore Friſiâ litteris binas extemplo cohortes Neomago ad Vahalim evocatas Stauriæ atque Hindelopæ impoſuere, quo cum præſidiarijs, qui Harlingæ agebant, adverſus hoſtium excenſiones marinum littus tuerentur.

Gulielmus Naſſovius Ordines penè deſperantes ſolatur.

Cæterum occidentali provinciæ tractu præſidijs munito ab oriente nova Friſiæ tempeſtas incubuit, ductoribus hoſtilium copiarum Everardo Enſio & Paulo Blancevortio prætore Hardenbergico, qui Ooſtergoæ fines continuis populationibus infeſtabant. Quare fœderatus miles excurſionum pertæſus, loco præſidij quod Doccomi & Collumi

mi habebatur, relicto, Adoardicum cœnobium petijt, præſidiarioſq; vino ac ſomno graves cæcidit. Trecentos ex cæſis annales memorant, Paulumque Blancevortium gravi è vulnere ſaucium Doccomium captivum abductum. Ingens præda parta, ipſumque cœnobium magnâ ſui parte injecto igne exuſtum. Quam adverſitatem ut vindicaret Lalainius caſtellum ad Coverdiam caſtra poſuit, nullâque loci firmitate & debili præſidio invalidum, ſuum fecit. Quippe jam aquæ, novo diverſio deductæ foſſas depleverant, obſeſsiſque & campeſtria hoſtium tormenta verberandis muris admota expugnationis periculum minabantur. Sic caſtello Coverdiano in poteſtatem redacto, Oldenzelam tentavit, in Salijs aut Tubantibus pervetuſtum & celebre oppidum, quod duarum cohortium præſidio Suetenius vir nobilis tenebat. Qui propterea, quo ſuſtinendo obſidio par eſſet, è vicinis equitum peditumq; auxilia evocavit, quæ aut ſtipendiorum egentiâ, aut periculi metu retardabantur. Itaque Lalainius ut auxilia & commeatum urbi præcluderet, caſtra propius admovit, incenſiſq; ſuburbijs & igne portis injecto oppugnationem acerrimam inſtituit. Sed virtute ac fortitudine præſidij repulſus, trecentis militum & in ijs centurione Prumſtio amiſſis à continuanda obſidione deſtitit, revocatuſq; à civibus, qui libertatem regio imperio poſtponebant præſidioque valentiores habebantur, Oldenzelâ potitus eſt.

cIↃ. IↃ. LXXX. Fœderatus miles præſidium cœnobij Adoardici cædit, quod Lalainius vindicare conatur.

Mox ab illâ motis caſtris regreſſus famæ & magnarum rerum occaſionem quærens, Zuollam Tranſ-Iſulaniæ oppidum coronâ militum cinxit, exiſtumans fore, ut quod Oldenzelæ factum erat, plus favore ac gratiâ civium quam exercitus magnitudine proficeret. Quare in antiqui affectus memoriam & populum regis reverentem continuo reſpiciebat, recordatus ſe Tranſ-Iſulaniæ haud ita pridem victorem documenta veteris gratiæ non amiſſurum. Cæterum modeſtiore populo civico & metu militaris præſidij compreſſo, etiam bis mille militum auxilio adjutus, caſtra Lalainius movit, non ſine manifeſtâ indignatione, quod nuper in ſummo per Tranſ-Iſulaniam faſtigio collocatus acceſſu iſtorum locorum prohiberetur partumque jam ante fœderato bello nomen fœdiſſimo ſui contemptu commutaret. Quâ re cognitâ Hohenloüs Lochemo, Dotechemo, ac Duisburgio præſidia impoſuit, Lalainiumque multa animo, ſed nullo ſucceſſu, agitantem morâ comminuere conatus eſt. Ipſe Linga ac Weddano caſtello regijs præſidijs relicto, per incerta ac avia locorum nullo inſequente in Friſios receſſit. Metuebat namque Schenckius, qui diviſas cum Lalainio copias in Tranſlavicanis tenebat, ne miles adulto autumno, quo tempore uligines paludum laxantur, minus expedito itinere laboraret, armorumque pondere & laſſitudine tardior diſcrimen inveniret.

Lalainius fruſtra tentat Zuollam.

Lalainius quoque etſi, deſertâ Zuollâ caſtra Dotechemo admoviſſet, ab obſeſſis & Anglorum equitum turmis, quæ Doesburgi agebant, infeſtatus obſidionem finivit, copijſque per paludes Ommam & Meppelium verſus tranſductis Steenvicam obſeſſurus contendit. Quod oppidum Tranſ-Iſulaniæ ditionis Aam ad flumen, quod modico alveo muros præterlabitur, ſitum premendis majoribus Friſijs commodum ei videbatur, quo ex illo, tanquam belli ſede, ereptam ſibi provinciam continuis excurſionibus vexaret. Oppidum vero Ordinum nomine Her-

Et Dotechemum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXX.

Steenvica à Lalainio petita majori præſidio firmatur.

mannus Olthovius cohorte cum ſuâ præſidio tenebat. Cui ne auxilia deeſſent ſuſtinendis hoſtium caſtris oppugnationibuſque valida, Joannes Cornputtius vir militiæ egregius magnâ cum feſtinatione ad oppidum miſſus, ſuccedentibus inſuper celerrimo itinere Platio & Stupero centurionibus, quorum cohortibus præter ſpem Lalainij debilius præſidium duplicabatur. Igitur præſidiarij, numero aucti in prima Lalainij caſtra, quæ medio diei 18. Octob. Onningam ad portam advenerant, excurſionem fecere, repreſſique à lanceario equite intra oppidum recepti. Joannes Mommius apud Lalainium legioni Friſicæ, quam vocabant, præfectus glande verberatus illo in conflictu occubuit ſuffecto ei in tribunatu legionis Joanne Baptiſta Taxio, quæ è veteranis collecta decem & quatuor cohortibus tum cenſebatur.

Mox è Geldricis copijs, quas pro Philippo rege autorari Lalainius per Geldriam fecerat, novem & quinque ſigna addita, adductique præterea in caſtra mille & ducenti equites, quos partim lanceis partim Sclopetis inſtructos cingere coronâ oppidum munitioneſque præducere juſſit. Quas cum eruptione factâ portis obſeſſi interdiu complanarent, obſidentes beneficio noctis reficerent, factum eſt, ut de petendis auxilijs Steenvicani & ex præſidiarijs cogitarent, Cornputtioque abnuente & invito Ordines ad Fœderatos tabellarij mitterentur. Ita defixis ad Steenvicam caſtris, Arnoldus Gemenius nuper Prætor Stellinguerfius, G. Snaterus cum modicâ militum equitumque manu quam ducebant, Cuneram progreſſi, quem locum in orâ maris Auſtrini ſitum tumultuario levique opere circumductum binæ ex fœderatis cohortes præſidio tenebant. Eas Eſcheda & Rudolphus cogmento Longus moderabantur. Qui de hoſtium adventu nihil ſuſpicati, quos illunis nox & offuſcatus nebuloſo aëre ſyderum ſplendor contexerat, cum ſomno ac quieti ſe dediſſent à Lalainianis facile oppreſſi ac diſſipati ſunt. Eſcheda expugnatis per hoſtem tentorijs vigilum vivus in hoſtium poteſtatem venit, Rudolpho Longo cum cohorte beneficio ſchapharum, quæ in portu ſtabant, in Hollandiam ſubducto. Reliqui ex Eſchedanis ſuis in dormitorijs nulla miſeratione confoſſi, Cuneræque pagus, quem olim juſto titulo Comites tenuerant, nullo reſiſtente direptus eſt.

Præſidium Cuneræ à Lalainio opprimitur

Cl. Franckena tradit utrumq; centurionem incolumem ſervatum, pluɼimoſque præſidiariorum, quos ad internecionem deletos alij tradunt, fugâ Lemmariam perveniſſe, quæ Pierij Anſkenij Prætoris Lemmarienſis & cohortis præfecti præſidio habebatur. Quæ dum in maritimo tractu fiunt Steenvicani arctius quam fuerant obſeſſi, periculi ex magnitudine virtutem acuebant, incendijſque ſuburbanis ac crebris oppugnationibus tentati hoſtium caſtra diverſis eruptionibus infeſtabant. Quare ſpolia, captivi, armenta ſæpe in oppidum perducta, quod Lalainius miſſo præcone quamvis inrito conſilio, dedi crebrius poſtulaverat. Itaque Lalainius ſpem præter & expectationem trahi obſidionem videns admoveri muris tormenta juſſit, globiſq; ferventibus ignitiſque immiſſis incendium dedit. Quod ipſum flante acri ſubſolano vires ſumens magnam domorum mœniumque partem una cum commeatu abſumpſit hoſtibuſque qui oppidum cineribus involutum opinabantur, animum auxit. Unde Lalainius erectis ſignis velut oppidum, murorum

Steenvicani egregiè ſuarum rerum ſatagunt.

parte

parte nudatum, oppugnaturus, Ordines inſtruxit, miſſiſque denuo caduceatoribus qui veniam vitæ offerrent, deditionem oppidi repetijt. Cæterum Platius centurio vir magni animi & belli vetus, qui Onnianæ portæ cuſtodiam ſibi ſumpſerat, elato ac generoſo animo Lalainij poſtulata rejecit, miſſoſque caduceatores, velut alias diſcrimen paſſuros, ocyus ſe recipere in caſtra juſſit. Quod reſponſum velut præfractum & inſolens etſi plurimis & urbico quoque Magiſtratui diſpliceret, tamen prævaluit, obſeſſoſque in fide nutantes & ex periculo ancipites in officio continuit. Platius cum ſuis portâ erumpens globo in caput acto haud multo poſt exſpiravit, egregiumque fortitudinis exemplum imitandum commilitonibus reliquit. Igitur Lalainius, negatâ deditione, tormentis oppidum concuſſit, datiſque crebro incendijs, etſi remedium igni adhiberetur, terrorem obſeſſis incuſſit, ſpemque auxiliorum imminuit. Jam enim rumor percrebuerat, copias è Friſijs miſſas in itinere cæſas aut diſſipatas eſſe, nihilque reſtare, quam ut obſeſſi inter cædes & incendia, famem ac frigora, quæ præcipitante autumno ingraveſcebant, vitam atque animas ſuſtinerent. Sed ſeneſcens rumor ſollicitudinem allevavit, comperto duas tantum cohortes, quas Friſij tuendo Sylveſtrium tractui ijs in locis collocaverant, ad Ouram profligatas. Iſtas Joannes Feruovius & ex Danicâ nobilitate tum per Sylveſtria ductabant, quo hoſtium in Friſiam irruptionibus occurreretur & ne tributa à Friſijs hoſtilibus copijs præſtarentur. Quod ſpeculatus Lalainius, Arnoldum Gemenium Snaterum & Oyenbruggium tribus cum cohortibus caſtris emiſerat, Friſiorumque copias, quibus Julius Bottnia & Doco Martena præerant, paucis cum equitibus in Sylveſtribus agentes invadi præceperat. Cæterum Julium Bottniam & Doconem Martnam cohortium ductores periculo fortuna exemerat. Quare Feruovius, qui præſidio loci relictus cum imperio ibi erat, hoſtium adventu intellecto, ſuam ac Malſemij cohortem derepente inſtruxit, manumque egregio facinore, etſi infœliciter cum hoſte conſeruit. Quippe fortiter pugnans & fœditate vulnerum à ſuis vix agnitus Georgio cum fratre occubuit, Frederico Feruovio fratre altero, qui ſignum ferebat cum pauciſſimis militum ſervato. Ea clades ad Ouram in Sylveſtribus prid. Kalend. Novemb. facta.

CIƆ. IƆ. LXXX.

Duæ cohortes Friſiorum à Lalainio cæſæ.

Mox Slota in ijſdem Sylveſtribus oppidum quod rivus Auſtrino è mari proveniens interluit, vaſtiſſimique circum lacus ambiunt à Docone Martna & Stenone Malſemio deſertum à Lalainianis occupatum, eodem Martna à ſuis prope Balckios deſerto, ac in caſtra hoſtium perducto. Tum Geeſterlandiam peragrantes Stauriam quoque antiquiſſimam Friſiæ urbem in littore ejuſdem maris Auſtrini ſitam ſuam Lalainiani fecere, nullâ aut certe quam parvâ difficultate, quod præſidium militare exceſſiſſet, civeſque illâ rerum temporumque mutatione ambigui & ancipites partium magis fortunam, quam jus ſequerentur. His accedebat, quod caſtellum, ſicuti & reliqua per Friſiam jam ante dirutum, defenſioni invalidum foret, ejuſque tutela, aut perditio à ſtatu civitatis dependeret. Quare Lalainius, quo Caſtella, quæ odio ſui, gubernante provincias Matthia Auſtrio Ordines everterant, ocyſſime redintegraret, velut ſpem in illis ac fiduciam recuperandi per Friſiam imperij

Friſia Lalainij populationibus patet.

cIↃ. IↃ. LXXX. rij conciperet Stauriense extemplo reparari, emunirique fecit, Maccomiumque ſeptentrionem verſus eodem in maris littore terreo opere, valloque concluſit. Ita maritimis vicis oppidiſque in poteſtatem redactis Harlingam uſque dein Franekeram, Bolſuerdiamq; poſt totam fere per Weſtergoam populationes egit, Friſiæque partem, quæ Slachtano marinoque aggere coërcetur, tributariam fecit. Quâ ut excedere Lalainius cogeretur Friſij catarractas, atque emiſſaria, quæ pro ratione æſtuum lunarium aquas emittunt ac recipiunt, aperiri curarunt, quo maris influxu facto aquarum quoque per campos ſtagnantium pellendis hoſtibus augmenta haberentur. Sed averſa à littore ventorum vis tum ſerenius ſicciuſque cœlum, quod etiam vergente autumno poſt vergiliarum occaſum imbres negabat, omne conſilium ſubvertit, Friſioſque nuperæ ad Ouram cladis infœlicitate perculſos hoſtium populationibus permiſit.

Lalainius minores etiam Friſios per literas tentat.

Igitur Lalainius velut fortunæ pro arbitrio imperaret, ſuperbus & ſimul ſecundarum rerum & ex voto fluentium vecors ſubactam majoris Friſiæ provinciam ratus, animum quoque minores in Friſios intendit, quo ultroq; littore, quod medio & interfluo mari obtenditur, ſuæ poteſtatis facto utrique Friſiorum regioni & latiſſimis æſtuarijs dominaretur.

Quare litteras Enchuſanum ad Magiſtratum miſit, fiduciæ plenus populum quoque transmarinum victoriarum ac proſperorum famâ ſuis partibus acceſſurum.

NON dubito, quin rerum mearum proſperitas qua maritimam majoris Friſiæ regionem regi PHILIPPO, *meæ verò Præfecturæ aſſerui, ad vos perlata ſit. Et quoniam intelligo eſſe ex vobis, qui turbatiſſimorum temporum pertæſi, Fædus Gandavenſe à rege confirmatum amplecti velint, noſtramque ſocietatem & commercia mutua expetant has ſcribendas duxi, ut deliberatione inter vos & cum Statibus oppidiſq; minoris Friſiæ habitâ, animi veſtri apud me ſecretum expromeretis. Quare ſi ad Gandavenſe fædus redire vobis mens atq; animus eſt, legatos quanto ocyus mittite, cum mandatis. Sin vero id vobis grave videatur, etſi commeatum illis daturus ſim, operam date, ut litterarum ſaltem reſponſa ad me perveniant.* Datæ in caſtris regijs ad Steenvicam VIII. Eid. Dec. cIↃ. IↃ. LXXX.

Cl. Franckena notat cœptâ obſidione, quod in XV. Kal. Nov. diem incidit, agente in Friſijs Lalainio, obſeſſos annonæ proſpexiſſe munitoque diviſis operis oppido, puteos quoque tardandis impediendiſque hoſtium cuniculis novâ quadam arte repertos. Auxilia quoq; Novembri menſe dimiſſis ex oppido per noctem Campos tabellarijs ſocios Ordines petita, nullumque hoſtile tam in caſtris regijs quam apud obſeſſos intermiſſum. Itaque eruptiones obſeſſorum cottidianæ & hoſtes fatigabant & obſeſſi oppugnationibus obſidentium exercebantur, ægrè ferente Lalainio acre obſidium & ultrique parti grave per initia aſperæ hyemis proferri. Quare ut finem conſilio Lalainius faceret, muralia tormenta adduci Groningâ juſſerat avertendiſque Ordinum auxilijs quæ jam parabantur, firmioribus operibus caſtra circumduci. Iam enim Ordinum ac Aurantij litteræ ſolutionem obſidio pollicebantur, quod fœderatæ reip. intereſſet limitaneum tot provincijs oppidum in defecto-

Solutionem obſeſſis pollicentur Ordines.

ctoris Lalainij poteſtatem arbitriumque non recidere. Ea res Caroli Roordæ & Abeli Franckenæ datis ad Cornputtium litteris confirmabatur. Cæterum Cornputtius vir futuri providus reſcriptis ad Ordines Principemque qui Delphis agebat, litteris compoſitius cuncta quam feſtinantius agi petebat, totumque ſolvendæ obſidionis negotium rationi magis quam caſui committendum. Igitur decreto Ordinum maturandæq; ſolutioni caſtrorum Stuperus cum cohorte Suarteſluſam, Hegemannus legionis tribunus ſex cum ſignis in D. Joannis Campos haud procul Vollenhoâ miſſus quo deſtinata liberandis Steenvicanis auxiliarijs in locis contraherentur. Quo cognito obſidentes caſtris egreſſi in cœnobium D. Joanni ſacrum, quod campos vocant, celerrimo itinere irrupere, adortiq; Hegemanni legionem, etſi fortiter reſiſtentem, non ſine cæde in fugam egerunt. Capti ex centurionibus Joannes Vianenſis, Joannes Wichmannus & Gedeon Pomeranus, vexillo ejuſdem cohortis, haud citrà oſtentationem, equinæ caudæ alligato ac in caſtra ad Steenvicam perducto. Creditum fuit, quod cœnobium plano apertoque loco ſitum nec foſsâ aut vallo emunitum foret, facile occupatu fuiſſe, fœderatiſque non tam animos aut virtutem quam infirmitatem patentis cœnobij obfuiſſe. Quâ clade intellectâ languentes obſeſſi de mittendis ocyus auxilijs Ordines ſocioſq; monuere, animatique reſponſo, quod militiæ ſtipendia ac virtuti juxta præmia pollicebatur, egregiâ fortitudine ſua pericula & hoſtium impetus ſuſtinuerunt. Igitur tum apud Ordines de ſolvendâ Steenvicæ obſidione ſerio agitatum, contractæque maturanda ad auxilia ex omni regione copiæ, quo laborantibus Steenvicanis ſubveniretur. Iam enim Norritius Anglus vir militiæ impiger cum XI. cohortium pedeſtri legione, ac turmâ equitum circa Zuollas advenerat, ejuſque copijs Stuperi, Appelij, Clerhagij, Couwenbergique cohortes conjunctæ ſolutionem obſidio minabantur. Illas præterea Michaël Caulerius VI. cum ſignis, Caulerium Iſelſteinius alijque cum V. peditum ſequebantur. Reliquæ equeſtres copiæ quas Caulerius idem, Pieckius & Simon Limburgus ducebant, eïdem conſilio deſtinatæ ablegato in minores inſuper Friſios Duvenvordio Hollandici maris præfecto, qui celoces aliquot tam ſolvendæ Steenvicanæ obſidioni, quam recuperandis majorem per Friſiam oppidis munitionibuſque adornaret. Vigboldo quoque Euſemio Niennortio viro nobili & ſtrennuo legionem pedeſtrem VI. ſub ſignis conſcribendi poteſtas ab Ordinibus facta, quo omni ex orâ collecto autoratoque milite Lalainius animi inſolens campo & caſtris pelleretur. Econtra Lalainium diuturnius apud Steenvicam obſidium urebat & quod Nyennortius collectas autorataſque in agro Tranſlavicano copias Winſumi collocaſſet, objectiſque quo defenderentur propugnaculis tributariam Omlandiam feciſſet. Quare etiam inter famem & frigora reliquaſq; hyemis naturæque inclementias caſtra adhuc tenens continuare obſidionem conſtituit, citiuſque vitâ quam obſeſſo oppido ſe abiturum fidem apud Tribunos legionum fecit. Igitur ut inſtantia mala averteret, utque miles æris egens & inops in caſtris duraret, legionum primores ac legatos convocavit, editoque & modicis collibus adſurgente loco conſiſtens hunc in modum diſſeruit.

cIↄ. Iↄ. lxxx.

Hegemannus cum ſuis ab hoſte cæditur.

De ſolvendâ obſidione ſerio agitatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXX.

Lalainij oratio ad milites.

IAM diu cognovi, Commilitones, ut ſecundis rebus animos, ita mollioribus corpora corrumpi. Diutinam hanc obſidionem vexantibus inediâ & frigore tolerastis, magno & fœlici indicio ipſum cœlum, etſi triſte & aſperum, ipſa ſydera, etſi pruinis aut nivibus infeſta virtute veſtrâ ſufferri. Præter ſtipendia quoque anguſta, quæ petentibus hoc tempore præſtari non poſſunt, difficilem commeatum habuiſtis. Omnia quæ movere animos poſſent ad deteriora, niſi ſacramenti dulcedo atque memoria ſeditione ac tumultu carior eſſet. Et quoniam vobis iſta ſuperare atque evincere patientiâ placuit, date operam porro, ut ego voti compos fiam & ne in blandiſſimâ victoriæ ſpe aut certiſſimâ conſtitutus conſilio meo excidam, veſtraq; virtus in fine rerum minuatur. Nam obſeſſos ad extrema redactos ipſi non ignoratis, auxiliaque, quæ pellendis caſtris noſtris parantur, imbecilla neque noſtræ magnitudini paria eſſe. Equitatu certè longè nos prævalere in aperto eſt, qui cum concretis ſtratiſque glacie paludibus non impediatur, promptus ad officium erit. Itaq; peto, ut ſacramenti, quod regi Philippo præſtitiſtis, memores in fide ac diſciplinâ brevè ad tempus perſiſtatis, credatiſque omnes moleſtias, pericula, vulnera, mortes lenimentum à victoriâ, gloriam à veſtrâ fortitudine habituras.

Quâ oratione averſa, quæ in proxumo erat, ſeditio contorpuit, mileſque repetitâ ſacramenti dictione poſcenti Lalainio ſe obligavit. Mox Ioannes Norritius juſtis copijs inſtructus Suarteſluſam contendit, compertoq; Ottonem Santium nuper Satrapam Herdervicenum regiæ parti aſcriptum in Giethornis præſidium habere delectam ſclopetariorum manum celerrimo iſtuc itinere expedivit, occupatoq; loco Santium captivum cæſo filio abduxit. Reliqui hoſtium à Norritio in fugam acti ipſeq; pagus immiſſo tectis igne ſpectantibus hoſtibus conflagravit.

Arx Hattumana prodita recipitur.

Cl. Franckena in Ephemeride ſuâ tradit Hattumanam arcem quæ præſidio fœderis tenebatur à Præfecto proditam, paucisque poſt diebus eandem à Campenſibus Daventrienſibuſque receptam lætiora obſeſſis Steenvicanis evulgaviſſe. Pulverem quoque tormentarium cujus penuriâ obſeſſi laborabant, culeis inditum quadraginta peditum ope obſeſſam in urbem importatum majores animos propugnantibus fœderatis addidiſſe. Addunt alij in iſto Norritij Angli cum hoſtibus ad Suarteſluſam conflictu peritiſſimos belli ac Lalainij veteranos cecidiſſe, Arnoldumq; Gemenium ſub Philippo & per Friſiam in Stellinguerfijs prætorem caſtra regia tum ſecutum finem vitæ impleviſſe. Præter cæſos multos quoque Vidro amni immerſos & extinctos annales tradunt. Unde clarum Norritij Angli apud fœderatos nomen, quod cum bellicæ artis peritiâ conjunctum egregijs fortunæ quoque ſucceſſibus augebatur. Quibus u-

Anno cIↃ. IↃ. LXXXI.

tendum ratus, ut res proſperæ audaciam pariunt, ſolvendæ obſidioni Steenvicanæ animum atque conſilia intendit & ut Lalainium vincendæ urbis certum & ſacramento pertinaciam obſidij alentem, movenda ad hyberna compelleret. Igitur pecuniâ & commeatu ſublevatis obſeſſis, auxilijſq; minorum Friſiorum, quibuſcum Sonoïus vir bello acer Bloczylam advenerat, ipſe inſtructus manu decertare cum Lalainio ſtatuit, ſuæque virtutis ac ſecundarum rerum fiduciâ totius exercitus ſalutem aperto diſcrimini unique fortunæ ictui committere. Cæterum à Friſijs monitus ut majora auxilia, ut pecuniam & ſtipendia, pugnaturis ro-

bur, atque alacritatem additura, exſpectaret, neu fortunæ ex ſe inſtabili tenerrimas ſociorum res crederet, cæpto deſtitit, conſiliumq; imprudens & nullâ futuri providentiâ ex temeritate natum mutare coactus eſt. Iam enim Lalainius, quo Norritium, erumpenteſq; à fronte obſeſſos exciperet, magnam regij exercitus partem in inſidijs collocaverat, quarum commoditatem, ut de hyeme ſolet, ſpiſſius cœlum & exſurgens nebula præjuvabat. Quâ fato ſeu forte retegendis, quæ Lalainius agitabat, arcanis diſcuſsâ litteras ad obſeſſos dedit, deditionemque ſi gratiam vellent, hortatus eſt. cIↃ. IↃ. LXXX I.

Satius ſcilicet eſſe obſeſſos regis ſui veniam atque fidem amplecti, quam ſummâ rerum deſperatione ſpem collocare in auxilijs, quæ ne Aurantius quidem & totum fœdus præſtiturum ſit. Scire ſe quo loco Ordinum res ſint, qui neque velint, ut ſalvâ unius oppidi fortunâ totius exercitus flos atque robur incertis belli eventui & uni ictui ſabjaceat. Huic rei fidem ſe interponere ex notitiâ arcanorum, quæ patrum ſecretis eliminarentur. *Lalainius Steenvicanis conatur perſuadere deditionem*

Cæterum centurionibus cohortiumq; præfectis alia mens erat. Itaque reſpondebant perſtare ſe in Ordinum Aurantijq; ſocietate velle & permittere Rennebergio, ut quod è re ſuâ ſit agat, experiaturq; quid aut aliena virtus diſcrimine irritata aut ſua poſſit. Mox Norritius Anglorum cum legione auxiliaribuſque copijs, quæ ſub ſignis Gulielmi Ludovici Naſſovij erant, Giethorno duxit, Steenvicanumque ſaltum, qui urbi adjacet, ingreſſus captis cæſiſq; pluribus incendium excitavit. Quo velut ſigno dato, perlucente flammis ſylvâ obſeſſi de faciendâ eruptione deliberarunt, fuſiſque in foro precibus & peractâ re divinâ partem præſidij portâ emiſere, quæ ad munitionem lapideæ viæ adjectam recto itinere ducebat. Quâ occupatâ, datis in fugam præſidiarijs, captaque fœminâ, quæ utero gerens, ut Franckena tradit, & fugæ impar erat, majorem munitionem oppugnavere, quam ipſe Rennebergius juſto præſidio tutabatur. Ubi fortiter virtute præſidiariorum, qui intra munitionem erant, excepti in diverſa ſe ſparſere, tantâ noctis, quæ illunis erat, opacitate, ut commilitonem ab hoſte vix diſtingueret. Unde confuſio enata, neſcientibus in quos armorum vis converteretur & quod Rennebergius munitione, quam defenderat, egreſſus juſtum agmen per emiſſarium Aæ fluminis ductaret. Igitur obſeſſi factâ ad parvam munitionem carragine, quam à ſuis teneri opinabantur, ſimile in diſcrimen errore noctis inciderunt, diverſiſque conflictibus extenuati carris impedimentiſque exuſtis in oppidum ſe recepere. Berenbroeckius Hagiuſque re præclare geſtâ vi hoſtium in oppidum quoque compulſi, cujus portam, prementibus obſeſſorum terga hoſtibus, regij facile occupaviſſent, niſi occultæ viæ beneficio, quam Cornputtius fieri curaverat & in quam obſeſſi ſe receperant, rejecti fuiſſent. Olthovius centurio portam, quæ ſylveſtrem Friſiæ tractum reſpicit, claudi fecit, juſtâque cuſtodiâ ſepſit. Traditum annalibus magnum utrinque militum numerum illâ nocte cecidiſſe multoſque captivos ut in oppidum, ita Rennebergij caſtra perductos utriuſque partis damna & incommoda penſaſſe. Tum Norritius in arbuſtum modico aggere cinctum, juxta Tuccam pagum copias haud procul emiſſario duxit, per quod Aa fluviolus *Obſeſſi rem fortiter gerunt.*

tenui

cIↄ. Iↄ. LXXXI.

tenui alveo ſe emittit. Quo cognito Rennebergius cum potiſſimâ exercitus parte magno impetu Norritium adortus eſt, quem in magnâ annonæ commeatuſque penuriâ equeſtre inſuper auxilium deſtituebat. Iam enim deletas ad internecionem Norritij pedeſtres copias ſuſpicione credebatur, qui in maxumo rerum diſcrimine conſtitutus aliena conſilia, ſuam temeritatem & juxta fortunam incuſabat. Cui incommodo & hoc accedebat, quod denſiſſimæ nebulæ obortus omnem conſpectum impediret, quæ ab oppidanis auxilia mitti aut transferri in tuta exercitum cœli opacitate prohibebat. Cæterum poſt repulſum Rennebergium & ſignum receptui dare juſſum à cive quodam locorum gnaro, qui oppido exploraturus regia exceſſerat, Bloczilam perductus periculum evaſit, quo loci Sonnoïus vir belli egregius præſidium tutandæ oræ maritimæ agebat. Ubi datis litteris Steenvicanos ſuo de diſcrimine totoque rerum ſtatu certiores fecit, ſubnixuſque majorum Friſiorum auxilijs, quæ ventura credebantur, certam ſolvendi obſidij ſpem annuntiavit. Mex Bloczilâ copias movens in cœnobium D. Joanni ſacrum conceſſit, obſeſſuſque à Rennebergio, qui magnâ celeritate illum circumvenerat, Friſiorum auxilijs liberatus eſt.

Norritij diſcrimen.

Friſiorum auxilijs liberatur.

Quippe Wigboldus Nienortius cum Menningeo, qui Bernardi Merodij Friſiæ præſidis copias titulo optionis ducebat, victoriâ Windeſchotanâ (ubi hoſtium coïtiones XVIII. Kal. Feb. notante Franckena diſſipaverat) animatus cum auxilijs (cIↄ. Iↄ. numerabant) Scotam poſt Oldemarctum progreſſus de Norritij ſociorumq; conſilio Bloczilam pervenerat, evulgatâ in caſtris Rennebergij famâ Friſiorum Tranſlavicanorumq; juſta auxilia ſolvendo obſidio adeſſe. Quare Rennebergius magnâ in feſtinatione P. Joannis cœnobium reliquit exuſtoque Grethorno in caſtra ad Steenvicum magno animi mœrore militem & quidem ſeditioſum reduxit. Quippe non penſitato ſtipendio totus exercitus & conſilia miſcere, mox fidem & ſacramenta exuere cœperat, additâ comminatione ſe ipſi Duci, niſi proſpiceret, manum injecturos. Quamobrem Rennebergius Schenkij, Ojenbruggijque conſilio uſus centum aureos unicuique cohorti aſſignavit, paſſuſq; domus ſuæ & rerum direptionem militarium furorum incommoda in ſingulorum capita pendere XXI. ſeſtertios coactus eſt. Additâ inſuper fide, niſi promiſſo ſtaret, caſtra ſe moturum, copiaſque cœli inclementiâ & hybernâ aſperitate ferocientes molliore vitâ & dulcedine otij placaturum. Ita cæpta ſeditio interquievit Rennebergiuſq; deſerto Steenvicano ſaltu & Tuccâ pago urbi vicino ſparſas hinc inde copias peculiari caſtrenſium motuum remedio ad Aam flumen contraxit, tormentaque ad pontem flumini impoſitum perduci imperavit.

Lalainij exercitus ſeditioſus vix placatur.

Quæ dum in Friſiorum finibus geruntur Belgicæ Ordines de revocando Franciſco Valleſio Andium Duce Galliarum regis fratre cogitavere, quod Matthias Auſtrius ſive imperij & tantæ molis regundæ pertæſus, ſive propinqui regis aut fratris Cæſaris conſilio in Germaniam revocandus ſucceſſorem moderamini provinciarum deſideraret. Iam enim auxilia ſubſidiaque bello potentiam & fortunam tanti Principis ſecutura infirmioribus rebus expetebantur ac ut oſtendentia ſe jam tum popularis imperij aut libertatis vitia & vix adverſis inhibita unius eminentis autoritas ac faſtigium comprimeret. Neque enim à ſubjuvandis Belgis alienam Gal-

Matthiâ Auſtrio diſceſſum meditante de Andini ſucceſſione cogitatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Galliam eſſe, odio Hiſpani & averſis à ſe invicem iſtarum gentium ingenijs, quæ interventu ſui Principis Belgarum ſocietati innexa arma quoque Hiſpano per Belgicam furenti intentatura haberentur. Poſſe Lutzenburgum, Hannoniam, Arteſiam conterminas Galliæ regiones ſi non arma potentiſſimi Principis, ſaltem metum ſentire & qui laturus non ſit in fratris ſui regno, militem, commeatum, pecuniam, arma conquiri augendæ Hiſpanorum dominationi, aut ſubvertendæ Belgarum libertati deſtinata. In quam cum raro Principum exemplo inclinaverit, quorum cupiditatibus gravis ut plurimum & ſuſpecta libertas ſit, ita Galliæ regno funeſtis, ut fere ſolet, incendijs flagranti moderata conſilia collocaſſe. Quod ad Angliæ regnum attineret, malle Eliſabetham vicinum Belgicæ rectorem Valleſium, quam Philippum habere, adjectâ jam Hiſpaniæ Luſitaniâ vaſtiſſimis terris & mari Oceano imperitantem. Præſtructas quoque inter Alençonium & Eliſabetham connubio occaſiones, obſervatumq; reginæ pectus à Valleſij Principis amoribus alienum non eſſe. Quæ ut in ſecreto patrum diſſerebantur, ita eo res perducta eſt, ut repetitâ ſocietatis auſpicandæ actione tabulæ quoque firmandis pactis, non Alençonij tantum, ſed regi & fœderatorum ſociorumque (inter quos Friſicam gentem fuiſſe reperio) ſigillis conſignarentur.

cIↄ. Iↄ. LXXXI.

Militaris diſciplina ſublata nec dum reſtitui poteſt.

Reperio in actis provinciæ Aurantium principem, quo belli ordinem ac diſciplinam terrâ marique ſtabiliret, poſtulata quædam menſe Ianuario exhibuiſſe, perlataq; in Friſios ne remedia quidem depravatis militiæ rebus attuliſſe. Joannem quoque Verckenium Friſiæ cohortis ductorem in Omlandiam ac Tranſlavicanos cum cohorte miſſum, non damna tantum & incommoda hoſtibus, ſed ſocijs quoque intuliſſe, eundem quoque Wigboldi Euſemij curâ vinculis datum, ipſumque Euſemium datis in Friſiam litteris ſocij juris violati rationem allegaſſe. Similes litteras à R. Ackema præſidium Winſumi agente perſcriptas fuiſſe reperio. Cujus Verckenij cauſam etiam hoc prægravabat, quod Decembri menſe perfuga ac proditor quidam cum Rennebergio in caſtris ad Steenvicam poſitis conſilium communicaſſet, deprehenſuſque à Verckenio ſexcentis aureis immunitatem redemiſſet. Adeo illo tempore, velut rudi adhuc militiâ, licentia invaleſcebat. Quæ per Friſiam atq; adeo ipſam Weſtergoam vires ſumens Wonſeranam quam maxume præturam afflixit. Quippe Dodo Larius equitum turmæ, tunc cohortis peditum ductor inordinatis fœdiſque exactionibus illius oræ populum exhauriebat, hoſtiſque magis ingenio quam ſocij uſus in omnem inſolentiam effundebatur. Unde ſupellex non tantum & villarum ruſticarum inſtrumenta ac utenſilia, ſed pecora quoque abacta, aut alendis flagitioſorum ventribus mactata, ne tuto quidem integroque hoſpitali ac templorum jure, quod omnia patrantibus fœdâ immanitate ac ſacrilegio violabatur. Quare à ruſticâ gente criminationes & querelæ Novem-virale ad Collegium per Iaconem Oſingam virum nobilem iſtius loci Prætorem perlatæ, diſſimulante enormem militum proterviam illorum patientiâ, qui in fide ac ſacramento retineri ægrè militem niſi leni factorum indulgentiâ opinabantur. Quæ correctionum animadverſionumque militarium tarditas ne majus incommodum daret Tranſlavicano-

cIↄ. Iↄ. canorum Legati litteras quoque ad Novem-viros FRISIAE miſere.

LXXXI. *Trans-Lavicanorum querelæ ad Friſiæ Proceres.*

PRÆSIDIUM quod Doccomij poſuiſtis, FRISIJ, nobis ac genti noſtræ moleſtum & grave eſt. Præter damna data municipibus noſtris in captivitatem abductis de remedio & emendatione præſtandâ jam ante monuimus. Cæterum veſtrâ morâ ac cunctatione abuſus quaſi miles inſolentiam auxit, etſi non ignarus ſociale jus ac ſacra fœderum auſpicatò & cum religione inita iſtâ militari proterviâ auferri. Quin pauci dies ſunt, quibus iſtiuſmodi furoribus fræna laxata ſunt, abductis in fines veſtros Grypskerckÿs, quos domui ſuæ ac familiæ reddi, præterquam penſitato 100. dalerorum lytro veſtri milites noluerunt. Quæ cum pacem publicam, cum jus fœderum turbent, cum ſanctiſſimæ ſocietatis fundamenta convellant, hortamur denuò ut malis ſubnaſcentibus medicinam adferatis, ne tandem veſtra diſſimulatione aucta omne remedium reſpuant. Imprimis ut ablatarum rerum pretia numerando liberos homines & noſtro imperio ſubjectos, ſine ullo lytro rebus ſuis reſtituatis, moneatiſque cohortium præfectos & ſimul militarem turbam, ne fines veſtros excedendo trans Lavicam tanquam ditionis veſtræ terminum aliquid pravum aut hoſtile moliantur. Ne nos aut aliò querelas deferre, aut invenire duriora malis remedia cogamur.

Quæ Snecæ, quo Delegati Omlandiæ confugerant, perſcripta, meliores in curas Friſiæ proceres traxere. Tum valori monetæ, auro atque argento ſignato per provincias proſpectum, vinoque ac cereviſiæ exoticæ indictiones impoſitæ augendis ærarij opibus, quæ terrâ marique ſtrepentibus armis lacerabantur. Unde fiebat ut Ordinum provincialium legati ſubſidia ex ærarijs fœderatarum nationum urgerent, graviſſimiſque in rebus, ſicuti fieri mos eſt, conſenſum ac judicium cujuſlibet provinciæ flagitarent. Jam enim poſtulata quædam in Friſios tranſmiſſa, quæ de impenſis legationum in Galliâ factis, de Matthiæ Gubernatori in Germaniam abituro præſtando reſiduo, de Eliſabethæ Anglorum reginæ credito exſolvendo, de Aurantij annuâ penſione augendâ, de pactis cum Alençonio ſupplendis confirmandiſque habebant. Quibus ut ſatisfieret provinciæ nomine Delphos Batavorum Julius Bottnia Oldermannus Franekerenſium cum Orichio Dojemo Ordinum Friſiæ Syndico miſſi: Ijs in mandatis datum ut actorum defectum poſtulatis obtenderent, fidemq; facerent Gallicæ ad Alençonium legationis impendia Andreæ Heſſelio Graphiario Brabantiæ ad cIↄ. c. XVIII. carolæos exſoluta. Quod ad Matthiam Auſtrium miſſionem Belgio petentem attineret, velle Ordines Friſiæ ut idem, quod vicinæ provinciæ præſtent, habitâ interim ratione ærarij Friſici, quod atrocium bellorum & per ipſa provinciæ viſcera graſſantium crudelis tempeſtas minueret. Ad augendam provincialis Senatus, qui cis ac trans Moſam inſtitutus erat, numerum, Leoni Beiemo fato functo Doconem Martnam ſuffeciſſe, miſſuros eundem quanto ocyus cum litteris publicis, quæ ſubveniendis belli neceſſitatibus & ordinandis provinciarum tributis expedirentur. Eliſabetham Anglicam quod attineret cenſebant, inquirendum per Legatos eſſe, an Friſij præſtandæ ſolutioni tenerentur, eoque poſito aſſenſum vicinis provincijs, aut æquiora volentibus habituros. Idem in cauſa Aurantij velle, exſolvique debita, ac æris magnitudinem præ-

Subſidia ab Ordinibus provincialibus flagitantur.

ſtandam, quam Aurantius liberandis defendendiſque provincijs impendiſſet. De Alençonio reſpondebant grave & moleſtum fore ulteriorem iſti actioni aſſenſum præbere, quod à vicinis provincijs in deliberationem miſſa eſſet, quorum judicijs arbitrijſque ſtaturi Friſij eſſent. Invenio in actis publicis Matthiam Archiducem miſſis ad Ordines Egberto Leonino, Antonio Lalainio, Joanne Aſſelerio legatis ſpecioſis & ad movendos provincialium affectus validis rationibus uſum apud eoſdem de præſtando ære & liberandis nominibus egiſſe, ſuæque familiæ ac gentis Auſtriæ, tum aulæ ſuæ incommoda ignominiamq; obtendentem, ſolutionem reſidui æris poſtulaſſe. Friſios quoque præſtandæ ſolutioni octo millia aureorum aſſignaſſe, duobus millibus Anglorum Reginæ in uſuris adjudicatis. Omnia quoque prioris belli impendia magno provincialium incommodo petita attritis impulſiſque privatorum rebus & facultatibus, quas tributi ex bello onus & per agros exactio vaſtatioque diripiebat. | cIɔ. Iɔ. LXXXI.

Unde Bernardi Merodij regiæque Curiæ edicto paci tranquillitatiq; publicæ proſpectum, cautumque ut Focconi Oenonio cæteriſque partium regiarum ſuſpectis bona ſalva intactaque eſſent, omniq; in poſterum violentiæ parceretur, ne fœderis vires & bellorum nervi, privatorum rapinis ſuccideren tur. Rerum quoque venalium, quæ uſu conſumuntur, indictiones per provincias ſcriptæ, cautumque Aurantij, qui imperium maris gerebat, litteris, ut ad x. Febr. diem omnes naves imprimis onerariæ portubus attinerentur, dum provinciarum Ordinumq; cura omni commercio proſpexiſſet.

Mox Sonoïus Bloczilæ curandis Steenvicanorum rebus agens, communicato cum provinciarum legatis & Joanne Norritio fœderati exercitus ductore conſilio, Vollenhoam maritimum & arce validiſſimâ firmatum oppidum tentavit, ductiſque quatuor marinum per aggerem ſignis ſuum fecit, præſidio regio equitum peditumq; exire juſſo. | *Sonoïus Vollenhoam cum arce occupat.*

Traditum commentarijs Belgicis reperio Antonium del Vailium nuper Philippi II. nomine per Friſiam Senatorem efferi & crudelis animi virum eo in oppido captum, Campoſque ad Delegatos fœderis miſſum. Famâ additum eundem del Vailium multitudinis ad captivitatem ſanguinarij hominis frequentiſſimo occurſu in magnum vitæ diſcrimen incidiſſe, parumque abfuiſſe, quin ponte, quo longiſſimo Iſala annis ſternitur, dejectus effuſum per Friſiam innocentium ſanguinem luſtralibus aquis expiaret. Memorant annales durante Steenvicanâ obſidione 4. Febr. tres perdices intra obſeſſam urbem captas prodigio aſcriptum fuiſſe, interpretante Cornputtio, viro erudito & antiquitatis peritiſſimo evoluto trium ſeptimanarum ſpatio annonam divinâ ope obſeſſorum fami atque extremæ inediæ ſubventuram. Quæ res in omen quoque pertracta Norritium ſolvendæ obſidionis momenta atque conſilia agitantem majoribus deſiderijs accendit. Quare modico equitum peditumq; numero caſtris emiſſo, Rennebergij Schenckijq; equites in Deveris pago Drentiæ commorantes nocte & ex improviſo adortus eſt, trecentoſque ex ijs, ut Franckena notat, præter reliquos in fugam datos delevit. Quo in conflictu Rombertum Frieſma regium nuper per Stellinguerfios prætorem, qui caſtrorum Rennebergij menſorem tum agebat, | *Antonij del Vailij captivitas & diſcrimen.* | *Trium perdicum captarum omen.*

cIↃ. IↃ. LXXX I. accepto vulnere Groningam perlatum expiraſſe in annalibus Cl. Franckena memorat, eundemque Frieſmam quod in æſtuario apud Harlingam navi vectus Batenburgicos fratres anno 1568. detexiſſet, per ſcelus ad præturam evectum dignum proditioni ſuæ factiſque exitum ſortitum. De quorum proditione, etſi ſuppreſſo tum quod ignorabatur nomine, primo Hiſtoriæ libro perſcripſi. A quâ victoriâ Norritius, juſto agmine, (in quo præter ſuam Naſſovicam, Merodæam, Nienortiam, Cauleriam, Ijelſteiniam legiones, cum Hegemanni & Stuperi ſignis & ſex equitum turmis ducebat) inſtructus Steenvicano ſaltui in ortum ad montem Hindigerum caſtra poſuit, qui modico terreo opere ac tramite exaggeratus, verſus ſeptentrionem, qua planior erat, factâ carragine defendebatur. Vexilla quoque ſignaque quo obſeſſis in conſpectum daret, in edito montis proximorumq; collium poſuit, quos inter hoſtiumque caſtra planities ad bis mille paſſ. interjacebat, quæ nullo arboreto conſita, paludibus paſcuiſque, qua oppidum ſpectat, diſtincta, commodiſſimum gerendis rebus & pugnæ locum deſignabat.

Pugna Rennebergium inter & Norritium. Quare Rennebergius ingenio loci uſus, neque inſidiarum metuens, quod apertius cœlum campoꝶ planities oſtenderet, decem peditum cohortes, equitumque pauciores turmas juſtâ acie inſtruxit, diſploſiſque machinis, ante lucis ortum Norritij in caſtra invectus eſt. Qui omnis, etiam ultimi, diſcriminis contemptor ſuos quoque deſiderio pugnæ accenſos caſtris eduxit, juxtaque Tuccam pagum extimumque lapideæ viæ marginem cum hoſte congreſſus eſt. Ubi retro citroque habitis velitationibus cum obſeſſi quoque portâ egreſſi levi ponticulo per Aam amnem jacto damnum hoſti facerent, ſole meridiem permenſo juſtum prælium ſubortum eſt, adnitentibus regijs, ut carrorum compage, quam caſtris præduxerat, luxatâ ſolutâq; caſtra Norritij exſcinderet. Cæterum regij male excepti amiſſis quam plurimis ac ſaucijs ſignum receptui dedere Henrico Snatero, qui ab Albani ætate regias partes propugnaverat, fortiter pugnante deſiderato. Obſeſſi, quos portâ egreſſos memoravi, caſtra, qua ortum diei ſpectabant hoſtium occupavere, excitatoque igne & confoſſis ægris, ac imbelli trium fœminarum ſexu interempto, victores Steenvicam rediere, quæ in ultimo diſcrimine conſtituta defectu alimoniæ prægravabatur.

Rennebergius malè acceptus obſidioni tamen inſtat. Neque Rennebergius etſi æris inops, in tantâ cœli & omnium rerum exacerbatione animum deſpondebat, quin erigendis novis caſtellis, reficiendiſque caſtrorum munitionibus incumberet, militemque penuriâ cibi languidum, virtutis conſtantiæq; commoneret. Idem à Norritio factum, qui aſperrimum gelu, quaſi frigidiſſimorum ſiderum concurſu alto defluens, omnique malo ſæviorem famem ſuis in caſtris tolerabat. Cæterum clementius cœlum 17. Feb. hyemis aſperitati ſubveniens, mox pluvia tempeſtas flante Favonio ſubſecuta uberiori annonæ ſpem fecit, viaſque glacie intercluſas ſubvehendis caſtrorum commeatibus aperuit. Quare Norritius caſtra propius ad urbem poſuit, locumque mille paſſ. à caſtris diſtantem juxta Aæ veteris ripam extruendæ novæ munitioni deſignavit. Unde noctu & interdiu militum operæ deſideratis foſſoribus provectæ, donec terreo vallo præducto nova munitio & duobus tormentis inſtructa oppugnationibus hoſtium ſufficeret. Quam erſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ſi tentaret oppugnaretque Rennebergius, tamen experiundo diſcebat virtute magis militaris præſidij, quam objectis operum molibus erectam munitionem defendi. cIↄ. Iↄ. LXXXI.

Annotatum invenio quoſdam ex obſeſſis vitæ ac animæ prodigos oppido egreſſos, ſpretis hoſtium caſtellis excubijſque novam in munitionem perrexiſſe, ſubjutoſque à quibuſdam Norritianis panem ac caſeum obſeſſæ urbi importaſſe. Norritium quoq; proviſo magnæ munitionis commeatu, minorem fieri propius oppidum curaſſe, extructamq; è regione munitionis hoſtium carraginem Rennebergij ſubvertiſſe. Unde graviſſimo conflictui nata occaſio, ita commiſſis implicatiſq; equitum peditumque ordinibus, ut hoſtis à commilitone non diſtingueretur, videreturq; juſto prælio, fortunam caſtrorum determinaturo, commiſſa velitatio reſervari. Sed obſeſſis erumpentibus tergaq; hoſtium & imprimis equitum ferientibus, quos agendis rebus minus idoneos denſiſſimi imbres & ſoluta foſſarum glacies faciebat, Rennebergij pedites ordines ſuos deſeruere, flagitatiſque ſtipendijs turbulenti & palantes, multis utrinque deſideratis, in caſtra reverſi ſunt. Tum Norritius, quo faventi fortunæ manum præberet, notatâ in Rennebergij caſtris ſeditione aut ſaltem contumaciâ dedignationeque parendi, quoſdam annonâ commeatuque onuſtos ad oppidum miſit, ſubjutoſque ab obſeſſis, qui erumpebant, repetere officium juſſit. Quod etſi impedire Rennebergius conaretur, tamen tempori & præſentibus rebus obſequi coactus eſt, ne mobiles militum animos & vile ſanguinis vitæque pretium criminatos majora ad incommoda regijs caſtris inferenda irritaret.

Obſeſſi commeatu illato refocillantur.

Cl. Franckena in Ephemeride VIII. Kal. Mart. id factum tradit, Steenvicanoſque impreſſione in caſtra Rennebergij Aam ad flumen facta cum numero plures ſuperioreſque evaſiſſent, primos hoſtium ductores præfectoſque cohortium cecidiſſe. Hoſtium quoque peditatum fugæ datum nec contineri per equitem in officio, nec reduci capeſſenda ad arma potuiſſe, totumque conflictum imbrium interventu diremptum. Quare Rennebergius proviſis urbi commeatibus & ſuorum contumacia rerum exſpes, de movendis caſtris agitavit, nulloq; ſigno dato & conquiſitis tormentis caſtella munitioneſq; ſuas deſeruit, ne obſervato quidem ab obſeſſis hoſtili conſilio, quod nocturnâ opacitate & nebuloſo inſuper ſpiſſoque cœlo tegebatur. Cæterum die poſtero omni caſtrenſi officio ſilente, deſideratiſq; excubitoribus Rennebergij caſtra à Norritianis luſtrata, quæ equorum militumque qui recenter occubuerant, cadaveribus oppleta, triſtiſſimâ facie viſebantur. Intra ipſas verò munitiones caſtellaque Rennebergij armorum, quæ projecerant, copia & caſtrenſis quoque ſupellex reperta prædæ illorum ceſſit, qui liberatam virtute urbem lætabantur. Mox Rennebergius, etſi motis jam caſtris quo dedecentis fugæ ſuſpicionem velaret, aciem editiore loco explicavit, poteſtatemque pugnæ Norritio fecit. Qui fœlici ſuarum rerum ſucceſſu contentus, ſimulque varietatem fortunæ, quæ in res bellicas dominatur, expendens oppidum fame exhauſtum ubere annonâ ac commeatu inſtruxit, Ordineſque fœderatos Campis ad Iſalam agentes ſolutæ Steenvicanorum obſidionis certiores fecit. Rennebergius conſilij inops palans & errabundus copias quaquaverſum duxit, donec in Sal-

Rennebergius Steenvicam deſerit.

cIↃ. IↃ. LXXXI. landiam deflecteret, Norritiumque arbitrio ſuo in ordinandis præſidijs occupandiſque munitionibus relinqueret. Qui Cunerâ olim Comitatus titulo inſigni fœderi adjectâ, reliquas cohortes Friſicas Merodij imperio parentes Lemmariam atque Slotam duxit, quo omnis ora maritimo, quæ Auſtrino maris ſinui, aut latiſſimis æſtuarijs obtenditur, Rennebergij regioque præſidio liberaretur. Lemmaria ac Slota tormentis machiniſque verberatæ fœderatis ſe permiſere, deſerto inſuper à regijs Maccomio, qui Rennebergio ægritudine angoreque animi ex adverſis correpto vanis diſcriminum pavoribus percellebantur. Quare & Stauria quoque olim regni Friſici ſede & nobili orientis commercio clara urbs, quam Renicus Dekama vir nobilis cum cohorte regiâ tenebat, à Friſicis copijs tentata, metuentibus Ordinibus ne regis auxilia illo in loco, tanquam limitaneo, contraherentur, & ne Rennebergius animum ab adverſitate reſumpturus ſedem bello divexandis Friſijs deligeret.

Præſidia regia urbibus munitionibuſque Friſiæ exturbantur.

Igitur Sonoïus Bloczilæ hærens cohortem è minoribus Friſijs tranſmiſſam Stauriam amandavit, quod oppidum præſidij vacuum ſolâ arce ac caſtello regio defendebatur. Mox pluribus copijs auctus portuque aſtuarijs navigijs occupato, ruſticam plebem erigendo terreo operi adeſſe juſsit, objectoque ex oppoſito arcis vallo, machinâq; ligneâ, quæ ſummitatem mœnium ſuperabat, fabricatâ obſidionem promovit, adductiſque Harlinga ac è minoribus Friſijs tormentis, poſt cuniculos ultra foſſam ac ad ima mœnium perductos arcem deditione accepit. Creditum fuit obnitente & invito Dekama arcis Præfecto Friſiciſque præſidiarijs id obtigiſſe, qui à Germanis, qui ſub cohorte militabant, vinculis dati catarractas ad nigras, ut vocant, Vidrumque flumen perducti ſunt. Renicus Dekama fratre cum captivo Enchuſam miſſus, cuſtodiæque traditus eſt. Addunt commentarij vexillum majus præſidiarijs ereptum Enchuſæ majore in templo à Sonnoio appenſum expugnatæ arcis Stauricæ illuſtre monumentum dediſſe.

Franckena notat menſis Martij initio capta Slotâ cohortem quoque Friſicam Leovardiæ collocatam, Ordinumque Comitio, quod ibi habebatur, decretum, ut trium per Friſiam arcium caſtellorumque regiorum reditus emuniendis in poſterum oppidis deſtinarentur. Sixtum quoque Sceltemam virum nobilem & Novemviri dignitate functum cohorti Iulij Botniæ præfectum, qui Oldermanni titulo regundo Franekerenſium oppido accitus, militare ingenium pacis artibus exercebat. Quæ dum fiunt Wigboldus Euſemius Nienortius proſpere res in Tranſ-Lavicanis gerebat, liberatoque obſidione Winſumo Marrenſium pago, ſecundaq; velitatione cum Rennebergicis habitâ (in quâ Oyenbruggius glande ictus occubuerat) majore belli apparatu occupabatur. Quare auxilia petenti quatuor ſigna peditum ipſo verno Æquinoctio, ut Franckena notat, eĩ decreta, duæque cohortes à majoribus Friſijs poſt additæ conſilia Nienortij ſubjuvere.

Nienortius in Trans-Lavicanis rem fortiter gerit.

Quare Rennebergius cum apertâ vi parum proficeret, clam multorum qui regijs in partibus per Friſiam adhuc erant, animos tentavit, eiſque poteſtatem colligendi pro Philippo militis fecit. Inter Cæteros Petrum quoque Everardum Dureuoutium, qui Rinſmageeſtæ apud Dantumanos agebat, illo autoramento inſtructum reperio, eundemque vinculis

culis datum ac Leovardiam in arcem regiam pertractum, velut proditionis reum, mox interceſſione popularium liberatum relapſumque in graviora tragico exitu ſontem vitam finiviſſe. cIɔ. Iɔ. LXXXI.

Principem quoq; Aurantium miſſis id temporis Leovardiam Laurentio Jacobæo & Joanne Maertio legatis eundem Magiſtratum ad colligenda exigendaque mercium reique nauticæ onera ac tributa 23. Iulij anni 1580. Antverpiæ ſancita ſollicitaſſe, ipſumque Magiſtratum tenerrimâ adhuc libertate, & ne frequentia mercantium in ſolitudinem verteretur damno civitatis honeſtis rationibus facti invidiem abnuiſſe. Godſcalcum quoque Hiddamam cum Jacobo Jacobæo Conſule Bolſuerdiano Legati perſonam agentem, & à Principe Aurantio mandatis inſtructum multa de centurionum tribunorumque militarium peculatu & imprimis Iſelſteinij propoſuiſſe, & ut militari licentiæ exactionibuſq; frœno impoſito & emunitâ Harlingâ maritimo oppido, Bernardum inter Merodium, qui autoritatis vilipendium apud Aurantium criminatus erat, vicarium Provinciæ Rectorem Ordinumque Delegatos & Senatum Juridicum ut Franckena vocat, pax ac concordia firmaretur.

Igitur decretum in Comitio Ooſtergoorum Sylveſtrium & Oppidanorum.

Vt in florenum aureum avertendis rapinis graſſationibuſque militum quatuordecim ſeſtertij penderentur, tribunique ærariorum Boudevinus Loæus, Paulus Gellius, Gellius Sibæus, Popko Roorda, Siboldus Ayſma & Otto Svalue juriſperitus ad præſtandas in publico rationes coram nobilitate populoque Friſico adigerentur. Liberando quoque Doconi Martnæ, qui in Sylveſtri ad Ouram tractu captus erat tria millia aureorum aſſignarentur, ſub cautione tamen, ut repeterentur. Quod ad Merodium Vicarium provinciæ gubernatorem attineret, decernebant Ordines ut ſi in provincia foret, pro more, conſeſſus Novem-viralis caput atque præſes haberetur, deq; ijs, quæ ad bellum pacemque denique ad conſervationem juris publici ſpectarent, cum Novem-viris conſultaret. Hac tamen cautione interpoſita, ut per illius abſentiam conſultandi deliberandique Ordinibus eorumque Delegatis jus foret. Quod ad Senatum juridicum ſpectaret, nam & hoc criminabatur Merodius, quod regundæ provinciæ ſe immiſceret illum facturum & lege receptâ, curaturoſque Ordines ne quid detrimenti. Hæc in Comitio 8. Kalend. Mart. perſcripta. *Decreta Ordinum Friſiæ in comitijs.*

Quæ partim ex æmulatione, quæ ſurgenti reip. quoque innaſcebatur, partim ex ſtudio tuendæ libertatis aut dominationis profecta tenerrimas res fatigavere.

Mox Tranſ-Iſulani per Olthovium & Cornputtium cohortium ductores, qui Steenvicam oppidum egregiâ virtute ac laude defenderant, auxilia, bellicumq; commeatum majores Friſios popoſcêre exemplo Nienortij qui iſto tempore apud Huſingium (pagus Omlandiæ eſt) cum hoſte congreſſus pulveris pyrij inopiâ, ut Franckena notat, evitandæ cladi retroceſſerat. Idem autor tradit Nienortios omnium indigos omnia petijſſe, effuſoſque in omnem militarem luxum & intemperantiam ſævioris belli brumæque aſpera geniali hilaritate emolliſſe. Unde lævior armorum tempeſtas cis ac trans Lavicam exorta, adnitente Rennebergio, ut ægritudinem animi ex deſertâ Steenvicâ contractam fiduciâ

Gro-

cIↄ. Iↄ. LXXXI.

Groninganæ urbis, ſparſis per omnem agrum copijs minueret. Quod incommodum ut Friſijs majoribus, ipſiſque etiam Tranſlavicanis grave erat, ita maxume eos premebat, qui Groningam potentiſsimam urbem ac libertatis ſedem crudis Philippi imperijs, & imprimis defectori Rennebergio ſerviliter parere indignabantur.

Igitur tecto nomine, ſub ſpecie ſollicitandæ ſocietatis ſcriptum quoddam, Londini Anglorum, ut præferebatur, impreſſum ad Groninganos tranſmiſſum, quo jus antiquum, avitæque libertatis gloria cum novæ ſervitutis fœdâ profeſſione conferebatur:

Litteræ hortatiæ ad Groninganos pro excutiendâ tyrannide.

NATVRA rerum ſanctiſſima Parens, Groningani non ſui tantum amorem, ſed & proximi humanis mentibus ingeneravit, & ita quidem, ut ex unius incommodo ac diſcrimine alterius ſæpe periculum exſurgat. Quam naturæ legem confundi perſæpe non exempla tantum veterum temporum, ſed hæ tempeſtates Belgicæ recentibus actis docuerunt. Sive errore humani conſilij, quod ſuâ etiam varietate ex temperamentis corporum dißentit, ſive inſtigatione hoſtium ac culpa. Equidem non credendum eſt illam pravitatem noſtris ingenijs non ſubeſſe, à bono legitimoque fine abduci cum voluptate ſepatiantur. Præſertim cum ea civilium bellorum, quibus cum luctamur, calamitas ſit, ut victis gravis & aſpera, ne victoribus quidem læta ſit, quos ad lenitatem & legitimum proſperitatis humanæ uſum erga victos miſeratio impellit. Igitur ſatius fuiſſet jure potius ac pacto, quam armis egiſſe, parcendo illorum ſanguini, quos legum & ſocietatis communio connectebat. Quod cum vos imprimis concernat, Groningani, cauſam belli & armorum diſſimulare non poteſtis. Neque enim hæc in ſocios atque amicos, in congeneres & legibus connexos ſumpta per errorem reputabitis, aut ut ex unius damno alterius commodum increſcat, ſed odio tyranni & jurati hoſtis, tum amore libertatis, quæ honores, opes, omnemque proſperitatem, ac affluentiam rerum parit. Imprimis cum veſtra libertas tantò ſanctior atque eminentior vobis præ cæteris gentibus fuerit, ut in urbe civitateque veſtra & per Omlandiam, non Principes, ſed Præfectos Protectoreſque agnoverit. Nunc vero præ cæteris nationibus, quas confines aut ſocias habetis, oppreſſa ſpectatur, erecto in urbe veſtrâ regio & quidem validiſſimo caſtello quo externa peregrinaque colluvies, legibus veſtris, corporibus atq; animis pro arbitrio & lubidine ſuâ imperitet. Hanc ut reſtitutam redditamq; noſtris terris habeamus, arma ſumpſimus, non mutuo exitio, aut ut in viſcera noſtra ſanguinemque ſæviremus, ſed in Hiſpanos, qui ſanctiſſimus etiamnum armorum noſtrorum prætextus eſt. Apud nos verò imprimis, quibus inter omnia mortalium & fortunæ bona vitâ carior libertas habetur. Vt tanto nocentiores, haberi poſſint, qui arma, qui conſilia cum tyranno miſcent, ſubvertendis ſocijs, amicis atque concivibus, quorum omne ſtudium in conſervatione legum & libertatis & deſiderio pacis concordiæque conquieſcit. Quæ cum ſine armorum ſubſidio haberi non poſſit, actu ac fraude hoſtium effectum eſt, ut ea in ſuos convertant, diviſoſque & communibus viribus deſtitutos ſingulos opprimant. Cæterum nos ab oppreßoribus legum, à violatoribus fæderum ſacrorumque, à conjugum liberorumq; noſtrorum pollutoribus alienos facit infælicis ſervitij faſtidium, & ne libertas majoribus noſtris pace belloque quæſita tyranno cedat. Quod certe levitate illorum alibi effectum eſt, qui fidem patriæ datam, venalem & enormis potentiæ ſervam miniſtramque fecerunt. Quibuſcum cum vobis nihil commune

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

mune ſit, Groningani, aut ſaltem eſſe debeat, quos excelſa indoles & ſervitij cIↃ. IↃ.
pertæſa commendatos annalibus poſteriſque fecit, tamen hoc tempore veſtrâ pa- LXXXI.
tientiâ & fœdiſſimæ ſervitutis ludibrio gloriam Friſici nominis attaminatis, quod multis abhinc ſæculis, reliquarum gentium invidiâ, ut exterorum Principum imperia ita arma repreſſit. Quæ omnia ut ad animum revocetis, Groningani, hortamur, cogitetiſq; eadem ingenia, eaſdem indoles, eoſdem ſpiritus, eandem virtutem, eadem arma quæ vicinis veſtris eße. Quo magis mirari ad miraculum uſque libet, ita vos à virtute nobiliſſimorum fortiſſimorumque majorum & à veſtrâ deſciviſſe, ut tyrannorum dominationes ac imperia pro juſtis acceptiſq; habeatis, quibuſcum nulla vitæ juriſque communio eſt. Qui autores fuere, ut cum Omlandis inteſtina arma miſceretis, diſceptaretiſque per vim de jure veſtro, quod à peregrino, nec armato, ſed à vobis ipſis, à proceribus veſtris intra Curias veſtras & comitia majorum more petendum fuißet. Cogitate plus damni datum illâ tempeſtate urbi, reipublicæque ac libertati veſtræ fuiſſe, quam ſi totam Omlandiam perdidiſſetis. Reputate multos ex veſtris ad paupertatem mendicitatemque propulſos, conjuges uxoreſque veſtras maritorum ſolatio & conſuetudine viduatas, innocentes liberos & propaginem veſtram æternitatem genti & imperio veſtro daturam parentibus ſuis orbatam, optumos cives civiumque filios prædonum raptorumque contubernio aſcriptos, multum ſanguinis, ut ſub Tyranno eſſetis, profuſum, multum æris cum jacturâ ærarij & fortunarum veſtrarum bello regio impenſum, ne ſpe quidem vobis adhuc facta munitionum in Friſiâ Trans-Iſulaniâque potiundi. Quin ſpectate Neozilanâ munitione ejectum cum ignominia Rennebergium, longèque abeſſe ut majorem Friſiam ſuæ poteſtatis faciat ægerrimè ad defectorem violatoremque fœderis, in quod juraverat, redituram. Econtra ſoli à ſocijs, à vicinis ſejuncti agitis, ſine commercio, ſine ſubſidio tributi & pecuniæ, quam ex Hiſpania petendam invium mare, aut longinquitas loci intercipit, non ſine rerum veſtrarum detrimento & diſpendio, quas aut hoſtilis vis, aut veſtrorum militum inſolentia deprædatur. Qui etſi victores gentium ſe fore opinentur, quas ad Regem ſe reducturos extincta libertate gloriantur, tamen ſcitote urbem veſtram medio Friſiam inter & Trans-Iſulaniam loco poſitam, regiæ dominationis & ſimul veſtræ ſervitutis perenne domicilium fore. Illos ipſos quoque Hiſpanos communi & veſtrâ etiam ope manuque arcibus caſtelliſque, quæ demoliti eſtis, exturbatos, magis magiſque regni ſui in ſecuritatem emunituros, ne eadem arcium excidia, eadem præſidiorum exterminia patiantur, quæ ante pertulere. Ita illis perpetua durioris imperij tutela aut poſſeſſio, vobis perpetuæ ſervitutis urbe in veſtra munimentum erit. Nam ita Italiam, ita Siciliam, ita Indias, loca naturâ & ingenio munita retinent ut erigere ſe nequeant, qui ſemel depreſſi ſunt. Præter hoc urbem veſtram, Groningani, aut omnium rerum penuriâ circumjacentibus hoſtibus veſtris, aut internâ civium veſtrorum ſeditione gravabitis. Quod ſi fiat, facile eveniet, ut vos ipſi qui ſpem vobis auctioris imperij facitis, fato & divinæ providentiæ ordinatione urbem cum dominatione amittatis. Vtramque verò facile retinebitis, ſi cum amicis, cum vicinis veſtris in gratiam redeatis, quorum interceſſione adjudicabuntur aßerenturque vobis, quæ fortunæ & magnis caſibus obnoxia ſunt. Hoc etiam expendite in Friſia & Omlandia non niſi per vos bellum eſſe, habituros pacem, quietem, proſperitatem, ſi æterna amicitia ac fide nobiſcum jungamini. Nunc verò divinæ iræ ſatellites & flagella noſtra auditis hinc, quibus ne belli quidem metus fœlicibus terris foret. Ea propter commonemus ac hortamur, ut auferri

cIↄ. Iↄ. LXXXI. *ferri à patriâ noſtra, à vobis ac urbe veſtra, à finibus noſtris veſtriſque quos contiguos habemus, omne malum curetis, ne divinâ diſpoſitione miſeriam patiamini quam nobis intuliſtis. Equidem is armorum exitus, ea fortunæ viciſſitudo eſſe ſolet, ut pravis ac ad bona ſua obſtinatis ac contumacibus ea rependat quæ meruere. Sed hæc ægræ urbis & levitatis veſtræ ac inconſtantiæ magna indicia ſunt; ut modo harum, modo illarum partium, nec retinere libertatem nec imperia regia poſſitis. Reputate equidem quanto cum gaudio, quantâ cum ovatione, poſt ejectum abductumq; in captivitatem Robleſium urbem veſtram impleveritis, quæ iſto tempore alterum libertatis ſuæ natalem accepiſſe credebatur. Econtra quam peregrino imperio, quod ſervituti veſtræ connexum eſt lædamini hodie, revocatis urbem in veſtram Hiſpanis, qui omnem calamitatem vobis ſuo ingreſſu attulere. Quippe agri vaſtati, abacta pecora veſtra, domus villæque incendia paſſæ, civibus inquiliniſque manus injectæ, & ita quidem ut nihil malis veſtris addi poſſit, niſi remedium. Sed cæcitatis veſtræ, ſed erroris divinæ cæleſteſque cauſæ ſunt, quæ in abdito poſitæ bonæ mentis exſortes vos faciunt. Ita fit ut ex fragili arbitrio omnia agentes mala pro bonis, prava pro rectis intueamini. Quam mentium nubem ut diſpellat Deus precabimur fideliter, ne vos in perpetuam caliginem demerſi continuas tempeſtates, continua bella, aut ſaltem metum habeatis.*

Princeps Aurantius vocatus in Friſiam profectionem procraſtinat.

Invenio in actis poſt dimiſſum Dodonem Larium cohortis ductorem munitionis Aelſumanæ cuſtodiam Utingeranis, ac poſt Rauerdijs Idardijſque demandatam, eoſdemq; Utingeranos, Rauerdios, ac Idardios ſupremæ Curiæ ſupplices factos, æquandæ ſolo munitionis mandatum ſollicitaſſe. Curiam quoque Tiallengo Wickelio Juriſconſulto & Senatori, hac de re cum Præfecto provinciæ Ordinumque Delegatis poteſtatem accepiſſe, totumque negotium, novo metu indies ex vicino hoſte aucto, datâ operâ prolatum. Scipionem quoq; Meckmannum cum Orichio Dojemo Amſtelodamum pro legatis miſſos Aurantium Principem, ibi commorantem ordinandis tam pacis quam belli rebus in Friſiam evocaſſe, ipſumq; Principem, etſi Friſiæ rectorem, varijs curis ſollicitudinibuſque apud Batavos diſtractum, profectionis ſuæ conſilium in tempus diſtuliſſe. Quo tempore Ordines inter generales Friſioſque de provinciarum Senatu rite conſtituendo, de jure Friſico aſſerendo, de ſupplendis copijs, de aſſignandâ Alençonio penſione, de militari diſciplinâ corrigenda, de conſcribendis tribus equitum millibus multa diſceptabantur. Quibus poſtulatis cum gravari ſe Friſij quererentur, ſolenni comitio Leovardiæ indicto miſſis Delphos Leone Bejemo viro nobili, & Jacobo Jacobæo Conſule Bolſuerdiano reſponderunt: Cauſam cunctationis & moræ, quod condicto die Ord. Generalium Legatorumq; conventui intereſſe nequiverint, molem curarum occupationumque comitialium fuiſſe. Velle ſe quidem ſingulis ex provincijs Senatum conſtitui qui gerendis rebus præſit, cæterum ſub cautione, ut numeri ratio habebatur, Friſijque ternos eo in Senatu habeant. Hoc quoq; delegatis ſuis demandaſſe, ut eminentiæ, juriſque Friſici ratio habeatur, provinciæque prærogativa & dignitas, quam Carolo Philippoque per Friſiam rerum potiuntibus conceſſam poſſediſſent, aſſeratur. Quod ad ſupplementa cohortium, intendendamque diſciplinam militarem attine-

ret, velle Friſios, ut iſta fiant colliganturque quanto ocyus & ut militaris licentia ſeveris legibus coërceatur. Propterea nolle, delectum Germanorum equitum, quorum inſolentiam Geldri, Zutphanienſes, Ultrajectini, Tranſ-Iſulani, Drentini & Tubantes experti eſſent, inſtitui; cæterum ut ex unitis provincijs tria equitum milliâ colligantur, tanto minus incommodum factura, quanto magis arctiuſque natali ſolo obligarentur. Interim permittere ut Alençonio ex ærario provinciarum fœderatarum viginti aureorum millia quotannis præſtentur, quam diu fœderatis in provincijs commoraturus ſit, & quam diu illi de conditione aliâ proſpectum fuerit. Extraordinarijs vero tributis, quæ petuntur, ante aſſenſum præbere non poſſe, quam rationes ærarij omnium provinciarum initæ forent. Neque enim alia onera recipi per Friſiam poſſe, quæ menſtruo 24. millium tributo gravata levamentum ad XII. M. accipere debeat, rapinis & vaſtationibus hoſtium ſuorumque militum exhauſta. Hæc Leov. 15. Mart. perſcripta ac Legatis communicata. Quibus difficultatibus etiam hoc accedebat, quod qui mos rerum mortalium, proſperis bellorum adverſa innaſcerentur, foriſque læta, domi ac in ipſis reip. viſceribus exitioſa ſuborirentur. Præterquam enim, quod miles, ſive diſciplinæ neglectu, ſive ſtipendiorum egentiâ in licentiam pronus conſpiceretur, ita legionum tribuni cohortiumq; præfecti progreſſum quoque publicæ proſperitatis morabantur, magnâ ſtipendia facientium infrequentiâ, quos ad ſigna & recenſionem pro more habendam publicæ autoritatis ſolemnitas vocabat. Reliquis malis, quod inter primos ſtatus & in rep. eminentiſſimos exorta, nullus accuſator repertus, aut qui in melius corrigendis temporum vitijs conſuleret, quæ paucos inter ſecretim alita, poſtmodum egreſſa publicum de primatu certamen aperuere. Quare adductâ magnum in diſcrimen rep. ad Gulielmum Aurantium provinciæ rectorem honeſtiſſima Legatio inſtituta, quo militaribus malis & languenti diſciplinæ, tum magnorum æmulationibus diſcordijſque mederetur. Qui auditis Amſtelodami Orichio Dojemo & Jacobo Jacobæus Legatis adſcitiſque in comitatum, ut nobiliſſimus vir Scipio Meckmannus notavit, uxore Loïsâ ac quatuor filiabus cum Gulielmo Naſſovio filio naturali, ſeu ut alij, cum Hohenloo profectionem in Friſiam inſtituit, advectuſque Harlingam, de quâ tanquam maritimâ urbe muniendâ cogitabat, magnâ procerum populique gratulatione exceptus eſt. Franckena in Ephemeride tradit, Novem-viros omnes collegio & Senatus ſede egreſſos Harlingamque ſalutando Principi provectos, omne honoris officijq; genus Provinciæ Gubernatori detuliſſe, Principemque Harlingæ adhuc agentem multa in ſeceſſionem partium eruptura ſalutaribus decretis compoſuiſſe. Igitur & Hohenloius, qui provincialium animos rerum ac fortunæ adverſitate à ſe alienaverat, ad colloquium ſe Principi arbitro obtulit, ſpecioſiſque rationibus infœlicitati ſuæ & ſimul publicæ patrocinatus eſt.

CIↄ Iↄ LXXXI.

Princeps Aurantius partes in Friſiâ ad ſeceſſionem ſpectantes componit.

Hohenloi Oratio ad Friſios.

NEQUE enim, inquiebat, *ſocordiæ meæ*, FRISII, *quid imputare poteſtis, quo minus dextrè pugnaverim, qui Sonoïum, qui Legatos ad vos miſi, indicaviq; quantum periculi ac diſcriminis mihi exercituiq; meo incumberet. Obteſtatione quoq; honeſtiſsimâ uſus ſum, ut*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↃ. IↃ. LXXXI.

niſi pecuniam, belli, ut noſtis, nervum, niſi commeatum mitteretis, contineri militare corpus & turbidas legiones in officio non poſſe. Quorum omnium etſi fideliter vos monuerim, tamen diſcrimini meo & ſimul publico ſubventum non eſt. Igitur militari more & antiquis quoq; Imperatoribus uſurpato mobilem exercitum, & jam ſeditioni furorique proximum dividere ac ſegregare coactus fui, ut locis disjuncti obſequia induerent, quæ conjuncti ſociatique ſuarum virium fiduciâ exuerant.

Nobiles & proprietarij admittuntur ad Friſiæ comitia

Ad quæ cum Friſij reſponderent, pluſque in ipſo fati infœlicitatem, quam neglectum boni ducis officium culparent, Aurantij arbitrio res permiſſa definitaque eſt. Qui frænando ambitus crimine, quod optima libertatis initia & comitiorum ordinem turbabat, legem edixit, ut ordinaria ad comitia conventuſque annuos ex nobilitate & proprietariorum ordine patriæ amantes rerumque periti vocarentur, eligendiſque Deputatis aut Novem-viris Ooſtergoï, Weſtergoï, Sylveſtres, Oppidani bis ſeni nuncuparentur, offerrerenturque Rectori provinciæ, qui delectum haberet, delectoſque in muneris poſſeſſionem mitteret. Hac tamen cautione interpoſitâ, ut propinquitatis conſanguinitatiſq; in quartum, affinitatis in tertium ratio haberetur, removendis conſpirationibus, & ne ſanguinis ſocietatiſque cognatione juncti potentiam acquirerent reip. & libertati gravem. Quæ Principis conſtitutio à Deputatis Novem-viris approbata confirmataque uſq; dum aliter ſolenni comitio ſtatuererur, vim & efficaciam retinuit. Jam enim Aurantius poſtulata quædam Delegatis Ordinum exhibuerat, quæ amovendæ rerum confuſioni, ſtabiliendoq; bono in rep. Ordini perſcripta ſpem emendandi ſtatus publici, paciſque inter diſcordes æmuloſque conciliandæ pollicebantur. Cæterum imperij cupido, optimis florentiſſimiſq; rebus exitio orta Juridicum Ordinumq; Senatum adhuc committebat, poſtquam hic potiundæ, ille retinendæ dominationis deſiderio captus Principis animum non ſine acerbitate fatigaret. Unde utrinque multa odio partium perſcripta, quæ Philippici principatus & imperij primâ ætate in conſuetudinem perducta verſo temporum ſtatu innovanda libertati videbantur.

Quare Aurantius quo finem contentioni imponeret & ne reſp. tenerrimis adhuc infantiæ ſuæ annis & fœlicitate adhuc dubiâ, quæ deſertura regem credebatur, litem diremit, ſpecieque edicti creſcentem indies diſcordiam compoſuit.

Edictum de dirimendâ diſſenſione Iuridicum inter Ordinumq; Senatum.

L*EGATIONE veſtrâ*, FRISII, *menſe præterito ſollicitatus ſum ut in provinciam hanc venirem. Et quanquam excuſari ab hac moleſtiâ potuiſſem, quod Ordinum Belgicæ conventus præſentiæ meæ egeret, tamen amore veſtri commodique publici in provinciam meo regimini & fidei commiſſam adveni, non ſine ſpe an dicam fiduciâ conſilia veſtra in unum idemque conſpiratura. Sed omnia æmulationum diſcordiarumque plena invenio, magno provinciæ veſtro damno, & cum jactura proſperitatis publicæ, cujus curſum & incrementa fatalis ſecundis rebus diſſenſio ſubvertit. Ego verò ut peſtilenti huic malo, remedium præſcriberem, quædam ordinandæ reip. & ſanandæ animorum exacerbationi deſtinatâ conceperam, quæ à vicario meo Bernardo Merodio, provinciali Curiâ & Deputatis Ordinum tamdiu ſervari retineriq; volebam, donec pleniorem emendandæ firmandæque reip. occaſionem nactus eſſem. Equidem ejus animi ſemper fui, ut me publica etiam provinciarum fata ac ne-*

gotia

gotia tractantem ſuſtinentemque veſtris commodis impenderem. Huic fini Præ- CIↃ. IↃ LXXXI.
fecturam provinciæ veſtræ non ſemel abnuendo tandem ſuſcepi, ſivique ut poſt Rennebergij defectionem meæ fideï & imperio committeretur. Et quoniam cæteris quoque provincijs inſerviendum mihi erat, petijſtis, ut ſi ipſe præeſſe rebus veſtris non poſſem, Vicarium vobis darem mitteremque cum autoramento in provinciam, qui meo nomine res veſtras & officium Præfecti expediret. Itaque Bernardum Merodium virum belli paciſque gloriâ, & multa majorum imagine clarum, prudentiæque per ætatem & rerum experientiam eximium ad vos miſi, quo rectius veſtra procederent, quæ privatæ diſſenſiones rectore atque arbitrio deſtitutæ diſtorſerant. Cujus autoritati ne quid decedat, de conſilio tum Curiæ & Deputatorum, Nobilitatiſque & Oppidanorum ſtatutum eſt, ut eundem Merodium pro Vicario meo ex jure conceſſi à me diplomatis habeatis, nevè quid impedimenti injiciatis poteſtati à me conceſſæ. Quin decerno petoque ut eundem tanquam Præſidem Iuſtitiæ & Senatus juridici agnoſcatis, Curiæque ſupremæ jus ſartum tectum curetis, ſalvâ tamen præturarum oppidorumque juriſdictione, tam in criminalibus quam civilibus actionibus judicijſque, ne quid enorme ac recepto ordini adverſum eveniat. Hoc etiam addo determinoque, ut Præſidis Rectoriſque vicarij honor ac autoritas à Deputatis Ordinum præſtetur, & ut habeat poteſtatem in commune de belli paciſque negotijs conſultandi, deliberandi, decernendique quod è re provinciæ ſit. Quare & fœdus Vltrajectinum, omniaque Ordines inter generales Friſioſque acta, ab illo approbari volo, & ſi quid impoſterum ſanciendum decernendumque erit, quod regis Dominia, Eccleſiaſtica bona, fiſcales actiones, Canones, indictiones, reliquaque onera & ærarij firmamenta in ſubſidium belli reperta concernet. Quæ ipſa quoque ut in ærarium prompte ſtatoque tempore inferantur Vicarius meus, & Deputati provinciæ effectum dabunt, & ne pecuniæ certis uſibus decretæ in alios convertantur. Quod ut fiat, Tribunis ærarij quæſtoribuſq; demandatur ut accepti expenſique rationes actaque in indicem referant, eaque coram Delegatis Ordinum quovis tempore, aut ipſis Ordinibus ſolemni anniverſarioque comitio exhibeant. Fiſcalibus verò actionibus inſtituendis adverſum eos, qui contra patriam, aut cum hoſtibus faciunt, poteſtatem faciendam procuratori fiſci à Deputatis Ordinum cenſeo, ut coram ſupremo Senatu ijs judicium intentet, edictorumq; & juris ſubſidio utatur. Quod ad aggeres, vias, aquæductus & emiſſaria attinet, iſta omnia veteri ex jure & receptâ conſuetudine Præfectus Deputatique adminiſtrabunt, aut ſi inter oppidanos agrarioſque lis oriatur, eam Senatus Iuridicus ſub formâ proceſſus definiet. Religionis verò diſſidia, meæ & Ordinum juxtaque Senatus Iuridici curæ erunt, ſub hac interea cautione, ne quæ alia doctrina quam reformata publicè habeatur, doceaturque. Creandorum quoque Prætorum morem legitimum proximo comitio reſtituam, factâ interim provincialibus agrarijſque poteſtate ut ſi, vacans prætura ſit tres patriæ & libertati addictos nuncupent, eoſque Præfecto provinciæ, aut per illius abſentiam vicario eius offerant, deque conſilio Curiæ, aut Deputatorum in præturæ poſſeſſionem dignitatemque mittant. Et quamvis tota gerendi belli militiæque ratio nobis commiſſa, aut Vicario noſtro ſit, tamen concordiæ paciſque causâ decerno, neque apparatum caſtrorum haberi, neque copias educi, neque oppida obſideri, neque præſidia locorum mutari, neque delectum inſtitui, neque aliunde in Friſiam evocari debere, niſi Ordinum Deputatorumque aſſenſus acceſſerit, pluriumque ſuffragijs firmetur. Quod ad exploratores mittendos, ordinandaque ſecreta conſilia, ſtrate-

cIↄ. Iↄ. LXXXI.

*gemataque attinet, ea mihi aut Vicario meo expedienda reſervo ex arcani ſi-
lentij neceſſitate, & ne ſecreta pluribus commiſſa per imprudentiam aut mali-
tiem evulgentur. Hac tamen conditione, ut ſi rerum magnitudo requirat exi-
gatque, communicetur paucioribus, quorum fide & ſilentio committi poſſit. Vi-
cario inſuper meo Bernardo Merodio poteſtatem facio, centuriones, optioneſque
creandi eligendique, niſi forte Deputati inquilinos alioſque militari laude ex-
cellentes commendatos ſibi habeant, qui præferentur. Quibus omnibus quoque
ſinguliſque, tam officialibus quam militi promptè ſtipendia numerari peto, & ut
formula diſciplinæ militaris per Friſiam promulgata à Vicario meo confirmetur,
eademque actis commiſsâ ſeverè noxios delinquenteſque puniat. Quod ipſum
tanto quoque facilius commodiuſque effectum daturus erit, ſi ſtipendiorum mili-
tarium ſolutio fiat, ne æris egeſtate & penuriâ rapinarum dulcedo aut neceſſi-
tas oriatur. Et quoniam plura adhuc determinanda ad emendationem correctio-
nemque ſtatus publici forent, idque fieri hoc ipſo tempore anguſtia non ſinat,
leges ſcriptas ac decreta paucos intra dies ſtatuturus ſum, quibus Vicarius Gu-
bernator, Curia & Deputati Tribunique ærariorum pareant. Hoc interim
decerno, ut huic Edicto ſine exceptione ſexus ordiniſque ſtetur, mandoq; Officia-
libus, Magiſtratibus, Inquiliniſque Friſiæ, ut ſecundum eius tenorem facta ſua
conſiliaque dirigant. Quod ipſum quoque, ut fidem publicam inveniat, per
præturas oppidaque à provinciali ſupremâque Curia, à Deputatis Ordinum No-
vem-viriſque volo, & ut in acta juridici Senatus quanto ocyus referantur. In-
terim rogo moneoque ut omnes ſinguli que ſacramenti officijque ſui memores, quo
patriæ provinciæque obligantur, omnes noxios affectus deponant, pacique ac con-
cordiæ dediti offenſas odiaque exuant, ne recordatione quidem iſtarum tempe-
ſtatum actionumque relictâ, quo huic provinciæ pax, ſalus, atque tranquillitas
æterna ſtabiliſq; habeatur.* Datum Harlingæ VII. April. cIↄ. Iↄ. LXXXI.

Tamen ægrè componitur.

Quæ etſi ſedandis diſſenſionibus ac tollendæ minuendæve æmulatio-
ni reperta crederentur, tamen non defuere, qui veteres potentum diſ-
cordias ſurdaque ad remedium vulnera refricarent. Quare Aurantius,
Leovardiæ adhuc agens, (quam urbem magnâ feſtivitatis gaudijque
oſtentatione XV. April. ingreſſus erat) poſtulata Deputatorum jam
antè Harlingæ perſcripta Senatui juridico communicavit, quo om-
ne controverſum intermediâ pace & arbitratu ſuo componeretur. Cæ-
terum Senatus juridicus ordinariam legitimamque in Comitio creatio-
nem, optumum erga Religionem & Rempub. affectum criminatio-
nibus Novem-viralis Collegij obtendebat, paratumque ſe fore in omni
actione conſilioque publico optima ſuadentibus accedere. Neque enim
cum regiâ tyrannide ſuum imperium, quod Deputati allegabant, aliquid
commune habere, teſtabantur, ſeque voto juvaturos remp. ut regiæ
dominationis aſperitas ab eâ arceatur. Quod ad mutationem Curiæ in
deterius attinebat, reſpondebant, nihil quidem ſtabile ac æternum in
rebus mortalium eſſe, cæterum ſi cum annuis Deputatorum Novem-vi-
rorumque imperijs perpetuitas Senatoriæ dignitatis conferatur, minus ab
illa periculum fore. Id exemplis recentium annorum abundè doceri poſ-
ſe. Quare nihil ſanctius meliuſque concipi ad utilitatem reip. poſſe,
quam ſi indiviſa collegiorum poteſtas ſit, publicaq; & communia con-
ſilia à Senatu juridico ſervandis in ordine rebus conferantur. Adeo in-
quie-

quiebant, impoſſibile eſſe, ut à juris dicundi officio reip. cura ſecerni cIↄ. Iↄ.
queat, niſi cum detrimento rerum & confuſionis extremæ periculo. LXXXI.
Quapropter Prætorum per Friſiam conſtitutionem adimi Curiæ non poſſe, quæ jus ad hoc quæſitum haberet, & quod prætorum poteſtas exequendis Curiæ ſententijs vicaria ſit. Itaque petebant Princeps bono ſalubrique conſilio inſtruere Deputatos Novem-viroſq; vellet, quo creatio Prætorum & diplomatum conceſſio pro more & lege Senatui continuetur. Imprimis cum optumos quoq; & patriæ fidos creari in Prætores Curia velit, cui nihil aliud propoſitum ſit, quam divino honori & ſaluti publicæ officia ſua impendere. Econtra Deputati vim inferri tabulis mandatorum ſuorum affirmabant, curamque regundæ reip. à proceribus populoque Friſico ſibi commiſſam decreto Principis & interpoſitione novæ legis infirmari. Quæ quanquam veri ſpeciem præ ſe ferrent, tamen hac moderatione Princeps uſus eſt, ut tabulas mandataque Deputatorum firma ſartaque eſſe declararet, uſque dum populi comitium Principis & Præfecti conſilio roboratum plenius de rep. & toto negotio diſpoſuiſſet. Hæc Leovard. XIV. April. perſcripta.

Durevotius adverſus Patriam conſpirans ab ipſo hoſte deſeritur.

Reperio in actis horum temporum Petrum Everardum Durevoutium Rinſmageeſtanum jam ante Oeniæ Witſmæ Prætoris Dantumani præſcripto conſilioque inſtructum, colligendis per Friſiam vicinaque duobus militum ſignis mandatum à Rennebergio accepiſſe, eundemque agendis rebus pecuniam reliquaq; ſubſidia petentem, quo miniſtros verbi, prætores actuarioſque in vincula ducere, aut mulctare damnis incommodiſque poſſet, à Rennebergio poſt Steenvicanam obſidionem deſertam ægritudine animi tabeſcente, ne nervum quidem fœdiſſimæ conjurationis impetrare potuiſſe.

Siboldus Ayſma iſtorum perduellium adverſus Friſiam indicem conquirit.

Douwoni quoque Sixmæ, qui fiſcalium bonorum capiendorum diſtrahendorum juxta Fiſci advocatum poteſtatem nactus erat, Siboldum Ayſmam ſuffectum mobilium immobiliumque bonorum actionumq; fiſcalium, eorumque qui arma auxiliaque contra patriam ſollicitaverant, indicem ac commentarios accepiſſe. Deputatorum quoque ac Novemvirali collegio Sibethum Sceltemam & Doconem Ayſmam, ex Ooſtergois; Ielgerum Feitſmam ac Geroldum Intenium è Weſtergois; Auconem Edonium & Abelum Franckenam è Sylveſtribus Douwonem, Sixmam & Ioannem Montſmam aſcriptos plenam adminiſtrandæ regundæque provinciæ poteſtatem menſe Februario accepiſſe. Livium quoque Juckamam, Giſbertum Arnſmam & Georgium Godefridi in Juridicum Senatum Ordinemque cooptatos judicandi auſpicia feciſſe.

Tota belli tempeſtas in Friſiam ſe deflectit.

Quæ quamvis in ſpem ordinandæ firmandæque reip. fierent, tamen eveniebat ut tota belli tempeſtas, velut circumagente malo ſidere à Drentinis Tubantibuſque in Friſiam ſe deflecteret, inſigni, ut mihi videtur, providentiæ miraculo, ut tenerrima adhuc libertas domeſticâ potentûm æmulatione ipſis infantiæ ſuæ annis luxurians, hærentium in provinciæ viſceribus armorum hoſtiumq; vi cohiberetur. Ipſe etiam Rennebergius oppugnando, etſi infœliciter, provinciam, quam odio regis defenderat, majore animi ex fortunâ ægrotantis morbo corriperetur, diſceretq; per eos adverſis auſpicijs res ut plurimum geri, qui fœdera violaviſſent.

Quo tempore mole belli provinciæ gravi, novo quodam & majoribus

cIↃ. IↃ. LXXXI. *Venalium rerum indictiones publicanis ſubjectæ.* bus noſtris infrequente remedio impulſis ærarij rebus ſubventum, vulgatis publicatiſque venalium rerum indictionibus, quas in ſuperiora Belgicæ & fœderatæ reip. populum primo extruſas, Friſij quoque ac conſortione publici fœderis acceperant. Quare VI. Eid. Mai (ut in Ephemeride Cl. Franckena notat) in comitio proclamatæ ſequentibusq; diebus per præturas & oppida in uſum perductæ locarijs publicanorum ſubfuere.

Quæ priſcis olim gentibus vectigalium nomine ut firmamenta imperij uſurpatæ, ita tum experiundo comprobarunt, recens inventum etſi libertati grave videretur, ut regundis domi rebus magnum præſidium ita munimentum adverſum hoſtes attuliſſe. Unde ſtatus quoque ærarij, quod à Saxonicâ uſque dominatione canone cenſuque ſuſtinebatur, penitius quoq; introſpectus, urgente Bernardo Merodio, ut ex comitiali decreto Quæſtores Tribunique ærarij rationes ad publicas conſtringerentur. Quod quanquam difficile iſtâ temporum ætate non eſſet, quæ virtutem & innocentiam regio metu, aut quia malæ artes ignorabantur prodebat, tamen credebatur Merodius, revocato in Hollandiam Aurantio, hæc & ſimilia efferendæ dominationi, aut in odium popularis licentiæ reſuſcitaſſe. Quibus & hoc accedebat, quod recente Aurantij præſentiâ & famâ ſuffultus modum imperij intenderet, & poſt exteros militiæ honoribus intruſos ipſa quoque procerum reip. ſuffragia ſuo arbitrio infirmaret. *Iudicium multorum de hac re.* Criminantibus in ſecreto ſuo Ordinibus Aurantium ſolertis ne dicam an ſtupendæ prudentiæ Principem iſtum virum gubernandis Friſijs præfeciſſe, qui natalium modicus & pacis belliq; artium ignarus, nihil præter ſenilem ignaviam & impatiens militiæ corpus inutili Præfecturæ præferret. Qui in otio ac ſecuritate rerum imbelles annos & ſuperbam canitiem alens aulicos inter de bello diſſereret, exiguumque quod haberet poteſtatis in dominatum verteret priorum temporum Præfectis non uſurpatum. Neque enim eum Egmondanis, Lignæis, Hyergijs ac Lalainijs accenſendum, quos præter familiæ decus militaris gloria ad majora hæreditarijs imperia extuliſſet. E contra hunc nominis obſcuri diſſitis terris evocatum Effætâ ac degeneri ætate ne veſtigia quidem fortium clarorumque Ducum noſſe, quæ ſequeretur, neque ſatis capere, quibus moribus artibuſque nova & tanto gratior libertas habenda ſit. Quæ tum repetita & vulgaribus ſermonibus familiaria homini ignavo & quidem in illo rerum diſcrimine reip. incurioſo, contemptum peperere.

Renneber-gius Friſiæ minatur. Jam enim Rennebergius per Omlandiam, circaque Lavicæ & amnis, qui majoribus Friſijs obtenditur, Reiderij ripas, copias contrahebat, diſtributiſque per præſidia munitionum ſignis majoribus Friſijs imminebat. Quorum ſecuritati Nienortius fœderatas quaſdam cohortes per Omlandiam ac Tranſlavicanos ductitabat, quo de hoſtium conſilio, cæptiſq; cognoſceret. Quem ut Rennebergici lambentibus Omlandiam æſtuarijs ipſoque mari prohiberent, amni Reiderio, qui declivi prope mare alveo fertur, munitionem imponere conſtituerunt, quo belli fortunâ per continentem ancipite Oceani ſaltem prædonumq; per ſinus maris errantium pericula anteverterent. Cæterum à Nienortio, ejus rei commonito, multis cæſis captiſq; in fugam acti, cœnobio Adoardico amiſſis etiam ſignis ſe intulere.

Franc-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Franckena tradit ingentis juſtique certaminis ſpeciem illum conflictum habuiſſe, quadringentiſq; ut notat, Geldris deletis, qui pro Philippo militabant, reliquos urbem verſus & Adoardiam abreptos majoris cladis periculum evaſiſſe. Mox Nienortius, Winſumo, Marniorum vicus eſt, movens in Adoardios duxit, qui duarum Geldricarum cohortium præſidio defenſi, Rennebergium de auxilijs commonuere, & ut quanto ocyus militem per vicina collectum admovendo præſentium diſcrimini decerneret. Qui etſi animi æger, rejectâ in ſuos belli curâ, tamen contractas in unum copias Adoardiam ire Nienortiumque ut loco pellerent imperavit, qui modico vallo copijs ſuis prædučto, quo adventantes Rennebergicos Reiderij amnis ripâ arceret, pedeſtres quaſdam copias emiſerat. Cæterum iſtæ, viſo hoſtium adventu, mox terrore pavidos imbelleſque ſubeunte retro in caſtra ſe recepere, quæ ut Franckena tradit, ultro metus & formidinis plena ſuis ex retroactis, majore diſcrimine augebantur. Nienortius tamen velut pugnaturus ordines inſtruxit, plebemq; ruſticam è majoribus Friſijs accitam militaribus cuneis immiſcuit. In quam cum Rennebergici juſto agmine ordinato impetum facerent, dubium caſu an per exploratorem, tota rei fortuna inverſa eſt, plebſque ruſtica ſuperatis ſaltu foſſis in fugam data, aut quæ reſtiterat cœſa animoſi alias exercitus latera nudavit. Stuperus cohortis ductor deſerto quem occupaverat loco ab hoſte cum ſuis interceptus eſt. Igitur in Nienortium omnis tum hoſtium impetus furorque converſus, qui ſenſim recedens ſtrennuique militis & ſimul ductoris officium faciens, nullâ inſigni clade affectum exercitum reduxit. E Friſijs centum & quinquaginta, ut commentarijs noſtrorum traditum invenio, cœſi è Nienortijs pauci deſiderati. Id. x. Kal. Jun. factum Franckenæ Ephemerides tradunt.

cIↃ. IↃ. LXXXI.

Nienortij clades.

Alij ſcriptores addunt, multos ex Nienortijs fugientes Adoardico emiſſario receptos fuiſſe victoreſque Rennebergicos inſecutos ipſum emiſſarium ter repetitâ oppugnatione deleto ad internecionem præſidio occupaſſe. Tres cædi ſuperfuiſſe annotatum ab ijs, Sceltonemque Jargæum centurionem, virum fortem & multis ſtipendijs rebuſq; geſtis clarum, iſto in conflictu occubuiſſe. Franckena VII. Eid. Jun. id eveniſſe annotavit, deprehenſumque mihi eſt fati viciſſitudine actum in finibus Friſiorum & per Omlandiam bellum fœlicibus proſperis adverſa ſæpe manifeſto humanarum rerum ludibrio miſcuiſſe. Sive ut illas per tempeſtates arborum more tenerrima adhuc libertas firmaretur, ſive ne ſecuritatis opinioni locus foret & quidem apud eos, qui fœlicitate projectæ regiæ ſervitutis elati fiduciam ſui continuâ ex proſperitate captaturi credebantur.

Mox hoſtium copiæ Joanne Baptiſta Taxio duce, qui abſentis & hecticâ ex febri ægreſcentis Rennebergij partes ſuſtinebat, Winſumum ductæ, qui vicus Huneſi amnis flexu & modicâ munitione circumductus, omnium rerum & maxume annonâ commeatuq; deſtituebatur. Creditum fuit noſtros, qui de ſucceſſu Adoardicæ expeditionis non dubitantes Winſumo exceſſerant, commeatum iſtius loci ære vendidiſſe, æſq; ex divendita diſtractaque annonâ contractum in ſtipendia ſeditioſæ multitudinis & infidelis præſidij vertiſſe. Alij cauſam in Bernardi Merodij ſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↃ. IↃ. LXXXI.

Vinſumum hoſtî deditur.

nilem incuriam aut cunctabunda Ordinum Friſiæ conſilia rejecere, quæ tardè capta etiam cum maxumè feſtinandum foret, naſcentem remp. grave crebrò in diſcrimen pertraxere. Ita Winſumum, nullâ oppugnatione aut impetu hoſtili tentatum à Nienortio Rennebergicis deditum, certæ conditiones ea de re perſcriptæ conventionem firmavere. Iis cautum fuit. Ut Niennortius cohortium præfecti milites, cum ægris & fœminis reliquoq; imbelli ſexu munitione armati excederent, inque Friſiam aliaque loca quibus commodum foret deducerentur. Captivique apud Winſumanos Warfumanoſque nullo lytro dato liberarentur, & quidem ipſo conventionis die, exempto Cornelio Kempio, qui præfecti cohortis Matthiæ Keertzi curæ committeretur. Quæ Winſumi VI. Eid. Jun. acta Winſumanam munitionem Baptiſtæ Taxio Billianæ legionis pro-Præfecto permiſere.

Quare fœderatis præſidijs omni Omlandiâ & maritimâ imprimis orâ ejectis, Nienortius rebus ſuis diffiſus, copias in Friſiam reduxit, quæ metu hoſtilium incurſionum diſparſum quaque verſum militem recollegit, ſocioſq; ac Gulielmum Aurantium auxilia popoſcit.

Breda hoſti prodita.

Qui amiſsâ Omlandiâ magna rerum detrimenta & fati indignationem criminabantur, & quod dubijs rumoribus obnuntiaretur Carolum Gaurium Freſinium in arce Bredanâ captivum limitaneam Brabantiæ urbem & Hollandiæ conterminam corrupto præſidio prodidiſſe. Quæ quanquam de urbe dicerentur, ita arcis victæ expugnatæque ab hoſtibus ſtabilem famam vulgavere, quæ Friſiorum quoque auribus acerba gentem bello implicitam majoribus curis exagitavit. Cui & hoc mali accedebat, quod exercitus ex Tranſlavicanis in Friſiorum fines retractus importunius ſtipendia flagitaret, pridemque perſoluta, ut Franckena notat, majore infamiâ repeteret. Ad quæ cum conniverent Friſij, quod provinciam ſuam licentioſo & perfuſo voluptatibus milite teneri ſcirent, ita murmurantibus legionibus IV. Kal. Iul. æs penſitatum, ne negato vitæ ſubſidio ferocius laſciverent, gravioribuſque inſuper exactionibus agrariorum fortunas attererent.

Quare Nienortio copias in Friſiam retrahente, magna per Oſtergoam imprimis conſternatio fuit, quod prima hoſtium, qui Nienortium inſecuturi credebantur, irruptionibus expoſita reliquarum Friſiæ partium minus diſcrimen expenderet. Unde Merodij delegatorumque Friſiæ de emuniendo Doccomio cogitatum, quod oppidum Robleſio Friſiam pro Philippo Gubernante à Valonibus non ſine cæde incenſum direptumque eadem hoſtilium furorum incommoda præformidabat. Cæterum fugâ ruſticæ plebis aucto metu ab opere deſitum, donec educto Rinſmageeſtum & mox Collumum exercitu allevatâ formidine intermiſſa ad officia fabrorum foſſorumque multitudo rediret. Cl. Franckena tradit, tantam laborantium æmulationem in promovendâ accelerandaque oppidi munitione fuiſſe, ut à decimo Julij cæptam magnâ alacritate & induſtriâ ad Kal. Octob. confecerint. Curam quoque ordinandorum conficiendorumq; operum per Merodium Legatoſque Ordinum Magiſtratui Doccumano commiſſam, qui publicum Ooſtergoæ munimentum curando privatæ quoque civium & ſuæ ſecuritati non ignobile ſtudium impendebat.

Doccomium educto vallo munitur.

Mox

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Mox auxilia à ſocijs, Aurantioque decreta, remiſſuſque in Friſiam cum Anglorum legione Joannes Norritius, quaſi fato quodam, ut liberandis nuper Steenvicanis vocatus, Friſiâ quoque pellendis Rennebergicis deſtinaretur. Igitur Lemmariam advectus, magnam melioris fortunæ ſpem per provinciam excitavit, quæ alternantibus proſperis adverſiſque ſui in defenſionem Anglicam Nienortijque legiones tum ſuſtinebat. Plane ut belli ſedem Friſiorum in finibus conſtituiſſe fati viciſſitudo videretur, quæ ut alijs incommodis, ita exhauſtam bello & aquarum diluvijs gentem militari maxumè laſciviâ multabat. Quippe præter pecorum abactus vis atque rapina utraque in legione ingraveſcebat, ignorantibus Dongrijs ſuorum an hoſtium injurijs premerentur. Unde decretum à Norritio, ne per Anglos & legionis ſuæ militem pecora exportarentur quæ alio terrarum transvecta fertiliſſimos paſcuis campos nudabant.

cIↄ. Iↄ. LXXXI. *Norritius auxilio Friſijs mittitur.*

Franckena tradit villas quoque direptas paſſim & incenſas, præterq; vim matronarum virginumque caſtitati illatam, omnia ſacra & profana violentiæ militari ſubfuiſſe. Idem addit Norritium legionis Anglicæ, ut memoravi, tribunum, ſumptuoſum epulum Leovardiæ III. Kalend. Jul. inſtruxiſſe, ipſumque Merodium tum Legatos Ordinum & Curiæ Senatores diem illum geniali feſtivitate & profuturis reip. colloquijs extraxiſſe. Unde querelis ruſticæ per Dongrios plebis auctis, cum hinc Anglorum legio, inde Nienortius in omnem inſolentiam effunderentur, Merodius legatique Ordinum feſtino itinere Kal. Jul. Doccomium profecti, quo naſcentibus legionum morbis mederentur, Dongrioſq; extremam militaris immodeſtiæ patientiam profeſſos ab illâ calamitate injuriâque militum ſublevarent. Quod cum enervi diſciplinâ, quæ caſtrenſibus moribus vitijſque vincebatur, ægre fieret, animique feroces & peſſimis aſſueti nec Merodij autoritate, nec legatorum provinciæ majeſtate deterrerentur, ſolâ pecuniæ æriſque pollicitatione, tanquam enormis luxuriæ fomento, evicti ſunt. Quanquam Cl. Franckena tradat etiam ſponſione ſtipendijs factâ necdum quieviſſe, auctamque villarum direptionem, militaremque ferociam ſoli caſtrorum otio imputatum. Ego crediderim aliam quoque militari licentiæ cauſam ſubfuiſſe, quod indictionibus per provinciam vulgatis, obligari quoque tenerique militem & exercitum publicanorum avaritia vellet homineſque parvo ære animam redimentes ijſdem tributorum oneribus obſtringi. Quæ res ſi non initium ſaltem fomentum caſtrenſibus malis incommodiſque dedit. Quapropter à Merodio Gubernatore Ordinumque legatis decretum. Ne milites, lixæ, calones & quicquid caſtrorum commeatui annonæque ſerviret, iſtâ lege gravarentur & ut illi immunitatis exemptioniſque privilegio gauderent, qui ſacramento militiæ inligati corpora atque vitam publico diſcrimini objectarent. Unde ferox miles & prædandis agrariorum fortunis inhians remiſſiore licentiâ egit, deprehenſis tamen qui etiam iſtâ indulgentiâ procerum abuſi & mox irritati majorem licentiam ſpirarent.

Militaris inſolentia.

Quare Merodij Legatorumque juſſu exercitus Dongriæ è finibus Rinſmageeſtum ductus, quo hoſti propior, qui circa Lavicam caſtra metabatur, periculi diſcriminiſque metu corrigeretur. Mox octo dierum

cIɔ. Iɔ. LXXXI.

ſtipendia Nienortio numerata, conventumque ut accepto ære Dongriâ quanto ocyus excederet, Merodijque qui Doccomi tum erat, imperio obſecutus copias Collumo induceret. Quod quanquam raptis celeriter ſignis ſimularet, tamen exercitum, motis vix caſtris in Dongrios reduxit, militemque ultro mobilem & flagitioſum ſuo exemplo & parendi dedignatione corrupit.

Cæterum poſitis Collumi Anglorum & Norritij caſtris, cum prope Groningam (quâ in civitate magna annonæ caritas tum erat) equitatus hoſtium faciendæ in Friſios irruptioni coïre diceretur, Dongriâ exceſſit, ſuumque exercitum Anglicis copijs pellendis Friſiâ hoſtibus conjunxit, qui tranſcenſo amne Lavica Visfleto ac Virginum cœnobio ſua jam præſidia induxerant.

Hoſtes Viſfletum deſerere coguntur.

Quo cognito Norritius eductâ copiarum parte cum hoſte congreſſus eſt, eumque Visfletum in ripâ Lavicæ ſitum & cœnobium Virginum deſerere compulit. Multis hoſtium cæſis ac quadraginta captis Norritius Collumum reverſus. Mox copijs auctus cedentemque trans Lavicam hoſtem Grypskerckam uſque inſecutus eſt, quo in pago, velut ſparſas priduana clade & fuga copias recollecturus morabatur. Qui Norritio multitudine militum impar, & ob recentem cædis memoriam languens paveņſque abjectis armis nullo ordine profugit, Norritioque inſequenti ferienda more pecorum terga dedit.

Hoſtium inſignis clades.

Cl. Franckena octingentos cæſos, ſigna ſeptem, tria tormenta capta memorat, multoſque & in ijs duos centuriones, tres vexilliferos in captivitatem abductos tradit. Meteranus ſeptingentos hoſtium, alius ſcriptor mille & quingentos ibi perijſſe notat, Norritioque victori ſarcinas inſuper impedimentaq; hoſtilium caſtrorum in prædam ceſſiſſe. Addit A. Franckena Norritij equites Groningam uſque provectos, plurimos illuc fugientium cæcidiſſe, occupatâque Adoardiâ & Cœnobio Selverdico ipſam velut urbem Groningam rudibus caſtris clauſiſſe. Reperio in actis publicis Norritium è prædicto cœnobio litteras ad Friſios dediſſe, ſtipendiaque bimeſtria pro ſe & equitatu poſtulaſſe, ac ut iſta Gulielmo Barckero Theſaurario ſuo placandis copijs & victoriæ præmium traderentur. Litteras è caſtris ad Groningam datas ſcribit. Angli victores Omlandiam Drentiæq; partem ita depopulati ſunt, ut plurimæ familiæ majoris mali metu & amiſſis bonis agris atque poſſeſſionibus ſuis exceſſerint. Conflictum illum de quo dixi ad Grypſkerckam VII. Eid. Iul. habitum fuiſſe Franckena notat. Invenio in archivis provinciæ Ordines Belgicæ Kal. Iul. decretum perſcripſiſſe. Ut de Eccleſiaſticis per omnes provincias bonis ſtatuendi ſingularum Ordinibus jus foret, additâ cautelâ, ut in eorum diſpenſatione, uſu ac alienatione honeſtatis quam maxime ratio haberetur.

Provinciarum Ordinibus permittitur jus ſtatuendi de Eccleſiaſticis bonis.

Adonem quoq; Harckamam Ordinum Friſiæ nomine Bolſuerdiam miſſum, quo de cœnobij S. Spiritus monialibus reliquorumque religioſorum moribus vitâque cognoſceret, probiſſimos quoſq; civium ætate, aut prudentiâ venerabiles ad danda veritati teſtimonia in opprobrium dedecuſque corruptiſſimi ordinis examinaſſe. Catharinam quoque Cyprianam è monialibus primam virginali cœnobio locoq; ejectam, quod Pontificiâ religione damnatâ & audiendis reformatorum concionibus frequens, mores quoq; peſſimi & omni vitio ac turpitudine attaminati cœtus averſaretur. Itaque tunc cœnobio-

cIͻ. Iͻ. LXXXI.

Præſulum, cœnobitarum ac monialium libidines.

biorum Bolſuerdienſium vicinorumque luxus, & fœdiſſimæ libidines vulgatæ, confeſſione etiam ipſarum quæ formæ decus ac venuſtatem nactæ præſulum cœnobitarumque amoribus ac deſiderijs exponebantur. Addit Harckama virginem quandam Magdalenam formæ eximiam, in ipſo ætatis flore circumventam ac mox compreſſam concepiſſe, uteroq; geſtantem, & profiteri promiſcuos virginum concubitus coram & in ſecreto loci vetitam locum illum tanquam ſacrum execrandumq; proclamaſſe. Tres quoque Præſules Aengiummanum Præpoſitum & Ordinis Albatorum, iſtiuſque cœnobij Bolſuerdienſis cottidianis compotationibus ætatem egiſſe, omniſque impuritatis ac temulentiæ liberrimâ profeſſione ne veſtigia quidem priſcæ debitæque ſanctitatis oſtentaſſe.

Varckana cohors exautorata propter militarem inſolentiam.

Compoſitâ militari ſeditione Varckanæ cohortis miles qui commilitonum animos accendendo caſtrenſi inſolentiæ occaſionem dederat, decreto Aurantij exauctorata provectaque Fletam, Leovardiæ ſuburbium eſt, flagitanſque importunius ſtipendia Friſicis terris excedere juſſa. Reliquæ copiæ, quarum rationibus conficiendis Ordines Merodiuſque Gubernator occupabantur, per Omlandiam & Tranſlavicanos ſparſæ, priſtinam obſequij fidem induerant, ne hoſtibus expoſitæ inter illa caſtrorum mala ac ſacramenti ludibria ſolutæ & diſcriminum improvidæ, poſtquam pugnandum videretur, armorum neglectu turpi & flagitioſâ morte perirent. Jam enim Norritius Northormi caſtra, ad quæ præter Anglorum legionem & Nienortij copias Hollandicæ Geldricæque cohortes convenerant, metatus dicebatur, Friſioſque commeatum reliquaque bello neceſſaria popoſcerat premendis ut præ ſe ferebat, Groningenſibus, quos ſummâ rerum anguſtia teneri non inanium rumorum fide confirmabatur. Quorum urbi ac ruri ſuburbano majora ut damna daret Northormo caſtra Adoardiam movit, miſſoque ad urbem exploratore qui cuncta ſpecularetur, ſternendo amni Reiderio pontem deſtinavit. Igitur Adoardiæ agens Legatos Ordinum quo de ſingulis cogoſcerent, per litteras in caſtra evocavit, monuitque Neozilum tanquam limitaneum & expoſitum hoſti locum, quanto ocyus emunirent, commeatuque ac annonâ ſubjuvarent. Cæterum omnia, ſicuti ſolent, deliberatu facilia, exitu tarda deprehendebantur, ſive ingenio gentis, quæ fiducia ſuorum virtutis ferebatur; ſive quod conficiendis rebus provinciæ ærarium non reſponderet. Cui ſublevando omnes publicæ pecuniæ conquiſitæ, delegatique Orichius Dojemus Friſiorum Syndicus & Abelus Franckena Novem-vir & Hiſtoriæ ſcriptor, qui ab Heronis Burmaniæ Theſaurarij viduâ Emckiâ Glinzia omne æs redimendis civitatum creditis collectum repoſcerent. Cæterum vidua ſuorum conſilijs uſa, etſi primo abnueret, tamen cautione à delegatis acceptâ omnem ærarij pecuniam delegatis conceſſit, reſiduumque præturarum & agri Biltani, quod debebatur, per acta rationum expoſuit. Ita debitum, quod exſolvendis nuper Valonibus contractum erat, civitatibuſque perſolvendum reſtabat, neceſſitati bellicæ impenſum, quod è Friſiâ in Omlandiam velut reciprocante quodam æſtu tranſlatum, ne in Friſios, quaſi ſyderum flexu ſe transferret formidine recentis mali exuentibus ſecuritatem metuebatur. Unde aurigæ, equi, currus vehendis caſtrorum commeatibus impedimentiſque Friſios

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIɔ. Iɔ. LXXXI.

petiti, ægrè affecto animi Norritio quod omnis belli fortuna & ſalubre conſilium cunctatione & morâ Ordinum ac defectu rerum retardarentur. Quare Novem-viros litteris per nobilem quendam perlatis, commonuit, ut præter aurigas in uſum caſtrorum foſſores inſuper è Friſiâ mitterent, ne neceſſarijs belli ſubſidijs deſtitutus caſtra movere, alioque locorum transferre exercitum in commodo reip. cogeretur. Ne, inquiebat, cum ignominiâ & contemptu hic hærendo operam perdam, qui alibi res gerendo majori gloriæ & progreſſui rerum me & exercitum impenſurus ſum. Quod ſcriptum eo magis Friſios urebat, quod nudari exercitu provinciæ fines non vellent, & quod Tranſ-Iſulani Goræ Tubantum munitioni circumventæ tacitè auxilia miſſis quaquaverſum litteris ſollicitarent. Quæ Clantij viri nobilis & Tranſlavicani litteris quoq; confirmata, Friſiorum in deliberando lentitudinem & impendia foſſorum exploratorumque tarde tranſmiſſa criminabantur. Quamvis commentarijs traditum ſit Renicum Burmaniam, ſive caſtrorum legatum, ſive cenſorem exercitus tum agentem ſtipendia cohortibus attuliſſe, quæ licentiæ pridem aſſuetæ, & patientiâ gentis indulgentius habitæ caſtrorum pacem & quietem continuis murmurationibus obturbabant.

Halevinius adulteratæ monetæ inſimulatur.

Invenio in actis Ludovicum Halevinium rei monetariæ per Friſiam præfectum, à primarijs quibuſdam civibus Henrico Jarichio & filio adulteratæ monetæ inſimulatum, eundemque Halevinium injuriæ atrocitate & tuendæ exiſtimationis deſiderio impulſum, libellum ſupplicem Bernardo Merodio obtuliſſe. Merodium quoque & Delegatos Ordinum Novem-viros decreviſſe, ut tam actores quam reus vinculis manciparentur, dum de crimine aut innocentiâ partium judicium cognoviſſet. Metuebant namque ne iſtiuſmodi dicteria, etſi ſuſpicionibus tantum inniterentur, in plebem militeſq; evulgata, turbida ſponte populi & caſtrenſia ingenia ad graviora anteactis flagitia impellerent. Tum è provinciâ, ut Franckena tradit, Carolus Roorda, Livius Bejemus & Godſcalcus Hiddama pro legatis ad Senatum Belgicum miſſi, quo conſeſſui provinciarum intereſſent, providerentque ne quid detrimenti & ſociali jure illâ vicinorum æmulatione Friſijs incumberet.

Simultates inter provincias fœderatas.

Carolus Roorda ſcribit potiſſimam illius conventus partem majore acerbitate quam concordiâ votorum actam, deprehenſis qui omnia ad ſe ſuaſque provincias trahendo ſingularum magis incommoda quam publicam fœderis & communis ærarij proſperitatem reſpicerent. Itaque convectitium & ſimul nauticum æs, quod firmitati diuturnitatiq; rerum repertum credebatur, certiſſimo popularis imperij vitio, privatis provincijs, etiam contra pactorum conventionumque religionem, applicatum enormi certè licentiâ, quæ infirmando fœderi invaleſcens, non ut ante integro regis imperio, unius majeſtate coërcebatur. Quippe Geldri convectitiam portoriorumque pecuniam, quæ ſecurati commerciorum aut exigendis telonijs apud Arnhemum & Neomagium à præſidiarijs navibus in Rheno & Vahali ſtantibus colligebatur, pro arbitrio diſtrahere dicebantur, volentibusècontra Hollandis, ut æs iſtud in provincijs collectum adornandis inſtruendiſque præſidiarijs navibus in Hollandiam mitteretur, quo provinciarum proventibus opibuſq; adjuti, ſingularum commercia accepto maris imperio imminuerent. Quod cum

Fri-

Friſiorum Legatis probroſum detrimentoſumq; videretur, quaſi nuda colligendi æris nautici miniſteria ſibi reſervarentur commoda & fructus Hollandiæ ceſſura eſſent relationum jus imploravere, ne quid in præjudicium gentis ſuæ ſtatueretur, & ne capiendi æris adornandarumque navium beneficium alijs ereptum publici juris æqualitatem, qua libertas & reſp. ſtarent, imminuerent. Quin ſatius judicabant pro tempore & dum aliter ſtatutum foret, per Hollandiam colligi, quam collectum per Friſiam in Hollandiam remitti quæ citra hoc ſuarum navium ope ſocios defendi gloriaretur. cIɔ. Iɔ. LXXXI.

Incendium agri paluſtris in Feenhuſâ.

Quo tempore prima ſocialis diffidentiæ indicia oſtendiſſe ſe mihi videntur, quæ ut in libertate ac plurium regimine ſolet, diverſis ex cauſis aucta etſi diſſimularentur, vim atq; memoriam apud poſteros retinuere. Franckena notat IV. Eid. Iul. magnum agri paluſtris in Feenhuſâ incendium exortum fuiſſe, ignoratumque an ardore cœli, qui tum intenſiſſimus eſſe ſolet, an fortuito igne excitatum foret, prodigij ſaltem loco habitum ſecutam oræ iſtius calamitatem indicaſſe. Quippe provincialium animos enatus derepente pavor tum occupaverat, quod trans-rhenana auxilia hoſtibus deſtinari vulgatiſſimi rumores proderent, Franciſcumque Verdugium legionis tribunum liberandis Groninganis vaſtandæque Friſiæ magnum armorum apparatum decernere. Quamvis Aggæi Albadæ qui Coloniæ tum herebat, litteræ 17. Iul. in Friſiam perlatæ, de impotentia hoſtium & exhauſto regis ærario palam teſtarentur, confirmantis ſpem ſecuritatemque populi, quod nec ſupplementa cohortibus fore, nec delectus novos haberi circa Rhenum poſſe à Philippo aſſereret. Mox Neoſylum, quod Norritius petierat, muniri à Friſijs cæptum, delegato Scipione Meckmans viro nobili, qui curando promovendoq; operi eſſet, quod tempeſtate, pluviâ, aut pondere nonnunquam fatiſcens, juſtæ tamen munitionis formam vergente Septembri accepit. Quæ res Norritio caſtra ad Selverdiam tenenti commoda fuit, poſtquam famâ hoſtilium auxiliorum renaſcente Groningæ obſidionem, ad cujus orientale latus hoſtis receſſerat, deſerere coactus eſt. Franckena tradit Aggæum Albadam Friſiorum apud Agrippinenſes legatum, alias à prioribus litteras de apparatu hoſtium ad Falckenburgum nuntiantes in Friſiam miſiſſe, gentiſque ſpem paucos ante dies conceptam alitamque magno metu & pavore commutaſſe. Unde in exercitu, qui Selverdiæ adhuc agebat murmura & mox tumultus cæpere, paucis primo mala in vetera pronis, qui bonos, ſicuti peſtilentiæ vitio, inquinando fertiles Friſiæ agros & amœniſſimum Dongriæ tractum repetituros ſe comminabantur. Franckena notat Geldricas maxumè Hollandicaſque copias, tum Nienortianum militem priorem in caſtris licentiam induiſſe, magiſque prædæ & otio quam pugnæ & diſcrimini deditum omnem diſciplinæ metum excuſſiſſe. Quâ occaſione tumultuantium apud Selverdios caſtrorum hoſtium equites uſi populabundi per Drentiæ fines in Stellinguerfios irruerunt, direptiſq; tribus pagis Haula, Donckerbroekio & Oſteruoldâ ad ſuos rediere. Quæ dum fiunt Georgij Lalainij Rennebergij valetudo cottidie ingraveſcebat, ipſeque inquies & conturbatæ mentis in malorum conſiliorum autores acerbis ſæpe dicterijs invehebatur. Cæterum Groningæ nomen ei maxu-

Neoſylum muuitur.

Rennebergij adverſa valetudo & conſcientiæ morſus.

cIↄ. Iↄ. LXXXI.

me frequens, ſive quod ſumpti eâ in urbe imperij eum pæniteret, ſive quod locum conſulis Hildebrandij amicorumque cæde ac ſanguine temeratum vehementibus odijs execraretur. Certè triſtiſſimam factorum imaginem animo ejus obverſari ne illi quidem diſſimulabant, qui ægri miniſterio curæque delecti juxta lætalis morbi periculum aperta quoque conſcientiæ vulnera introſpiciebant. Neq; Corneliæ ſororis nomen diſſimulabat. Itaque in illam invehi acerbè tum cubili ac colloquio prohibere, ne ſi forte admitteretur morti proximum vehementius commoveret, animumque infœlicem & laniatibus expoſitum novâ inquietudine conturbaret: Quare amotâ ſorore Corneliâ, quæ ſola è propinquis cum Montjoïo marito in aulâ erat, augeri malum, & imminere extrema præſentiens peculiares moribundis ceremonias ſacraque conferri Pontificio ritu ſibi juſſit, quatriduumque poſt, qui dies in x. Kalend. Auguſti incidebat, mortalitatem implevit. Creditum fuit, illum non remiſſiore erga Corneliam ſororem odio deceſſiſſe, quod ne in extremis quidem ſolatio præſentis, & quod addo, unicæ ſororis refoveri mixtam angoribus infirmitatem permiſerit. Tum facta viſceratio cadavereq; aromate ac pretioſis odoribus condito, magnitudine juglandis cor defuncti ſe oſtendiſſe autores rettulere. Unde facile judicatum, eum non veneno, quod propinatum vanis rumoribus ferebatur, ſed ægritudine ac mærore animi confectum, qui deſerti fœderis pœnitentiâ ac amiſſæ florentis Præfecturæ recordatione tum fallacium nuptiarum cum Mariâ Brimæâ triſti eventu tactus vividæ ætatis florem vigoremq; manifeſto vitæ tædio depavit. Poſtquam enim Maria Brimæa defuncto priore marito Lanceloto Barlamontio, Philippo Croïo principi Chimæo nupta inritos infauſti juvenis amores fecit, deſperatione rerum correptus eſt, ac ſi fides tacitè, ſi ad Regem rediret, amanti data & mox eluſa iratis ſideribus & imminentibus fatorum adverſitatibus præluſiſſet. Ipſa quoque Maria Brimæa illius levitate ac perjurio, quod occultè ſollicitaſſe dicebatur, affectum concepti amoris vertit, verita ac indignata iſtius amantis nuptialibus ſacris pactiſque ſe credere qui publica violaviſſet. Quæ etſi forte fingeret, ut ingenioſa indagandis malorum cauſis amantium infœlicitas eſt, ita & hoc acribus mordacibuſque cogitationibus accedebat, quod Aurantij Principumque per Belgicam virorum amicitiâ ac ſocietate prohiberetur, verſique in odia provincialium favores inter infida peregrinorum ſervitia, inglorio contemptui mancipărent. Ita omnem tolerati ſub Albano exilij gloriam, actam ſub litteris adoleſcentiam, adhæc formæ ac virtutis decus, denique geſtarum in bello clariſſimarum rerum famam ſola deſertio fœderis obſcuraverat. Quippe Tranſiſulaniæ victor, Groningâ inſuper partibus adjectâ tamdiu quoque laudabile apud Friſios laudabile imperium egerat, quamdiu ſpretâ Oyenbruggij allorumque aulicarum aſſentatione Aurantij proceſumque conſilijs uſu fuiſſet, gratumq; libertatis & venerabile nomen regio ſervitio antepoſuiſſet. Cæterum per Corneliam ſororem, alio pellectus à pleriſque per Belgicam ac ab ipſis regijs neglectus humanis exceſſit, ſuffecto eï vixdum animam ſpiranti & necdum humato Franciſco Verdugio. Deceſſit triginta & unum annos agens vigeſimo ſecundo Iulij à templo Martiniano conditus cum Friſiæ viciniſque locis

Rennebergij mors & ejuſdem cauſæ.

præ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

præfuiſſet annis quatuor. Tradunt autores eum ab ambitione adeo alienum fuiſſe, ut etiam de deponendâ trium provinciarum honorabili Præfecturâ cogitaverit, niſi ſolius Pompei Uſkenij conſilio (qui Hardenbergico prælio perijt magnâque apud eum gratiâ vigebat) à propoſito revocatus fuiſſet. Exceſſus illius clam & per ſilentia habitus avertendis militum ſeditionibus, qui morte Ducis velut excuſſo rectoris imperio flagitaturi ſtipendia non inrito metu credebantur. cIↃ. IↃ. LXXXI.

Quare illius morte per omne confinium & apud Agrippinenſes (ubi magna pars nuperi Senatus regij & nobilitatis Friſicæ quæ Philippi ſacramento innexa erat exilium ſuſtinebat) vulgatâ ijdem profugi Alexandrum Farneſium Philippi proregem datis Coloniâ litteris ſollicitarunt, ut ſucceſſorem defuncto Rennebergio quanto ocyus daret Friſiæq; ac laboranti imprimis Omlandiæ ſuccurreret.

LITTERAE hæ erant:

Litteræ ad Farneſium à profugis datæ.

E*X epiſtolâ, quam noſtræ ſubjunctam habes,* ALEXANDER FARNESI, *cognoſces quis Groningæ & per Omlandiam rerum ſtatus ſit.* PHILIPPI *regis noſtri exercitus* RENNEBERGIJ *exceſſu fidei anceps eſt & ruinam imperio regis minari videtur, niſi* FRANCISCUM VERDUGIUM *virum ſtrennuum & cuius virtuti multum dandum eſt, cum auxilijs ſtipendijſque iſthuc miſeris ocyſſimè. Craſtinus quidem dies ducendo in Friſiam auxiliario militi dictus eſt, ſed requiritur ut arma in promptu ſint, & ut* VERDUGIO *autoritatem poteſtatemque facias tam diu pacis bellique negotia adminiſtrandi, dum regiæ majeſtatis aut tuâ ordinatione Friſiæ Omlandiæque Gubernator datus fuerit. Quo noſtrorum omnium vota & ſpes contendunt. Non dubitamus quin juſtiſſimo imperio provinciam recturus ſit, foreque ut gratiâ quâ valet regis noſtri ſubditos conciliaturus ſibi ſit, incuſſuruſque terrorem hoſtibus & rebellibus* PHILIPPI, *quem hoc ipſum, quod nos deſideramus, præſtando ſummo beneficio, quo majus mortalibus dari non poteſt, obligabis.*

Quæ epiſtola à Bucchone Ayta, Georgio Weſtendorpio, H. Dekama, Iacobo Vinckenburgio & Vito Comingha ſignata, maturandis rebus incitamentum addidit. Mox alteræ litteræ Georgij Weſtendorpij nuper Senatoris per Friſiam regij, ad Caſparum Robleſium Billium Friſiæ jam antè Gubernatorem hunc in modum additæ.

Litteræ Weſtendorpij ad Robleſium.

H*OC ipſo litteræ à Magiſtratu Deputatiſque Groningæ & Omlandiæ ad me perlatæ ſunt, exceſſum Comitis* RENNEBERGII, *qui vigeſimo ſecundo Iulij horâ Octavâ matutinâ ex hac vitâ à Deo evocatus eſt, nuntiantes. Cujus morte id incommodi datum eſt, quod regi rebellium copiæ in cœnobio Selverdico caſtra habentes auctæ ſint, & quod intra urbem & turrim Martiniani fani tres legiones congregatæ ſeditiones moliantur, perque ſuburbanum rus & planos in agros effuſæ villas provincialium diripiant. Neque minus à cive noſtro periculum eſt, qui nudis auxiliorum pollicitationibus & cunctatione* ALEXANDRI FARNESII *fruſtratus coïtiones facit in apertam haud dubiè vim erupturas. Adhæc quoniam metuendum eſt, ne Germanos hac in urbe præſidium habentes,* AURANTIUS *ad defectionem ſollicitet collocatis in proximo caſtris,* ALEXANDRUM FARNESIUM

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↃ. IↃ. LXXXI.

monui ac hortatus ſum, ut te Præfecturam in tuam quanto ocyus remitteret. Præſertim cum ita de te ſentiam, teſte Deo & meâ conſcientiâ, ut nemo procerum Ducumque magis hoc tempore idoneus gerendis rebus videatur. Quapropter rogo ut occaſione hac utaris, certus te materiem gloriæ & famæ tuæ illuſtrandæ habiturum facturumque, imprimis gratiam Regi, quâ majorem nulli, qui hac ætate vivunt, præſtituri erunt. Tuæ certè prudentiæ iſtæ provinciæ egent, quam ſine morâ aut deliberatione impendi regijs neceſſitatibus velim.

Datum Coloniæ 27. Iul. 1581.

Simile adhortamentum Buchonem Aytam ad Robleſium, qui Namurci agebat perſcripſiſſe reperio, quo Verdugio urbem ad Groningam Friſioſque præmiſſo, Robleſius tranſ-rhenanarum provinciarum imperio, quo exutus fœderatorum armorum vi erat, indulgentiâ Regis aut Alexandri Farneſij redonaretur. Addit Ayta Clareboo Melroïo, alijſque Philippi legatis Coloniæ effectum fuiſſe, ut Germanorum equites peditesque ſupplendis aut legendis copijs abundè habere rex poſſet, ita alienis econtra ab Alençonio Germanis, ut ne unus quidem inſigni mutatione rerum ſacramentum ei dicturus ſit. *Quin Gallorum*, inquit, *nomen adeo paſſim Germanis ingratum, ut nec ludibrij aut inviſus vacuum ſit.* Quæ omnia ſtabiliendo Philippi per Friſiam Omlandiamque in quam exules perfugæque reditum ſibi augurabantur, imperio enormi fœderatarum partium odio perſcribebantur.

De deſerendo Philippo agitur in Belgicâ.

Quo tempore ſpecioſo libertatis nomine neque improſpero armorum ſucceſſu, quæ Philippo II. Caroli filio ex malè uſurpatâ dominatione, tot jam annis reponebantur, de eodem rege deſerendo in conſeſſu Ordinum generalium actum, quo ejurato ejus imperio, populoq; tam Belgico quam Trans-Rhenano in libertatem aſſerto, jus quoque belli tanto æquius, & ut fieri ſolet, fœliciuſque procederet. Cui rei revocatus è Galliâ Alençonius (frater unicus & regis ſive totius regni auxilia, & per connubium Eliſabethæ Anglorum ſocietatem & potentiam ut putabatur ſecum tracturus) multum addidiſſe momenti credebatur, & quod mare ſecurum ac patens commercijs opes & ſubſidia gerendis incontinente rebus promitteret. Sive regis Philippi imperium faſtidientibus fatis, quæ ultro mutandis mortalium rebus prona, poſt violentum & grave regnum his in terris exercitum paſſis enormia meliora tempora pollicebantur, ſive auctâ gentium feroci virtute, quæ olim potentiſſimas quaſque nationes Principeſque laceſſere auſæ ſuſtinendis quoque Philippi armis, etſi per tot maria terraſque conquiſitis, majorum exemplo præparabantur.

Quod factum, velut miraculo proximum & ſtupori gentium repertum, per omnem Europæ aliarumque orbis partium angulum famam populi Belgici fœderatique diffudit, quod maxumum regum lacertos per Indiam Africamque ultra Gades longè Herculiſque columnas moventem Belgicæ ſuæ circulo exutis ſacramentis excluſiſſent.

Edicti Senſus talis erat.

cIↃ. IↃ. LXXXI. Edictum quo produntur cauſæ ob quas deſertus ſit Philippus.

OMNIVM gentium, quas ſol luſtrat; opinione ac fide creditum eſt, populum non Principis cauſâ, ſed Principem populi tutelæ haberi. Quam cum negligit, aut ab officio à lege deſciſcens deteriore imperio commutat, non Principis, ſed tyranni nomen meretur. Cui obluctari cum jure gentium poſſit, quas ad propulſandam vim atque incuriam, tum liberorum conjugumque defenſionem ſacer naturæ inſtinctus armavit, ita majore tyrannicæ immanitatis culpâ gravandus eſt, qui rejectis populi ſui ſupplicationibus querimonijſque ad patientiam infœlicis turbæ efferatur. Quem nec lex, nec honeſtum, nec mos majorum, nec data in publico adiurataque ſacris fides obligare modeſtiæ ac officio poſſunt, apud iſtas præſertim gentes, quæ Principes *ſuos honeſtis ſemper conventionibus & ſæpe beneficijs obſtrinxere. Ita* PHILIPPUS *à morte* CAROLI *patris rerum potitus, qui magnitudinem ſuam, qui victorias, qui triumphos populi ſui armis atque fideï debuerat, nec paterno hortatui, quo reponi gratiam fidiſſimæ genti volebat, morem geſſit, nec acceptorum primis imperij ac principatus ſui annis beneficiorum memoriam retinuit, uſus eorum perverſo conſilio, qui à regimine* BELGICARUM *vicinarumq; provinciarum cautionum religione arcebantur. Qui Neapolitano ac Siculo regnis, qui Mediolanenſium Principatui, qui diſſitis Indijs imperare pro arbitrio ſueti, ne hoc quidem* PHILIPPO *in* Rege *ferebant, ut abſolutæ dominationis regnum utrobivis exercens,* ORDINUM BELGICAE *liberioriſque populi præſcripto regeret. Igitur primo ſpecie religionis aſſerendæ, ſed revera ut Hiſpanæ gentis invaleſcente imperio* BELGAE *ſervirent, jureque majorum exuerentur, Epiſcopi primarias in civitates ſuis cum Canonicis introducti, cum inquiſitionis propagandæ ſtudio, tum ut ditium cœnobiorum cenſu patrimonia Epiſcoporum locupletarentur, totumque quod libertatis titulo veniret, fœdiſſimo ſervitio inumbraretur. Quod olim* CAROLO *à* Cæſare *excogitatum cum abnuiſſent* BELGAE *magnâ potentiſſimi Cæſaris prudentiâ omiſſum eſt. Igitur ut regnante* PHILIPPO *idem fieret, multæ querimoniæ libellique cum à civitatibus provincijſque tum à Legatis Belgicæ authoritate* Conſilij Status *oblati miſſiq; in Hiſpaniam regnante* MARGARETA Duciſſâ Parmenſi, MONTINIUS & EGMONDANUS *qui regij conſilij ſeveritatem mitigarent. Cujus etſi ſpem feciſſet* PHILIPPUS, *tamen mutatâ in deterius mente litteras in* BELGICAM *miſit, quæ recipi Epiſcopos & patrimonia Epiſcopatibus applicari, Inquiſitionem introduci, poſtremo decreta Concilij Tridentini valeſcere jubebant. Vnde mentium primo ſtupor & conſternatio orta, mox averſus à* PHILIPPO *rege populi amor atq; dilectio aſperitatem decreti introſpexit, quod non in corpora tantum ſed animorum quoque ſecreta ac libertatem conſcientiæ* DEO *ſubjacentis diſtringeretur. Itaque indignatione triſtis ſervitij & infœlicis populi miſeratione, ne tormentis laniatibuſq; carnificum ſubeſſet, anno 1566.* MARGARETAE Duciſſæ Parmenſi *nobilitas ſupplex facta, ablegatis ſimul in Hiſpaniam* Marchione BERGENSI & MONTINIO, *qui neceſſitatem remedij & medicinam turbatæ affectæque* BELGICAE *exponerent. Cæterum tantum abſuit, ut nobilitatis interceſſio valuerit, quæ efferato per Hiſpaniæ Senatum rege Majeſtatis damnata (vulgare iſti temporum ætati crimen) legatorum quoque in Hiſpaniâ carceres & contra omne gentium jus etiam barbaris ſacrum ac inviolabile ſupplicia mor-*

cIɔ. Iɔ. LXXXI. *teſque concitaverit. Quo anno etſi muliebri* MARGARETAE Gubernatricis *prudentiâ ac ſolerti ingenio Belgica nonnihil tempeſtas conſediſſet fugatis, captis cæſiſve partibus, tamen ad omne populi jus tollendum & ut hæ gentes, Indorum more, haberentur (quod* ALANAE PHILIPPI Regis *per Galliam Legati litteræ ad* Gubernatricem *prodiderant) miſſus cum exercitu & comitatu* ſanguinarij Senatus FERDINANDUS ALBANUS *crudelis efferique ingenÿ vir, Belgicæq́; libertatis oſor acerrimus, qui magna reverentiâ inermis & non contra luctantis populi exceptus Philippici imperÿ, qui venturus ipſe adornatâ per Hiſpaniam Zelandiamq́; claſſe credebatur, inauſpicata funeſtaque initia titulo Gubernatoris Præfectiq́; regÿ etſi ſanguine non contingeret, infœlici* BELGICAE *exhibuit. Quippe urbes ac caſtella mox præſidÿs firmata, novæ arces validiſſimas per civitates extructæ, Belgicæ Principes ſpecie officÿ & velut ad concilium convocati, vinculis ac cuſtodiæ dati, & ne quid immanitatis deforet, ipſo* ALBANO *judice aut Brabantiâ contra fas educti, aut gladio percuſsi amantem libertatis ſanguinem tanquam piaculares victimæ, effuderunt. Adhæc Nobilitatis clarorumque civium cruore fœdata pegmata, multi extorres patriâ exilia toleravere, profugorum domus milite completæ, uxoribus atque liberis intentata ſtupra & ne vitæ ſubſidia forent, ditium patrimonia per fiſcum diſtracta, qui centeſimæ, vigeſimæ decimæque exactione, adinſtar lienis intumeſcens omne ſacrum & profanum rapiebat. Scilicet quo impotens & inermis* BELGICA *virium ſuarum infirmitate* Regi PHILIPPO *ſine exceptione pareret, crudeleſque miniſtri inter ſpolia & ſanguinem innocentiſſimæ multitudinis ſe explerent. Igitur Curiæ, judicia, collegia ſuffectis Hiſpanis ejectiſq́; provincialibus contra jus faſque gentium rectoribus deſtituta, impedita decimis provinciarum commercia, invalidis civium procerumque querimonÿs, quibus amovendam ad calamitatem tyranni ſatellitumque vultus ſalutabantur. Quæ mala, velut æternæ Principis famæ & populi inopiæ deſtinata, perpetuitatem quoque ſuam habitura fuiſſent, niſi* AURANTIJ Principis, *tum profugæ proſcriptæque nobilitatis impulſu, Hollandia Zelandiaque tantæ immanitatis odio ac faſtidio ab* ALBANI *imperio deſciviſſent. Vnde armorum vis illas in gentes converſa, factumque ut iſtæ provinciæ aliarum armis, (quas aut horror aut veneratio regiæ potentiæ aut caſtella arceſque in metu ac obſequio continebant) impetitæ ſint, non* ALBANO *tantum regnante, ſed etiam* REQUESENTIO, *qui in ſpeciem mitioribus, ſed æque pernicioſis artibus imperium exorſus Antverpiam, Aloſtum, tentatis Bruxellis ſede Principis, deïn Trajectum ad Moſam cæde ac direptione oppreſſit. Poſt quoque à morte* REQUESENTII Concilio Status BELGICI, *ita volente* PHILIPPO, *rerum potiunte & Hiſpanis hoſtium loco proclamatis,* HYERONIMUS RODA *ſive ingenÿ ſuperbiâ, ſive regiæ autoritatis mandato, motus fultuſque Ducem ſe ac patronum nefarÿs Hiſpanorum actionibus declaravit repudiatoque* Concilij STATUS *ſigillo regium adulteravit, non aliâ potentiæ uſurpatione quam quæ Proregem deceret. Quare ſuperiorum Provinciarum* ORDINES *cum* AURANTIO Principe *tum Hollandis Zelandiſque pacem fœduſque ferire compulſi ſunt, continuatis interim apud Regem provincialium officÿs ſupplicationibuſque quo Hiſpanos legum paciſque ruptores populatoreſque opulentiſſimarum urbium ſuam in Hiſpaniam* PHILIPPUS Rex *revocaret. Quod quamvis facturum ſe Rex promitteret, inſolentiamque ſuæ gentis & ſcelera deteſtari ſe ſimularet, boni Principis & paterno affecto obten-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

tentui dato, tamen (cognitum eſt, Regem in illo Hiſpanorum furore ſibi pla- cIↄ. Iↄ.
cuiſſe. Qui quoque ut majore dolo ac fallaciâ populum BELGICUM LXXXI.
circumveniret, non multo poſt IOANNEM AUSTRIACUM tan-
quam regij ſanguinis Principem in provincias miſit, quo fœdus Gandavenſe
& conventa ORDINUM approbando confirmandoque in Hiſpanos pacis
publicæ ruptores animadverteret, jureque provincijs aſſerto libertatem redderet.
Cæterum diſcordiam ſocias inter provincias ſerendo, conventionum fœderumque
ruptor, quas perjurio temerabat, nihil aliud primâ imperij ſui infantiâ moli-
tus eſt, quam ut legionum Germanicarum fidem ſollicitaret, quorum præſidio
validiſſima per provincias caſtella attinebantur. Non alio certè fine, quam
ut ſocietate cum Germanis eorumque tribunis initâ caſtelliſque in poteſtatem re-
dactis gravius AURANTIO, Hollandiæ Zelandiæque bellum inferret,
prælatâque pacis oſtentatione, civilem diſcordiam & inteſtina arma concitaret.
Quæ etſi occultè tegeret, tamen illius conſilia fato quodam in apertum produ-
cta maturitatem non accepere, evenitque ut juratæ pacis loco crudis adhuc po-
tentiæ ſuæ rebus bellum daret. Quæ omnia etſi deſerendum ad Regem ſuf-
ficiant, eligendumque alium Principem, qui mitiore imperio ac curâ deſertas per
viginti annos à Rege provincias moderaretur, ita ab AUSTRIACI morte
non aliam regis mentem fuiſſe deprehenſum eſt, quam ut Gandavenſi Fœderi a-
lijſque conventionibus illuderet, gravioribuſq; poſtulatis BELGICAE Pro-
ceres & omne pacis remedium turbaret. Igitur Regis actionibus diffiſi Re-
gum Principumque interceſſiones ſollicitavimus, quo cum Rege, ſi per arbi-
tros fieri poſſet, ex æquo paciſceremur, miſſis inſuper Coloniam legatis noſtris,
ut CAESARIS Electorumque Romani Imperij coïtione pax perſcribe-
retur. Cæterum id arcanum iſti conventui ſubfuit, ut provinciam à provincia,
ſocium à ſocio divelleret, quo provincialium vires ex concordiâ auctas diſcor-
dia minueret. Inde publico mox edicto majeſtatis nos damnavit, proſcriptio-
nes inſtituit, aſſignato percuſſori pretio, qui AURANTIUM ſubmove-
ret. Igitur omni ſpe pacis ruptâ deſtituti omni malorum remedio, deſolati-
que naturæ legem inſtinctumque imitati, quo jura majorum aſſeramus, defenda-
muſq; à vi & injuriâ conjuges, liberos, denique ipſam poſteritatem noſtram alio
auxilio tutandis legibus nobiſque reperto, Notum facimus nos ultima neceſſi-
tate compulſos communi ſuffragio & conſenſu REGEM HISPANIAE
jure dominationis, eminentiæ, juriſdictionis omnique imperij hæreditate privaſ-
ſe, non uſuros Regio impoſterum nomine tituloque, à cuius Sacramento Ma-
giſtratus omnes populumque inſuper abſolvimus. Et quoniam cum ANDIUM
Duce ſingularum provinciarum mandatis fulti convenimus, MATTHIAE-
QUE Archiduci miſſionem petenti conceſſimus; ita volumus, ut REGIS
HISPANIAE ſigilla aboleantur, omittantur, tradanturq; Provinciarum
ORDINIBUS, qui ſive ſuo, ſive ANDINI, ſive provincialis SENA-
TUS, ſive AURANTII uſuri erunt. Volumus quoque ne aurum argen-
tumq; Regis nomine & inſignibus ſignetur, & ut Præſides, Cancellarij, Senatores,
Rationum magiſtri, reliquique Officiales ſacramento quod Regi præſtiterunt,
ſoluti, nobis & quidem novâ ſub formulâ dicant. Quæ omnia ut vim ac per-
petuitatem obtineant demandamus Præſidi ſecreti Senatus Brabantiæ, Geldriæ-
que, & Comitatus Zutphaniæ Cancellario Senatuiq;, Præſidi per Flandriam, per
Hollandiam Senatuiq;, Rationum Magiſtris per Zelandiam, Præſidi Senatuique,
per Friſiam, Prætori Mechlinienſium, Præſidi Senatuique Vltraiectino alijſq;

CIↃ. IↃ. LXXXI. *Magiſtratibus Officialibus, ut hoc noſtrum* EDICTUM *more locoque ſolitis publicari, ſine ullâ morâ ac diſſimulatione curent, quod ad utilitatem reip. decernendum vulgandumque exiſtimavimus.* Datum Hagæ in conceſſu Ord. Generalium vigeſimo ſexto menſis Iulij Anno 1581.

Signatum

I. DE ASSELIERS.

Mox IV. Kal. Aug. nova dicundi SACRAMENTI formula ab iiſdem præſcripta, quæ amovendæ impoſterum diffidentiæ hac juriſjurandi religione firmabatur:

Formula jurisjurandi Ordinibus præſtiti

IUro me impoſterum Regem Hiſpaniæ, non pro Principe aut Superiore agniturum, quin econtra eundem Hiſpaniæ Regem deſerturum habiturumq; me ipſum pro eo, qui regiâ obedientiâ ad quam publico provinciarum nomine tenebar, ſolutus ſim. Promitto itaq; juroq; me unitis Provincijs Brabantiæ, Geldriæ, Flandriæ, Hollandiæ ac Zelandiæ earumq; ſocijs ac fœderatis, tum eorundem Provinciali Senatui Magiſtratibuſque ac Ordinibus Generalibus conſtitutis, fidelem, obſequentem obligatumque fore omneq; auxilium opemque pro viribus meis ipſis præſtiturum contra prædictum Regem Hiſpaniæ ejuſque aſſeclas, reliquoſque provinciarum hoſtes, deniq; facturum ad quæ fidelis ſubditus unitarum provinciarum tenebitur. ITA ME DEUS ADJUVET. Actum Hagæ 29. Iul. Anno CIↃ. IↃ. LXXXI.

Non ſine horrore Friſiorum.

Quod Edictum etſi pro more promulgaretur, ita per provincias jam ante fœderi inligatas, quam per Friſiam, gratius acceptiuſque fuit, quod plerique ex nobilitate regij nominis aut Romanæ ſedis veneratione imbuti, nova imperia & religiones tum æqualium, ut in libertate fieri ſolet, dominationes faſtidirent. Cui & hoc incommodi accedebat, quod dubiâ adhuc & ancipiti fortunâ Friſiorum in finibus & per Omlandiam Tranſlavicanoſque bellum traheretur, quod à parte Regis morte Rennebergij & novi Ducis ſucceſſione revicturum habiturumque proſpera & prioribus adverſa ominabantur.

Quip-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Quippe Verdugius conſcriptis Colonienſem per Epiſcopatum & confi- cIↃ. IↃ.
nia copijs octingentos milites etſi inermes ut Albada ſcribit, ſecundo LXXXI.
Rheno verſus Veſaliam ducebat, auctoratis inſuper trecentorum equitum turmis qui Franciſco Alençonio Andium Duce (is Galliâ jam exceſſerat) deſerto perfugarum more nova ſacramenta & occaſiones bellorum quærebant. Quibuſcum Veſaliæ Clivorum ſubſiſtens facile ſui adventus regiorumque auxiliorum famam vulgavit, quæ per Geldriam vicinaque Rheno loca quaquaverſum ſe ſpargens, novo cum Gubernatore novæ quoque fortunæ fiduciam neque vanis rumoribus præferebat.

Verdugÿ apparatus & iter Groningam verſus.

Quare Cancellarius Senatuſque Geldriæ litteris in Friſiam datis nuntiavere.

Intellectâ VERDUGIJ *trans Rhenum expeditione Zutphaniæ ſe comitatui viciniſque locis metuiſſe. Cæterum certiore veri famâ accepiſſe eundem* VERDUGIUM *Grollam prope caſtra metatum Friſiæ comminari, velut in prædam datæ. Iſtum in finem exigua ſtipendia equiti triginta pediti quindecim ſeſtertios aſſignaſſe, quo ex rapto auctiora faciat, utilique agrorum populatione majora ordinarÿs emolumenta & juxta gloriam ex direptis hoſtium finibus accipiat. Monere itaque ſe Friſios ſocios ac juxta vicinos, ut in armis quanto ocyus ſint finiumque ſuorum curam & rationem collocatis ibidem præſidÿs habeant.*

Præmonitiones Geldrorum.

Quæ per Everardum Reidanum Geldriæ Graphiarium & Annalium ſcriptorem Friſijs communicata, populum diſcriminis & periculi ignarum fidelis officij monuere.

Similes litteræ à provinciali Senatu (qui trans ac cis Moſam à miſſione Matthiæ Auſtrio factâ & per tardum Andini in Belgicam adventum conſtitutus erat) ad Deputatos Friſiæ datæ.

Cæterum Verdugius belli & rerum prudens longo viarum flexu, qui mille & quingentos faciebat, militem circumduxit, peragratiſq; Drentiæ, qua Weſtphaliam ſpectat, finibus Groningam advenit, quem locum anteceſſoris ſui veſtigia premens ſedem novo imperio & ſimul Philippi bello delegerat. Ubi inter gaudia & ſpes populi exceptus ægros omnes, nuperoque ex conflictu ſaucios adivit, educendiſque foras & ad Reidam copijs omnia ordinavit.

Verdugius Groningam venit.

Wigboldus enim Euſemius Nienortius quatuor peditum cohortes iſthuc duxerat, quo locum ad inſtar promontorij, ſinum in Dullartum procurrentem & Embdæ urbi Amaſoque flumini vicinum occuparet. Quod fugâ regij præſidij nullâ moleſtiâ effectum eſt, deſiderato tantum ut locum naturâ & ingenio paluſtris agri munitum novo opere emuniret. Sed foſſores milites, arma, pecuniæ præterque iſta omnia inter licentioſos & morum ſolutos diſciplina exigebatur, quæ neglectâ parendi imperandique lege, & creſcentibus etiam nullo ſocialis imperij reſpectu flagitijs metum ac formidinem ex adventante Verdugio induerat. Qui decem cohortibus pedeſtri itinere Reidam perductis diſparſis palantibuſque Nienortij copijs facile munitionis potitus eſt, ſolo Caterio viro nobili & cohortis præfecto fortiter rem gerente glande trajecto. Norritius ſcribit trecentos milites fœderatos ſine armis ſigniſque Reidâ excedere juſſos, ſcaphiſque vectos & caſtris jam proximos arma & ſtipendia petijſſe. Quæ ipſa ut toti fœderato exercitui præſtarentur, acri & ad movendos Ordinum animos valido hortatu idem Norritius urge-

Reidam petit.

Et obtinet.

CIↃ. IↃ. urgebat, quo hoſtem de Neoſilo cogitantem præbito ære majore au-
LXXXI. daciâ & vigore corporum adoriatur.

Ita omnis Omlandia ab Amaſo in Lavicam amnem protenſa, ejectis fœderatis Hiſpano iterum aſſerta, retracto jam ante Selverdiâ in Friſiam & circa Collumanos Norritio quem egens æris & ex hoc ſolutior exercitus, tum regia Verdugij auxilio rumoribus, ut ſolent, aucta, movenda ad caſtra compulerant. Unde per Friſiam metu orto Abelus Franckena Hiſtoriæ ſcriptor pro Legato Hagam miſſus, qui auxilia, qui ſtipendia tumultuantibus copijs peteret, Principemque Aurantium ſocioſq; de toto rerum ſtatu edoceret.

Is copiâ fandi petitâ hunc in modum diſſeruit:

Abelus Franckena Hagam miſſus auxilia petit.

RERUM noſtrarum conditio, Socij, modo ſecundis nos efferens, modo deprimens adverſis, ut res mortalium ferunt, ea hoc ipſo tempore eſt, ut deterior eſſe non poſſit. Caſtra noſtra Selverdiam tertiumque ab urbe Groningâ lapidem promota erant, & jam metu civitas tenebatur, ne noſtra fieret. Tarditate noſtrâ & lenitudine agendi uſus hoſtis auxilia contraxit, & ſub Verdugio ſuperato Rheno amne Groningam perductus eſt. Ibi quæ ad bellum pro PHILIPPO *gerendum ſpectabant, novi Ducis rectoriſque prudentia ordinavit, captâque à nobis Reidâ, mox potitus hoſtis eſt. Igitur copiæ noſtræ egentiâ ſtipendiorum effrænes & turbidæ trans Lavicam in Friſiæ noſtræ agros reductæ ſunt, ulteriorem receptum moliture, aut vaſtaturæ provinciam niſi ſociali fide auxilia & commeatum, ac quod primum diſciplinæ robur ac firmamentum eſt, pecuniam & ſtipendia mittatis.*

RESPONSUM Legato à Principe & Provinciali Senatui fuit.

Se GULIELMUM NASSOVIUM *cum ſex cohortibus peditum in* FRISIOS *miſſuros, evocaturoſque minore Friſiâ* SONNOÏUM *qui conſcenſis navibus ſuis cum copijs maiorem in* FRISIAM *maturet. Quod ad pecuniam attineret, delegaturos quoſdam è Senatu ſuo qui propediem Legatum ſubſequantur, pecuniamque & commeatum ita poſtulantibus rebus exercitui ſubminiſtrent.*

Ita Legatus (quod v. Eid. ſextilis factum in Ephemeride ſuâ notat) in Friſiam reverſus.

Idem addit Senatum provincialem iſtâ lege ſtipendiâ ſe daturum promiſiſſe, ſi Friſij viginti quinque aureorum millia mutuum darent, communique ærario ſubſidium de ſuo præſtarent. Eundem quoque Senatum Renicum Dekamam Stavoranæ nuper arci cum cohorte præfectum arctiori cuſtodiæ dediſſe, tarditatemque & moram ſuæ in Friſios profectionis non tam ſuâ culpâ quam defectu ærarij eveniſſe, quod Hollandico Zelandorumque ſubſidio ſublevatum, majora ſocijs Friſijs ſubſidia daturum foret.

Reperio in actis ex eodem quoque Senatu menſis Sextilis initio Friſicæ gentis viros Cornelium Coninxium Iuriſperitum & Leonem Beiemum virum nobilem in Zelandiam ad Aurantium procereſque iſtius gentis miſſos, quo præſidiorum per provincias quaſque diſtribuendorum certum numerum exigerent, ſtipendiorumque ratione initâ ordinarium ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

exſolvendis militaribus copijs tempus impetrarent. Magiſtratum quoque Embdanum miſſis in Friſiam hoc tempore litteris ob Amaſum flumen proximoſque agros navibus copijſque fœderatis infeſtatos querimoniam attuliſſe, ſalvoſque gentium fines, ſalva jura oraſſe. cIↃ. IↃ. LXXXI.

Igitur regreſſo in interiora Friſiæ Norritio Angli equites quidam non numerato ære populabundi planos per agros ſe ſparſere, Leovardiamque & in ſuburbana provecti ruſticâ ex plebe cæſi vulneratique ſunt. Quod agrariæ gentis factum, etſi honeſto prætextu Friſij velarent, ita Norritius indigniſſime ferebat, equitem ſuum non penſitatis ſtipendijs, alimenta vitæ quærentem à ſociali armatâque ruſticorum manu morte vulnerumq; fœditate multari. Quare litteras ad Delegatos Friſiæ dedit, vehementiq; motæ mentis oſtentatione provinciâ ſe abiturum ni ruſtici populi ferociæ obviam iretur, comminatus eſt. Innuebat quippe hoc in Imperatoris Duciſque bellici, qualis ipſe foret, arbitrio conſtitutum eſſe, partiri copias equitemque caſtris emiſſum & annonæ ſtipendijq; egenum ruſticorum pagis villiſque inducere. Cui rei cum quidam ex Delegatis tacitè contradicerent, qui à mercenario ſocioq; milite diripi villas, atterique provincialium fortunas nolebant, poſtero acerbiores dedit. Cæterum revocatâ mente velut, quæ evenerant, diſſimulans, commeatum caſtris petijt, Neoſilumque emuniri poſtulavit. Doconi quoque Friſio hoſtilium actionum rerumque fidiſſimo exploratori honeſtam mercedem præſtari ſollicitavit, quo Prætori Neoſilano alijſque proſpiceretur, quorum intereſſet hoſtium conſilia præſtandæ ſuorum ſecuritati cognoſcere.

Norritij quidam equites populabundi à ruſticâ plebe cæduntur in Friſiâ.

Carolus Roorda ſcribit novam diſſenſionum materiem Ordinibus Hollandiæ cum Senatu provinciali tum ſubortam magnum firmandæ reip. impedimentum attuliſſe, eoque amoto, proſperum ſtabileq; imperium novæ libertati fœderique gentium portendi. Tum Eckij & Goræ equitum turmas, que Cunerâ in Stellinguerſios deſcenſuræ dicebantur recenſendas à Martinio quodam cenſore exercitus perſcripſit, quo vagæ huc uſque & modo Geldriæ, modo Trans-Iſulaniæ finibus hærentes Friſiorum caſtris copijſque jungerentur.

Actis traditum eſt Verdugium contractis in unum copijs cænobio Adoardico noctem tum egiſſe, progreſſumque Northormum Omlandiæ pagum, obſidionem Neoſilo deſtinaviſſe. Quæ quanquam de iſto loco oppugnando tum temporis dicerentur, qui ſolus per Omlandiam vincendus Verdugio reſtabat, tamen majora ſolitis conſiliâ tum agitabantur. Sive in Verdugium fiduciâ nova auxilia novas legiones ducentem, ſive illorum ſcelere ac perfidiâ, qui in Friſia tutiſſimâ ſuorum rerum poſſeſſione per æquitatem indulgentiamq; fœderati populi fruentes, regiam fidem ac ſacramenta exulantibus patriâ profitebantur.

Hoſtes Patriæ ac perduelles.

Quorum pars, quæ Groningæ agebat, cognito Anglorum equites ruſticæ plebis, quæ arma induerat, virtute cæſos diſſipatoſq; litteras in Friſiam iſtiuſmodi miſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXXI.

Friſios ad regias partes per literas pertrahere conantur.

INTELLEXIMUS vos pro vobis, uxoribus atque liberis veſtris arma contra Anglorum tyrannidem & regiæ PHILIPPI *majeſtatis hoſtes induiſſe. Quo cognito* FRANCISCUM VERDUGIUM *legionis tribunum & regij exercitus Mareſchallum eius rei certiorem fecimus. Is ut in propoſito perduraretis petijt, addito ſe auxilia equitum peditumq; præfinito à vobis & iſto loco miſſurum qui vobis commodus videbitur. Fide inſuper datâ nullos veſtrum ab auxilijs exercituq; regio qui vobis mittetur, damna detrimentaque paſſuros. Quin econtra promittit diſciplinam militarem omnemque bonum ordinem regio in exercitu fore procul prioris anni inſolentiâ, quæ contra regis voluntatem & per defectum æris patrata exercitaque in exemplum itura non eſt. Præſertim cum à* VERDUGIO *iſti rei proſpectum ſit numeratis equiti peditique regio ſtipendijs, autoribuſque flagitiorum in alia terrarum amotis. Nos reſponſum veſtrum expectabimus & commendabimus vos omnipotenti.* Actum Groningæ 21. Auguſti. 1581. Litteræ ab Hanſone à Roorda, Onia Wijtſma, Martino Hamconio, Martino Boutſma ſignatæ.

Quo die ipſe Verdugius ad nobilitatem plebemque ruſticam quæ armata apud Rinſmageſtum convenerat, litteras quoq; addidit, ſuâque manu, prout in archivis extant, ſignavit.

Literæ Verdugij ad Friſios.

COGNOVI Anglos alioſque milites tuendis agris domibuſque veſtris in ſpeciem miſſos, ingenijs ſuis, ut ſolent, uſos incendijs, latrocinijs, populationibuſque graſſari, voſque arma adverſum eos ſumpſiſſe. Quo intellecto omittere non potui, quin equitum peditumque quæ ad manum & in promptu habeo, auxilia vobis veſtræq; tutelæ offerrem. Neque fidelitate tantum meâ aut curâ res geram, cæterum Ducem me dabo, quo divino auxilio ſubjutus omnia expediam. Exercitum quoque meum ex præſcripto diſciplinæ recturus ſum, ne quid damni vobis detur, cui fidem interpono. De cæteris ſi colloquij mecum animus ſit in majorem veſtri ſecuritatem, duos treſvè legatos mitti peto, quibus omnia tuta liberamque commeandi retro citroque poteſtatem facturus ero. Amicum me, ſi voletis, habebitis. Groningæ 21. Aug.

Invenio in actis horum temporum Oniam Wijtſmam, qui Petrum Dureuoltium Rinſmageſtanum ad patranda horrenda 20. April. hujus anni promiſſâ mercede præmioque ſceleris incitaverat, Idibus Septemb. litteras ad Præſidem quendam Senatus dediſſe, ac ut Legati è nobilitate ruſticâque plebe Ooſtergoâ ad Verdugium qui hoc voluerat, mitterentur bono regis habendiſque auxilijs oraſſe.

Norritius ſtipendia exercitui petit.

Econtra Norritius repetitis ad Delegatos Ordinum litteris, lanceas, pulverem, tormenta & quod primum erat, ſtipendia exercitui petebat, criminatus Senatum provincialem Hagæ in otio & omni rerum incuriâ ac ſecuritate agentem nec in exercitus ſui diſcrimen, nec in vires apparatumq; hoſtium reſpicere. Bono ſcilicet loco res Verdugij eſſe confirmabat, neque tam longè ſuis à caſtris diſſitum ut immunem metu ſe præſtare poſſit. Ad Groningam vero quod attineret, non videre ſe fœlicem iſti rei ſucceſſum, quin econtra deſtitui ſe eorum omnium ope ac miniſterio quæ potiundæ urbi deſiderarentur. Interim ſe procerum conſilijs, ſi meliora noſſent, obſecuturum. Tantum quoque abeſſe ut educi extrahique miles caſtris velit, qui æris egentiſſimus & vanâ

ſpe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ſpe ſolutionis alitus agri meſſem & anni proventum ſtipendijs applica- ClƆ. IƆ.
turus ſit. Quæ ipſa quoque niſi hoc ipſo mittantur, tam de exercitu LXXXI.
quam de rep. agi. Cæterum adventu Senatus provincialis nuntiato, *Gulielmi*
qui Leovardiæ jam erat, exorti animorum motus derepente conſederunt, *Ludovici*
erecto ex ipſo in lætiora exercitu, quod præter auxiliares copias per Gu- *Naſſovij*
lielmum Ludovicum Naſſovium advectas, pecuniam quoq; adferre pa- *adventus*
candis legionibus crederetur. *in Friſiam.*

Franckena in Ephemeride notat 26. Sept. omne ſtipendium exercitui ſolutum infectaque peſtilentiæ vitio caſtra cum tribunis præfectiſq; cohortium plurimos militum abſtuliſſe. Quoſdam quoque è Tietierckijs Smallingijſque captivos, qui Hermanni Martenij copiarum cenſoris militumque ex cohorte Epiſcopij bona diripuerant, Collumum in caſtra perductos procurante Ioanne Ratallero loci prætore data Martenio militique damna penſaſſe. Doconem quoque Martnam virum nobilem jam ante memoratum, morte Livij Beiemi in Senatum provincialem cooptatum, qui acceptis in mutuum à noſtrâ gente viginti aureorum millibus de pellendo Friſiorum finibus Verdugio tum cogitabat. Itaque tum annonâ & commeatu ubertim caſtris, quæ Collumi adhuc erant, inlato, ſtipendijſq; Anglicæ legioni, quæ maxumè tumultuata erat, perſolutis, vigor atq; promptitudo militaribus animis rediere, quos ante deſides & ex hoc ſeditioni proximos egentia æris corruperat.

Quorum ignarus Verdugius, qui Norritij exercitum ſeditione lacera- *Verdugius*
tum ex non ſoluto ære rebatur, Groningâ Adoardiam poſt caſtra Nort- *Norritium*
hormum movit, ductiſq; ſecum viginti & quatuor peditum ſignis ac quin- *petit.*
que equitum turmis additis ut Franckena notat, leve vallum foſſamq; caſtris ſuis præduxit prælioque ſe paravit. Neq; minor Norritio vir- *Norritius*
tutis eximio animus erat, quem ultro experiundis arduis aſperiſque *ipſi obvius*
facilem excitaſſe Friſij ſubeundum ad certamen odio ac faſtidio caſtren- *fertur.*
ſis otij credebant. Quare ducto per Neoſilum exercitu recto itinere tormentis campeſtribus inſtructus Northormum contendit, Verdugiumque inſtructis ad pugnam ordinibus & quidem præmiſſâ re divinâ parantem inſigni alacritate adortus eſt. Quæ precum ſolemnitas etſi Anglis ludibrio ac inriſui haberetur, ita plurimum ad fortunam hoſtium & fœderati exercitus ſecutam adverſitatem valuiſſe dicebatur.

Norritium tredecim Anglorum ſigna, ſex Gulielmi Ludovici Naſſovij, novem Sonnoï, ex Nienortianæ legionis vexilla ſequebantur. Quibuſcum in planitiem campumque, qui Northormo ab occaſu prætenditur, deſcendens, ſigno dato, ſtipatuſque Gulielmo Ludovico Naſſovio tanto in hoſtem Verdugiumque impetu invectus eſt, ut luxatis hoſtium ordinibus Verdugij peditem arma, ne oneri forent, projicientem intra Northormum compelleret. Unde victoriæ magna apud Norritium ſpes erat, quæ, ſicut omnia mortalium, inſtabili fortunæ innixa magnorum ſæpe ducum virtutem confudit. Quo tempore lixis calonibuſque qui hoſtium caſtra ſequebantur, de fugâ quoque cogitatum commentarij prodidere, in quam totus Verdugij exercitus effuſus fuiſſet, niſi Verdugius equeſtres turmas inclinantibus jam ordinibus immiſcuiſſet. Quæ viſâ Anglorum paucitate & raris cuneris, Anglorum in legionem tantâ animi fortitudine procurrerunt ut loco moverent, motamque & refer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

CIↃ. IↃ. LXXX I. *Norritij clades.*

referre pedem juſſam fugæ darent. Quod ne Norritio quidem & Gulielmo Ludovico Naſſovio cognitum, quos rem ſtrennuè gerentes medijs confertiſſimiſque hoſtibus animi vigor & cupido gloriæ intruſerat. Qui ubi à tergo verſam pugnæ faciem & ſuorum fugam notavere, apertâ ferro viâ, multiſque circum cæſis periculo ſubducti ſunt.

Tradunt autores Gulielmum Ludovicum quinque glandibus plumbeis thorace ferreo exceptis, unâ ſed invalidâ in crus prolapsâ prælio exceſſiſſe, reſervatumque fato majoribus rebus primos juventæ annos illuſtri gloriâ honeſtaſſe.

Franckena notat cauſam cladis ſemiplenis copijs & centurionum perfidiæ vulgo tum imputatam, & quod in triginta & ultra peditum ſignis ne terna quidem millia magno reip. incommodo numerarentur. Alij adverſitatem hunc à Norritij equite, qui à pedite Verdugij Northormo procurrente progredi prohibitus fuerat, profectam fuiſſe tradunt, multaque fœderatis iniqua, viarum anguſtiam & confertas condenſataſq; Norritij turmas, mox confuſos ordines, equitumq; fugam concurriſſe.

Mihi Cl. Franckenæ fidem ſecuto ab Anglis à Verdugij equitatu retroactis malum eveniſſe compertum, impeditaque quo minus officium facerent, tormenta inclinante jam acie Verdugio ceſſiſſe. Franckena addit multos milites fœderatos in præcipitem fugam effuſos, à lanceario Verdugij, qui inſequebatur, equite cæſos, foſſiſque ac incilibus immerſos armorum ponere aut vi prementinm perijſſe. Quâ clade mediam peditum partem ſublatam autores notant, èque præcipuis Rudolphum Scullium, Winandum Ommerium, Carolum Wingardium, Petrum Berenſteinium, Matthiam Kærtium, Gerardum Entenium, Cornelium Loënium, ex Anglis Cottonium, Epiſcopium, Fuillamium, è præfectis equitum Henricum Eckium, Bellevinium & Joannem Nisbetium cecidiſſe. Nec incruenta Verdugio victoria fuit, quingentis ſexcentisve in regio Philippi exercitu deſideratis. Pugna Prid. Kal. Octob. facta.

Verdugius victor Neoſilum obſidet fruſtra.

Tum Verdugius continuatione fortunæ ac rebus circa primæ dignitatis ſuæ initia proſperis utendum ratus, Neoſilum, in quod multi ex acie diſparſi palanteſque confugerant, obſedit, qui locus trans Lavicam ad rivum ex æſtuario proruentem ſitus quatuor cohortium pedeſtrium (quibus Steno Malteſius nobilis Danus, Sixtus Sceltema nobilis Friſius, Regnerus Idzius & Schaïus præerant) præſidio aſſervabatur.

Caſtra ejus Grypskerckæ & Fisfleti ad Lavicam poſita, ubi defoſſis, qui ad emiſſarium rivi excurrebant, cuniculis, & fluentis alveo onerarijs navigijs obturato, commeatum obſeſſis intercludere conatus eſt, quem provincialis Senatus obſidij metuens cum levioribus tormentis Neoſilanæ munitioni importaverat. Igitur velut mimum ageret, modo copias ſuas in formam aciei inſtruebat, modo velut oppugnationem facturus, obſeſſis minabatur, non ignavis interea obſeſſis qui eminus tormentorum ope rem gerentes multos ex Verdugianis ſuſtulere. Dein apertis aquarum clauſtris, emiſſarijſque qua æſtuaria maris ſpectant, patefactis vicinos agros & ſtativa caſtrorum Verdugij aquis operuere, quas uſque ad Emetillam ſe efferentes vi marinorum æſtuum denſiſſimi quoque imbres adaugebant. Unde in caſtris Verdugij omnia ſenſim anguſta atque difficilia facta ingenio loci ſponte depreſſi nimiâ humidita-

ditate aucto & languore inſuper militum ſuccreſcente, qui ab inſtituendâ oppugnatione militem moleſtiæ pertæſum & defectu æris ſeditiones minantem deterrebat. CIↃ. IↃ. LXXXI.

Ita obſidio Neoſilana deſerta, obſeſſiq; tergis hoſtium invecti, quadraginta trucidatis & viginti quinque militibus captis victores, ovanteſque rediere. Ita gravis ad Northormum clades novâ fœlicitate penſata, Verdugiuſque repulſæ ignominiâ mærens Groningam receſſit: Stenoni Malteſio, qui cum imperio ibi fuerat, reſque præclare geſſerat, vicarium Merodij munus collocatum, aureaque donaria virtutis ergo militari more conceſſa. *Stenonis Malteſij virtus & præmia.*

Adeo retro citroque modo proſperæ, modo adverſæ res illis temporibus fluebant, quæ domi procerum diſſenſione, foris inopiâ ærarij per avaritiam præfectorum militumque licentiam turbabantur. Unde factum ut à debili infirmoque exercitu fortuna ſæpe belli penderet, fœdiſque cladibus, etiam connivente Ordinum patientiâ, ſurgentis reip. primordia inſignirentur. Tantum Angliæ ac Germaniæ, tum circumjacentium locorum è quibus auxilia ſupplementaque legionum habebantur, ſocietatibus dabatur, adnitentibus iſto tempore quam maxumè optumatibus ſua Philippum in Regem odia fidis aliorum Principum amicitijs velare. Igitur ne fœderato exercitui ſtipendia deforent, miſſus Amſtelodamum à Senatu Belgico Abelus Franckena, qui ſubſidia communi ærario ocyus peteret, avertendiſq; turbidarum legionum incommodis iter accelerare. Is acceptis Amſtelodami 23. aureorum millibus, quo Senatui Belgico apud Friſios adhuc agenti, allevandis militiæ oneribus traderentur, mox itineri Friſiam verſus ſe dedit, gratiſſimoq; adventu pecuniam ferendo velut neceſſariâ corporum refectione militem refocillavit.

Mox vergente eodem Novembri menſe, qui ut plurimum occidentibus Vergilijs procelloſus noxiuſque omni oræ maritimæ eſſe ſolet, vehemens tempeſtas coörta, quæ tonitruum fragore, intermiſtis fulminum ignibus, Floridi campi, quod Bolſuerdiæ vicinum eſt, cœnobium prodigio & ſimul damno multavit. Quippe poſt campanas turri vehementiâ fulminis detonantiumque nubium expulſas, majus quoque altare diſjecit, ſtatuaſque & imagines tum horti arborem & monialium veſtimenta demiſſo cœlitus igne ambuſſit. Quod inter prodigia relatum, auctâ ſimul peſtilentiæ, qua plurimi mortales rapiebantur, malignitate, provincialium ſollicitudinem metumque vertentium ſe, quaſi retortis ſideribus, temporum incendit. *Calamitoſa tempeſtas ac peſtis in Friſiâ.*

Quare odioſiore ſenſim Philippi nomine, quod publico per Brabantiam, Geldriam, Flandriam, Hollandiam, reliquaſq; provincias edicto jam ante damnatum erat, Senatus Belgicus Leovardiæ adhuc ſubſiſtens, poſt Doccomium, Slotam, Stauriam oppida, reliquaq; maritimæ oræ loca neceſſario opere ac commeatu emunita, ejurando quoque regio nomini ac ſimul imperio ordinavit, inligatiſque novo libertatis ſacramento Magiſtratibus, Prætoribuſque tum pagorum vicorumque magiſtris, Senatum quoque qui ſupremâ juris dicundi poteſtate fungebatur, velut regiæ venerationis dignitatiſque retinentem obligare religioni fœderis novæque libertatis conſtituit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cIↄ. Iↄ. LXXX I. Quare congregatis Ordinum Friſiæ Delegatis, citatoq; Senatu Juridico, litteræ Concilij Status ex decreto Ordinum Belgicæ quod menſe Auguſto perſcriptum erat, in publico prælectæ, quibus Rege à Senatu ejurato, novam ſacramenti dictionem Senatus Belgicus proponebat. Quod etſi Senatus Judicialis detrectaret, modo actorum copiam modo deliberandi capiendique conſilij tempus poſcens, ita non obſcura ſui in regem affectus ſigna edebat, ſeveriterque & cum rigore quæſitus, quid tergiverſationi obtenderet, diem in proximum, qui in Nonas Decembres 1581. incidebat, ſententiæ dicendæ animique exprimendi ſolemnitatem extraxit. Itaque tunc, ne judicium, quod tum cœptandum erat, juſtitio impediretur, præſente Senatu Belgico, Ordinum Friſiæ Deputatis ſacramentum dixit, fidemque patriæ & libertati datam publica regij nominis deteſtatione firmavit. Quâ actione durante Fecco Rhala Juriſperitus & Senator, qui conſeſſui intererat, damnatione regiæ majeſtatis imperijque propoſitâ, repentinâ morte exanimatus eſt. Quod ſive animo, ut creditum fuit, defectione correpto, ſive viri conſternatione ad tam duram vocem legemque inhorreſcentis factum fuerit in ſilentio eſt, hoc ſaltem de præclaro viro & libertatis patriæ amante traditum eſt, eum nec à Rege nec à libertate alienum moderatis conſilijs egiſſe.

Ejuratus Hiſp. Rex à Iuridico Friſiorum Senatu.

Quo in actu Fecco Rhala Senator exanimatur.

Franckena in Ephemeride notat, non obſcuro animorum motu habitam actionem fuiſſe, Senatumque Juridicum invitum, ut ſcribit, & frementem ſacramento Ordinum Delegatorumque ſe obligaſſe. Mox omnis actorum vis ac memoria, quæ CAROLO ſub Cæſare, mox PHILIPPO filio invaluerat, infirmata, ſigillumque ac nomen regium juſſu publico abolitum.

Ita Natalis LIBERTATI dies ortus, Belgicaq; & Friſiorum gens regijs imperijs exempta, factorum ſeriem temporaq; libertatis ab illo patrum Senatus-Conſulto inchoavit. Quare & adorata quæſitaque ad Gades Herculiſque Columnas CAROLI PHILIPPIQUE majeſtas Provincijs aſſignata regiumque imperium in formam REIPUBLICAE redactum velut fatalibus rerum ſuarum periodis, valido per Provincias fœdere evanuit. D. O. M. Laus & Gloria.

FINIS

Hiſtoriarum P. WINSEMI.

MARTINI à WYBINGA
Iuris-Conſulti & Anteceſſoris Ordinarij in
Illuſtri Friſiorum Academia Franequerana,

Laudatio Funebris

HABITA

Poſt Exequias in Templo Academico,

IN HONOREM AC MEMORIAM

Viri Excellentiſsimi, Clariſsimi ac Spectatiſsimi,

D. PIERII WINSEMII, IC.

Illuſtr. ac Præpotentum ORDINUM
Friſiæ Hiſtoriographi Celeberrimi, Eloquentiæ
Profeſſoris Famoſiſſimi, in ACADEMIA Patria.



LEOVARDIÆ,
Excudebat CLAUDIUS FONTANUS,
Illuſtrium ORDINUM Friſiæ Typographus Ordinarius.
ANNO CIↃ. IↃC. XLV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Conſultiſſimi ac Spectatiſſimi,

Almæ hujus Academiæ CURATORES;

Illuſtrium ac Præ-potentum ORDINUM FRISIÆ DEPUTATI graviſsimi;

MAGNIFICE D. RECTOR;

Clariſſimi, Conſultiſſimi, Acutiſſimi,

DD. PROFESSORES, Collegæ honorandi,

VIRI NOBILES,

Ampliſſimi, Conſultiſſimi, ac Spectatiſſimi,

DD. CONSULES;

Reverendiſſimi ac Doctiſſimi,

Myſteriorum Divinorum Diſpenſatores, Animarum PASTORES Vigilantiſsimi;

Doctiſſimi ac Spectatiſsimi,

DD. Doctores, Licentiati, ac Magiſtri;

Amici, Conſanguinei, & Affines denati μακαρίτου;

Cæteriq; Viri Doctiſſ. Honoratiſſ. ac Spectatiſsimi.

Tuque Nobiliſsima, Doctiſsima, Lectiſsima, ac Ornatiſsima,

Studioſorum CORONA, Flos & decus Academiæ noſtræ.

QUANTIS calamitatum, miſeriarum, ærumnarumque fluctibus graviſſimis ac decumanis, genus humanum paſſim obnoxium ſit: teſtatur continua ac jugis rerum humanarum triſtis ac ſubitanea mutatio & cataſtrophη. Teſtatur in primis celeberrima ac famoſiſſima hæc ACADEMIA PATRIAE, quæ proh dolor! non quotannis: verum ſingulis fermè ſemeſtribus aut trimeſtribus, graviſſimo lethalique vulnere ſauciatur ac lancinatur. Ut enim unda undam trudit: ſic publicus luctus & ſqualor, publicum antecedentemque è veſtigio ſubſequitur. Exceſſit, pronuper ex hac vita, campoſq; Elyſæos petijt, unde negant redire quenquam, *Nobiliſsimus, Acutiſſimus nec non Theologorum hujus ævi facilè Princeps* JOHANNES MACCOVIUS *SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor primarius, Collega conjunctiſſimus ac dilectiſſimus.* Hoc graviſſimo vulnere Academico non contenta, non

ſatiata, dira ac implacabilis illa DEA MORTA, iterum ex improviſo, quaſi per cuniculos aggreditur ac adoritur, ipſas *Athenas Attico Friſiacas, ac incomparabilem ſummumque virum, Clariſſimum Collegam Dominum* PIERIUM WINSEMIUM, *I. V. Doctorem, Eloquentiæ Profeſſorem, Patriæ Hiſtoriographum, Academiæ decus ac columen æternum*, præter omnium bonorum ac doctorum virorum votum, præter omnem expectationem in ipſo florentis ac vigentis ætatis flore atque vigore (lucis præſentis) uſurâ privavit.

— — — — — Nec non Fati
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.

Ex hoc clariſſimi ac celeberrimi viri diſceſſu ex hac vita, quantum publica ac Academica res, detrimenti capiet, ſentiet, teſtabuntur fortean ſeri noſtri nepotes, omneſque illi quibus ſtudia, bonæque artes curæ ac cordi impoſterum erunt. Hujus igitur ſummi ac incomparabilis viri exequias, dum omnes ac ſinguli hodie pulla veſte, longoque ſyrmate ex officio caritatis ac Chriſtianæ Συμπαθείας iverimus leſſumque fecerimus. Unicum hoc tandem, *Auditores Ornatiſsimi*, reſtat, ut ex laudabili inſtituto huius Academiæ pijs manibus denati Μακαρίτου parentemus: Quamvis quidem clarorum virorum fama, ex ſe æterna, ex ſe quoque immortalis ſit: Nihil tamen unquam ſanctius habet habuitque reverentia ſuperſtitum, quam ut amiſſos cum pia veneratione ac memoria recordetur: dandum enim hoc illuſtrium virorum poſteritati (Tacito teſte) ut quomodo exequijs, à promiſcua ſepultura mortalium ſeparentur. Ita in traditione ſupremorum accipiant, habeantque propriam memoriam ac laudem. Sic enim olim Athenienſium Oratores, eos qui bello Perſico ad Platæas mortem fortiter pro ſalute patriæ oppetierant, funebri laudatione publicè proſecuti ſunt. Sic quoque *Fabius Maximus Publium Scipionem*, Sic *Iulius Cæſar Iuliam Caÿ Marÿ* uxorem, amitam ſuam, ampliſſimis ac maguificis verbis in ſupremo funere publicè pro concione ornârunt ac laudârunt. Sic & *Appÿ Decemviri* defuncti funebrem laudationem ſequutis temporibus, æquis auribus Plebs Romana audivit ac accepit.

Qua quoque de cauſa indubiè moti, proximi heredes ac amici denati noſtri Collegæ ac Μακαρίτου etiam atque etiam à me flagrantiſſimè & inſtanter petierunt, ut hoc extremum Chriſtianæ pietatis officium in me reciperem. Acceſſit quoque præterea Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI decretum, quo, per Delegatum, hanc dicendi Provinciam impræſentiarum humeris meis impoſuerunt, quod pietatis, quod humanitatis officium, tum SENATUI ACADEMICO Ampliſſimo, tum denati Μακαρίτου amicis, nullam excuſationem planè pleneq; admittentibus, tum imprimis familiari amicitiæ, quam cum demortuo, conſtanter, pie, religioſe ſemper colui & habui, me debere exiſtimavi. Verum enimverò cum probe novi, quid humeri valeant, quid ferre recuſent, & quam curta domi nobis ſit in dicendo ſupellex. Proinde omnes ac ſingulos (*Auditores Ornatiſſimi*) vos etiam atque etiam rogatos volo, ut præſentem hanc Oratiunculam non gravate accipere & excipere dignemini, in qua ſi fortean verborum pondus, elegantia, ſplendor, cæteraque oratoria ornamenta deſiderentur, cogitate quæſo, non ab Rhetore, aut Rhetoris filio proficiſci, verum ab eo, qui parum aut nihil à facundia poſſit. Ne igitur (*Auditores Ornatiſsimi*) diutiùs animos veſtros, longa per exorſa, ſuſpenſos teneam, (novi enim optimè quàm odioſa ac tædioſa ſit Circenſibus pompa) paucis &

Laco-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Laconicè orationis penicillo adumbrabo, ac delineabo noſtri Μακαρίτȣ nativitatem, educationem, ſtudia, vitam, mores & mortem.

Nativitatis locum quod concernit, natus eſt ὁ Μακαρίτης Leovardiæ Friſiorum, Anno Æræ Chriſtianæ Milleſimo Quingenteſimo Octuageſimo ſexto, quæ totius provinciæ noſtræ caput ac Metropolis eſt, claris ac ſtupendis ingenijs, clara ac ſuperba, juxta illud Poëtæ.

Doctorum genitrix L E O V A R D I A *clara Virorum.*

Permagni ut plurimum refert an quis Vervecum in patria, craſſoq; ſub aëre,
Colchiſne natus an enutritus Athenis ſit.

Sic *Plato* (uti memoriæ proditum eſt) imprimis maximam fœlicitatis ſuæ partem urbi, in qua natus ac educatus erat, adſcripſit: *quotidie Dis immortalibus ſingulares gratias referens, quod Athenis non Thebis natus eſſet*, non ſecus ac ſi tacitè Philoſophorum Princeps innueret ſumma ac excelſa ingenia, & ad magna nata, non niſi in ſummis ac excelſis locis lucem aſpicere. Quod nativitatis præſagium ſi verum unquam fuit, ſane in noſtro Μακαρίτῳ veriſſimum fuit.

Ad Parentes quod attinet: honeſtiſſimis ac præſtantiſſimis eſt natus Parentibus; patrem habuit, *Virum Clariſsimum omnigenâ Literaturâ politiori & Philoſophia, nec non arte Oratoriâ exercitatiſſimum, Liberalium artium Magiſtrum* H A J O N E M P I E R I I W I N S E M I U M, *Præfectum ludi literarij Leovardienſis vigilantiſsimum*: Matrem habuit T H O M U L A M M E N E M I A M, *Matronam honeſtiſsimis civibus Leovardienſibus oriundam.* Præterea fratrem M E N E L A U M W I N S E M I U M, *SS. Medicinæ Doctorem*, Πράξεως, *Anatomices, & Botanices Profeſſorem*, donec patria Academia ſtetit, per viginti (& quod excurrit) annos longè celeberrimum. Scilicet (Poëta teſte)

F O R T E S *creantur fortibus, & bonis:*
Eſt in juvencis, eſt in equis, patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Hujus patris prædicti (ut revertar ad id unde digreſſus) ὁ Μακαρίτης noſter & χειραγωγία, aut privatâ manuductione in ſtudijs ſuis tantum profecit, ut poſtmodum accedente inſtitutione *ConreЕtoris* T H E O D O R I L A V E R M A N N I, imprimis verò ſuperveniente tandem inſtitutione *clariſſimi viri* J O H A N N I S F U N G E R I *I. V. & Medicinæ Doctoris, Scholæ Leovardianæ Gymnaſiarchæ quondam longè famoſiſſimi ac fœliciſsimi*, ut brevi temporis ſpatio reliquos ſuos condiſcipulos longis paraſangis fœlicitate, dexteritate ingenij ac profectu ſtudiorum anteceſſerit, ita ut anno ætatis ſuæ decimo-quarto, poſt varia ſingularis eruditionis ſpecimina, in Latina ac Græca Poëſi, nec non in Orationibus methodicè diſpoſitis facundeque habitis, ex anguſtis ſtudiorum carceribus emiſſus, & quaſi à patre manumiſſus aut emancipatus, ad auguſta, ingenua, ac liberalia Academica ſtudia & exercitia publica fuerit admiſſus, ac receptus in album aut matriculam Academiæ, Anno milleſimo ſexcenteſimo primo, decimo tertio Aprilis, *Rectore ac Dictatore Academico magno illo* (piæ memoriæ) J O H A N N E A R C E R I O T H E O D O R E T O, *Græcæ linguæ Profeſſore Celeberrimo*,

Academiam hanc vix ac ne vix ingreſſus, mox Orationem publicam pro Roſtris Academiæ habuit in ſolemni panegyri, ad admirationem ac ſtuporem Auditorum ac clariſſimorum Dominorum Profeſſorum, cum adhuc ejus eſſet ſtaturæ ac proceritatis ut hypopodio ſtatura ſublevanda fuerit, ne forte alias ſannâ poſticâ aut anticâ ab auditoribus exciperetur, aut explc deretur. Ingreſſus hanc Academiam mox invenit amicos ac Mecœnates magnos, imprimis *in Græca Lingua* JOHANNEM ARCERIUM THEODORETUM; *in Logica clariſſimum Dñum* LOLLIUM AB ADAMA: *in Phyſica magnum illum* HENRICUM DE VENO *I. V. & Medicinæ Doctorem, Liberaliumque Artium Magiſtrum*, ſub cujus præſidio plurimas quæſtiones in publico congreſſu acute defendit, tantâ cum animi alacritate, tantâ promptitudine, tanto judicio, ut ipſus Præſes in publica diſputatione, Collegam ipſum nominare ac ſalutare, non dedignatus fuerit.

Horum fideli ne dicam paternâ inſtitutione pro tempore uſus, tandem ad ſtudium Medicinæ animum applicuit: ut autem cum fructu fieret, nihil prius aut antiquius noſtro Μακαρίτῃ fuit, quam ut ſe in ſingularem favorem clariſſimorum DD. Profeſſorum, præſertim *Clariſsimi Domini* AULAETIJ: nec non *viri Celeberriwi* RAPHAELIS CLING-BYL inſinuaret, ſub cujus quoq; præſidio publicè de igne elementari diſputavit cum ſumma circumſtantium admiratione: uſq; adeo ut in publica diſputatione Præſes aut Moderator publice in hæc verba eruperit. *Quis Spiritus hunc Iuvenem ac Reſpondentem agit? videtur ad magna natus.* Paulo poſt Athenas Friſicas ὁ Μακαρίτης deſerens, ut uberiorem ſtudiorum ſuorum fructum & meſſem conſequi poſet (tanquam ad uberiorem mercatum) ſeſe ex conſilio patris, rectâ Lugdunum Batavorum contulit. In qua illuſtri ac celeberrima Academia itidem (uti Franequeræ fecerat) in omnium Dominorum Profeſſorum gratiam ac ſingularem favorem ſe inſinuavit, præſertim in gratiam ac amicitiam *clariſsimorum Dominorum Profeſſorum* PAVIJ, VORSTIJ *Medici*, HUERNIJ, DANIELIS HEINSIJ, nec non MERULAE, quorum omnium inſtitutione ac familiaritate quotidie uti frui noſtro Μακαρίτῃ in ſummis delitijs fuit, qui omnes & ſinguli ipſum ſingulari affectu, amore & favore proſequebantur, ſummaſq; ingenij dotes admirabantur ac venerabantur. Ne tamen cochlearum inſtar, aut domi ad focum deliteſceret, aut in una atq; altera Academia conſeneſceret aut oberraret, relictâ Leydâ cenſuit exteras regiones & Academias quoq; luſtrandas eſſe,

—— —— Et ire per omnes
Terraſque tractuſque maris. —— —— ——
Vt mores hominum multorum cernat & urbes.

Voluntariumq;, (amore literarum) exilium decennale in ſe ὁ Μακαρίτης ſuſcepit, biſque ſe in Germaniam omnium nationum matrem, ſtudiorumq; alumnam & altricem ſe recepit: ibidemque mutato ſtudij Medici curſu, ſe ad divinarum ac humanarum rerum ſcientiam, juſti atque injuſti notitiam, artem æqui & boni, id eſt, ad Juriſprudentiam ſe contulit, ſive hoc aut proprio Naturæ ductu ac inſtinctu factum ſit, ſive amicorum Mecœnatumque hortatu ac ſuaſu, nec ne, non ſatis conſtat. In Germania ubi vixit Helmſtadij, Erfordiæ, Jenæ alijſq; in locis, ſummam quoq; mox cum ſummis viris ac Juris-Conſultis familiaritatem ac amicitiam inivit ac contraxit. Imprimis vero Jenæ cum magno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

gno illo Juriſ-Conſultorum Coryphæo ac Dictatore conterraneo ſuo DOMINICO ARUMAEO *Friſio*, ex vicino pago *Arum* patricijs parentibus oriundo. Cum hoc Juris-Conſulto, nec non cum Conſiliario Ducis Brunſvicenſis *Doctiſſimo Domino* FOPPIO AB ÆTSEMA conterraneo familiariſſimè, quoque toto illo tempore quo in Germania hæſit ac vixit converſatus eſt. Poſtmodum relictâ Germaniâ contulit ſe ὁ Μακαρίτης, ut alias quoque luſtraret Academias longe celeberrimas, in Sueciam, nec non paulo poſt in Gallias, ut ſummis Galliæ Luminibus, Juris-Conſultis, Politicis, & Hiſtoricis quoq; innoteſcere poſſet, quibus omnibus in locis, propter ſingulare ingenij acumen & naturæ donum, apud ſummos Juris-Conſultos, Politicos, ac Hiſtoricos in ſummo honore ac æſtimio fuit; qui omnes ac ſinguli, ſingulari amore & favore, qua publicè, quâ privatim Μακαρίτην proſequebantur. In Gallijs dum agit, ut ſtudiorum ſuorum fructum conſequeretur, debitoſque virtuti ac eruditioni honores ac dignitates reportaret, viſum ipſi fuit, ad Lauream Doctoralem adſpirare, eamq; Anno Milleſimo, ſexcenteſimo, undecimo, vigeſima prima Menſis Aprilis in Academia Cadomenſi, poſt publicam Diſputationem de Teſtamentis habitam, conſecutus eſt præſentibus multis Proceribus, Clariſſimis Dominis Profeſſoribus, Doctoribus, Licentiatis & Magiſtris, poſtquam cum ſummo omnium applauſu publicè diſputavit, qua diſputatione peracta, ſtupendum hoc ingenium omnes in admirationem ſui rapuit. Relictâ Gallia poſtquam per continuum decennium proprijs ſumptibus ætatem in diverſis celeberrimis Academijs egiſſet, viſum ipſi fuit, tandem rectâ in patriam ad amicos ac Mecœnates tendere, quos non paucos ſibi addictiſſimos ac faventiſſimos habuit, invenit, & fecit, uſque adeo ut quaſi mutua æmulatio ac concertatio pia ac religioſa inter illos fuerit, dubiumque ac ambiguum ſæpe foret, pluſne noſter Μακαρίτης diligeret ac æſtimaret Mecœnates: an verò vice verſâ illi noſtrum Μακαρίτην Domum reverſum, ne ſegne otium magnifico nomine velaret, Doctoriſque Titulum ac Gradum ad inanem pompam ac oſtentationem haberet, coram Suprema Friſiæ Curia (poſt immatriculationem) Praxin Forenſem exercere cœpit; Verum nec illa res fœliciter ipſi ex animi voto ac ſententia ceſſit, mox enim in ipſo ingreſſu ac praxeos limine defecit, ac deſcivit, Foroq; valedixit, repudium miſit, divortiumque à Foro fecit, juſſitque (more ſolenni Romano) forenſes res ſuas ſibi habere. Moxq; ad theoreticum, tranquillum, modeſtum, ac placidum vitæ genus ſe contulit, rus in Tuſculanum ſuum nimirum privatus, ut altum dormiret, nec non ut tanto liberius philoſophari ac meditari poſſet remotis arbitris.

Scilicet, ſeceſſum ſcribentes & otia quærunt.
Sylva placet Muſis, urbs eſt inimica Poëtis.

Vel quia cum Poëta Lyrico, beatum illum exiſtimavit.

— — Qui procul negotijs
Ut priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercent ſuis
Solutus omni fœnore
Forumque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina. — — —

Laudatio Funebris

Dum totus in theoretico ac ſolitario hoc rureſtris vitæ genere eſt, ſeque privatis Muſis oblectat, ecce derepente ex improviſo ad graviſſimum ac præclariſſimum Hiſtoriographi munus ab Illuſtribus ac Præpotentibus Friſiæ ORDINIBUS vocatur, non ſecus ac ſi patriæ Proceres Clariſſimo Μακαρίτῃ doctum hoc & ſolitarium otium inviderent, exiſtimantes ſcilicet tam nobile ac portentoſum ingenium ruri non debere in privatis ſpeculationibus conſeneſcere aut torpeſcere, verum illa meditari, aggredi, æternæque memoriæ poſterorum conſecrare, quæ ab ipſo Regifugio inter Potentiſſimum REGEM HISPANIAE, nec non inter PROCERES hujus provinciæ domi & foris geſta ſunt, poſt violatas Leges fundamentales UNITARUM PROVINCIARUM, poſt violatum Jus Gentium, poſt violata Fœdera, poſt violata Pacta publica, poſt violata pedibuſque conculcata, (tyrannide Hiſpanicâ) Privilegia Majorum: Et quod caput rei eſt, poſt introductam tyrannicam Conſcientiarum mortalium Inquiſitionem, Orthodoxæque Religionis Reformatæ ſuppreſſionem & extirpationem. Hanc Hiſtorici Patriæ Spartam ac Provinciam ſibi ab Illuſtribus ac Præpotentibus ORDINIBUS hujus Provinciæ concreditam, fideique ſuæ commiſſam, quantâ cum laude immortalique famâ Μακαρίτης noſter ad æternam memoriam decuſque Patriæ exornârit, teſtabitur ipſa HISTORIA, quæ jam ſub prælo eſt, brevique lucem aſpectura eſt, inſtantibus proximis comitijs Patriæ. Ex eo enim tempore, quo primam Hiſtoriæ ſuæ partem publici fecit juris mox quaſi agminatim per literarum commercium viri totius Europæ celeberrimi ac famoſiſſimi (profundam eruditionem Μακαρίτου admirantes) primas ipſi detulerunt, atq; ad cœlum uſque laudibus encomijſque extulerunt, uti videre eſt ex literis incomparabilis ac immortalis Herois JOSEPHI SCALIGERI, HUGONIS GROTIJ, PAULI LUBBERTI *Legati Illuſtriſsimi Regis Sueciæ*, DANIELIS HEINSIJ, PONTANI, CATZIJ, GRASVINKELIJ, ZEVECOTIJ: nec non quoque liquet ex commendatione AMMIANI STRADAE *Ieſuitæ Romani*, qui non ſemel atque iterum verum multoties in Hiſtoria ſua noſtri Μακαρίτου honorificam mentionem facit, ſummèque commendat. Verum Hiſtorici Patriæ munus cum per viginti quatuor aut quod excurrit annos, Μακαρίτης fideliter bona fide obiviſſet. Viſum deinde Illuſtribus ac Præpotentibus Friſiæ ORDINIBUS, nec non Nobiliſſimis ac Ampliſſimis Almæ hujus Academiæ CURATORIBUS, Μακαρίτῃ noſtro propter ſummam ſpem quam de illo conceperant, injungere ac demandare quoq; ordinariam Hiſtoriarum & Eloquentiæ Romanæ Profeſſionem, quam Anno Milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſexto, die VII. Decembris, poſt publicam inaugurationem, *Rectore clariſsimo Collega* GEORGIO PASORE, (*piæ memoriæ*) aggreſſus eſt, in qua profeſſione quantus Μακαρίτης fuerit, vos Friſij, vos Belgæ, Germani, Sueci, Sarmatæ, Ungari, Dani, Norvegi, Galli & Angli, qui quotidie ad ipſius lectiones, publicas agminatim tanquam ad uberem mercatum confluxiſtis: teſtes omni exceptione majores eſſe poteſtis. In hac Academica dignitate ab Illuſtribus ac Præpotentibus Friſiæ ORDINIBUS conſtitutus, Ampliſſimos quoque Academiæ honores ac dignitates Anno CIↃ. IↃC. XXXIX. ſuſtinuit, Recturæque honos ipſi concordibus SENATUS *Academici* ſuffragijs demandatus eſt, in qua ſumma dignitate ac Præfectura Academica poſitus, ſe muneri iſti parem oſtendit, juxta illud tritum Græcorum proverbium ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι, id eſt, Magiſtratus virum oſtendit, cum alias, Tacito teſte, *Plurimi*

bo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

boni ſint ante imperium, pauci in imperio. Legeſque Academicas quas ſartas tectaſque ſe conſervaturum juraverat, piè, religiosè & maſculè defendit, & quidem eâ tempeſtate, quâ boni mores in hac Academia proh dolor! non colebantur, ſed exulabant. In Academica hac dignitate poſitus ὁ Μακαρίτης cum per octennium firmâ ſolidâque valetudine ut plurimum præditus fuiſſet, poſt varia edita eruditionis ſuæ monumenta, poſt HISTORIAM ad umbilicum deductam, poſt SYRIUN editum, poſt AMORES editos, poſt varias editas ORATIONES FUNEBRES. Tandem pridie calendarum Novembris anni præſentis CIↃ. IↃC. XLIV. qui dies erat Mercurij, mane Lethargo exquiſito, ac legitimo corripitur ac infeſtatur, uſque adeo ut mox neminem Amicorum aut Collegarum dignoſceret aut alloqueretur, verum toto decubitus tempore omni loquelâ, & quantum extrinſecus dijudicare licuit, etiam omni rationis uſu & ſenſu deſtitutus fuerit. Hoc gravi ac triſti ſpectaculo attoniti ac contriſtati Amici ac proximi Hæredes, eveſtigio atque confeſtim curaverunt vocari *Clariſſimum Dominum* PHOCYLIDEM HOLVERDA, nec non *Doctiſſimum* VIBRANDUM REVIUM *SS. Medicinæ Doctores*, qui poſt varias deliberationes ac conſultationes, ultrò citròque habitas, judicabant ex re ægri eſſe, tertium Medicum vocari, ne quid temerè in tam periculoſo ſymptomate aut morbo acuto ſtatueretur. Evocatur igitur Harlinga, D^r. JOHANNES ANSTA, *Medicus ejuſdem Reipublicæ Ordinarius*, ac Practicus ſummus, ἰατρὸς πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Hic ubi nocte concubia aut intempeſtâ appuliſſet, communicato conſilio, cum prædictis Medicis, ſuaſit φλεβοτομίας aut venæ ſectionem inſtituendam ac tentandam eſſe, quæ etiam mox ſubſecuta eſt. Verum enimvero cum ne ſic quidem, fœliciter hoc negotium ſuccederet ex voto & opinione Medicorum, proinde de alijs quoque medijs aut remedijs inter Medicos deliberatum ac diſceptatum fuit, quæ tamen pro illo temporis momento dilata fuerunt, donec aut melior & commodior εὐκαιρία occurreret, aut ſe offerret. Verum enimvero cum poſt tentata omnia remedia, quæ in hoc caſu, ex Medicorum opinione ac ſententia, aut ſchola & adhiberi ſoleant & applicari, incaſſum cederent, deceſſit interim Μακαρίτης Vir Clariſſimus ex hac vita, quarto Nonarum Novembris, circa mediam ſeptimam veſpertinam, Anno ætatis quinquageſimo octavo. O triſtis, funeſta, infauſta nox! nigro ſignanda lapillo, quæ omnium Doctiſſimorum virorum noſtri ævi facile Principem nobis ademit ac ſuſtulit! Suſtulit Academiæ noſtræ Ocellum, ſuſtulit Patriæ Lumen ac Decus æternum; ſuſtulit conſummatiſſimæ eruditionis ac Πολυ-Hiſtorias virum incomparabilem; de quo ipſa Fama mentiri veretur. Verum enimvero fruſtra leſſo ac immodicis lachrymis denatum Μακαρίτην proſequimur, qui optimo jure illud Poëtæ uſurpare, ſibique vindicare potuit.

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu
Faxit, nam volito docta per ora virûm.

Ille præceſſit, nos ſequemur omnes ac ſinguli; illum non amiſimus, ſed præmiſimus.

Seriùs aut citiùs ſedem properamus ad unam.

Omnibus nobis ſemel calcanda eſt via lethi, quicunque terræ munere veſcimur: Subductus eſt tot calamitatibus, infortunijs, ac concuſſæ Europæ motibus

tibus

tibus ac turbis præſentibus, maximiſque periculis quæ nos manent. Ille cœ-
leſtis Aulæ incola ac municeps, terrena omnia ex alto deſpicit ac ridet.
Ille jam omnium calamitatum ac dolorum expers, in gremio Abrahæ con-
quieſcit. Nos hic quotidie morimur, ſingulæque horæ aliquid de vita no-
ſtra demunt, ludibrium ſumus fortunæ, fragilitatis exemplar, lachrymarum do-
mus, curarum omnium carcer. Igitur quod reſtat, ſalve terque quaterque,
mî beatiſſime WINSEMÎ, qui ſupra orbes cœleſtes evectus, curas mor-
talium deſpicis, qui jam in ſuprema cœleſti Curia maximus Profeſſor; qui non
purpurâ, verum niveo indutus es virtutis ac æternitatis Amiculo ac Stolâ,
qui pro REPUBLICA, pro ECCLESIA, pro ACADEMIA
noſtra ad genua divinæ MAJESTATIS ac potentiæ humiliter te ſubmittis
ac incurvas. Iterum ſalve atque vale, beatiſsima WINSEMI ANIMA.
Nos ubi decretoria aut fatalis illa hora affulſerit, rurſus tuo grato ac venera-
bili adſpectu fruemur in æternum, cum omnibus fidelibus, freti πληροφορίᾳ ac
meritis unici Salvatoris ac Mediatoris noſtri IESU, cui cum PATRE &
SPIRITU SANCTO, DEO TRINO & UNO, ſit laus & glo-
ria in ſecula. AMEN.

DIXI.

IN-

INDEX Rerum memorabilium in Pierij Winſemij Hiſtoriâ Friſicâ.

A.

ABBATES *Friſiæ de novo epiſcopatu reſpondent Trajectenſi Epiſcopo*, Pag. 57. *citati nolunt ad concilium venire*. 56.

Abelus Franckena in Hollandiam mittitur, Pagina 280. *de eo paſſim.*

Æbinga Hector adverſatur exercitio religionis reformatæ, pagina 75.

Adoardicum emiſſarium à Lalainio occupatur, 511. *præſidium ejus cæſum & cœnobium magna parte exuſtum*, 513.

Adolphus Naſſovius in prælio cadit. 106.

Adrian. Antonius Alcmarianus Geometra. 472.

Ægidius Barlamontius Friſiæ præfectus, 140. vide *Barlamontius.*

Ægyptij erronum genus coërciti, 38.

Ærarium in ordinem redigitur, 402.

Aggæus Albada, 383. *multa de eo, præcipuè in pacificationis Colonienſis negotio ad annum.* 1579.

Aggerum præfecti Leovardiam vocati & remedia inundationi quæſita. 175. *agger marinus.* vide *Gaſpar Robleſius.*

Agrarij Ordines ſubſidio ad bellum Gallicum Caroli V. ægrè aſſentiuntur. 22. *cupiunt ſibi totam dominationis vim tribui excluſis oppidanis*, 25. vide *plura in Ordines & diſſenſio Ordinum*,

Albanus Dux deſtinatur in Belgium, 77. *advenit*, 94. 96. *edicta promulgat*. 97. *ejus aſtuta crudelitas*, 98. *vincit Ludovicum Naſſovium*, 109. 110. *Cogitat Delfzilam urbem facere*, 111. *Culenburgiorum palatium diruit*, 114. *Triumphat de oppreſſo Belgio*, 115. 116. *centeſimam, viceſimam, decimam urget*. 118. 119. *renovat edictum Caroli V. ex anno* 1550. 120. *publicat edictum veniæ*. 125. *fœderatas urbes ad defectionem ſolicitat*, 176 *miſſione impetrata concedit in Hiſpaniam*, 180. 185. *ejus ſtatua diruta*, 208.

Alexandri Farneſij nuptiæ cum Maria Portugallica, 60. *conſtituitur Gubernator Belgij*. 341. *alit diſſenſiones Belgicas*. 382. *æger eſt inopia æris*. 415. *Groningam liberare meditatur*. 479. *auxilia mittit*. 483.

Alcmaria obſeſſa à Friderico Albano. 179.

Alençonius ſeu Andinus diſceſſum cogitat. 353. *haud facilè mitigatur*, 354. *Ejus revocationi adverſantur Friſij*, 536. *principatus & regimen illi decernuntur*, 508. *Iterum de eo actum*, 520.

Amelandia ab Entenio direpta, 136.

Amoralius Egmondanus capite plectitur, 108. vide *Lamoralius.*

Anabaptiſtæ petiti edictis. 9. 19. 99.

Anglicæ naves à fœderatis direptæ, 227. *Anglicum fœdus non procedit*, 302. *Anglicæ legionis ſub Norritio inſolentia*, 539. *Anglici panni*, 52.

Anna Oldenburgica comitiſſa Emdana moritur, pagina 237.

Anna Auſtriaca Philippo nubit. 128.

Anna Herennia deſerit cœnob. novum, 47.

Annonæ caritas. pagina 16. 97. 202.

Antonius antè Hogebeintanus ſacerdos primam concionem reformatam publicè habet. pagina 70.

Antonius Perenottus Cardinalis Granvellanus Conſiliarius Philippi, 27. *miniſter & aſſentator Romanorum Pontificum pollet ſolus apud regem*. 44. *opponunt ſe illi principes aurei velleris*, ib. *concedit in Hiſpaniam*, 45. *mora pacis Colonienſis*, 413.

Antonius del Vailius captus. pagina 523.

Arembergius comes Friſiæ præficitur à Carolo Cæſare, 1. *Ejus præfectura turbulenta*, ibid. *Cum Friſijs voluntarijs Caſtellum in Gallia capit*, 18. *poſcit ſubſidium, quod negatur niſi reſtitutis commiſſis in privilegia*, 34. 35. *promittit ſuppletionem à rege*, 35. *cogitur minus petito recipere*, 36. *Pontificiam religionem reſtituit Leovardiæ*, 79. 80. *Iraſcitur Fœderatis & Ordinibus*, 84. *militem clam colligit*, 85. *duas militares cohortes in urbem Leovardiam introducit*, 88. *in Brabantiam proficiſcitur ad adventum Albani*, 94. *du-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

cit auxilia Belgica in Galliam, 98. 99. proficiſcitur contra Ludovicum Naſſovium, 104. 105. vincitur & occumbit. ibid. Exequiæ ejus, 107. viginti octo Leovardienſes exilio multat. Ibidem.
Arnoldus Gemenius. pagina 377.
Arteſij & Hannonij à cæteris provincijs deficiunt, 359. ad eos Philippi literæ, 360.
Aurantius in Germaniam concedit. 95. conſumitur ejus exercitus apud Trajectum, 112. claſſem in mari comparat. 120. exercitum colligit, 139. conventione cum Carolo IX. Friſiam ſortitus eſt, 151. Cum Ordinibus externa auxilia imploranda cenſet. 233. mittit in Angliam, 235. Eius literæ monitoriæ de Iohanne Auſtriaco. 261. ab Ordinibus evocatus Antverpiam & Bruxellas proficiſcitur. 295. Ejus conſilium de circumveniendo Auſtriaco, ibid. Brabantiæ præficitur. 301. Quidam procerum malè in eum affecti, ibid. Andinum & Arteſios placare nititur, 360. de novo fœdere Belgico cogitat. 364. Vltrajectino fœderi ſubſcribit. 386. conditiones à Swartſenburgio oblatas repudiat, 429. exercitum conſcribendum ſuadet, 436. inſtitui concilium ſtatus Belgici ſuadet. ibid. Andinum commendat. 437. in præfectum Friſiæ petitur. 475. 484. ſuſcipit. 499 in Friſiam venit & multa componit. 531.
Auſonius Galema præpoſitura Bolſuerdienſi donatur. 420.

B.

BAIOMENSE cœnobium provinciæ transſcriptum, Pagina 458.
Balduinus Loüs theſaurarius regius, 293.
Baptiſta Taxius Rennebergij vicem ſuſtinet, Pagina 537.
Barlamontius impellere creditur Philippum & Gubernatricem ad mala conſilia, 55.
Barthius Idſaerda ad Ordines Generales miſſus, 308. Vltrajectum, 375. de eo paſſim.
Bartholdus Entenius, 136. mari dominatur, 240. Oſtmahornâ fugatur, 241. victus & captus ab Hegemanno, 314. binas Friſiorum cohortes ducit, 388. Legio Friſica, quam Lalainius habuerat, ei commiſſa, 460. Hoſtis proclamatur à Senatu Groningano, 468. Reederium amnem oppilat, 473. Groningam obſidet, ibid. & ſeq. temulentus ſuburbana aggrediens glande ſternitur. Pagina 482.
Belgicos principes quid impulerit ut ſe Granvellano opponerent, 44. Eorum ſeceſſio Senatum Regium ſuæ poteſtatis facit ad introductionem novorum epiſcoporum, 45.
Belgici nobiles ineunt fœdus contra potentiam peregrinorum in aula Philippi & inquiſitionem, 60. expoſtulant & ſupplicant apud Margaretam, 62. Mittunt legatos in Friſiam, 66. capite plexi, 107.
Bernard. Merodius vicarium Friſiæ imperium accipit, 499. Cum vicaria poteſtate tolli mittitur ad obſidionem Groningæ, 481.
Bethlemæ virgines Matthiæ Archiduci ſupplicant, Pagina 486.
Biltani agri provinciæ applicati, 309.
Bleſſa vallo obducta. Pagina 455.
Bolſverdiæ rem mutat Bronchorſtius, 148. redit ad Robleſium. 157. Bolſverdia & Eloſto ſeptuaginta ſex Familiæ in exilium pulſæ, 217. Bolſverdij pro reformatis templa petunt, Pag. 390. Eorum querelæ ob novas indictiones, 347. Bolſwerdia Vltrajectino fœderi accedit. 389 Io. Bongam cum præſidio recipere nolens turbat. 422. 423. Rurſum turbida, Pag. 431. 432. pontificij ibi Lalainio addictiſſimi, 439.
Boſſuvius capitur, 179. ejus ſtrategema, Pagina 335. moritur, Pagina 356.
Breda prodita, Pagina 538. ibi conventus de pace, pagina 220. & ſeq.
Brederodij literæ de nova foſſa devehendis Friſiorum commercijs ad Moſam & Vahalim, pagina 15.
Buchainum obſeſſum, pagina 508.
Burtanga muniri cœpta, 472. 473. id conſilium repetitum, pagina 481.
Buſtamantius caſtellanus Harlingenſis captus, Pagina 277.

C

CÆSAR dehortatur Ordines ab Andino, Pagina 478.
Caletum occupatur à Gallo, 21.
Campi paciſcuntur cum Lalainio. 327.
Carolus V. Cæſar imperium transfert in Philippum, 1. 2. Friſiam. 3. ejus edictum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

ctum de Religione confirmatur à Philippo 13. eius lex de legitimatione confirmata à Philippo, 14. moritur 25. funus ejus Leovardiæ factum, ibid. *mortem meditatur*, 26. *Ius Saxonis ac hæreditarij Friſiæ Præfecti nomine Germanici imperij accepit*, 39. *Sed deinde habuit ut annexam comitatui Hollandiæ*. ibid.
Carolus Philippi filius ſucceſſor à Patre deſignatur, 38. *occiditur*, 113.
Carolus Brimæus Groningam fugit, 106. *Friſiæ præficitur*, 109. *exſtinguitur*, 140.
Carolus Nitzenius Senatus regij præſes, Pagina 34. 42. 43. &c.
Carolus Roorda ab exulibus ad Aurantium ablegatur, 231. 232. *Franequerenſi Magiſtratui mutando mittitur à Lalainio*. Pagina 306. 307. *de eo paſſim*.
Carolus Nicolaus Senator jam dignitatem ambitu occupat, Pagina 237.
Carmelitarum cænobium Woldſendæ & Ilſtæ. Pagina 469.
Carnium eſus prohibitus, pagina 42.
Caſtrenantius pacem Colonienſem impedit duris poſtulatis, 396. 397.
Claſſis Aurantij ſub præfecto Bartholdo Entenio Amelandiam & Voricomium diripit. 136. *regia vincit fœderatam*. 158.
Clerus convenit in ædibus Præſidis Senatus regij de expenſis concilij Tridentini. 43. *reſpondet Friderico Archiepiſcopo Vltrajectino*, Pagina 106.
Cœnobia direpta, 458. 469. *deſerta*, 457. *eorum cenſus ærario additi*, 469. *ſcholis & templis deſtinati*, Pagina 475.
Cœnobitis & monialibus penſiones annuæ aſſignatæ, 458. 469. *eorum libidines & corrupti mores*. 540. 541.
Cometa fulget, 12. 25. 303.
Comitia turbida de fœdere Vltrajectino, 390. & ſeq. vide. *Ordines & alia loca*.
Concilio Status gubernatio Belgij cammittitur, 239. *Ejus literæ querulæ ad Maximilianum Cæſarem*, 246. *Regium militem declarat hoſtem*. ibid. *Palatinum Electorem auxilia adverſus Auſtriacum poſcit*, 294. *ejus obteſtatio apud exteros principes*, 296. *reparat bellum poſt cladem Gemblacenſem*, 318. *per Aldegondium à Cæſare & principibus Germaniæ auxilium petit*, 324. *cum Alençonio convenit*, 333. *eius numeroſus exercitus*, 352. vide *Ordines Generales*.
Conventus de pace inter Henric. Gallum & Philipp. Hiſpanum inſulis Flandriæ, 24. *Conventus concioneſq; religionis cauſa prohibiti*, 41. *Conventus regiorum & fœderatorum de pace Bredæ*, 220. & ſeq.
Cornputtius muniendi ſolers, 400. *præfectus cohortis*, 472. *de eo paſſim*.
Cornelius Moda, pagina 452.
Cornelius Weda centurio, pagina 469.
Coverdia munitur, 400. *incendio deformatur*, ibid. *muniri juſſa*, 472. *hoc conſilium repetitum*, 481. *Capta à Schenckio*. 495. *recepta ab Hohenloo*, 511.
Cruningius præſidet Doccomio, 145.
Cunera federatis accedit, 526.
Cunerus Petri Epiſcopatum Leovardienſem init, 121. 122. 123. 124. *provinciam totam obit*, 124. *cuſtodiæ datur*, 316. *non vult juri ſuo renuntiare*, 337. *ejus controverſia cum Achlenijs & Ludingakerkijs*, ibid. *Matthias Archid. illi æquior in aſſignanda annua penſione*, 368. *Bergomo Leovardiam abducitur*. 379. *eius patrimonium provinciæ cedit*, 422. *ejus canonicis ducenti annui aſſignati*. 355.

D

DAVENTRIA *capta*, 338. *Defectorum fœdus*. 381. 382.
Dekamæ cujuſdam in aula Farneſij proditoria in patriam conſilia. 490.
Deputatorum collegium ab Ordinibus Agrarijs erectum, 300. *Deputati Ord. Friſiæ ſcribunt ad Matthiam*, 316. *eorum prima indictio conventus Ordinum*, 320. *eorum libellus ſupplex de Epiſcopatu & Senatu regio ad Matthiam*, 394. *eorum conſeſſui leges ſcriptæ*, 409. *ſupplicant Aurantio ut præfecturam Friſiæ ſuſcipiat*, 484. *eor. electio ordinata ab Aurantio*, 532.
Didericus Sonnojus Boshuſij claſſem fugat, 107. *muniri jubetur Coverdiam & Burtangam*, 472. *Vollenhoam capit*, 523.
Didericus Bronchorſtius infundit ſe in Sylveſtres, 140. *Bolſverdiæ rem mutat*, 142. *Franequeram occupat*. 144. *Stauri enſ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

rienſe Caſtellum oppugnat, 145. claſſe adornata Doccomium tentat, 145. 146. Snecæ capitur, 157.
Diricius Fogelſangius Antverpiam Legatus contra Senatum regium, 379.
Diſceptatio de aggere marino, 133. 134. 135. 165. 166. & ſeq.
Diſſenſio in Friſia ſuper reſtituendo veteri dominatu, 344.
Diſſidia Ordinum Belgij ob religionem, 342. impediunt tributa, 381. inter Deputatos Senatumq; Iuridicum, 527. 532.
Doccomium à Scipione Scheltema occupatum, 147. receptum à Robleſio, 148. incenſum direptumq; 150. fœderi Vltrajectino accedit, 405. defenditur ab Hohenloo contra Lalainium, 498. fruſtrà oppugnatur à Schenckio, 502. munitur educto vallo, 538.
Dodo Larius, 530.
Dominicus Hottinga Oldermanus Bolſverdienſium, 156.
Dongriæ Orient. agger maximus reficitur, 328
Douwo Glinzius Groningæ decollatur. 149.
Douwo Sixma Vltrajectum legatus, 370.
Drentini fœderis acta, 481.
Duco Martna conſilia agitat cum Aurantio de occupanda Leovardia, 139. Friſici maris imperium habens claſſem regiam cogit diſpergi, 179. in mari & è mari dominatur, 227. 228. deputatus, 300. de eo paſſim.

E.

Ecclesiastica bona provinciarum Ordinibus permittuntur. 540.
Edictum de libris niſi cenſitis non excudendis, 39. contra iconomachos. 71. edicta aſpera per conventionem cum Arembergio & Margareta prohibentur. 80. 82. in ſacrilegos. 124. edictum perpetuum, 273. edictum veniæ Leovardiæ recitatum. 204. eo quinam exempti, 206. edicta religionis renovantur & publicantur, 216. de his querelæ, ibid. edictum religionis in Friſia, 433. de re nummaria lenem diſſenſionem creat inter Ordines Generales & Hollandiæ, 438. alia alijs locis.
Elbertus Leoninus, pagina 488.
Elizabetha Angliæ regina negat Requeſentio auxilium, 226. fœderatos tamen litoribus ſuis prohibet. 227. Ordinibus auxilia addicit & cum ijs novas tabulas fœderis facit, 304. increpat Ordines, quod Andini beneficia non agnoſcerent, 353.
Elizabethæ Valleſiæ mors, pagina 117.
Eloſtum, pagina 217.
Elpendamus datur carceri, pagina 85.
Eman. Philibertus Belgij præſes poſt Mariam Gubernatricem, 2. cædit Gallos, 18. ducit Margaretam ſororem regis Galliæ. 27.
Emckia Glinzia Heronis Burmaniæ vidua, pagina 591.
Epiſcopi novi, 37. 38. ſuſpecti tanquam inquiſitionis magiſtri, 44. eorum beneficia abrogata. pagina 351.
Epiſcopatus Leovardienſis inſtitutio, 37. 38. commendatio, 47. ei contradicunt Ordinum Deputati. Ibid. & Abbates Horti-Mariæ & Lidlumanus, 47. 48. negotium hoc manet in ſuſpenſo, 50. vide Cunerus.
Eraſmus Douma, pagina 379.
Ericus Brunſvigius tentat Hornam & Enchuſam, pagina 202.
Exciſa regia publicanis locatur, 476. cui oneri nobilitas ſe fruſtrà eximere ſtudet. Ibid.

F.

Fana Friſiæ direpta, pagina 469. vide Imagines.
Fecco Rhala Senator in actu ejurationis Philippicæ exanimatur. pagina. 558.
Feico Tatmannus Bruxellam mittitur, pag. 274. &c.
Fenæ Bantianæ & Scotanæ litem habent. 68.
Fenhuſæ agri paluſtris incendium. 543.
Feſtorum dierum celebratio. 42.
Feuterius Franequeræ cuſtodiæ datur. 256.
Focco Sibrandius Staurius regiæ claſſis præfectus à fœderatis in Dimeno lacu vincitur, pagina 163.
Fœderatos conventione ſe tutos putant, ſed urgentur ad formulam fœderis & ſocios fœderis edendum, 83. ſcelere Donckeri nautæ capti & ſupplicio affecti, 92. 93. excitantur & afficiuntur ſupplicijs. 99. exulum bona fiſco addicta, 100. commercia cum ijs vetita. Ibid. bellum decernunt. deque eo mittunt ad Aurantium. ibid. reſpondent Grosbecio. 103. citantur, 115. 116. fruſtra ſupplicant Spiræ, 125. eorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

rum ſupplicatio ad regem contra Albanum. 181. 218. Omnes proſcripti damnatiq; 194. fœderatorum Ord. conventus Dordraci, 219. fœderati Geeſterlandiam deprædantes à regijs circumventi ferro ſibi viam faciunt. 230.

Foxius Selſma, 446.

Foxius Haſſeltanus, 90.

Franciſcus Boshuſius Enchuſæ captus. 158.

Franciſcus Sonnius Legatus regius de novis epiſcopis, pagina 37. 38.

Franciſcus Baudimontius Graphiarius, pag. 485. 486.

Franequera de religione veteri neglectâ commonita à Senatu regio, 41. *occupata à Bronchorſtio*, 144. *Schouwenburgius ibi ſenatum provincialem conſtituit*, 152. *Robleſio deditur*, 157. *motus, quo capitur Feuterius*, 256. *magiſtratus Hiſpanicus inibi cum difficultate mutatur*, 306. 307.

Fridericus Albanus in obſidione Harlemienſi Robleſium evocat. 162.

Fridericus Hornius Iacobi comitis Hornani nothus Stauriæ ſatrapa & prætor Hemelolferdius obit, 208.

Fridericus Tauteburgius Archiepiſcopus Vltrajectinus evulgat epiſcopatus Leovardienſis rationem, 45. *citat Abbates Friſiæ ad concilium*, 55. *& excuſantes iterato*, pagina 56.

Friſia membrum Germaniæ. 39. *annexa Hollandiæ*, 39. 40. *Lalainij populationibus patet*, 515. *eâ expelluntur regij*, 526. *in eam incumbit tempeſtas belli*, 535.

Friſici nobiles in exilium concedunt, 90. *Quidam cum Batenburgicis Harlingæ capiuntur.* 91.

Friſici agri deſerti ob nimia tributa & incurſus, pagina 217.

Friſij ſoliciti pro libertate ſub Carolo & Philippo, 25. *indignantur ſupplicem libellum & fœdus nobilium malè accipi*, 65. *ſubnixi fiducia juris ſui indictiones reſcindunt*, 193. *& Senatum regium æmulatione accendunt.* ibid. *ſuo juri per ſocietatem Belgicam derogari nolunt*, 324. *indignantur ſe præteritis conventionem factam cum Alençonio malentes Germanicum principem*, 334. *volunt in concilio Status & collegio rationum aliquem è ſuis conſidere*, 345. *petunt ut quæ ex ærario ſuo alijs provincijs impenſa eſſent, in ſolutum cederent.* Ibid. *permittuntur ipſis ſua caſtella*, 348. *ad novum fœdus Belgicum ſolicitantur*, 364. *multi inclinant ad fœdus Atrebaticum*, 369. *de quo Montinius alijque gloriantur.* Ibid. *Vltrajectinum fœdus repudiant*, 371. *ſed recipientes prævalent*, 373. *ſolicitantur ad defectionem*, 416. *ab ipſis petuntur pecuniæ pacandis Bruxellenſium & Vilvordenſium præſidijs.* ibid. *Andini revocationi adverſantur.* 506.

Friſij maiores quidam innocentes plectuntur in minore Friſia. 230.

Frittema Petrus Snecæ occupandæ conſilium magno mercatur. 140. *legatus Antwerpiam.* 376. *&c.*

Frumentum exportari prohibitum, 40. *ſed id decretum antiquatur*, 41. *iterumque oppidanorum ſtudijs ſtatuitur.* ibid.

G.

GABINIUS *Selſma populum concitat Leovardiæ.* 69.

Gallicum bellum renovatur, 17.

Galli vincuntur ad Grevelingam, 23.

Gandavenſium res pacatæ, 354.

Gaſpar Robleſius præfectus præſidio Groningano, 116. *Snecam inani opera tentat.* 140. *& Bolſverdiam.* 141. *ſcribit ad antiſtites*, ib. *fit præfectus trium provinciarum inter Flevum & Amaſum*, 189. *eius aſpera dominatio.* 189. 190. 191. *duos ſeſtertios Floreno imponit ad aggerem ſtruendum*, 194. *aggerem ſternit*, 194. 195. *odia in eum aucta, quod peregrinos dignitatibus adhiberet*, 208. *regium mandatum de exactionibus novis obtendit urgetq;* 210. 211. & ſeq. *promulgat*, 215. *Texalia pulſus Flevolandiam occupat*, 230. *aggeris marini perfecti monumentum ſtatuit.* 241. 244. *malè tractat Stellam legatum pacificationis Gandavenſis*, 252. *capitur*, 254. *uxor eius cuſtodiæ data.* 255. *verum de ipſo judicium*, 257. *mittitur in Geldriam*, 278. *ab exulibus petitur in locum Rennebergij*, pag. 545. 546.

Gellius Ilſtanus commendator Neſſanus, 379.

Gelu intenſum, 16. 42. 51. 218. 524.

Gemmæ Friſij coſmocritica, 43. 51. *paſſim.*

Generales Ordines deliberant de revocando Andino, 414. *de reformando reipublicæ moderamine*, 421.

Georgius Lalainius Friſiæ præficitur, 264. *Senatus regius illi minus æquus*, 265. *recipitur ab Ordinibus Friſiæ*, 267. *ſtipendia militibus poſcit*, 269. *Leovardiam ingreditur captum trahens Robleſium & quoſdam Tribunos*, 271. *Stauriam*, 298. *præfectum impetrat*, 288. *recipitur hac lege ut cum Deputatis & ex eorum conſilio provinciam gubernet*, 289. 290. 291. *quatuor ſtuferos obtinet primæ penſioni ſtipendiorum militarium*, 292. *præſidia maritimis munitionibus educit*, 293. *eius clarum nomen ob ordinationem provinciæ*, 301. *Oppidorum Magiſtratus immutat.* 306. *Tranſiſalanæ præfecturam adeptus Campos obſidet.* 326. *qui paciſcuntur.* 327. *Magiſtratum per minores Friſiæ urbes immutat*, ibid. *Daventriam obſidet*, 337. *capit*, 338. *non vult prætorem facere contra mores receptos*, 350. *Groningam intrat*, 399 *Coverdiam munit*, 400. *invehitur in Tuentes præſulum factionem.* 408. *ad partes regias inclinat*, 416. *eius artes*, *Groningæ munimentis fidit.* 438. *Ordinibus eſt ſuſpectus*, 439. *deficit impulſus à ſorore*, 442. 443. 444. *detegitur*, 444. *tumultum excitat in Silveſtribus*, 469. *Abelum Franckenam cuſtodiæ dat, qui elabitur* 460. *ſerit Ordines Omlandiæ favere*, ibid. *ab Vſkenio monetur.* 462. *Aurantius conatur eum in viam reducere.* 463. *eius proditoria conſilia pateſcunt*, 464. *libere monetur ab Hildebrando conſule Groningano.* 465. *reſpondet ſimulatè*, Ibid. *Groningæ veteri magiſtratui novum ſubſtituit*, 467. *fruſtra ſolicitat Omlandios.* ibid. *& Tranſiſalanos*, 469. *pænitentia defectionis ductus, cum Groningæ obſideretur, confirmatur à ſorore.* 474. *Farneſium auxilia poſcit* 481. *capit Opſlachum*, 497. 512. *Doccomij cladem accipit*, 502. *cladem dat Friſijs*, 509. *fruſtra tentat Coverdiam, Swollam, Dotechemum*, 513. *Stenovicum*, 513. *Præſidium Cuneræ opprimit*, ibid. *duas Friſiorum cohortes cædit*, 515. *minores Friſios per literas tentat*, 516. *Stenovicum obſidet*, 516. *& ſeq. exercitum ſeditioſum vix placat*, 520. *Stenovicum deſerit*, 525. *minatur Friſiæ*, 536. *moritur*, 544.

Georgius Weſtendorpius Senator regius capitur, pagina 286.

Gisbertus autor invaſionis Doccomienſis confoditur. pagina 149.

Godefridus Sylvius præſul Horti Mariæ. 43.

Goſlicus Herama Wonſeranorum prætor 423

Groninga Ordinibus aſſerta, 555. *fæderi Vltrajectino adijcitur.* 388. 389. *regi æquior*, 413. *in ea Lalainiani motus*, 466. 467. *invidia Lalainij.* 472. *obſidio ab Entenio.* 473. 479. & ſeqq. *ad Groninganos ſcriptum tecti nominis.* 528.

Groſbecius Pro-præfectus Friſiæ, 45. *tentat nobilitatem & viros primarios ut animati de adventu Ludovici Naſſovij.* 102. *contra Ludovicum Naſſovium ducit & retrocedit*, pagina 104.

Gualterus Hegemannus Hindelopam capit & diripit. 216. *Entenium vincit & capit*, 314. *à Lalainianis malè accipitur*, 517.

Gulielmus Buma captus, 91. *decollatus.* 108.

Gulielmus Dux Cliviæ mente captus, 489.

Gulielmus Lindanus in Friſiam mittitur pro inquiſitore dictus Delegatus Generalis. 15. *eius diploma.* 20. *quod reſtringit Philippus.* 25. *eius autoritatem confirmari vult Philippus.* 29. *in odio eſt apud Friſios & ejus inſolentiæ contradicitur ab Ordinibus*, 31. 32. *pergit inſolenter agere.* 34. *ſuſtinet acrem Iuris proceſſum.* ibid. *in eum querelæ iteratæ ſed eluſæ*, 36.

Gulielmus Ludovicus Naßovius in Vicarium Aurantij petitur, 475. *ad Groninganam obſidionem mittitur*, 479. *ſtrato Entenio caſtrenſe imperium obtinet*, 584. *glande icitur.* 511. *Ordines Friſiæ ſolatur*, 512.

H.

HARINGIUS *Glinzius Præſes Senatus provincialis à Schouwenburgio.* 52.

Haringus Haerſma in præſidio Maccomienſi, pagina 59

Harlemium obſeßum, 162.

Ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Harlingana arx occupatur. 448. *& ſeq. Harlinga rudi mœnium ambitu cingitur*, 484. *à Sonnojo munitur.* 497.
Hartmannus Galema captus, 91. *decollatus*, pagina 108.
Hattumana arx prodita recipitur. 518.
Hector Ayta in Philippi curia Senator intercedit pro Friſijs ut Otto Schouwenburgius averteretur, 203.
Hector Dekama fœderi minus æquus. 156.
Henricus Smeinzius abbas Horti Mariæ 49.
Hero Ockinga ad Albanum 133. *Bruxellam miſſus*, 244.
Hero Burmania ærarij tribunus. 270. *paſſim.*
Heſſelus Hyſma ſex-vir obit, 51. *cognominis ei patruelis deligitur ad recenſendos Kemponis Martenæ annales*, 52. *provinciæ legatus ad conſeſſum Ordinum generalium*, 309. 319. *in eo conſidet*, pag. 377. *paſſim.*
Heſſelus Haytſma captus, 90.
Hildebrandus Conſul Groninganus à famulo Lalainij globo trajicitur. 466.
Hindelopa direpta, 216. *à minoribus Friſijs præſidio inſeſſa*, 512.
Hippolytus Perſinius Senatus Regij præſes 8.
Hobbius Bardius, 469. *&c.*
Hommius Hettinga copias fœderatas contraſit, 102.
Horatius Buma in præſidio Maccomienſi, pagina 156.

I.

IACOBUS *Oſius religionis damnatur & morte afficitur*, 19.
Ianco Oſinga Wonſeranorum prætor, 521.
Iarichus Hottinga tribunus cohortis, 317.
Idzardus Douma Bruxellam legatus, 233.
Idzardus Sickinga publico ſemotus ægritudine animi obit, 178.
Igramus Achlenius ſenatus regij præſes. 132.
Imagines templis motæ. 457. 475.
Indictiones rerum venalium ſcriptæ, 470. *novæ indictiones*, 499. *publicanis ſubjectæ*, 536.
Inquiſitionis edictum vulgatur, 9. *mitigatur à Philippo*, 11. *hoc Carolus Anabaptiſtis opponi dicebat, ſed ſtrictum fuit in reformatos.* ibid. *inquiſitio per conventionem cum Arembergio prohibetur urbe Leovardia*, 80. *& tota provincia in eandem conventionem deſcendente*, 82.
Inquiſitores Friſici Lematius & Sonnius, 10.
Interceſſiones principum pro fœderatis apud regem, 184.
Invidia Hiſpanorum in Belgas gloria & fructu Gallicæ victoriæ illuſtres, 28. *& dignitatibus honoribusque Belgicis fruentes.* ib.
Inundatio maris, 34. 130. 174. 219. 317.
Ioachimi Hopperi de Requeſentio judicium. 187. *mors.* 293.
Ioachimi Panſeri Marnij copiæ à Ludovico Naſſovio cæſæ, 104.
Iohannes Auſtriacus advenit, 259. *ejus literæ ad Ordines*, 260. *dolus de dimittendo externo milite*, 263. *Ordinum cum eo diſſenſio ingraveſcit*, 271. 272. *marino itinere milites abducere pertendit*, 272. *exterum militem educit*, 277. *Bruxellam ingreditur*, 278. *in conventu Ordinum ſacramentum dicit*, 280. *ei diffidit Aurantius*, 281. *ſcribit ad regem de Belgij provincijs*, ibid. *Namurci arcem occupat*, 282. *Lalainium evocat.* ibid. *ſecreta ejus cum Margareta Gallica & Guiſijs pacta.* ibid. *denuo Ordines diffidentes & defenſioni ſe parantes de pace ſolicitat*, 284. *literas dat ad Leovardienſes.* ibid. *parat provincijs bellum*, 294. *Ordines illi ſucceſſorem petunt à rege*, ibid. *obteſtationi Ordinum reſpondet*, 298. *ad eos ſcribit.* ibid. *judicatur hoſtis*, 309. *bellum indicit*, 311. *Ordinum exercitum vincit*, 312. *cum magna clade repellitur*, 336. *moritur*, 338.
Iohannes Ayſma Vltrajectum delegatus. 404.
Iohannes Bonga Snecam munit, 141. *Bolſwerdiæ admittitur*, 142.
Iohannes Buning a, 497.
Iohannes Carolus Iulio Gelio ſuccedit in procuratione fiſci, 97.
Iohannes Dimerus Antverpiam miſſus à Senatu regio, 376.
Iohannes Fervovius. pagina 446.
Iohannes Eſcheda, 498.
Iohannis Haſſeltani abbatis Horti Mariæ luxus. 49.
Iohannes Matheneſſius arcis Leovardienſis Satrapa, 286.
Iohannes Petræus Sannius, 455. 459.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Iohannes Verkenius, 521.
Iorwerdt pagus, in quo theſaurus invenitur in prædio Hectoris Dekemæ, 180.
Ioſephus Talimerius Triremis regiæ præfectus, homo crudelis, 164. *cuſtodiæ datur ob licentiam & ſcelera*, 178.
Isbrandus Hardervicenus abbas Lidlumanus dignitate in luxuriom labitur, 49.
Iulius Botnia cum Carolo Roorda ad mutandum magiſtratum Franequerenſem conjungitur, 360. *legatus ad Rennebergium*, 355. *mulctæ loco totum prædium amittit*, 120.
Iulij Dekemæ Senatoris regij hortus ſubvertitur per inſolentiam plebis urbanæ, 349. *ipſe ſubjugandis Friſijs deſtinatur*, 424. 430. 434.
Iurisjurandi formula, quo Philippus ejicitur, 550. *ejus edictum non ſine horrore Friſiorum.* ibid.
Iuſtitiæ ædes Leovardiæ, 137.
Iuſtus Schouwenburgius in Friſiam cum ſeptem Germanicis cohortibus advenit, 150. *oſtendit ſe datum ab Aurantiæ Propræfectum Friſiæ*, 151. *Snecam & Bolſwardiam ingreditur* 151. *Franequeram.* 152. *ejus luxus & torpor*, 153. *perfidia*, 156.

K.

KEMPONIS *Martenæ annales recenſiti*, 52.
Knyffius epiſcopus Groninganus, 117.

L.

LAMBERTUS *Calvus*, 227.
Lamoralius Egmondanus in odio Hiſpanico ob gloriam victoriæ Gallicæ, 28. *ablegatur in Hiſpaniam*, 53. 54. *indignatur legationem ſuam contrarijs decretis ſubverti*, 59.
Legati Belgici in Hiſpania morte multantur, 113. *Friſiorum ſtantes Philippo ſacramentum dicunt*, 8. *ad Philippum abiturientem in Hiſpaniam de non evocandis Friſijs extra regionem*, 29. 30. *Hiſpanici in Belgio abſumunt illuſtres Belgas luxu ſuo provocatos.* 28. *Ordinum à Requeſentio Bruxellam evocati*, 206. 207.
Lemmariæ munitio everſa, 301.
Leovardiæ Clerus opponit ſe novo Epiſcopatui, 49. *Leovardia ſuæ urbis defenſionem arripit & militem regium portis prohibet.* 69. 70. *exercitium religionis reformatæ admittit ſubverſis æris & remotis ſacris pontificijs*, 70. *pontificiam ejicit*, 72. & ſeq. *cogitur eam recipere*, 79. 80. *reformatis miniſtris ſtipendium petit.* 330. *pontificij illic ad publica ſuæ religionis exercitia redeunt.* 350. *caſtellum in poteſtatem redigitur*, 445. 446. 447. *incendium*, 99.
Leppæi aggeris controverſia, 355.
Lex Saxonum de menſuris & ponderibus innovata, 41. *legitimatianis*, 14.
Locupletum opibus bellum trahendum eſſe cenſetur. 229. 232.
Lonckius, 472.
Loſius tribunus cohortis opponit ſe Robleſio, 253. 254.
Ludovicus Halevinius, 542.
Ludovicus Naſſovius in Friſiam venit juſſu Aurantij, 101. &ſeq. *Arenbergium vincit*, 105. *Groningam dolo inutili aggreditur*, 109. *ab Albano vincitur*, 110. *victus & cæſus*, 199. 200.

M.

MACCOMIUM *deſeritur à præſidio fœderatorum.* 157.
Magiſtratus Friſici Philippo ſacramentum dicunt, 9.
Margareta ſoror Philippi Gubernatrix Belgicæ conſtituitur, 30. *Commendat inſtitutionem novi epiſcopatus*, 47. *ſcribit ad regem de fœdere nobilium Belgarum*, 61. *& ad Friſios de eodem*, 62. *promittit mitigationem edictorum*, 64. *mittit de eo legatos in Hiſpaniam.* ibid. *ejus literæ minaces ad Arembergium de regis voluntate cavendæ mutationis in religione prætegu ntur in conventu Ordinum & turbant*, 73. *accuſat Belgas per literas ad Philippum*, 76. *Scribit Senatui Leovardienſi ut profugorum civium nomina in indicem referat*, 93. *& profugium molientes denuntiatione confiſcationis & pœnæ capitis deterreat*, ibid. *diſcedit è Belgio*, 98.
Margareta Marchica uxor Arembergij. 27. *ſcribit de filij ſucceſſione.* 111.

Ma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Maria Anglica conjux Philippi moritur, & ejus exſequiæ in Friſia celebrantur. 26.
Maria Gubernatrix Ordines Friſiæ cogit ad exſtirpandos Anabaptiſtas & ſectarios, 19. *eius mors & funus*, 26. *abhorruit ſemper à conſilijs durioribus, nec voluit Belgas ab Hiſpanis regi*, 27.
Maris ejectamenta Principi debita, 40.
Martinus Bajartus cohortis Valonicæ præfectus ſuffectus Fr. Hornio. 208.
Martinus Nitzenius contrà aſperitatem & exactiones Robleſij Bruxellam legatur, 192. *& rurſum*, 274.
Martinus Schenckius ductor copiarum Groningæ auxilio venientium, 488. 489. *victor acie contrà Hohenloïum*, 443. *Coverdiam venit*, 495. *Groninganam obſidionem ſolvit*, ibid. *cladem in Doccomienſi oppugnatione accipit*, 502.
Martinus Stella legatus concilij ſtatus capitur & torquetur à Robleſio, 252.
Matthias Auſtriacus in Belgium vocatur & venit, 302. *Antverpiam ingreditur*, 303. *dicto ſacramento regimen cum Aurantio capeſſit*, 310. *Friſiæ legatis quædam proponit* 380. *ei penſio ſtatuta*. 437. *diſceſſum cogitat*, 520.
Matthias Rommartius Leovardienſis Syndicus à ſeditioſa plebe ad necem quæſitus liberatur ab Arembergio, 87.
Menno Simonius clam haberi vetatur & deferenti merces aſſignatur ex ærario. 19.
Miles caſum icti glande Arembergij nuntians virgis cæditur, 99.
Militares ſeditiones in Belgio, 248. *diſciplina apud fœderatos corrupta*, 507. *ſeditio in caſtris ad Groningam*, 494. *ſedatur*, ibid.
Montjojus Stauriæ præſidens oppidum affligit, 164.
Mutuum æs à locupletibus ſub uſura petitum, 336.

N.

NAUTICUM *æs ob impendia vaſorum ſyrtes judicantium*, 42. *id edictum delegati Ordinum recitari prohibent*. ibid. *de eo rurſus actum*. 50. 51.
Neoſylum munitur, 543.
Nienortius in Tranſlavicanis fortiter rem gerit, 526. *Rennebergianos repellit*, 536. *cladem accipit* 537.
Nobiles Belgici, vide *Belgici Nobiles*.
Nobiles Friſici admittuntur ad comitia. 532. *nobilitas Friſica ab exciſæ regiæ onere immunis eſſe cupit*, 476.
Norritij & Caulerij legionibus in Friſia militantibus ſtipendium è Flandria petitur. 508. *eius diſcrimen*, 520. *Rennebergium data clade repellit*, 524. *Stenovicum liberat*, 525. *in Friſiam mittitur*, 539. *hoſti dat cladem*, 540. *ejus quidam equites à ruſtica Friſiorum plebe cæſæ*, 553. *ſtipendia militibus petit*, 554. *vincitur à Verdugio*. ibid.

O.

OMLANDIA *totâ præſidia fœderata ejecta*, 538.
Ono Grovenſteinius, 446.
Oppidorum magiſtratus, à Lalainio mutata, 306. 327. *Vltrajectino fœderi accedunt oppida*, 391. *novam tributi partem ſolvere juſſa*, 407. *inter ea æquata ratio*, 408.
Ordinum Belgij Oratio in imperij tranſlatione in Philippum, 2. *reſpondent cæſari de negotio Andini*. 478. vide *Concilium ſtatus & Generales Ordines*.
Ordinum Friſiæ jusjurandum Philippo datum, 7. *ipſi mittunt Bruxellas pro ſtabiliendis patriæ ſuæ privilegijs ſed fruſtrà*. 8. *ſupplicant contrà Lindanum commiſſarium fidei*. 32. 33. *ſcribunt ad epiſcopum Trajectenſem de novo epiſcopatu*, 58. *petunt interceſſionem ad Philippum aut epiſcopum*. 59. *teſtimonium exhibent formulæ fœderis nobilium*. 67. *intercedunt pro fœderatis ne cogantur inconſultis ſocijs fœdus reſcindere*. 83. *approbant antè dicta factaq; & à jure Patriæ recedere nolunt*, 84. *libellum ſupplicem mittunt ad regem*, 89. *qui interceptus reſponſum tulit à* Margareta. ibid. *eorum conventus de tributo Albani*, 126. 127. *indignantur Rennebergium cum Senatu regio conſuſurrare*, 359. *eorum delegati commiſſarios petunt è Senatu regio, qui de læſo jure gentis cognoſcerent*. 42. *peregrinos præfectos arcibus & caſtellis moveri*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

veri petunt à Lalainio. 440. Ordines agrarij & oppidani diſſentiunt, 288. 346. eorum fœdus, 475. oppidani prompte promittuntur ſubſidium ad Bellum Gallicum agrarijs cunctantibus, 22. queruntur ſe à comitijs prohiberi. 374.

Orichius Doyemus, 522. 530.

Oſtmahorna munita, 24. obſeſſa, 286. deſerta, 287. ejus muniendæ conſilia. 498. 505.

P.

PACIFICATIO *Colonienſis*, 383. 384. 385. & ſeqq. *ultrà annum totum*, 1579. *Gandavenſis*, 250. 251. *publicatur Leovardiæ*, 255. 276. *novo fœdere firmatur*, 268.

Pax inter Gallum & Hiſpanum, 26. *pacis arbitrium Rodolpho Cæſari offertur à Farneſio & Ordinibus.* 361.

Paulus IV. *Pontifex Romanus confirmat conſilium Philippi de novis per Belgium epiſcopis*, 37.

Paulus Blanckevortius, 512. 513.

Petrus Adrianus Bolſverdienſis cum fratre à militibus, quos cohibere ſtudebat, confoditur. 228.

Petrus Boimer. 129.

Petrus Everardus Durevoutius. 512. 513.

Philippi regis ſucceſſoris Caroli oratio, 3. *eius juramentum Friſiæ datum per comitem Arembergium*, pag. 5. *Oratio ad Friſiæ legatos*, 6. *jusjurandum.* ibid. *literæ de emendandis monaſticorum & ſacerdotum in Friſia moribus*, 12. *omittit titulum Angliæ & Franciæ*, 26. *ducit Eliſabetham Valleſiam Gallicæ regis ſororem*, 27. *ejus conſilium de ſubvertenda libertate Belgica*, 28. *è Belgio diſcedentis oratio.* 30. *diſceſſum ægre ferunt Ordines*, ibid. *promittit exautorationem militis nec facit*, 31. *vehementi tempeſtate diſcedens in Hiſpaniam affligitur*, ibid. *ſcribit ad Margaretam Gubernatricem literas minaces de recipiendis epiſcopis.* 52. *ejus pertinax dictum de novis epiſcopis*, 59. *ægre fert fœdus nobilitatis Belgicæ.* 64. *legatos de mitigatione edictorum & auferenda inquiſitione malè excipit*, 65. *edictum eius de non novandis ſacris Leovardiæ prælegitur in ſecreto Senatus & ſupprimitur*, 74. 75. *ſcribit ad Friſios ſua manu*, 132. *eius induciæ cum Eliſabetha Anglica.* 164. *edicit ut Iohanni Auſtriaco pareatur*, 315. 316. *ex Anna Auſtriaca naſcitur ipſi filius Philippus*, 317. *Portugallia ipſi accedit.* 457. *abdicatur*, 546. 547. & ſeq.

Philippus Hohenloïus imperium belli ad Groningam habet, 481. *hoſti arcendo ſe accingit*, 490. *contra mandatum Ordinum in prælium deſcendit cum Schenckio*, 491. *fortiter dimicat & vincitur.* 493. *Friſiam defendit contra Lalainium*, 498. *vita diſſoluta.* 507. *Groningam obſidet & temerè omittit*, 508. 509. *turpiter fugit*, 512.

Philippus Montmorentius capite plexus, 108.

Pierius Ielgerhuſius. 88.

Pius IV. *ſanctionem de novis epiſcopis confirmat*, 37.

Pompejus Roorda eccleſiaſticorum bonorum Quæſtor, 357.

Pontificij indignantur reformatis templa dari, 332. *quæ diſcordiæ cauſa & inclinationis in Hiſpanos antè exoſos.* ibid. *Friſiam graſſatoribus implent*, 406.

Prædiorum paſtoralium fructus vacante miniſterio ne ſacerdotibus accedat, 50.

Prædones compreſſi, 38. *infeſtum habent mare & vicinam Friſiam ſub finem Albani & initia Requeſentij, qui utriuſque & fœderatæ & regiæ claſſis*, 185. *eorum crudele facinus in pago Wikel.* ibid.

Præſules aliq; partis eius opponunt ſe fœderi Vltrajectino, 393. *turbas movent*, 404.

Prætores Philippi in querela. 51. *prætorem facere contra mores receptos non vult Lalainius*, 350. *non prætoribus neque privatis licet ſolemni comitio intereſſe*, 393.

Præturarum quinque jus ad aggeres, 50. *præturarum querelæ & libelli ſupplices de impendijs in militem.* 126.

Principum aurei velleris conſultatio de adventu Albani, 94. *eorum diſſenſio reducit pontificiam religionem.* ibid.

Prodigia, Pag. 51. & *paſſim.*

Proprietarij admittuntur ad Friſiæ comitia, pagina 532.

Provinciarum ſimultates. 542.

Provocatio in cauſa religionis ad decreta Ger-

maniæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

maniæ juſſa non valere, pagina 39.
Publicanorum fraudes. pagina 53.

Q.

QUERELAE *de Lindano*, vide *Gulielmus Lindanus adverſus prætores & alij*, 50. 51. 53. *alias* vide *in ſuis vocabulis.*

R.

RATIONUM *publicarum cura ordinata.* 293. *Reformati miniſtri Leovardia excedunt*, 81. *tota provincia jubentur excedere.* ibid. 88. *reformati templa ſibi aperiri petunt*, 328.
Regiæ factionis ſeditio, 485. 486. *regia præſidia tota Friſia ejiciuntur*, 528. *regij exules ſcribunt ad Friſios populares ſuos.* 554.
Regnerus Alberda conſul Groninganus 468.
Renicus Camminga ad Ordines Generales miſſus obtinendo reſcripto ulterioris mutationis, 308. 319.
Renicus Dekema in præſidio Doccomienſi pro rege, 145. *prætor Collumanus*, 286. *ductor cohortis.* 526.
Requeſentius Albano ſuccedit, 184. *ad illum Friſiorum legati*, 188. *mittit edictum in Friſiam frenandæ militum licentiæ*, 189. *regem adhortatur ad inſtruendam claſſem* 208. *molitur bellum navale*, 225. *Reginam Angliæ auxilium poſcens repellitur.* 226. *bellum niſi ſubacto mari inutiliter geri ſcribit ad regem*, 238. *de occupanda Emda cogitat*, ibid. *moritur.* 239.
Riſvicius Medenblici præfectus fruſtrà tentatur à Robleſio. 202.
Rodolphi Cæſaris uteræ ad Belgas. 248.
Romanæ ſedis cultus per totam Friſiam à Robleſio reſtitutus, 157. *abolitus ab Ordinibus & quare.* 470.
Rombertus Frieſma. 523.

S.

SACERDOTUM *concubinatus vetitus & in eos facta inquiſitio.* 100.
Scelto Tiarda, 274.
Scipio Sceltama Doccomium invadit, 147. *ejicitur* 148.
Scipio Meckama, 494.
Senatus curiæ Friſiæ Philippo ſacramentum dicit, 8. *exigit ſecundam honorarij penſionem & repellitur*, 10. *edicit de ſumandis pecoribus peſtilentia abſumptis.* 15. *monetur ſui officij*, 97. 123. *eius molitiones pro rege*, 103. *edicit de prædijs non locandis peregrino*, 120. *edictum de vendendis proſcriptorum bonis*, 228. *Deputatis ſe opponit*, 314. *cuſtodiæ mancipatur à Lalainio.* 315. *acerbè accuſatur.* 367. *patrocinium quærit Matthiæ Archiducis*, 378. *mittit Antverpiam.* 366. *crimina illi objecta.* 377. *reſpondet.* ibid. *gravatur novis criminibus*, 379. *Leovardia excedere jubetur.* 401.
Senatus novus conſtituitur, 321. *introducitur*, 331. *nec decens numerus nec autoritas*, 486. *ejurat Philippum.* 558.
Seſtertius in florenum decretus adornandis triremibus contrà fœderatos, 174.
Sex-viri redarguendo Philippi imperio. 51.
Siboldus Ayſma, 535.
Sibrandi Richæi apud Aurantium oratio, pagina 155.
Sicco Tieſſenius cohortis ductor cum Iohanne Bonga, 148. 149.
Sigiſmundus Curtſpachius cuſtodiæ datus, pagina 411.
Simon Langebardus captus, 90.
Sinus Scholbalchicus non notatus tonnis. 51.
Siricius Doma occidit naufragio, 174.
Sixtus Abbeus paſtor Oldehovius pridie confeſſione facta Romanæ religionis poſtridie deficit, 71.
Slotæ munitio diruta. 301.
Sneca tentatur à Robleſio. 140.
Stauriæ caſtellum oppugnatum à Bronchorſtio, 145. *Stauria occupata à fœderatis & recepta à Robleſio*, 159. *arx occupatur & tollitur*, 452. 453. 454. *oppidum munitur.* Ibid. *fanum direptum.* 469. *oppidum à minoribus Friſijs præſidio inſidetur*, 512. *magiſtratus immutatur*, 327.
Stella nova, 159.
Steno Malteſius Merodio ſuccedit, 557.
Stenovica à Lalainio impetita. 514. *obſeſſæ ſolutionem pollicentur Ordines*, 516.
Suffridus Bejemus captus. 91.

Tabu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

T.

TABULAE *de ſucceſſione Philippi in Friſia*. 3.
Tabulationes littorum portuumve violantibus pœna ſtatuta, 40.
Taco Æbinga Lidlumanus abbas obit. 48.
Taco Hettinga, 311.
Tarquinius Valleſius conſul Leovardienſis reformatam religionem admitti urget, 70. *inter primos cœnam capit*. 75. *accuſatur & per edictum citatur*, 99.
Telum geſtare nemini Leovardiæ licitum niſi officiali regio aut publico miniſtro juſtitiæ, 42.
Tempeſtates & venti, pag. 25. 26. 38 43. 174. 557.
Tiallingi Eyſſingæ oratio ad Ordines Translavicanos pro Luaovico Naſſovio, 104. *eius bona fiſco decreta*. 106. *obit*, 152.
Titus Hettinga Snecæ præſidium tenet. 153.
Titus Walta, 459.
Tra,ectum ad Moſam ab Ordinibus negligitur, 362. *capitur*, 398.
Tranſiſulanos inter & Friſios æmulatio compoſita. 456.
Tranſlavicani ſe redimunt à Ludovico Naſſovio. 104 *duce Entenio arma capiunt in Lalaimum*, 313. *eorum querelæ ad Friſiæ proceres*, 522.
Tributum Albani conventione averſum, 128. *menſtrui ratio diſceptata*. 405. 407. 411.

V.

VALERIUS *Camminga legatus ad Albanum*, 133. *ad concilium Status*, pagina 244.
Valones Schouwenburgicos Ripæ agentes opprimunt, 153. *eorum fidei permittuntur urbes, quæ à fœderatis receſſerant*, 158. *eorum diſſenſiones pacari non poſſunt*, 357. *fœdus faciunt cum Parmenſe*, 358.
Varckanæ cohortis inſolentia, 541.
Vbertas, pagina 26.
Vectigal mercium importatarum confirmatum, 38. *nova ab Ordinibus Generalibus inſtituta dant in Friſia motum animorum*, 326. *illis intercedunt Matthias & Aurantius*. 327.
Verdugius armat in Friſiam, 551. *Groningam venit & Reidanus obtinet*. ibid. *ſcribit ad Friſios*, 554. *Norritio cladem dat*. 554. 555. *Neoſilum fruſtra obſidet*, 556.
Weſtergoi Vltrajectino fœderi accedunt. 391.
Via à Sigeri cænobio Garipam, 40.
Vibrandus Aylva Snecenſium Oldermannus, pagina 155.
Vibrandus vel Vibius Goutumanus occupat arcem Leovardienſem capto Matheneſſio, pagina 287.
Viglius Zwichemus diſſuadct promulgationem decretorum Philippi de religione & concilio Tridentino, 52. *reſpondet Albano tributum immodicum petenti*, 118. *eius indignatione in apoplexiam incidit*. 119. *de Auſtriaco judicat & moritur*, 279.
Wingardius, pagina 472.
Winſumum deditum, 538.
Vlpius Aylva à Robleſio in carcerem conjectus, pagina 203.
Vltraiectenſium fœderatorum decreta, 477.
Vltraj ectino conſeſſui leges ſcriptæ, 409.
Vltraj ectinum fœdus, 350. 365. *id amplexæ provinciæ, quem modum tributi acceperint*, 392. *ejus publicatio multos Antwerpiæ offendit*, 396.
Voricomium ab Entenio direptum, 136.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
142 B 10